









ANNALES CAMALDULENSES
TOMUS QUARTUS.

ANNALES
CAMALDULENSES
ORDINIS
SANCTI BENEDICTI

Quibus plura interseruntur tum ceteras Italico-monasticas res, tum historiam Ecclesiasticam remque Diplomaticam illustrantia.

D. JOHANNE-BENEDICTO MITTARELLI ABBATE
& D. ANSELMO COSTADONI

Presbyteris & monachis e Congregatione Camaldulensi Auctoribus.

TOMUS QUARTUS

Complectens res gestas ab anno Christi M. C. LXI. ad annum M. CC. L.

Ad fidem MONUMENTORUM & VETERUM CHARTARUM, quæ APPENDICEM constituunt.



VENETIIS, MDCCLIX.
Ære Monasterii Sancti MICHAELIS DE MURIANO.

Prostant apud JO. BAPTISTAM PASQUALI.

SUPERIORUM VENIA ET PRIVILEGIO.






PRINCIPI PATRI PATRONO
MONACHORVM CAMALDVLENSIVM ORDO
DEVOTVS NOMINI MAJESTATIQ. EIVS.

SANCTISSIMO. PATRI

CLEMENTI. XIII.

PONTIFICI. MAXIMO.

Johannes-benedictus Mittarelli Abbas & Anselmus Costadoni
Presbyteri & Monachi Camaldulenses.



INCERTI æque & securi ad vestigia pedum SANCTITATIS TUÆ accedimus, BEATISSIME PATER, veneraturi

in Te Catholicæ Ecclesiæ PONTIFICEM MAXIMUM, adoraturi UNIVERSI ORBIS PATREM. Pontificis Maximi dignitas, qua nulla major est, accedentes retrahit, universalis Patris dignatio, quæ & ipsa maxima est, ad accedendum invitat; sed dum ancipites hæremus, ac certatim contraria imperant Majestas & Fiducia, illud exploratissimum menti nostræ occurrit, Te natura comparatum ad benignitatem, hanc nequaquam separasse a dignitate, talemque Te modo præstare, qualem alloquio & factis, antequam ad hujus supremi Pontificatus apicem proveheretis, pluries experti sumus. Fiduciam auget constans omnium vox, eam esse animi Tui indolem, quam tum in clarissima maximæ Orbis luce nemo est, qui non suspiciat, pleno quinimmo ore prædicet, annuntient vero, referantque dissitis populis singuli, qui ex alma Roma in patriam suam sunt reduces. Ajunt enim Te, qui Pater jampridem eras civium unius urbis, Patrem modo effectum multitudinis Credentium; & viscera misericordiæ, quæ in pauperum certum finitumque numerum effundebas, effundere nunc in Orbis totius indigos homines; nullum iccirco a Tua præsentia subtrahi, mœstum nemi-

mi-

minem recedere, & tamquam dulces filios a Te pendere omnes, quos in Christo parturis, in ulnis gestas, sinuque foves. Et quod olim ad alterum Romanum antistitem Eugenium III. ajebat alter Monachus Bernardus, subdunt, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Purpuratos Patres, Principem Te constituisse sibi, non Tibi; ac mutatam esse quidem dignitatem Tuam, sed in Te hanc mutationem factam fuisse, non de Te, nec priori statui Tuo successisse promotionem, sed accessisse.

Majestate igitur tam dignanter cedente, quid-ni cedat pudor? Securi propterea, neque ulterius ambigentes coram SANCTITATE TUA sistimus, & ipsis felicissimis Pontificatus Tui initiis obsequia nostra publica professione efferentes, Annalium nostrorum Camaldulensium opus, quod Episcopo & Cardinali debebamus, Tibi nunc SANCTISSIMO & UNIVERSALI PATRI subjicimus, in eam spem erecti, quod non dedignaberis propitios convertere obtutus erga labores nostros, quos aliquot ab hinc annis inchoatos, & jam ad quartum tomum productos non despiciendos hactenus voluisti.

Camaldulensem præterea Tu Ordinis San-

cti

cti Benedicti humillimam Congregationem, in Monachos & Eremitas partitam, ſuavi ſemper ore, hilarique fronte excepiſti; recordantur ipſius alumni beneficiorum Tuorum; vel grati itaque animi cauſa hiſtoria ejus gentis ſub Tuis oculis erat ponenda, quam alio quoque jure Sanctitas Tua ſibi vindicat, nimirum ob Majorum Tuorum optima de Camaldulenſi familia merita. Unum eorum præterire nefas Clariſſimum Progenitorem Aurelium, qui palatium, terras, vineas ad eremi conſtructionem liberali manu Camaldulenſibus aſcetis conferens, primordia tribuit anno M. IDC. LXV. ſolitario Fileti receſſui, qui ad hodiernam diem inter præcipuos Venetæ ditionis viget tum florenti ſtatu, tum felicitate vitæ in colle dicto Capreolo prope Coneglanum Diœceſis Cenetenſis.

Accedit alia non ſpernenda ratio, cur Annales Camaldulenſes Sanctitati Tuæ conſecremus. Coaluit ſeculo XII. in territorio Urbis Patavinæ (libenter verba facimus de ea urbe, cujus habenas ſapientiſſime & pientiſſime moderatus es, quam in deliciis ſemper habuiſti & habes, in qua præclariſſima miſericordiæ, pietatis, Pontificiique zeli mo-

nimen-

nimenta reliquisti) coaluit cœtus Monachorum Alborum Ordinis Sancti Benedicti, cujus Congregationis plura Cœnobia ad majores nostros reformanda progressu temporis transiere. Porro nos non latet, quam sollicitus semper fueris, ut ea illustrarentur, quæ ad sacram Patavinæ Ecclesiæ Tuæ historiam conducerent. Partem igitur historiæ hujus urbis accipiat Sanctitas Tua in originibus ejus Congregationis, & in monasticis actibus, quorum reliquos, simulque cœtus ipsius Consuetudines aliis voluminibus prosequimur.

Sanctitatem Tuam hactenus, ut Patrem Universalem allocuti sumus; Te modo alloquimur, ut supremum Catholicæ Ecclesiæ Hierarcham, CLEMENTEM XIII. Postulatio Tui, Beatissime Pater, in Summum & Maximum Pontificem tota Cœlestis Divinaque fuit; neque enim ab hominibus assumptus es, sed a Deo vocatus tamquam Aaron. Demiratus est universus Orbis Te super candelabrum positum, quando vel maxime cupiebas delitescere sub modio; & cum divino plane consilio eligantur semper Catholicæ Ecclesiæ Pastores, clarissimum tamen omnique exceptione majus in Tui electione

toti

toti posteritati exemplum relictum Te ad tantum pondus sustinendum divinam Providentiam miro superexcellentique modo destinasse. Tibi itaque gratulamur, totoque mentis & cordis annisu plaudimus & gestimus: Te confitemur Sacerdotem Magnum, Summum Pontificem, hæredem Apostolorum, Episcoporum Principem, potestate Petrum, unctione Christum. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt; Pastorum Tu omnium unus Pastor. Renuntiatus Summus Pontifex characteres illos omnes statim in Te expressisti, quos expetebat in Eugenio Bernardus. Factus enim es forma justitiæ, sanctimoniæ Speculum, pietatis exemplar, Cleri Ordinator, Pastor plebium, Sacerdos Altissimi, Vicarius Christi, Christus Domini. Ceteros characteres supprimere nos adigunt veneranda jussa Tua, quibus propterea religioni ducentes parere, silentio præterimus, quanta Te in plenitudinem potestatis vocatum urgeat sollicitudo omnium Ecclesiarum; & posteaquam integros dies audiendis, & examinandis Fidelium ex omni Orbis terræ parte confluentium causis & indigentiis exples, noctes plures insomnes adjungas, otium in solo exercitio quæras, &

ex uno ad alios pro Ecclesia subeundos labores numquam fatigatus progrediaris. Novisti siquidem hæreditatem TUAM in Christi Cruce, in laboribus plurimis, & dum præesse toti Orbi gaudes, praees ut provideas, ut consulas, ut procures, ut serves, ut prosis, unice requirens animarum lucrum, sublevationem inopiæ pauperum, salubrem bonumque statum totius Ecclesiæ, Principum concordiam, pacis diffusionem, decoris ecclesiastici propagationem, optimorum pastorum delectum, sanctitatem legum, felicitatem denique TUÆ ecclesiasticæ ditionis, immo universalis Orbis.


Sed qui sumus, ut complecti velimus, BEATISSIME PATER, quæ exprimere ignoramus, & quæ vel pressius delibare, ab insigni animi TUI Moderatione prohibemur? Silentium itaque ori nostro indicentes, jussa TUA implemus, uniceque exoramus, ut piissimis consiliis voluntatibusque TUIS præsto sit ille, cujus locum imples, qui & annos multiplicet ad ea perficienda, quæ in Dei, Ecclesiæque honorem & bonum meditaris, omnesque sperant. Humillima itaque vota nostra, monumentumque hocce, qualecumque sit, humaniter excipiat SANCTITAS TUA, & effundere

di-

dignetur ſuper nos & ſuper Congregationem noſtram cum Paterna dilectione Apoſtolicam Benedictionem.

Ex Monaſterio S. Michaelis de Muriano Venetiarum Kalendis Aprilis M. IϽCC. LIX.




Eremus Fileti prope Coneglanum diœc. Cenetensis.

IN TOMUM QUARTUM ANNALIUM CAMALDULENSIUM

PRÆFATIO.


CONGREGATIONES omnes monachorum Occidentis esse surculos magnæ arboris ordinis SANCTI BENEDICTI, & ex iis coalescere venerabile hocce corpus; talem adeoque vere dici & esse Camaldulensem cœtum a ROMUALDO protoparente nostro institutum conceptis verbis & argumentis declaravimus in præfatione ad primum Tomum horum Annalium. Data opera in præfatione ad secundum Tomum demonstravimus perfectam analogiam morum, legum & institutorum servatam inter congregationes Camaldulensem & Avellanensem, ac ex eodem Romualdi fonte bibisse ostendimus utriusque familiæ ascetas. Demum in præfatione ad tertium Tomum plurimis monumentis comprobavimus habitus monastici varietatem nil officere unitati corporis hujus, & monachos sive alba, sive atra, aut alia cujuslibet coloris veste utentes pertinuisse & pertinere ad eumdem ordinem illum, qui congregationibus componitur, vestium quidem diversitate adornatis, sed eadem regulæ sancti Benedicti & spiritus unitate gloriantibus. Nunc vero aliqua præfari volentes initio præsentis Tomi quarti, consilium nostrum est, & lubet paucis ostendere alterum harmonicum consensum, qui cedebat inter monasteria Benedictini ordinis, præsertim in Italia, quoad regimina locorum & monasteriorum; usuveniebat enim passim, ut promiscue conferrentur Italicæ abbatiæ monachis profitentibus regulam sancti Benedicti, licet alterius congregationis consuetudines, statuta & disciplinam sequerentur, alteriusque coloris habitum gestarent. Audiatur Johannes Caramuel, qui sui Commentarii in regulam sancti Benedicti disputatione XXXV. articulo IX. paucis licet exemplis, rem tetigit.

tigit. „ Quicumque, inquit, Benedictinus, qui legitime velit incorporari Cistercienſibus, poteſt admitti ſine anno probationis, non ſecus ac quilibet alius Cisterciensis, qui transferretur ex monaſterio ad aliud; " & rationem reddens concludit „ & monachos, & abbates alterius congregationis poſſe ad ſuam Ciſtercienſem congregationem tranſire ſine neceſſitate probationis, cum regulam ſancti Benedicti æque profiteantur Ciſtercienſes, ac alii omnes monachi; " idque probat ex Cæſario, ex Roberto de Monte, ac ex recentiorum ſcriptis. Quod de Ciſtercienſibus ſuis aſcetis Caramuel, hoc de aliis congregationibus pari modo dicendum, iſque uſus tot exemplis demonſtraretur, quæ volumen implerent; quare in medium relicta hiſtoria ceterarum congregationum, preſſius facta congerimus ex Camaldulenſi cœtu, ſive ex inſtituto illo, cujus primordia excitavit Romualdus. Neque aliud hic agimus, niſi per ſummum compendium colligimus, quæ fuſius hinc inde leguntur in noſtris Annalibus, ſive qui lucem aſpexerunt, ſive qui propediem in lucem proferentur.

Clariſſima omnique exceptione majora hujus rei ſpecimina duo proferimus; primum ſit ejuſdem Romualdi, qui fuit congregationis parens, ſimulque reſtitutor Benedictini ordinis, alterum vero Petri Damiani inſtitutoris vel propagatoris congregationis Avellanenſis. Vix triennium compleverat Romualdus in Claſſenſi Ravennæ ſancti Apollinaris cœnobio, ubi tirocinia vitæ monaſticæ poſuerat, profeſſionemque emiſerat, quod perfectionis amore creſcente, & petita licentia ſui abbatis, monaſterio & familiæ Claſſenſi valedicens, Marinum eremitam adiit, qui regulæ divi Benedicti & ipſe ſectator, non cœnobiali quidem converſatione, ſed ſolitariæ vitæ genere *ſpiritualis vir*, ut eum appellat Petrus Damiani [a], remotus ab omni hominum conſortio degebat in Venetorum æſtuariis. Id actum ad mentem ſancti legiſlatoris Benedicti, qui eodem Damiano teſte [b], *dum in monaſterio hominem ponit, ad eremum dirigit*. Plures cum Marino tranſegit annos Romualdus, & collectis *ſingularis vitæ ſuæ* aſcetis, quorum poſt breve tempus evaſerat magiſter, unum ex ipſis, Martinum nomine, deſtinavit, ut longa fundataque fert traditio, qui ex vita ſolitaria, quam eatenus profeſſus fuerat, ad cœnobiticam tranſitum faciens, monachos induceret & inſtrueret in noviter erecto Vangaticienſi Adrienſis territorii cœnobio, paulo poſt medietatem ſeculi decimi. Ductus deinde ſanctus vir majoris ſpiritu fervoris, Italia relicta, Alpes tranſiit una cum Petro Urſeolo Venetorum duce, cum Johanne Gradonico, cum Johanne Mauroceno, & cum præfato magiſtro ſuo Marino, viam ceteris ſternente Guarino abbate monaſterii ſancti Michaelis de Cuxano Aquitanicæ provinciæ, in cujus cœnobio ſtationem cum ſuis aſſeclis fixit. In eo loco ex Guarini ſubdito, ut res ipſa exigere videbatur (ipſius enim monaſterium incolebat) paucis interjectis diebus, evaſit ceterorum prælatus, & ſchemate monaſtico induit Petrum Urſeolum & Johannem Gradonicum, qui ipſi ſubjiciebantur, quorumque præſtitæ obedientiæ actus in Damiano leguntur; ſubjiciebatur & ipſe, magiſter olim ſuus [c], *Marinus*, qui *gaudebat beato Romualdo eſſe devotus, cui nuper fuerat prælatus*; immo

a Vit. S. Rom. cap. 10.

b Epiſt. XII. lib. VI.

c Vit. S. Rom. cap. 6.

mo *quidquid inter fratres sive de spiritualibus, sive de temporalibus* Romualdus *decerneret, cunctis volentibus ejus omnino sententia prævalebat.*

Post Urseoli obitum, & post conversionem Olibani magni comitis ejus regionis, societas illa uno spiritu congregata, divisa est. Destinati fuere a Romualdo ad Montis-casini monasterium Olibanus & Johannes Gradonicus; Johannes Maurocenus redux Venetias fundavit illustre cœnobium sancti Georgii e regione basilicæ divi Marci. Marinus in Apuliam concessit, ubi magister effectus plurium solitariorum, & facile fons primaque origo congregationis Pulsanensis, paulo post a Saracenis occisus martyr occubuit. Romualdus vero etiam ipse Gallias linquens, Ravennæ constitit, ubi jura dixit in cœnobio sancti Severi Classis, animadvertens in Sergium patrem, qui ibidem monachus factus erat, sed qui reditum denuo ad seculum cogitabat, ipsumque ad meliorem frugem reduxit. Quæ jura itidem obtineret in Palatiolense parum dissitum cœnobium Romualdus, non satis liquet; illud unum indubium est ex septem libris numismatum sibi donatis ab Hugone magno marchione, sexaginta solidos misericorditer fratribus ejus monasterii dispensasse, quibus repararentur damna incendii in eo suscitati. Post fundata demum alia monasteria, habitata alia loca, reformata cœnobia alia, post leges quoque datas Avellanensibus Ravennam iterum rediit Romualdus a sancto pontifice & martyre Apollinare per visum sibi apparente vocatus, ubi ab Ottone III. imperatore constitutus fuit abbas Classensis, ejus nimirum monasterii, in quo prima monasticæ conversationis rudimenta didicerat.

Interea Johannes Gradonicus peregrinandi ardore succensus, Casinum montem deserere cogitaverat, & deseruisset, nisi inopinato casu progredi non valens, subsistere, & redire unde venerat, compulsus fuisset, ac Olibano monacho illius loci, qui ipsius præcipue curæ a Romualdo commendatus fuerat, iterum adhæsit. Hic tamen post aliquot cœnobiticæ conversationis annos in Casinensi monasterio peractos, pertæsus ejus vitæ generis, ad suam Aquitanicam ditionem redire maluit. Johannes vero Gradonicus triginta annis expletis in Casinensi solitudine, virtutibus insignis obiit, etiam miraculis post mortem clarus.

Rebus postea exigentibus Romualdus Tyburem se contulit; Venerium ex Tyburtino monasterio ad eremum excitavit & instruxit; inde Romam adiit, ubi convertit Tammum, Bonifacium-brunonem, pluresque alios nobilissimos Teutonicos, quos ductos prius ad Casinense monasterium, inclusit postea in sua Perensi laura, in ea scilicet eremo, quam jampridem ante expeditionem Gallicanam fundaverat, haud longe ab urbe Ravenna, non in comitatu Talliacotii, ut censuit Phæbonius libro III. historiæ Marsorum, ex qua Perensi solitudine olim Bononium discipulum suum interpellatus ab Hugone marchione eduxerat, ut præficeretur in abbatem monasterii sancti Michaelis de Marturio prope Podium-bonitium; & si fides Grandio nostro, alterum destinaverat discipulum Leonem nomine ad regendum Nonantulanum monasterium per eos dies in disciplina collapsum; sed exploratissimum est ex Perensi eremo,

præter discipulos clarissimos Johannem & Benedictum in Poloniam, rogantibus Boleslao duce, & Ottone III. imperatore, transvectos, monachos alios, requirente Hugone Farfense abbate, & dicto Romualdi *sequipeda*, dimisisse ad restituendam cœnobiticam disciplinam ejus monasterii, alios ad Willielmum abbatem Divionensem, alios demum ad Cluniacense monasterium pro describendis & exarandis consuetudinibus Cluniacensibus, quæ inferri debebant in Italiæ monasteria reformationem postulantia.

Condito ab eodem Ottone III. monasterio in Perensi insula ad honorem sancti Adalberti archiepiscopi & martyris, ibidem præfecit Romualdus in abbatem unum ex discipulis suis, cujus etiam monasterii idem ipse regimen tenuit, confirmatum subinde ejusque commendatum auctoritati post quatuordecim annos ab Henrico I. imperatore. Trajecit postea mare, & prope Parentium monasterium ædificavit & eremos; in Italiam rediit, & in monasterio Bifurci in Alpibus discipulos habuit, inter quos altissimæ contemplationis Petrum; cujus cœnobii & eremi præfecturam post aliquot annos Romualdo confirmavit idem imperator Henricus. Discipuli plures ipsius nominantur etiam in monasterio sancti Vincentii ad Petram-pertusam. Mirum, quanta loca construxerit vel reformaverit in Urbis-veteris regione, in Piceno, & in Thuscia, in qua postrema provincia insigne Campi-amabilis, seu Camalduli monasterium, quod nomen dedit Romualdi discipulis, ædificavit. Denique Sitriæ montem ascendit, sed ex eo loco evocatus ab eodem Henrico amandatus est ad Amiatinum monasterium in territorio Clusino regendum, ex quo post aliquod tempus rediit ad dilectam solitudinem suam, & ad Sitriæ monasterium, quod fundaverat; ac ætate, laboribus, peregrinationibus attritus spiritum demum Deo reddidit in Valle-castrensi cœnobio.

Paucis multa Romualdi regimina, necnon discipulorum ipsius, & varios de monasteriis ad alia transitus perstrinximus. Alterum nunc Petri Damiani, qui fuit & ipse rei monasticæ eximius propagator, exemplum percurramus, præmittentes eumdem morem invaluisse in Pomposiano monasterio, ex quo magnus ille eremitarum doctor & Romualdi studiosissimus Martinus Pomposianus abbas Guidonem Ravennatem a se in monachum Pomposiæ receptum, paulopost ad sancti Severi in Classe monasterium regendum circa initia seculi XI. destinaverat. Willielmi vel ejusdem Martini abbatum cessione ad Pomposianam familiam gubernandam post breve tempus vocatus idem Guido, probe conscius integritatis vitæ, sacrarumque literarum doctrinæ Damiani, qui spretis humanæ gloriæ illecebris & commodis ante aliquot annos in arctissimum eremiticæ vitæ locum, hoc est ad Fontem-avellanæ se incluserat, ipsum e sua solitudine efflagitavit ad Pomposianam abbatiam, in qua per biennium ceterorum monachorum non tantum doctor fuit, sed perfectissimæ disciplinæ speculum. Biennio completo Pomposianis vale dicens Damianus, idem officium præstitit monachis Sanvincentianis ad Petram-pertusam, ubi etiam ab egregiis Romualdi discipulis doctus hujus vitam conscripsit. Legimus etiam ipsum, dum prioris Avellanensis officio fungebatur, actus jurisdictionis exer-

cuisse

cuisse in Classense sancti Apollinaris monasterium, cujus loci monachos pariter recepit, futuros Avellanensis solitudinis suæ incolas. Immo non solum ex Classensi cœnobio ad ipsum confluxere ascetæ, sed ex eremo Liguriæ ab Odelrico Maginfredo marchione fundata ad suam societatem admisit Leonem clarissimum eremitam, ex Nonantulano monasterio Petrum admodum senem, qui septuaginta annis Deo deservierat, ex Luceolensi cœnobio Dominicum Loricatum, quos Avellanensibus suis adjunxit. Præsedit postea monasterio Montis-acuti in territorio Perusino, alteri sancti Gregorii Ariminensis diœcesis, eodemque tempore priorem ceterorum monasteriorum, sed præsertim suæ Avellanensis dilectæ eremi agebat.

Hæc, qui attente perlegit, vel alterum dicat, necesse est, omnia relata monasteria disciplinæ se subjecisse Romualdi, vel Petri Damiani recentiorum instituti monastici & regulæ sancti Benedicti reparatorum, vel certe nulla habita ratione disparitatis vestium, consuetudinum & monasteriorum, promiscue solitos fuisse recipi in cœnobiis monachos & abbates ex alia congregatione vel cœnobio venientes, quos nimirum animaret dumtaxat unus idemque Benedictinæ regulæ spiritus, qui unice ordinem ipsum ab aliis distinctum constituebat, monachosque loco, veste & consuetudine diversos copulabat.

Sed rem nostram aliis exemplis veteribus prosequamur. Bononius, quem vidimus primum ex patrio Bononiensi monasterio, deinde ex Perensi solitudine Marturiensem abbatem, post apostolatum susceptum ad Ægypti provinciam & ad sacra Palæstinæ loca, in Insubriam veniens factus fuit abbas Lucediensis, iterum Marturiensis, postremo Lucedii sancte obiit anno 1026. Gerardus Sagredus monachus sancti Georgii-majoris Venetiarum, patria relicta, tempore Stephani sanctissimi Hungarorum regis, eremitam egit in solitudine Beel, postulatus postea ad Morislenam seu Canadiensem ecclesiam, in qua gloriosus martyr gladio impiorum fuit confossus. Leo eremita sancti Blasioli propem Vallem-castri e sua solitudine raptus est, ut constitueretur abbas monasterii sancti Bartholomæi Fesularum, quod cęnobium consilio & visione præsertim Attonis Castrensis abbatis sub Conrado I. imperatore fuerat recens reparatum. Johannes Gualbertus sancti Miniatis prope Florentiam monachus, fugiens e monasterio suo, plura circuivit regularis vitæ loca, & ad tempus incoluit Camaldulensem eremum, donec in nomine sanctissimæ Trinitatis dimissus a priore Camaldulensi ad majora molienda, Vallumbrosanam congregationem instituit. Gaudentius, qui in Histria Romualdum Romualdique discipulos audierat, factus episcopus Absarensis, & pastoralem curam postea dimittens monachum induit in cęnobio Portus-novi prope Anconam, discipulus vel certe amicus Petri Damiani. Dominicus Loricatus Luceolensis monachus Avellanensem solitudinem, ut mox diximus, petiit, inde Suaviciniam, aliquo vero tempore habitavit in monasterio sancti Æmiliani de Conjunctulis, ab cujus abbate rigidiore aliquando pœnitentia mulctatus fuit. Bonus monachus Nonantulanus in patriam vocatus urbis Pisanæ, monasterium sancti Michaelis in Burgo excitavit, & loco ad commodam monachorum habitatio-

tationem & vitam præparato a Gorgonensibus monachis in abbatem est postulatus. Maurilius Fiscamnensis monachus Italiam petens eremiticæ vitæ primum se subdidit; inde abbas effectus monasterii sanctæ Mariæ de Florentia, postremo in Gallias & in Angliam trajecit, ubi prosecutus vitam monasticam archiepiscopus Rothomagensis tamdem decessit. Damianus, nepos magni Petri cardinalis, ex priore Avellanensi tum cardinalis S. R. E. tum Nonantulanus abbas evasit. Johannem vidimus Camaldulensem monachum ex nobili Januensi familia Serra ad Sextrensem, inde ad sancti Stephani ejusdem urbis abbatias regendas promotum inclaruisse sanctis operibus.

Quoad monasteria clarior res est, quam ut probetur, ipsa nimirum variarum congregationum intra pauca secula domicilia fuisse. Abbatia sancti Salvatoris de Sexto Lucensis dioecesis paruit initiis seculi XII. Camaldulensibus, inde Padolirensibus monachis, & utrorumque excussa obedientia, iterum sui juris evasit, & post varias vices ad tempora Leonis X. Romani pontificis commendata effertur Camaldulensis ordinis. Monasterium sanctorum Hippolyti & Cassiani de Carisio prope Volaterras Martino I. priori Camaldulensi ineunte seculo XII. regendum fuit traditum; transiit inde ad monachos sancti Pontiani Lucensis urbis. Cœnobium sancti Severi in Classe, in quod Romualdum primum, inde Pomposianos monachos jus dixisse comperimus, propriis legibus substitit usque ad seculum XIII. quo Cistercienses in eo consuetudines invectæ perseverarunt usque ad seculum XV. quo iterum Camaldulenses vocati monasterium illud cum altero sancti Apollinaris in Classe copularunt. Cœnobium sancti Michaelis de Plajano in Sardinia prius Zenonianis Pisarum monachis concreditum fuit a canonicis ejusdem urbis, inde Vallumbrosanis. Ipsum Zenonianum monasterium Bernardum Paganellum in abbatem tulit ab Innocentio II. translatum ad cœnobium sanctorum Anastasii & Vincentii ad Aquas-salvias, promotum demum ad summum pontificatum sub nomine Eugenii III. In monasterio Montis-acuti ejusque cellis Perusini territorii Romualdum primum inhabitasse, & Petrum Damiani scimus; introducti in ipsum seculo XIII. Cistercienses, deinde Camaldulenses, postea abbatia in commendam abeunte postremus loci commendatarius abbas Galeatius de Gabrieliis Fanensis sancti Romualdi eremitas, dictos postea Monte-coronenses vocavit, quorum societati & seipsum adjunxit. Sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ monasterium, in cujus ecclesia humatum fuit corpus sancti Petri Damiani, seculo XIII. Avellanensibus fuit commissum, & post plura secula Cisterciensibus, quibus seculo XIII. concessum est etiam Amiatinum in regione Senensi. Monasterium sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe a Gregorio Magno extructum in suis ædibus, Latinis prius, postea Græcis, iterumque Latinis & monachis Casinatibus, Montis-oliveti, Silvestrinis, Camaldulensibus paruit, quibus postremis & hodie paret. Idem dicatur de infinitis propemodum monasteriis, ut tum ex Annalibus nostris, tum ex historia aliarum congregationum luce clarius innotescit.

Posteriora nunc secula ad examen revocemus. Conjecturas nostras

ſtras alibi de Gratiano Decretorum compilatore Cluſino, Claſſenſi & ſancti Felicis Bononiæ monacho attulimus. Honorius III. tranſtulit Matthæum Berardingorum Camaldulenſium abbatem circa annum 1224. ad regimen Albarenſis abbatiæ in diœceſi Suanenſi, quæ certe ad Camaldulenſes non pertinebat. Henricus Strumenſis abbas e Vallumbroſana congregatione inſtitutum Camaldulenſe amplexatus jam fuerat anno 1217. Ad annum 1230. Jacobus monachus Avellanenſis ad gubernandum monaſterium ſancti Petri de Peruſio evocatus eſt, in cujus favorem anno ſequenti a Gregorio IX. ampliſſimum privilegium obtinuit. Circa annum 1250. quidam abbas Camaldulenſis ſtatutus fuit præſes abbatiæ ſanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio, ea tamen adjecta conditione, ut Camaldulenſem, hoc eſt album habitum inter monachos atra veſte utentes deferret. Anno undecimo ſui pontificatus Innocentius IV. ratam habuit electionem factam Simonis monachi Sanctorum Juſti & Clementis Volaterrarum ordinis Camaldulenſis in abbatem ſancti Petri Montis-viridis ejuſdem diœceſis. Anno ſecundo Urbanus IV. confirmavit alteram Anſelmi monachi ſancti Johannis-evangeliſtæ de Ravenna poſtulationem in abbatem ſancti Petri ad Vincula Ravennatis territorii. Ad annum 1275. Rolandus alius Avellanenſis monachus abbas datus fuit a Gregorio X. monachis ſanctæ Crucis comitum de Tripudio in territorio Saxo-ferratenſi, cujus etiam inſtitutionibus diſciplina regularis ita in eo monaſterio invaluit, ut prodierint inde ſancti ejus loci aſcetæ, qui cœlitum honoribus dignati fuere. Anno 1268. Clemens papa IV. Gregorium abbatem monaſterii ſancti Silveſtri in Capite Urbis confirmavit in præſulem ſancti Gregorii in clivo Scauri; anno 1282. Martinus IV. Bartholomæum monachum ſancti Pauli extra Urbem tranſtulit ad regimen ejuſdem Gregoriani cœnobii, amandato altero Bartholomæo ſancti Gregorii abbate ad præfecturam monaſterii ſancti Pauli. Circa annum 1285. idem Bartholomæus Gregorianus ad regendam abbatiam Sublacenſem ab Honorio IV. fuit deſtinatus, epiſcopus poſtea Fulginas a Bonifacio VIII. electus, regimen autem monaſterii ſancti Gregorii commiſſum fuit Riccardo monacho Sublacenſi. Ita anno 1288. Matthæus ex priore Sublacenſi conſtitutus eſt abbas Gregoriani cœnobii a Nicolao IV. Ex tabulario Fontis-boni anno 1281. Paulus monachus ſancti Benedicti de Aſſiſio electus fuit abbas cœnobii Camaldulenſis ſancti Silveſtri Montis-ſubaſii, & e contra anno 1295. Rogerius abbas ſancti Silveſtri translatus fuit ad regimen monaſterii ſancti Petri de Bovaria prope Trebbium. Alter Camaldulenſis monachus & prior ſancti Clementis de Arretio Aldebrandus inauguratus eſt anno 1289. abbas ſancti Januarii de Campo-leone ejuſdem Arretinæ dięceſis. Johanninus prior ſancti Michaelis de Muriano anno 1283. poſtulatus eſt abbas ſancti Nicolai in Litore, ſancti vero Felicis in Aymannis Franciſcus monachus ejuſdem cœnobii. Frequentiſſimæ ſunt in regeſto Gerardi prioris Camaldulenſis per hæc tempora licentiæ monachis ſuis factæ tranſeundi ad alium ordinem, dummodo foret ſub regula ſancti Benedicti, ac monaſtica ibidem vigeret obſervantia. Vacante per obitum Matthæi prioris Avellanenſis ea eremo, monachi ſibi ſuffecere in prio-

priorem Franciſcum abbatem ſancti Laurentii in Campo, ſed reprobata ipſius electione Jacobus in eorum priorem ſtatutus eſt a Bonifacio VIII. anno 1299. Ipſo anno Davidem Ciſtercienſem monachum cœnobii Septimiani extra Florentiam in priorem generalem eremi & congregationis Camaldulenſis dedit idem Romanus pontifex, quem poſt biennium prioratum dimittentem creavit abbatem monaſterii ſancti Launomari diœceſis Bleſenſis.

Eadem fuit ſeculo ſequenti monaſtica diſciplina, idemque uſus promiſcuus ex unius congregationis monaſterio ad alterius tranſitus. Anno 1301. Piſano more indictione xv. decimo-quinto kalendas novembris plures monachi ſancti Savini in Montione humiliter petierunt a Johanne eorum abbate licentiam tranſeundi ad aliud ordinis ſancti Benedicti cœnobium, quam inſequenti anno pluribus aliis monachis ſuis æque petentibus conceſſit. Anno 1308. Johanne abbate ſancti Viti Piſarum ad eamdem ſancti Savini abbatiam translato, compromiſerunt monachi ſancti Viti in Neapoleonem cardinalem pro electione ſucceſſoris. Eodem anno Benedictus monachus ſancti Mathiæ Torcellanæ diœceſis electus abbas ſancti Johannis-evangeliſtæ de Ravenna poſt depoſitionem Stephani abbatis factam a Raynaldo archiepiſcopo Ravennate, ſuppliciter expetiit, ut fas ſibi eſſet nuntium remittere ſuæ electioni, ut fidem facit pagina tabularii archiepiſcopalis Ravennatis. Creſcentius Clavellius ex monacho montis Fani congregationis ſancti Silveſtri eo anno a monachis ſancti Victoris de Cluſis ſubrogatus eſt ad regimen monaſterii hujus vacantis ob promotionem Gratiæ abbatis ad infulas Senogallienſes. Ipſo anno, Uberto Feretrano epiſcopo & adminiſtratore abbatiæ ſancti Hilari de Galeata cedente, datus fuit ei ſucceſſor Arduinus abbas ſancti Juliani de Arimino, ſed ipſo non conſentiente, electus eſt Bernardus monachus ſancti Angeli de Vergareto. Poſt Bernardum anno 1316. poſtulatus fuit a Galeatenſibus monachis Jacobus aſceta Camaldulenſis, qui electioni de ſe factæ conſenſit. Seculo præterito ad annum 1251. Rainerius Ugonis Carpigni comitis filius ex Ariminenſi ſancti Gaudentii abbate Galeatenſis præſul electus fuerat. Bonaventura præſes generalis Camaldulenſis facultatem fecit ſanctimonialibus ſancti Petri de Eſte ſubjectis abbati Vangaticienſi, quæ albo induebantur amictu, ut tranſirent ad aliud nigrarum ſacrarum mulierum domicilium anno 1319. Ubaldum abbatem ſancti Benedicti de Eugubio Avellanenſibus ſanctæ Crucis monachis in primum præſidem & abbatem dedit anno 1325. Johannes papa XXII. Moricum vero Fontis-avellanæ priorem tranſtulit ad regimen ejuſdem abbatiæ ſancti Benedicti. Ita anno ſexto ſui pontificatus traduxerat Johannem ex abbatia ſanctæ Crucis de Saxoferrato ad illam ſancti Apollinaris in Claſſe. Anno 1346. Clemens VI. alium Avellanenſem monachum Ubaldum Ventinelle præfecit in abbatem ſancti Vincentii de Petra-pertuſa. Anno 1369. cum ſpatio quadraginta-ſex annorum per epiſcopos rectum fuiſſet celeberrimum Caſini monaſterium Urbanus V. maxime ſollicitus de reſtituendis abbatibus regularibus, primum poſt epiſcopos Caſinenſem abbatem conſtituit Andream Faventinum monachum ex Camaldulenſium ordine, ut ex auctore vi-

tæ

tæ ejusdem Urbani scribit Erasmus Gattola seculo IX. historiæ Casinensis. Ad Andream autem literas dedit idem Romanus pontifex die quinta decembris, quibus facultatem fecit decem ex quolibet ordine, non Mendicantium, monachos inter Casinates adsciscendi, tironesque recipiendi ad monasticam professionem. Breve tamen fuit Andreæ regiminis tempus, nec quadriennium supervixit, defunctus die decima-nona septembris anni 1373. ut legitur in Casinensis bibliothecæ codice signato numero XLVII. *Decimo-tertio Kalendas octobris obiit bonæ memoriæ domnus Andreas sacerdos & abbas & reformator hujus loci anno Domini* M.CCC.LXXIII. Suffectus fuit in ejus locum Petrus de Tartaris nobilis Romanus ex congregatione Montis-Oliveti, sed qui habitum album in atrum jam mutaverat anno 1372. præfectus ex priore sanctæ Mariæ-novæ de Urbe monasterio sancti Laurentii extra muros a Gregorio XI. Romano pontifice, *non obstante*, *quod alterius coloris & formæ habitus*, *quam in Monasterio sanctæ Mariæ-novæ per professores ipsius monasterii sancti Laurentii geritur*. Eidem Petro facultate ejusdem Gregorii concessum fuit recipere duodecim monachos voluntarios, *etiamsi habitum album deferrent*, pro ampliando Casinensi monasterio, *exceptis sancti Laurentii extra muros Urbis*, *nec non Sublacensibus & Specus*, *ac Sancti Benedicti de Nursia*, *& montis Oliveti monasteriis dicti ordinis*, *Nullius*, *& Spoletanæ & Arretinæ diœcesum & eorum membris dumtaxat*. Petro autem de Tartaris subrogatus fuit anno 1396. a Bonifacio IX. Henricus Thomacellus abbas sancti Salvatoris Reatinæ urbis. Quoad monasterium sancti Laurentii extra muros per eumdem Petrum abbatem reformatum extant in tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia tres ejusdem Gregorii XI. bullæ datæ ex Avenione anno tertio sui pontificatus, quarum prima præcepit Lucæ episcopo Nucerino & Vicario Urbis, ne monachos dicti Angelorum Florentiæ monasterii transferret ad sancti Laurentii abbatiam, secunda vero & tertia idipsum præstitit scribens Petro abbati. Copiam enim fecerat Romanus pontifex Petro extrahendi ex quocunque Benedictino cœnobio, præterquam ex Casinensi, duodecim monachos inducendos in Laurentianum; cum vero bonus odor monachorum sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia pertraxisset executores pontificios ad eos transferendos, ii autem legem perpetuæ reclusionis sui monasterii obtenderent, supplici libello eflagitaverant a Romano antistite, ne ipsi cogerentur a proprio cœnobio discedere. Hoc ipsum observatum fuit cum aliis monachis nostris sancti Mathiæ de Muriano, magna tunc vitæ regularis opinione viventibus, quibus indulsit Urbanus V. ne ad alia monasteria transferrentur, *nisi major ibidem observantia vigeret*. Ad annum 1383. Jacobus Paduanus monachus congregationis Montis-Oliveti impetratis literis ab Urbano VI. post visitationis peractæ munus in congregatione Camaldulensi Camaldulensis monachus effectus, inde vicarius Johannis III. prioris generalis Camaldulensis præ senectute fatiscentis, abbas etiam fuit renuntiatus monasterii sancti Michaelis de Muriano, sancti Zenonis Pisarum & Vangaticiensis. Anno sequenti idem Urbanus monasterio sancti Michaelis in burgo Pisarum vacanti per obitum Bartholomæi abbatis præfecit Jacobum

tunc sancti Georgii de Fossono abbatem, ei utramque administrationem committens, *non obstante quod habitum alterius coloris gereret*. Anno autem 1394. antiani urbis Pisarum a Bonifacio papa IX. interpositis etiam precibus Francisci cardinalis Pisani, & alterius Francisci Prænestini episcopi cardinalis & S. R. E. Vicecancellarii, expetierunt in abbatem ejusdem monasterii sancti Michaelis Mamilianum Jacobi, qui eo tempore regebat abbatiam sanctæ Trinitatis & sanctæ Mustiolæ Senensis diœcesis, quæ ad congregationem Vallumbrosanam pertinebat. Sub eodem Bonifacio IX. mirum quid accidit. Agnanienses monachi in territorio Arretino a suis ferme primordiis Camaldulensium disciplinæ subjecti, deinde discordiarum fomite impellente divisi ad tempus non semel, iterum ab ipso Romano Pontifice anno 1403. humili deprecatione efflagitarunt legibus Camaldulensium restitui, & congregationi sociari, sed veste atra, quam assumpserant, uti posse, dum viverent.

Ludovicus Barbo abbas designatus illustris monasterii sanctæ Justinæ de Padua fundamenta jecit ad annum 1410. celeberrimæ congregationis ejusdem nominis, agente in primis omnemque operam suam præstante apud Gregorium XII. Arimini tunc degentem Paulo Venerio abbate monasterii sancti Michaelis de Muriano, qui etiam ad congregationem novam excitandam primosque alumnos instituendos, binos sui monasterii monachos tradidit, qui una cum abbate & cum duobus fratribus congregationis sancti Georgii in Alga reformationi incumberent, ut apud Bernardum Pezium fidem facit auctor *Ortus & progressus congregationis sanctæ Justinæ*, qui indubie fuit idem Ludovicus abbas. Eidem Venerio debent monachi congregationis Montis-oliveti opem, quam ipsis tulit anno 1407. ut ad sanctæ Helenæ Venetiarum insulam coloniam ascetarum deducerent. Anno vero sequenti mandato prædicti Romani pontificis, & commissione majoris consilii Venetiarum electus fuit ipse Paulus una cum duobus nobilibus viris ad restaurationem & reformationem monasteriorum ducatus Venetiarum promovendam & procurandam. Petrus alter monachus ex patritia Veneta gente Bellegna Camaldulense institutum in monasterio sancti Mathiæ de Muriano professus fuerat, qui post mortem Jacobi Trivisani abbas sancti Thomæ de Torcello Cisterciensis ordinis delectus anno 1405. ab Innocentio VII. dignitatem exuerat anno sequenti 1406. deprecans, *onere abbatiæ, quam reputabat sibi catenam criminis, absolvi*. Anno 1410. Anselmus monachus sancti Benedicti de Fabriano congregationis sancti Silvestri Montis-fani a Gregorio XII. datus fuit abbas monasterio nostro sancti Blasii ejusdem Fabrianensis oppidi. Petrum Silbarium ad annum 1430. ex monasterio sancti Gregorii de Urbe ad illud sancti Vitalis de Ravenna transtulit Martinus V. Mortuo Ambrosio priore generali Camaldulensi & viro doctissimo subrogavit in ejus locum Martini successor Eugenius papa IV. anno 1439. Gometium Lusitanum abbatem sanctæ Mariæ de Florentia, constituens ipsum in priorem generalem Camaldulensis ordinis, ut Vallumbrosano cœtui parum ante id temporis abbatem generalem dederat Placidum Pavanellum monachum observantiæ sanctæ Justinæ de Patavio, & cubicularium suum. Gometii, qui tribus annis congrega-

tio-

tionem Camaldulensem rexit, vitam edidit Placidus Puccinellus.

Demum, ne sexcentas hujus generis monachorum & abbatum translationes congeramus, ac ut rem omnem absolvamus, Catharina de Coneglano & Romualda a Campo-racolario sanctimoniales parthenonis sancti Parisii de Tarvisio, Andrea Salomonio canonico vices agente apostolicæ sedis, & Parisio Camaldulense præfecto generali votum præbente, abbatissæ & priorissæ titulis ad vitam decoratæ, possessionem sollemnem iniere monasterii sanctæ Mariæ-novæ de Tarvisio congregationis Cisterciensis ad sartam tectam faciendam collabentem in eo monasticam disciplinam anno 1534. die XVI. septembris. Die septima aprilis ejusdem anni, iisdem assentientibus, & magnifica Tarvisii communitate requirente, Maura de Raynaldis ejusdem sancti Parisii monialis electa fuerat abbatissa perpetua monasterii Omnium Sanctorum ordinis sancti Benedicti Nigrarum Tarvisinæ urbis ad restituendam cum duabus sociis regularem observantiam. Anno 1551. Angela de Zottis olim abbatissa sancti Parisii & Aura a Faventia destinatæ fuere in capitulo generali Camaldulensi, vi brevis Julii III. gubernatrices monasterii sancti Theonisti, monacho Camaldulensi in confessarium ipsis concesso. Postremo XV. die septembris anni 1565. Georgio Cornelio episcopo Tarvisino flagitante, & Camaldulensibus præsulibus annuentibus, Elisabetha de Castro-pola, quæ in suo sancti Parisii monasterio bis abbatissæ regimen cum laude compleverat, quatuor monialibus sibi adjunctis reformationem auspicata fuit iterum jacentis monasterii sancti Theonisti ordinis sancti Benedicti, retentis, dum vixit, abbatissatus onere & honore. Quarum sollemnium reformationum extant veteres paginæ Tarvisii, & etiam inscriptiones in xysto exteriori ejusdem Tarvisini monasterii sancti Parisii.

Hæc, prætermissis totidem & eis amplius exemplis, summo compendio collegimus ex Camaldulensibus historiis, ex quibus liquido constat congregationum varietatem, vestiumque diversitatem nil obstasse, quominus præficerentur monasteriis Benedictinis monachi vel albi, vel nigri, vel alio indumento utentes, quandoquidem una erat regula, una disciplinæ norma, unus idemque spiritus sancti legislatoris Benedicti, qui in Camaldulensibus, Vallumbrosanis, Cisterciensibus, Cœlestinis, Olivetanis ceterisque congregationibus, & in omnibus sancti Benedicti regulam servantibus monasteriis indiscriminatim vigebat.



BREVIARIUM
TOMI QUARTI
ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

LIBER TRIGESIMUS-PRIMUS

Ab anno Christi 1161. ad annum 1172.

XLI.

LIBER TRIGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno Christi 1173. ad annum 1177.

LIBER TRIGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno Christi 1178. ad annum 1185.

L I.

LIBER TRIGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno Christi 1186. ad annum 1191.

LIBER TRIGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno Christi 1192. ad annum 1200.

Marci

LIBER TRIGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno Christi 1201. ad annum 1210.

LIBER TRIGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno Christi 1211. ad annum 1220.

LIBER TRIGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno Christi 1221. ad annum 1230.


LIBER TRIGESIMUS-NONUS.

Ab anno Christi 1231. ad annum 1240.

LIBER QUADRAGESIMUS.

Ab anno Christi 1241. ad annum 1250.

XXVI.



Domnus

Domnus Dominicus Valle Abbas monaſterii ſancti Michaelis de Muriano Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Camaldulenſis, & in Veneta Provincia Vicarius Generalis.

OPus, cui titulus: *Annales Camaldulenſes* T. IV. &c. a duobus hujus monaſterii monachis conſcriptum, & a duobus pariter noſtris Theologis, quibus eam curam demandavimus, recognitum, votoque eorum probatum, tenore præſentium, quantum noſtra intereſt, facultatem typis conſignandi impertimur.

Datum Venetiis ex noſtro monaſterio ſancti Michaelis de Muriano kalendis martii 1757.

D. Dominicus abbas.

D. Antonius ab Oleo Cancellarius.

NOI REFFORMATORI

Dello Studio di Padoa.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approbazione del P. F. *Gio: Paolo Zapparella* Inquiſitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato *Annales Camaldulenſes Ordinis S. Benedicti* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Gio: Battiſta Paſquali Stampator di Venezia*, che poſſi eſſer Stampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat, li 25. Marzo 1758.

(Gio: Emo Proc. Ref.
(
(Alviſe Mocenigo 4. Kav. Proc. Ref.

Regiſtrato in Libro a Carte 33. al Num. 270.

Giacomo Zuccato Segr.

Adi primo Aprile 1758.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. degl' Eſecutori contro la Beſtemmia.

Franceſco Bianchi Segr.

Errata in Annalibus.

Pag. 8. *lin.* 24. *Burgonico* lege *Burgoricco*
lin. 25. *Trivignone* lege *Trimignone*
Pag. 32. *lin.* 22. Tancerdus *lege* Tancredus
Pag. 61. *lin.* 26. annos *lege* annis
Pag. 71. *lin.* 47. fuerat *lege* fuerant
Pag. 87. *lin.* 1. Anconitanus, *lege* Anconitanus.
Pag. 91. *lin.* 21. *dele* divisi
Pag. 109. *lin.* 2. jucta *lege* jacta.
lin. 50. ecclesiam *lege* ecclesia
Pag. 146. *lin.* 8. Camaldulensiumo *lege* Camaldulensium
Pag. 164. *lin.* 20. priori *lege* prioris
Pag. 187. *lin.* 20. Gualfredus *lege* Persectus II.
Pag. 188. *lin.* 16. *esset* lege *esse*
Pag. 190. *lin.* 19. Cœlestini II. *lege* Innocentii II.
Pag. 191. *lin.* 11. supple *centesimo*
Pag. 220. *lin.* 34. *ex* lege *est*
Pag. 225. *lin.* 23. quinta *lege* quarta
Pag. 284. *lin.* 34. Zoerardo prodigiis *lege* Zoerardo, prodigiis
Pag. 329. *lin.* 39. *juxta* lege *justa*
Pag. 355. *lin.* 2. Saveri *lege* Severi
Pag. 368. *lin.* 9. hoc & *lege* hoc est

Errata in Appendice.

Columna 1. *lin.* 8. *ingerat* lege *ingerant*
Col. 18. *lin.* 12. 1163. *lege* 1164.
lin. 19. tutela *lege* tutele
Col. 53. *lin.* 21. Jacobus *lege* Hyacinthus
Col. 77. *lin.* 52. tenent *lege* teneant
Col. 81. *lin.* 34. Jacobus *lege* Hyacinthus
Col. 88. *lin. ult.* conventu artiori *lege* obtentu arctioris
Col. 89. *lin.* 2. cautionem *lege* cautione
lin. 25. Jacobus *lege* Hyacinthus
Col. 91. *ad oram* XXEIII. *lege* XXXIII.
Col. 99. *lin.* 22. sitam *lege* sita
Col. 116. *lin.* 12. Jacobus *lege* Hyacinthus
Col. 118. *lin.* 35. confovenda *lege* confovendam
Col. 119. *lin.* 16. Villa lata *lege* Vialata
Col. 122. *lin.* 3. debeat *lege* debeant
Col. 124. *lin.* 25. *Christina* lege *Christinæ*
Col. 136. *lin.* 50. notarius *lege* notarii
Col. 156. *lin.* 7. candinalis *lege* cardinalis
Col. 162. *lin.* 20. in dilecti *lege* dilecti
Col. 176. *lin.* 33. & ipse *lege* & ipse non
Col. 202. *lin.* 6. Bernardi *lege* Berardi
Col. 257. *lin.* 4. vaniendo *lege* veniendo
Col. 283. *ad oram. Ibidem n.* 18. lege *Ibidem n.* 35.
Col. 290. *lin.* 22. protonarii *lege* protonotarii
Col. 366. *lin.* 13. abeo *lege* ab eo
Col. 368. *lin.* 49. (*Martinus*) lege (*Guido*)
Col. 371. *lin.* 25. *Henricus III.* lege *Honorius III.*
Col. 376. *lin.* 49. precationes *lege* procurationes
Col. 417. *lin.* 57. ejusdem *lege* eisdem
Col. 443. *lin.* 20. cuidam *lege* cujusdam
Col. 477. *lin.* 18. 1228. *lege* 1229.
Col. 494. *lin.* 24. observaverimus *lege* obsecraverimus
Col. 497. *lin.* 10. ducentesimo primo *lege* ducentesimo trigesimo primo
Col. 546. *lin.* 26. visitarionibus *lege* visitatoribus
Col. 551. *lin.* 19. voluissent *lege* venissent



ANNALES CAMALDULENSES ORDINIS SANCTI BENEDICTI.

LIBER TRIGESIMUS-PRIMUS.

Ab anno CHRISTI M. C. LXI. *ad annum* M. C. LXXII.



QUARTUM, Supremi Numinis favore, exordimur Annalium nostrorum Camaldulensium volumen ab anno millesimo-centesimo-sexagesimo-primo, quo propter dirum schisma ante biennium conflatum in Romana ecclesia, maximum Sacerdotium inter & Imperium factum est dissidium, quod ad plures annos propagatum in dies magis magisque recruduit. Scilicet in locum Adriani IV. Romani pontificis, qui mortem oppetierat prima die septembris anni 1159. suffectus fuerat legitimis cardinalium votis Rolandus, Pisanus olim canonicus, S. R. E. deinde cardinalis, qui insuper sub pluribus pontificibus strenue cancellarii officium gesserat, & assumpto nomine Alexandri III. proborum virorum omnium gaudio, maximam sui expectationem portendebat. Superbia elatus simulque rabie Octavianus alter Romanæ ecclesiæ cardinalis tituli sanctæ Cæciliæ presbyter Rolandum sibi fuisse antepositum, maximo ecclesiæ dedecore, & impiorum hominum tripudio, altare contra altare erexerat, & fretus potentia plurium nobilium Romanorum consanguinitate sibi junctorum, necnon ut rem gratam faceret Friderico I. Œnobarbo imperatori, qui ecclesiam Romanam pessundare, & toti Italiæ leges pro libitu dare moliebatur, nomen assumpserat Victoris IV. Fridericus pariter tum ecclesiæ Romanæ jura, tum Italicorum populorum libertatem totis nervis impetens, nobilissimarum urbium obsidione & vastatione, illustres & præstantes viros nihili faciens, episcopos pariter suo furori non faventes deponens, crudelissimum bellum in Italia excitaverat, ob quod tum divina, tum humana scita miserandum in modum susdeque mi-

ANN. CHR. 1161.

I. Status infelix horum temporum.

ANN. CHR. 1161.

miscuerat. Sublato e vivis Victore IV. anno 1164. Guido Cremensis alter anti-papa schisma fovit, appellatus Paschalis III. defunctus & ipse post quadriennium anno 1168. Cum autem obiissent cardinales omnes, qui schisma primum invexerant, electus fuit eo anno in locum Paschalis Johannes abbas Strumensis, qui cardinalis creatus fuerat ab anti-papa Victore, sub nomine Calixti III. & postremo quidam Sitinus sub nomine Innocentii III. Tempore hujus teterrimi schismatis exulare, in variasque urbes profugus ire coactus fuit legitimus Petri successor Alexander III. dejecti e suis sedibus episcopi, suffecti alii schismaticorum fautores, solo prostrata urbes, ecclesiæ, monasteria; iis autem, quæ superfuere, adempta privilegia vel bona, illatæ a ministris cæsareis molestiæ; Simoniaca labes undique grassabatur, intestina bella viscera totius Italiæ immaniter rodebant. Sed hæc copiosissime legi possunt apud ecclesiasticæ & politicæ historiæ auctores; nos monasticam Camaldulensem historiam nostram prosequamur.

II. Bogumili Poloni primordia & miracula.

De eremitica & religiosa vita in Poloniam & in Hungariam invecta a sanctissimo parente nostro ROMUALDO ejusque discipulis fusissime egimus tomo I. horum nostrorum Annalium. In Poloniam itaque nos vocat sanctus Bogumilus, futurus intra breve temporis intervallum archiepiscopus Gnesnensis; quique post episcopalem curam omnibus virtutum floribus ornatam, & zelo divini honoris exæstuantem, solitudinis cupidissimus, cui a teneris unguiculis inhiaverat, & quam licet imperfectiorem prosecutus fuerat maturioribus vitæ suæ annis, ad instar antecessoris sui sancti Adalberti, nuncium ecclesiæ sibi concreditæ, concedente Alexandro III. remittens, ut sancto Adalberto copiam fecerat Gregorius V. meruit in castris Romualdinæ solitudinis, cujus instituta moresque vivendi in Polonia & in Hungaria didicerat.

Sed Bogumili acta a suis initiis repetamus, ac per annos distribuamus, ducibus [a] Martino Baronio clerico Irasloviensi, & Stephano Demalevicio Varta Calisiensi præposito ad sanctum Nicolaum canonicorum regularium congregationis Lateranensis, qui postremus seriem archiepiscoporum Gnesnensium, resque ab iis gestas e vetustis antiquitatum ruderibus collegit anno 1649. & insuper singulari opere anno 1661. seorsim Romæ edidit vitam sancti Bogumili archiepiscopi Gnesnensis. Demalevicius itaque ortum Bogumili describens stemma ipsius ex Porajo sancti Adalberti Pragensis episcopi, inde archiepiscopi primi Gnesnensis, fratre in hunc modum deducit. „ Porajus, inquit [b], frater Adalberti germanus, sumpta „ conjuge in Polonia, comitum Libicensium nomen & stirpem propaga- „ vit, ex qua genuini hæredes aviti, rosæ albæ candoris, prodierunt Bo- „ guphalus & Bogumilus germani fratres ex Nicolao de comitibus Libi- „ censibus in Bohemia stirpe Poraja oriundo in majori Polonia, Gnes- „ nensi castellano, primariæ dignitatis in senatu Polono viro, & Catha- „ rina Gryphia comitum de Jaxa sorore, femina lectissima, parentibus „ piis ac Deum timentibus prognati, in villa hæreditaria dicta Cosmin- „ co prope Dobrovum, pagum archidiœcesis Gnesnensis, archidiaconatus „ & territorii Uniejoviensis palatinatus Syradiensis. Hi ab infantia in ti- „ more Domini & pietate Christiana instituti a parentibus, literis etiam „ humanioribus pueritiam excoluerunt in gymnasio Gnesnensi, sancto præ- „ ceptore curam illorum institutionis sustinente Ottone Bambergensi epi- „ scopo, qui quamvis & ipse illustribus in Suevia comitibus, patre Ber- „ tholdo & matre Sophia natus esset, tamen orbatus parentibus ad eam „ devenerat egestatem, ut cum grammaticæ præcepta, itemque poetas

a *Pag. 34. Vit. Sanctorum &c.*

b *Pag. 4. Vit. S. Bogum.*

&

„ & philosophos tenaci memoria complexus esset, nec haberet sumptus „ ad studia sublimiora necessarios, in Poloniam, quæ tunc nobilissimum „ pretiosissimarum sapientiæ mercium extitit emporium, venerit, & ludum literarium ibi cum auctoritate principis docendi aperuerit. Cancellarius deinde factus Boleslai I. Polonorum regis, & ab eo ad Henricum IV. imperatorem legatione functus, episcopatum Bambergensem, „ mortuo Ruperto ejus diœcesis episcopo, ejusdem imperatoris promotione consecutus est, a Paschali summo pontifice confirmatus, & ipso „ die Pentecostes ab eodem consecratus. Sub tanto præceptore, posteaquam grammatices & humaniorum studiorum tirocinium deposuissent in „ patria (Boguphalus & Bogumilus) ad colendas severiores musas, animumque perpoliendum, theologiæ ac juris canonici peritia Lutetiam „ Parisiorum sufficienti ac liberali sumptu instructi missi sunt. " Boguphalus Claræ-vallensium sanctitate perspecta in Galliis, redux in Poloniam, sodalitium ipsorum expetiit in monasterium Luknense, quod nunc Wagrovecense dicitur, quodque una cum Andreoviense, & Landense excitaverat per discipulos suos Morimundensis cœnobii alumnos ea tempestate sanctus Bernardus Claræ-vallensium parens. Quæ Cistercensium coloniæ ad annum 1140. referuntur a Demalevicio, qui insuper donationis diploma producit liberaliter concessum a Miecislao Poloniæ rege [a] anno 1145. in loco, qui vocatur Landa prope Wartam fluvium, donante tredecim villas in eorum monachorum sustentationem, quos *de cœnobio Bergensi, & de longinquis terræ partibus adductos* vocat, approbantibus Petro II. archiepiscopo Gnesnense, & Martino episcopo Posnaniense sub Eugenio III. Romano pontifice. [b] Anno vero 1153. Johannes Gnesnensis archiepiscopus Andreoviensibus sodalibus septem villas, & de novem pagis decimas a duobus episcopis Cracoviensibus Mauro & Radosto de consensu capituli obtentas perpetua donatione attribuit sub eodem Romano pontifice Eugenio, necnon Boleslao, Miescone & Henrico germanis fratribus principatum in Polonia tenentibus, multis adstantibus nobilibus, inter quos post Johannem archiepiscopum, & post Clementem fratrem ejus legitur ultimo loco comes Bogumilus Boguphali germanus frater.

ANN. CHR. 1161.

a *Demalev. series pag.* 91.

b *Ibid. pag.* 97

Bogumilus autem noster, cum esset ætate minor, post Boguphali majoris fratris recessum, adiens opimam parentum defunctorum hæreditatem, Dobrovensem pagum tamquam locum solitudini & cœlestibus contemplationibus peridoneum eligens, collem quemdam ascendit prope fluvios Nyr & Wartam, & certa hæreditatis portione tradita parocho Dobrovensi, templum excitavit in honorem sanctissimæ Trinitatis, plantatis abjetibus circa lucum & delubrum, quod a Johanne I. Gnesnense archiepiscopo, quem Bogumili avunculum facit Demalevicius, dedicandum procuravit. Id quod contigisse videtur post annum 1153. sicut abjetum consitionem facile didicerit ab eremis Camaldulensibus, quorum, licet imperfectam vivendi formam, jam tum animo versabatur sanctus juvenis. Sed subductus paulo post in aulam ejusdem archiepiscopi, sacerdotalis muneris officium suscipere, & cancellarii officio fungi compulsus fuit; & insuper Dobrovensi ecclesia parœciali subinde vacante, delata fuit cura ipsius Bogumilo, qui jussis antistitis Johannis refragari religioni ducens, procurandæ animarum saluti impensius dare operam inde cœpit, tum sacramentorum administratione, tum prædicationis verbo plebem sibi concreditam fovens, sanctisque exemplis ad Dei amorem provocans. Demum ex parocho Dobrovensi constitutus fuit ab eodem Johanne archiepiscopo metropolitanæ ecclesiæ Gnesnensis decanus.

Narrat Demalevicius prodigium Bogumili, quod sæpe sæpius repetebatur

Ann. Chr. 1161.

tur toto eo tempore, quo decanatum obtinuit & parœciam, quodque proinde ad hunc & ad proximos annos referri debet [a]. „ Nam cum horis ca„ nonicis rite persolutis in ecclesia metropolitana Gnesnensi festis princi„ palioribus ad parochialem suam Dobrovensem quindecim milliaribus „ Gnesna distantem rem divinam facturus pergeret, summo desiderio po„ pulus adventum ipsius in ripa fluminis præstolari solebat, eo quod „ Warta rapidus fluvius, qui vernis autumnalibusque aquis plus nimio „ ultra usitatum alveum excrescit, sibi aditum ad insulam, in qua tem„ plum situm est, intercluderet. Quo cum vir sanctus perveniret, ma„ gna fiducia divini auxilii fretus, superficiem fluvii siccis pedibus pre„ mens, ad insulam permeabat ipse, populumque suis vestigiis jussum „ pergere confidenter ad ecclesiam adduxit eodem miraculo super aquas „ ambulantem. Rite vero peractis in templo divinis officiis, eodem iti„ nere vir sanctus cum populo sequente se in adversam fluminis ripam „ siccis plantis regrediebatur, ubi consistens, pisces in Dei nomine ad „ se vocavit, qui cum glomerantibus cuneis plurimi jussis viri Dei ob„ temperantes accessissent, complures ex iis captos in esurientem popu„ lum, quantum cuique opus erat, distribuit, reliquos in undas abire, „ benedictionem illis impertitus, jussit. Ac eodem tempore Gnesnam pro „ prandio una cum collegis prælatis & canonicis hora solita sumendo re„ dibat. “ Supra quod prodigium hæc commentatur Demalevicius: „ Sex „ in his actibus viri sancti miracula emicant; primum quod quindecim „ milliaria post horam sextam officii divini juxta usum patriæ, videlicet „ post horam nonam in medio horologio, intra unam circiter horam, „ ut competenti ad celebrandum tempore adesset Dobrovi, confecerit. „ Secundum, quod super aquas ipse siccis pedibus ambulaverit. Ter„ tium, quod populum etiam per eas mirabiliter traduxerit. Quartum, „ quod eadem via cum populo redierit, nam longa, qualis est, Missæ „ & concionis actuum interpolatio, distinctum tanto temporis intervallo „ prodit esse diversum. Quintum, quod pisces imperio habuerit obse„ quentes. Sextum denique, quod intra horam per milliaria quindecim „ ad sumendum tempore congruo cum canonicis prandium redire soleret. „ Increbuit hæc in illis partibus fama, quod sancti viri benedictione, de „ qua præmissum est, pisces eo loci in tantum sint multiplicati, ut et„ iam nunc inibi abundent magis, quam alibi usquam in Polonia, & sa„ pore longe aliis, qui eodem Wartensi continentur fluvio, præstent. „ De cancris certo compertum est, eos ibi saporis optimi reperiri in tan„ ta copia, ut toti non modo Syradiensi oræ, verum etiam Posnaniensi „ tractui, qui ad eumdem fluvium situs est, affatim sufficiant. Atque „ hinc perspicuum est, quantum divina Bogumilus excelluerit fide, cui „ Christus Dominus miraculorum operationem attribuit. “ Aliud animadversione dignum affert Demalevicius, ex quo quanta Bogumilus polleret discretione spirituum, & quantum insidias antiqui hostis calleret, deprehenditur [b]. „ Cum pisces in cibum populo distribuendos advocaret, „ adfuit inter hos anguilla, quæ ita manum ipsius fuit circumplexa, ut „ illecebrosa quadam titillatione voluptatis corpus sancti viri motu inor„ dinato sollicitaret; quas satanæ insidias in specie anguillæ posteaquam „ deprehendisset, excussum manu piscem perpetuis temporibus a Dobro„ vense alveo exulare jussit; exinde, quamvis in locis aliis anguillarum „ copia Warta fluvius abundet, Dobrovi nunquam comparet amplius „ hic piscis, quemadmodum a majoribus longa traditione id acceptum „ curiose hactenus ejus loci piscatores observarunt. “

a *Pag.* 56.

b *Pag.* 111.

III. Eligitur decanus ecclesiæ Gnesnensis.

Prosequitur Demalevicius, enarratque ipsius sollicitudinem & zelum

zelum in decanatu ecclesiæ metropolitanæ sustinendo [a]. „ Adeptus eam „ dignitatem, inquit, collegium vicariorum convocat, præmissaque de „ divinæ laudis excellentia oratione eos ad æmulam cœlestis chori con„ tentionem, quantum imbecillitati humanæ liceret, adhortatus est dili„ genter, ut memores, quod eidem Domino in conspectu Angelorum „ psallerent, devote, reverenter, attente cum gravi pausa munus ange„ licum, ut ipsi Angeli Domini exercituum exequerentur. Atque ne ul„ la torpedo mentis, tarditas corporis, aut horæ alicujus omissio subre„ peret, vice-decano serio injunxit, ut semper choro interesset, & ne „ quid eorum, quæ a se ordinata sunt, intermitteretur, accurate vigila„ ret. Punctatori deinde negotium dedit, eos qui abessent, aut infra of„ ficium confabularentur, vel quoquomodo cursum illius sive impedirent, „ sive interturbarent, connotandi, ut negligentibus stipendium pro pœna „ subtractum in subsidium diligentiorum caderet. His ita constitutis redi„ bat ad parochiam boni pastoris officium impleturus, nam, quamvis ut „ annexo dignitatis decanalis oneri satisfaceret, abdicare voluisset a se „ beneficii curati ecclesiæ Dobrovensis sollicitudinem, tamen ab archiepi„ scopo rogatus, ne id faceret, obedienter aquievit " *&c.* & infra „ co„ mis ad omnes, accessu facilis, benignus, affabilis, liberalis, nisi quod „ opulentiore auctus censu, necessitatibus egenorum quam ante provide„ ret sufficientius, eumdem in prædicando tenuit fervorem, eamdem su„ stinuit in administratione sacramentorum curam, eamdem in fovendis „ Christi pauperibus servavit sollicitudinem fidelis bonorum Domini dis„ pensator " *&c.* Hæc de Bugomilo in antecessum, quem anno 1167. videbimus Johannis in archiepiscopatu Gnesnensi successorem, inde cœlestis contemplationis & solitudinis captum amore ex sanctissimo archiepiscopo ferventissimum evasisse eremitam.

Ann. Chr. 1161.

[a] *Pag.* 53.

IV. Libera prælatorum electio concessa ab Alexandro III. Gregorio priori Camald.

Spectat ad hunc annum vel ad præcedentem privilegium concessum ab Alexandro III. Romano pontifice Gregorio priori Camaldulensi, datum ex urbe Anagnia, in qua urbe primis sui pontificatus annis tutius commoratus fuit, quam Romæ, ubi plerique electioni Octaviani seu Victoris IV. anti-papæ favebant. Rursus hoc anno desinente, Italia relicta, in Gallias sanctus pontifex concessit, ubi partim, partim autem ex Galliis redux Romæ moras traxit annis sequentibus usque ad annum 1167. quo se Beneventum contulit. Præterea anno 1167. jam obierat vel officium dimiserat Gregorius prior Camaldulensis, cujus monumenta extant ab anno 1159 ad 1163. eique successerat Rodulphus III. Gregorio itaque, ejusque fratribus Camaldulensibus hoc vel antecedenti anno XIII. *kalendas junii* libertatem concessit Alexander in prælatorum electionibus; & vestigiis prædecessorum Romanorum pontificum sollicite inhærens, sanctorumque patrum instituta sequens, inhibuit, ne aliqua laica persona, patronatus seu alterius occasionis prætextu, electionibus abbatum vel priorum Camaldulensium semet ingereret ulla ratione, omnibusque laicis in hujusmodi electionibus prælatorum voces obstruxit, & canonicam ac liberam electionem celebrandi secundum regulam beati Benedicti & consuetudinem congregationis Camaldulensis facultatem auctoritate apostolica impartitus est. Sed integrum Alexandri privilegium in Appendice edimus ex tabulario Vangaticiensi, in quo extat apographum confectum anno 1318. sub Uberto episcopo Bononiensi. Videbimus autem, quantas temporis progressu occasione patronatus controversias cum laicis in hujusmodi electionibus habuerint Camaldulenses apostolica auctoritate sopitas.

Pari-

Ann. Chr. 1161.
V.
Aliud ejusdem Romani pontificis privilegium pro eremo de Vivo.

Pariter cum monasterium & eremus de Vivo in comitatu Clusino frequentibus injuriis & violentiis divexarentur, neque justitiam apud judices monachi & eremitæ obtinerent, idem Romanus pontifex ex præfata Anagniæ urbe XV. *kalendas julii pontificatus* sui *anno secundo*, literas scripsit prælatis Thusciæ, se non absque dolore cordis & plurima turbatione didicisse ecclesiasticam censuram dissolvi, & canonicæ sententiæ severitatem enervari, dum viri religiosi, & ii maxime, qui per apostolicæ sedis privilegia majori donati sunt libertate, passim ab improbis hominibus injurias sustinent & rapinas; neque congrua protectione iis subvenitur, nec aliquis murum defensionis opponit pro fovenda pauperum innocentia. Quare ipsis prælatis mandavit, ut publice candelis accensis in suis diœcesibus & ecclesiis excommunicationis sententia percellerent illos, qui possessiones vel res, seu domos præfatorum Vivensium irreverenter invasissent, aut injuste detinerent ea, quæ prædictis fratribus ex testamento decedentium relinquebantur, seu in ipsos monachos contra apostolicæ sedis indulta sententiam excommunicationis sive interdicti præsumerent promulgare, vel decimas de nutrimentis animalium extorquere tentarent. Et hanc quidem sententiam ferri voluit in laicos; clericos autem, canonicos regulares & ceteros monachos Vivensibus infestos ab officio & beneficio suspendi; quas sententias nunquam relaxaturus erit, nisi plene ipsis satisfactum fuerit, & sontes cum diœcesani episcopi literis ad sedem apostolicam pergentes meruerint vinculo excommunicationis exsolvi. Autographum hujusmodi mandatum Alexandri exscripsimus ex chartis dominorum comitum de Cervinis, qui in jura introjerunt monasterii & eremi de Vivo seculo decimo-sexto. Prior præfatæ eremi erat Rusticus, de quo egimus superioribus annis & etiam antecedenti.

In locum Alberti abbatis monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia suffectus fuerat Bernardus, ut novimus ex charta ejusdem monasterii scripta *die decima mensis augusti indictione IX. tempore Frederici imperatoris*, quæ continet refutationem bonorum factam eidem monasterio in loco Zagonari a Matthæo & a Gemma ejus matre pro redemptione animæ Ugonis fratris Matthæi, qui ibidem humatus fuerat.

Donationes aliquot vallium sitarum in lacu Vighizzoli cum jure piscandi factas hoc *anno millesimo centesimo sexagesimo primo indictione* VIIII. Dominico priori sanctæ Mariæ ad Carceres ejusque ecclesiæ a Fulcone, Alberto & Bonifacio marchionibus Estensibus Fulconis I. filiis legi possunt apud Muratorium [a], qui chartam produxit in Antiquitatibus Estensibus ad ipsum transmissam a Canneto nostro. Aliæ ipsorum marchionum largitiones eidem monasterio factæ leguntur sub anno 1163. [b] apud eumdem collectorem.

a *P. I. pag.* 322.

b *P. I. pag.* 323.

Terrarum pariter, vinearum & domorum venditiones apud montem sancti Donati monialibus sancti Georgii de Apibus ordinis Camaldulensis prope Senas factas exhibet archivum nostrum Rosæ Senarum sub numero 40. ad hunc annum.

Ann. Chr. 1162.
VI.
Initia congregationis monachorum alborum Patavini territorii.

Seculo sequenti coaluit in Patavino territorio illustris congregatio monachorum alborum ordinis sancti Benedicti, qui plura monasteria incolebant tum in diœcesi ejusdem urbis, tum intra ipsius mœniorum ambitum. Constitutiones ab ipsa congregatione observandæ leguntur in ms. codice membranaceo chartularii monasterii nostri sancti Michaelis de Muriano, exarato vel eodem seculo XIII. desinente vel XIV. ineunte; cujus codicis avulsis duabus primis paginis principium desideratur. Loca,

quæ

quæ hanc congregationem efformabant, recensentur in ipso sub pagina tertia, eaque sunt: *Prima domus* sanctus Benedictus: *Secunda* sanctus Johannes de Monte-vinearum: *Tertia* sancta Maria de Monte Crucum: *Quarta* sancta Maria de Vantio: *Quinta* sancta Maria de Pulveraria: *Sexta* sanctus Jacobus de Ponte-curvo: *Septima* sanctus Johannes de Verdaria: *Octava* sancta Maria de Trixonibus: *Nona* sancta Juliana de Urbana: *Decima* sancta Maria de Porcilia: *Undecima* sanctus Antonius de Cuvalo: *Duodecima* monasterium Saravallis: *Decima-tertia* monasterium Omnium-sanctorum: *Decima-quarta* sancta Maria de Riveria: *Decima-quinta* sanctus Johannes de Ponte-longo: *Decima-sexta* sancta Maria de Arbisio: *Decima-septima* sancta Maria de Silvazano. *Item* sanctus Benedictus monialium: *Item* sancta Cæcilia: *Item* sanctus Vitus de Plebe: *Item* sancta Agnes de Pulveraria: *Item* sanctus Jacobus de Monte-silice: *Item* sancta Margarita de Salarola. Non omnia tamen monasteria tum virorum, tum sanctimonialium ejus albæ monasticæ congregationis in hac enumeratione continentur. Videbimus enim monasterium Omnium-sanctorum curam egisse parthenonis sanctæ Mariæ de Fistumba. Gemulæ etiam asceterium sub invocatione sancti Johannis legibus parebat monachorum sancti Benedicti de Patavio, & sancti Johannis de Monte-vinearum. In Porcilia pariter tum monachorum, tum monialium exsurgebat duplex monasterium. Aderant & prioratus sancti Leonardi, & alius de Villa subjecti huic congregationi, nec non alter sancti Johannis-evangelistæ de Patavio, ut addiscimus ex chartis capitulorum, visitationum, & actorum ipsius congregationis, de quibus erit multus dicendi locus. Sed & omnium antiquior Vendanus secessus desideratur, a cujus incolis tum sancti Michaelis & sancti Johannis-baptistæ cœnobium fuit fundatum, tum Vendano subjectum sancti Leonardi de Boccone, quorum illud monachos, istud sanctimoniales retinebat, a quibus vestes albas usurpatas jam ab ipsis initiis fundationis novimus.

ANN. CHR. 1162.

Porro antiquiores origines & primordia hujus congregationis Patavinæ altius sunt repetenda ex relatione Petri Marcelli, qui fuit episcopus Patavinus, quique ea, quæ narravit, ex vetustissimis monumentis recepit, & alibi cum jam essent memoriæ mandata, collegit anno M.CCCC.XXVII. ad diem XXIV. novembris, dum ob pestem secedens ab urbe sibi credita, concessit in præfatum montem Vendam, qui recensetur inter colles Euganeos puriores territorii Patavini. Nos, quandoquidem plura ex locis superius nominatis Camaldulensi congregationi fuere lapsu temporis addicta, ut monasteria Montis-crucum, sanctæ Mariæ de Porcilia, sanctæ Mariæ de Arbisio; aliqua vero ad tempus, primum Camaldulensi eremo, tum Vangaticiensi abbatiæ eodem seculo XIII. unita, ut monasterium tam Vetus, quam Novellum monialium & monachorum sancti Benedicti Patavinæ urbis; & demum quia ad hæc tempora revocanda sunt semina hujus congregationis Albo-Benedictinæ, non abs re esse duximus ipsa verba antistitis Marcelli historiæ nostræ inserere ad eorum illustrationem, quæ proferenda erunt seculis sequentibus in Camaldulensibus annalibus.

VII. De Adam, Drago, Gerardo & Villano venerabilibus eremitis.

PRIMUS *itaque habitator*, inquit Marcellus, *hujus venerabilis loci montis de Venda, secundum antiqui viri posteris retulerunt, fuit quidam vir de Torilia* (locus est prope Rhuensem Monte-coronensium eremitarum nostrorum solitudinem) *Adam nomine monachus sanctæ Justinæ de Padua. Iste primus vitam eremiticam duxit, & inter saxa ingentia sibi arctissimam constituens mansionem, diuturnis jejuniis afflixit & maceravit corpus suum, qui secundum nostram existimationem obiit tempore Alexandri* III. *papæ de Senis, & primi Friderici Barbarossæ, qui Mediolanum de stru-*

ANN. CHR. 1062.

ſtruxit, quorum geſta apud Venetias noſcuntur, qui regnaverunt, & pugnaverunt invicem in milleſimo centeſimo ſeptuageſimo-ſecundo. Cujus venerabilis Adæ oſſa in ejus cella, in qua vivus habitaverat, annis amplius octuaginta inhumata manſerunt in eadem caverna ſaxi, in qua ſe .... vir beatus, cum migravit ad Dominum. Iſte habuit quemdam militem ſibi pro amore Chriſti fideliter ſervientem, virtute patientiæ ornatum, qui juxta eamdem cellam poſt obitum domini ſui eſt ſepultus. Quo monumento nixus Grandius noſter in ſuis mſs. ſchedis & in Agiologio itidem mſs. aſſeruerit Adam monachum facultatem ſe recludendi in cellam vel ſpeluncam præfatam obtinuiſſe a Rodulpho II. priore Camaldulenſi, qui proxime ad hæc tempora congregationis habenas moderatus fuerat, nos latet, neque inquirere rem dubiam volumus. Sed Marcelli epiſcopi ſimplicem narrationem proſequamur. *Poſt vero tranſitum prædictorum*, ſubdit, *quidam alii ſucceſſerunt, ſed non finaliter perſeveraverunt. Ex quibus fuerunt duo viri religioſi, quorum unus vocatus eſt domnus Dragus, & alius domnus Gerardus, poſt ipſos autem domnus Villanus de Maſerada territorii Paduæ, monachus ſanctæ Juſtinæ, miræ ſimplicitatis, in montem iſtum de Venda aſcendit, & eccleſiam parvulam prope eamdem cavernam ſibi conſtruxit, quam reverendus pater dominus Gerardus epiſcopus Paduæ conſecravit ſub nomine ſancti Michaelis archangeli. Iſte in loco iſto de Venda uſque in finem in prædicto eremitorio ſive caverna ſaxi vitam devotiſſimam duxit, & feliciter obiit anno Domini* M. CC. XII. *vigeſima-tertia februarii.*

VIII. De Alberico & Stephano Vendanis ſolitariis.

ANNO *autem Domini* M. CC. IX. *adhuc vivente domno Villano, domnus presbyter Albericus de Burgonico Paduæ, & venerabilis pater domnus Stephanus de Trivignone Paduæ territorii, abbas ſanctæ Juſtinæ de Padua, homo bonæ ſimplicitatis, prius abbatiæ officio & dignitate depoſita, aſcendit in montem de Venda quadraginta ſex dies poſt aſcenſum prædicti domni Alberici, ibidem devotiſſime Domino Jeſu-Chriſto militavit uſque in finem, ſed præfati domni Alberici ſumma perfectio fuit in magna & continua abſtinentia, & reſidentia continua in iſto loco de Venda. Iſte fuit homo conſtans, ſeverus, maturus, & a religionis rigore penitus non recedens. Iſti beati patres, ſcilicet domnus Albericus, & domnus Stephanus ſanctiſſimam vitam eremiticam duxerunt uſque ad finem, & feliciter conſumatis in ſancta converſatione ſimul triginta-duobus annis, in eodem anno ſecundus poſt primum quadraginta-ſex diebus interpoſitis, ſicut fuerant a Domino ad eremiticam vitam vocati, ſic pariter ad æternam vitam beato fine feliciter tranſierunt. Iſti duo ſancti patres, ſcilicet Albericus & Stephanus, eorum ſancta vita & fama tam larga & copioſa bona mobilia & immobilia acquiſiverunt a devotis perſonis, quod a fundamentis omnes domos dicti loci de Venda, & eccleſiam ſancti Johannis-baptiſtæ ædificarunt, quam & reverendus pater Jordanus epiſcopus Paduæ conſecravit ſub dicto nomine, mutato nomine prioris eccleſiæ, quod opinamur factum ex eo, quod pie creditur digitum ſancti Johannis-baptiſtæ, qui illic honorifice oſtenditur, tunc illuc portatum fuiſſe, cujus meritis in eadem eccleſia immemorabilia miracula comprobantur uſque in hodiernum diem. Item poſt conſtitutionem monaſterii & eccleſiæ ſancti Johannis prædicti ſancti patres Albericus & Stephanus fecerunt de novo monaſterium ſancti Leonardi de Boccone, & dotaverunt illud copioſe, & de propriis bonis monaſterii ſancti Johannis-baptiſtæ de Venda, & poſuerunt in dicto monaſterio moniales mulieres devotas in habitu albo, ſicut fratres de Venda* (contigit hoc ad annum circiter 1229.) *ibi perſeverarunt cum honeſta converſatione & bona fama uſque ad annum* 1380. *quo translatum fuit monaſterium de Venda in ordinem*

nem sanctæ Mariæ Montis-oliveti, quarum sex cum abbatissa propriis oculis vidimus, scilicet in sancto Leonardo de Boccone habitantes sub habitu & disciplina prioris sancti Johannis de Venda. Isti duo patres Albericus & Stephanus fuerunt venerabiles viri, & statura proceri, qui non solum salubri locutione, sed & cultus gravitate ac morum venustate, & suo venerabili & devoto aspectu homines ad devotionis dulcedinem inducebant. Nec mirum, quoniam in quibus Deus lux virtutum habitabat, per eos refulgebat, & suam gratiam ceteris refulgebat. Beatus Albericus migravit ad Dominum anno Domini M. CC. XLI. *die secunda augusti, post cujus felicem obitum beatus Stephanus ejus socius secutus est illum die* XVI. *septembris, & sic diebus paucis post alium mortuus est. Quorum corpora in ecclesia sancti Johannis-baptistæ sunt simul sepulta in una arca marmorea, ut quemadmodum se in Deum dilexerunt in vita sua, sic & in morte non sunt separati. Et prope eamdem arcam ad caput ossa venerabilis eremitæ Adæ de caverna saxosa translata in monumento parvissimo fuerunt reverenter collocata, & altare sancti Michaelis archangeli de consilio & voluntate reverendi patris domini episcopi Paduæ fuit ab illa prima ecclesiola remotum, & collocatum in prædicta ecclesia sancti Johannis-baptistæ propter insolentiam mulierum, quæ sub colore devotionis volunt omnia & singula impudenter percurrere & perscrutari. Sed ut postmodum in illa ecclesia prima altari viduata & divinis destituta fuit funditus destructa. Eremum autem & illam cavernam saxorum, in qua isti sancti patres eremitæ primo habitaverunt, propriis oculis vidimus, adoravimus, & inviolabiliter permanserunt usque ad annum Domini* M. CCC. LXXXXVII. *Laus Salvatori.* „ Hæc ex antiquissimis testimoniis recepta & alibi scripta hic reposita sunt, auctore reverendo „ patre domino Petro Marcello dignissimo Patavino antistite in Venda „ ob pestem habitante M. CCCC. XXVII. die XXIV. novembris. “ Ista postrema verba adjunxit collector relatæ narrationis, quæ integra cum aliqua tamen variatione extat tum apud Lancellottum in historia congregationis monachorum Montis-oliveti, tum apud Ughellium in episcopis Patavinis.

ANN. CHR. 1162.

Ex Marcelli narratione compertum fit Adamum monachum, qui primus montem Vendanum incoluit, vixisse circa hæc tempora post medietatem seculi XII. Post Adam & Dragum ac Gerardum locum hunc excultum fuisse a Villano, qui obiit anno M. CC. XII. Villani tempore ædificatam fuisse ecclesiam & consecratam sub titulo sancti Michaelis a Gerardo Pomedella, qui fuit episcopus Patavinus ab anno 1169. ad annum 1214. Post Villanum ascendisse eumdem montem Albericum & Stephanum, qui obierunt anno M. CC. XXXXI. ipsos vero ecclesiam sancti Johannis-baptistæ condidisse, & de novo construxisse monasterium sancti Leonardi de Boccone pro mulieribus albi coloris sub Jordano episcopo Patavino, qui eam cathedram tenuit ab anno 1214. ad annum 1239. Suis annis referemus origines monasterii sancti Benedicti de Patavio, variasque turbas inter monachos & sanctimoniales, origines quoque cœnobii sanctæ Mariæ de Porcilia, & monumenta aliorum locorum, in quibus monachi candidis similiter vestibus utentes inhabitarunt, quique seculo XIII. florentem congregationem illam constituerunt, quæ dicta fuit monachorum alborum sancti Benedicti de Patavio.

IX. Chartæ parthenonis sancti Petri de Luco.

DUPLEX charta signata *anno Dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo* III. *kalendas januarii indictione* XI. & existens in tabulario parthenonis sancti Petri de Luco, indicat nobis abbatissam ejusdem monasterii fuisse hoc anno Maximillam, quæ etiam appellatur *comitissa*,

Ann. Chr. 1162.

mitissa, vel ex genere suo, vel quia cum Lucense monasterium a comitissis Mucelli dotatum fuisset, ut vidimus tomo antecedenti, hæ transtulerant omne dominium suorum castrorum in abbatissas ejusdem asceterii. Locum Maximillæ fecerat Binia, cujus mentio habetur usque ad annum 1151., Maximillæ autem nomen reperitur & ad annum 1167. Albertus quoque presbyter in his duabus chartis legitur, juxta consuetudinem eorum temporum, qua in eodem monasterio distinctis habitationibus commorabantur sanctimoniales & monachi, sive etiam presbyteri, qui vocabantur monasteriorum conversi. Continet autem utraque charta donationem terrarum factam eidem parthenoni in honorem Dei ipsiusque monasterii, *in quo quotidie Deo servire valde videtur*, necnon in honorem prioris Camaldulensis totiusque conventus, omniumque abbatissarum in futurum sibi succedentium. Confirmatur donatio etiam tertia pagina *anno* sequenti *millesimo centesimo sexagesimo-tertio* XVI. *kalendas maji indictione undecima*; quare XI. indictio adnotata in duabus primis chartis mutata fuerit mense septembri ejusdem anni, quo decurrebat decima. Extat pariter quarta charta in eodem tabulario ad annum 1167. qua eædem terræ ipsi parthenoni confirmantur. Primam ex iis tantummodo damus in Appendice.

X. Statuta Anglariensia.

In castrum Anglaris ex donatione atque testamento Bernardini Sidoniæ jam ab anno 1104. obtinebat prior Camaldulensis integrum plenumque dominium, & consules creabat, qui justitiam administrarent, reique publicæ ejusdem loci præessent. Plura statuta sub variis annis confecta fuere pro recto regimine, quæ autographa vidimus in tabulario Fontis-boni. Spectat ad præsentem annum [a] sequens statutum, quod hic subjicimus.

[a] §. *Statuta n.* 3.

Si homines ecclesie vel aliorum hominum veniunt ad habitandum in Castellum Anglaris vel in burgis ejus, & tenuerint in tenutam vel usum dominii, consules adjuvabunt dominos, ad hoc ut faciant dominis, quod soliti sunt facere, & si ipsi contra dominos proclamaverint, consules teneantur contra dominos suos; si autem ipsi consules exierint de hoc consulatu, laudabunt alios consules cum consilio prioris, & facient eis jurare totum, quod in isto brevi est, aut laudabunt eis per sacramentum, ut ita teneant ecclesie, & aliis consulibus jurare hoc idem facient.

Hoc actum est anno Dominice incarnationis M. C. LXII. *quarto kalendas martii in presentia bonorum hominum de Anglare, & domni Pauli, & domni Ildebrandi, & Viviani judicis, & Rolandi prioris de Anglari, & aliorum fratrum.*

Vivianus judex rogatu partium hec scripsit.

In tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia leguntur sub hoc anno VIII. *kalendas februarii indictione* X. donationes factæ hospitali sancti Frigdiani Pisarum & Martino ejus rectori; manu Rainerii apostolicæ sedis notarii. Prior autem monasterii homonymi, quod adjunctum habebat idem hospitale, erat Ugo.

Ann. Chr. 1163.

XI. Privilegium amplissimum abbatiæ Burgensi concessum a Raynaldo Coloniensi archiep.

Hoc *anno a nativitate Domini* M. C. LXIII. *Frederico primo imperatore, cui cognomen dicebatur Barbarossa, imperii sui duodecimo*, ut legitur in codice antiquo ms. urbis sancti Sepulcri penes dominum Jacobum Pippi priorem ecclesiæ sanctæ Floræ, quæ est prope eamdem urbem, diligentia Francisci-joseph Pignani exscripto, Raynaldus, qui ante biennium ex cancellario imperatoris electus fuerat archiepiscopus Coloniensis, quique confirmationem & consecrationis beneficium ab ecclesia Romana obtinere non potuerat, utpote qui adhærebat schismati & partibus Octaviani

Ann. Chr. 1163.

viani anti-papæ & Friderici imperatoris domini sui, necnon pro dicto imperatore in Etruriæ partibus legati & archicancellarii officium agebat, cum in Burgo-sancti-Sepulcri resideret, exorante Franciano abbate monasterii sancti Johannis-evangelistæ Burgi-sancti-Sepulcri, & qui facile electus fuerat in locum Tebaldi, de quo ad annum 1137. egimus, adstante insuper coram legato principum & procerum Thusciæ non parva multitudine, revolutis in conspectu suo antiquis imperialium atque regalium præceptorum privilegiis eidem abbatiæ eatenus collatis, declaravit præfatum Francianum, quem imperii fidelissimum expertus fuerat, esse verum monasterii & loci abbatem, & eamdem abbatiam & Burgum cum omnibus suis personis & pertinentiis ad solum imperatorem temporaliter attinere, & præter eum neminem mortalium dominium ibidem obtinere. Pariter audientibus & adsistentibus Widone & Rigone marchionibus firmavit eos, & patres ipsorum Widonem & Uguccionem similiter marchiones, nihil unquam juris in eumdem Burgum habuisse, excepto jure, quod abbas ejusdem Burgi Tebaldus quodam tempore, dum ipse & Burgenses gravissimas tribulationes paterentur a capitaneis, & murus Burgi destructus esset, dedit præscriptis marchionibus, scilicet Widoni & Uguccioni, donans eis domum, campum ac vineam in Burgo, & de pecunia sua quadraginta libras ad hoc, ut eum adjuvarent ad Burgi reædificationem, & abbatiam ejusdem loci defenderent; marchiones autem, ut certiores essent de Burgensibus, fecisse, ut illi vassalitium præstarent, ac viceversa abbati & Burgensibus marchiones jurasse, quidquid jurare requisiti fuerant, suosque sacramentarios similiter juraturos promisisse. Pariter cognita abbatiæ & Burgi libertate, recepit Raynaldus eumdem locum sub tuitione imperii, mandans omnibus, ne quis jus in ipsam vel Burgum auderet sibi adscribere, vel fodrum, aut functionem aliquam a personis inhabitantibus exigere. Insuper statuit, ut capitanei Burgum incolentes cum ipsorum *masnadis* firma conservarent ea, quæ abbatiæ juraverant, neque castella destructa de cetero reædificarent, neque ecclesiam aut aliquod ædificium deinceps facerent infra terminos denotatos in conventione. Præterea si qui capitanei & liberi homines sponte vellent sua castra relinquere, & propria voluntate destruere, atque in Burgo-sancti-Sepulcri habitationem figere, abbas & Burgenses facultatem haberent illos in Burgo recipiendi. In possessionem induxit idcirco abbatem Francianum de abbatia & de Burgo, deque omni honore & jure; concessit ipsi plateaticum, theloneum, placitum, districtum, bannum, totamque jurisdictionem Burgi-sancti-Sepulcri habendam vel per se, vel per alium, aut per consules ab ipso electos; vetavit, ne absque ejus licentia quis in Burgo ecclesiam vel hospitale ædificaret, neque Burgus cresceret unquam, aut extenderetur, nisi in allodium abbatiæ. Demum notum fecit omnibus quosdam ex fratribus Camaldulensis ecclesiæ ad monasterium Burgi-sancti-Sepulcri venisse pro reformanda ibidem religionis integritate, quæ ante ipsorum adventum nimis in eo loco deperierat, quos annuit in eadem abbatia remanere; prohibuit tamen, ne Camaldulensis prior potestatem haberet deponendi & constituendi abbatem Burgensem sine imperatoris licentia. Pœnam statuit mille librarum argenti puri tentantibus alienare Burgum ab imperatore, vel ab abbatia. Postremo consulibus Arretinæ & Castellanæ civitatum & communis Anglariensium sub debito fidelitatis & sacramenti, quo adstringebantur imperatori, præcepit, ut abbati, abbatiæ & Burgo adjutorium & consilium tribuerent ad se defendendum.

Inter testes hujus edicti primus nominatur Johannes Albanensis episco-

Ann. Chr. 1163.

pus & cardinalis. Cum hoc tempore Walterus sive Gualterus esset episcopus Albanensis creatus ab Adriano IV. quique etiam eumdem episcopatum obtinebat anno creationis Alexandri III. dum reperitur subscriptus in epistola cardinalium partis Alexandri III. ad Fridericum imperatorem, immo cum vitam traxerit usque ad annum 1178. vel 1179. quo primum legitur episcopus Albanensis Henricus Gallus de Castro-marsiaco ejus successor, dicendum est Johannem Albanensem episcopum & cardinalem esse Johannem Hungarum, hominem apostatam & girovagum, ex monacho & abbate monasterii Strumensis electum cardinalem ab Octaviano, seu a Victore IV. quem alii Tusculanum episcopum ab ipso creatum fuisse dicunt, nos vero ex charta nostra dicimus Albanensem, quique post mortem Victoris IV. & Paschalis III. per summum nefas schisma confovit, apostolicam cathedram fædans, assumpto nomine Calixti III. anno 1168. Quare ex edicti Burgensis pagina eruitur, eo etiam tempore antipapas consuevisse cardinales suæ partis creare, contra id, quod sensit Muratorius [a], qui hoc existimavit primum factum in magno ecclesiæ schismate seculi XV. Hic loci ex specimine Florentinæ Literaturæ seculi XV. quod edidit Cl. V. Angelus M. Bandinius, animadvertimus Johannem hunc ex illustri Ungheriorum familia oriundum, & ex castro Puppii, in ordinem Vallumbrosanum abbatiæ sancti Fidelis Strumensis, cujus quintus abbas extitit, fuisse cooptatum, & hoc Ungheriorum cognomen Ciacconio, aliisque errandi ansam præbuisse, dum Johannem hunc revera Hungarum natione, & cujusdam abbatiæ, quæ in Hungaria non reperitur, præsidem fuisse arbitrantur. Is a Martino Vallis-umbrosæ abbate generali XI. legatus, una cum Andrea abbate sancti Benedicti Placentiæ, ad Fridericum Œnobarbum missus est, ut ab eo auxilium imploraret contra schismata, quibus tunc dividebatur Vallumbrosanus cœtus, a quo etiam duo amplissima privilegia pro sua congregatione obtinuit, teste Eudoxio Locatello, deinde ejus a sacris & a consiliis intimis fuit *renuntiatus*; tantamque penes imperatorem iniit gratiam, ut mortuo Guidone Cremense anti-papa sub nomine Paschalis III. Johannes in ipsius locum nomine Calixti III. suffectus fuerit. Verum post pacem inter Alexandrum & Fridericum firmatam anno 1177. ad pedem legitimi pastoris pseudo-pontifex Johannes se provolvens, veniamque petens, maleque partum imperium dimittens, meruit juxta Marium Viperam archiepiscopatu Beneventano donari. Hæc ex Bandinio. Post Johannem cardinalem & episcopum Albanensem in diplomate Burgensi testes leguntur Hieronymus episcopus Arretinus, qui, ut videtur, schismaticorum partes & ipse sequebatur; Aicardus episcopus Parmensis, quem etiam Arialdum vocat Ughellius [b]; iidem, qui supra nominati sunt, marchiones Guido & Rigo, Opizzo Buccafollis consul Papiensis & judex, comes Cazzaconta, facile Hildebrandus Cacciacomes, vel alius ex comitibus hujus familiæ & dominis Asciani in comitatu Senensi, de quibus multa diximus ad annum 1149. Senobaldus vicecomes de Campilio cum Ugolino fratre, Bombarum consul civitatis Castelli, Thedelgardus consul Arretinus, & plerique alii comites & capitanei. *Datum* est edictum Raynaldi *Aretii* VII. *idus septembris anno Dominice incarnationis* M. C. LXIII. *indictione* XI. *imperante domino Frederico Romanorum imperatore invictissimo anno regni ejus* XII. *imperii* IX. quod integrum in Appendice publici juris facimus.

XII. Friderici I. imp. pro abbatia Burgensi, & pro Castellanis episcopis bina privilegia.

Pariter ex codice bibliothecæ Mediceo-laurentianæ [c] præceptum edimus ejusdem imperatoris, *Datum Laude* VIII. *idus novembris anno Dominice incarnationis* M. C. LXIII. *indictione* XII. *imperante domino Frederi-* co

[a] *Annal.* T. VI. *pag.* 587.

[b] T. II. *col.* 172.

co Romanorum imperatore invictissimo regni ejus XII. *imperii* IX. & scriptum ab eodem Raynaldo Coloniensi electo & Italiæ archicancellario, quo Fridericus ratum habuit præfatum Raynaldi edictum, sub sua imperiali protectione recipiens ipsam Burgensem abbatiam. Qua eadem die, eodemque loco *electum* episcopum Castellanum, & Rainerium Castellanæ ecclesiæ priorem altero præcepto sua imperiali protectione donavit, plebes quoque omnes universas Castellani episcopatus, capellas, & nominatim capellam sancti Stephani de Anglari sitam in episcopatu Arretino *&c.* ecclesiam quoque castri Planetuli confirmavit; & alias duas capellas a prædecessore suprascripti *electi* Camaldulensibus injuste venditas eidem *electo* imperiali auctoritate restituit, decernens, ut Camaldulenses ecclesias illas numquam de cetero haberent, aliasve acquirerent, neque novas construerent in tota plebe Soariæ. Denique perenni edicto statuit, ut neque Camaldulenses, neque aliquod monasterium in toto episcopatu Castellano ecclesiam aliquam ædificare vel ædificatas adipisci aliquo modo auderent, aut valerent, sine consensu & licentia prædicti electi Castellani, vel ejus successorum. Ea tamen, quæ negantur sub præsenti anno Camaldulensibus a Friderico imperatore, vel melius a Raynaldo schismatico archiepiscopo ipsius legato, rebus melius cognitis, restituuntur, & ablata, vel violenter subrepta ad jura revocantur Camaldulensium nobiliore diplomate anno 1174. a Christiano altero ejusdem imperatoris legato, licet æque schismatico archiepiscopo Moguntino, immo etiam post biennium anno 1165. in alio ipsius Christiani edicto, & prius anno mox sequenti 1164. ab eodem imperatore Friderico, ut videbimus. Ceterum Raynaldus archiepiscopus Coloniensis interiit post quadriennium, vix peracto bello una cum Romanis ad obsidionem Tusculanæ urbis venientibus, ex contractione morbi, qui ejus exercitum pervaserat, ob noxium aerem Romanum. Episcopus autem Castellanus *electus* appellabatur Corbellus, qui apud Ughellium reperitur subscripsisse cuidam privilegio ejusdem imperatoris, cujus partibus favebat. ANN. CHR. 1163.

XIII. De episcopis Castellanis hujus seculi.

HIC loci denuo implicata est series Castellanorum seu Tiphernatum episcoporum apud eumdem Ughellium [a]. Post Davizonem episcopum recenset ipse Johannem ad annum 1145. quem propinquum dicit Cœlestini II. Romani pontificis, sed Johannem ecclesiæ Castellanæ præfuisse ante Davizonem, ad annum 1144. demonstravimus. Post Johannem inserit Petrum episcopum electum anno 1152. qui etiam ad annos 1172. & 1178. ex monumentis ejusdem ecclesiæ notus est. Rursus ad annum 1162. Rainerium episcopum Castellanum nominat; Corbellum ad annum 1163. demum alterum Rainerium ad annum 1179. quem vitam protraxisse scribit ad annos 1200. & 1203. Credimus & nos electum Castellanum, qui nominatur in suprarelato Friderici diplomate esse Corbellum, qui contra legitimum Petrum (is dicitur interfuisse anno 1160. funeri sancti Ubaldi Eugubini episcopi) eam sedem occupaverit favore schismatici imperatoris, a quo proinde obtinere potuerit diploma admodum gratiosum pro ecclesia sua contra Camaldulenses, quibus Davizo vel Petrus ejus antecessores ecclesiam castri Planetuli aliasque duas capellas tradiderant. Rainerius autem post Petrum ad annum 1162. gratis ab Ughellio admittitur, cum post eum annum & post Corbellum perseveret nomen Petri. Demum Rainerium ad annum 1179. eumdem conjicimus esse, qui prior canonicorum in Fridericiano mox allato præcepto nominatur, quem existimamus eo anno 1179. tam Corbello illegitimo præsuli, & a pluribus annis jam ejecto, quam Petro vero episcopo successisse. In synodo Lateranensi

[a] T. I. col. 1321.

Ann. Chr. 1163.

ranensi ejusdem anni Petrus sedit Castellanensis episcopus; sed is fuit episcopus Castellanensis ecclesiæ, dictæ etiam Falaritanæ; in Castellanensi seu Tiphernate recensetur Ramerius, qui certe est Rainerius. Duo quidem Rainerii nomine in Tiphernate ecclesia episcopi sederunt, ut constat ex necrologio veteri canonicæ sancti Floridi edito a Sebastiano Donati [a], in quo *idibus junii* legitur: *Obiit Rainerius hujus ecclesiæ præsul*; & iterum, VII. *idus junii*: *Obiit beatæ memoriæ Rainerius episcopus* M. CC. IIII. Sed ad diem iduum junii pertinet Rainerius, qui fuit Castellanus episcopus initiis hujus seculi ante Davizonem, ad diem vero VII. idus junii spectat alter Rainerius, qui eamdem ecclesiam rexit hoc eodem seculo ad finem vergente, quin comminiscamur tertium Rainerium ad annum 1162. Petri demum obitus in eodem necrologio refertur ad IV. *kalendas augusti*: *Obiit beatæ memoriæ domnus Petrus Castellanæ ecclesiæ episcopus*.

a Pag. 241.

XIV. De Rodulpho III. priore Camaldulensi.

Conjecturam nostram produximus ad annum 1158. Rodulphum II. priorem Camaldulensem, factum simul Prataliensem abbatem, pro concordia servanda nuncium remisisse regimini prioratus Camaldulensis, & in ipsius locum electum fuisse Gregorium, cujus monumenta ad eum & ad annum 1161. attulimus; ibidemque diximus rursus post viginti & amplius annorum spatium vita functo Ildebrando priore & Gregorii successore suffectum fuisse ad tres menses anno 1180. eumdem Rodulphum. Aliam nunc proferimus conjecturam ex testificationibus allatis annis 1216. & 1217. in causa libertatis eremi Camaldulensis. Cum constet ex iis Rodulphum duabus vicibus onus sustinuisse prioratus Camaldulensis, & prima quidem vice *tribus annis*, ut deposuit in ipsis attestationibus Giaolus conversus Camaldulensis, secunda autem vice *ad tres menses*; similiter cum alter testis, Popinus nomine, interrogatus dixerit, se *vidisse quinque priores Camaldulenses, Rodulphum, Ildebrandum, Placitum, Martinum, & Guidonem, qui nunc est, sed prædictum domnum Rodulphum duabus vicibus fuisse priorem*, cogimur admittere alterum Rodulphum, ejus nominis III. qui fuerit prior Camaldulensis Gregorium inter & Ildebrandum, quique prioratum obtinuerit tribus annis, ab anno nimirum 1164. ad annum 1167. quo primum occurrit in chartis Fontis-boni nomen Ildebrandi prioris ejus successoris. Rodulphus enim II. non tribus, sed saltem septem annis præses fuit Camaldulensis, & insuper alter testis non quinque, sed sex asseruisset se vidisse priores Camaldulenses, si de Rodulpho II. verba fecisset; Rodulphum nimirum, Gregorium, Ildebrandum, Placitum, Martinum & Guidonem. Pariter Rainerius prior sancti Michaelis de Arretio eodem anno interrogatus priores nominat Rodulphum, Ildebrandum &c. a quibus audiverat ea, quæ affirmabat, nullamque mentionem facit Gregorii; quæ indicant Rodulphum aliquem priorem Camaldulensem post Gregorium, & ante Ildebrandum, adeoque III. hujus nominis extitisse. Intelligimus etiam, cur dixerit alius testis, nempe Guido prior sancti Laurentini ejusdem Arretinæ urbis, *Rodulphum venisse ad monasterium Berardingarum tamquam ad domum suam, & quando venit Rodulphus*, fuisse ejus cœnobii *abbatem Nicolaum*; nam in chartulario dicti monasterii Nicolai nomen legitur ad annum 1163. *tertio idus januarii*, more Florentino, hoc est anno sequenti, & ad annum 1164. *quarto nonas martii*; Ildebrandum vero venisse ad præfatum monasterium *sub abbate Bono*, qui notatur abbas ejusdem loci ad annum 1166. Quæ conjectura nostra, immo plusquam conjectura, si locum habeat, dicendum erit, per mortem vel per abdicationem Rodulphi II. electum fuisse in priorem Camaldulensem anno 1158. Gregorium; pariter per obitum vel per renuntiationem

nem Gregorii suffectum alterum Rodulphum tertium hujus nominis anno 1163. vel 1164. quo similiter se abdicante ad officium prioratus postulatus fuerit anno 1166. vel 1167. Ildebrandus, donec Ildebrando defuncto subrogatus fuerit secunda vice anno 1180. ad tres menses idem Rodulphus III. Dicimus Rodulphum suffectum anno 1163. vel 1164. nam mense septembri anni 1164. ex charta proferenda sequenti anno, prior adhuc erat Gregorius. Si porro in hac charta usurpetur annus communis, electio Rodulphi III. spectabit ad annum 1164. Sin vero adhibeatur annus Pisanus, ipsa electio pertinere potest etiam ad annum 1163. Admisso tertio Rodulpho, ea omnia, quæ tribuuntur Rodulpho II. quoad administrationem abbatiæ Prataliensis, tribuenda erunt potius Rodulpho III. qui novus in scenam prodit. ANN. CHR. 1164.

XV. Donationes marchionum Estensium monasterio S. Mariæ ad Carceres.

MARIA comitissa filia quondam Bonifacii marchionis Estensis, obtento consensu viri sui Henrici comitis, præsenti *anno* M.C.LXIII. *tertia die exeunte mense septembri indictione* XI. Dominicum priorem sanctæ Mariæ ad Carceres in possessionem misit de sua portione terræ, quam habebat una cum Alvica sorore sua, & quæ erat posita in episcopatu Paduæ in finibus sancti Salvatoris juxta fossatum Fractæ. Actum in Altadura; ubi inter ceteros aderat Opizo marchio ex familia Estensi, quartus frater Alberti, Fulconis & Bonifacii, & filius Fulconis I. Eadem die in canonica sanctæ Margaritæ præfata *Alvica* Mariæ soror cum consensu Fulconis & Alberti marchionum atque tutorum suorum alteram medietatem ejusdem terræ concessit supradicto priori. Ante aliquot menses hujus anni, nempe VIIII. *kalendas februarii indictione* XI. præfatis ecclesiæ & Dominico priori iidem Fulco, Albertus & Bonifacius marchiones donaverant plenam & liberam potestatem piscandi & faciendi *cogolaras* in fossa veteri, & in flumine de Atheste in lacu Scardevaræ, & in lacu Vighizoli. Bonifacius ergo marchio decesserat a mense januario ad septembrem hujus anni. Vox *Cogolara* omittitur a collectoribus onomasticis. Fortunius æque incognitam dictionem *faciendi coagulatam* adhibet; piscatores tunc temporis eam vocem usurpabant, & *cogolaria* penes ipsos aliud non erat, quam quæ nostris diebus est, & sic appellatur quædam retis species. Prædictæ binæ chartæ prostant ex Canneto apud Muratorium in Antiquitatibus Estensibus.[a]

[a] P. I. Pag. 323.

Renuccius filius quondam Ugonis & Bernardus filius quondam Paganelli, & Berta mater donarunt plura bona Martino abbati monasterii sancti Salvatoris de Berardingis, excepto jurepatronatus ecclesiæ Sextani. Eodem anno tamen decessit Martinus, locumque fecit Nicolao abbati, ut mox vidimus.

ANN. CHR. 1164.

XVI. Diploma Friderici I. imp. pro Camaldulensibus.

FRIDERICUS imperator hoc *anno Dominice incarnationis* M.C.LXIIII. *indictione* XII. *anno regni sui* XI. *imperii vero* IX. admonitus Camaldulenses eremitas universos mundi actus postponentes in cellulis suis contemplativam vitam ducere, & pro imperatoris omniumque perpetua salute sedulas Deo creatori preces effundere, mandavit omnibus imperii sui fidelibus, ut fideles Christi Camaldulenses eremitas, eorumque bona & possessiones tuerentur, ipsos injuste non fatigarent, & quidquid eis contra justitiam fuit ablatum, cum integritate restituerent; idque præcipue commisit fideli suo Arretino episcopo (Hieronymo) & universis legatis suis, recipiens sub sua imperiali tutela ipsos eremitas, & proprios eorum homines eis servientes, cum omnibus ipsorum bonis. Ipsum privilegium edimus ex tabulario Fontis-boni.

XVII. Alia pro abbatiis Classensibus S. Apollinaris, & S. Severi.

IDEM imperator sedula petitione dilecti & fidelis Gualfredi venerabilis abbatis monasterii sancti Apollinaris in Classe Ravennæ, ecclesiam præfatam,

ANN. CHR. 1164.

fatam, *quæ*, inquit, *nostra specialis & libera est*, *ac ad nostram solam jurisdictionem cum omni jure & honore pertinet*, prædictum pariter abbatem omnesque ipsius monasterii fratres cum universis bonis, possessionibus & ecclesiis sub sua protectione suscepit, quorum etiam seriem enumeravit, ut in consimilibus fecerant Ottones II. & III. Henrici II. & III. & Conradus I. imperatores. Hæc speciatim adnotanda, & addenda volumus. A tempore Henrici III. imp. ut constat ex præcepto anni 1045. possidebat monasterium Classense sancti Apollinaris in territorio Firmano juxta mare cœnobium sancti Petri cum castro integro, quod appellabatur Butrium. In præsenti Fridericiano diplomate adduntur insuper, ultra idem sancti Petri monasterium, bona omnia, quæ fuerunt Johannis filii quondam Azonis, qui proinde Johannes videtur cœnobium hocce sancti Petri cum latifundiis donasse abbatiæ Classensi. Alia de novo, neque nominata in superioribus præceptis, acquisierat præfata abbatia in comitatu Auximano, & inter cetera sextam partem castri Montis-aurei, cum aliis bonis positis tam in civitate Auximi, quam extra. Castrum Albinianum, quod in comitatu Fanensi possidebat cœnobium Classense, testimonio prædicti imperatoris Henrici III. anno 1045. juris erat monasterii sancti Theodori, cognominati Græci, in urbe Ravenna, quod monasterium una cum castro aliisque possessionibus jam ab eo anno unitum fuerat abbatiæ Classensi sancti Apollinaris. Confirmavit insuper Fridericus monasterio Classis locum integrum dictum Ravignana cum castris, villis, ecclesiis & cum omnibus pertinentiis, & insulam Callese cum suis terminis, septem quoque mansos in Biturita. De iis aliqua diximus ad annum 1144. illustrantes bullam Lucii papæ II. eadem loca confirmantis in comitatu Fanensi Henrico abbati Classensi. Sua insuper protectione communivit imperator, quidquid monasterium sancti Apollinaris habebat in castro Longiani, quod erat in territorio Ariminensi, de quibus bonis & de cœnobio sub titulo sancti Theonisti subjecto Classensi alibi nonnulla proferemus; communiit pariter, quæ provenerant abbatiæ Classensi a Bennone Petri Azonis. De Bennone patre Petri & de Petro filio Bennonis piis & divitibus Ariminensibus multa diximus ad annum 1069. quippequi benefici fuere in monasterium Conchense ejusdem territorii studio sancti Petri Damiani excitatum; quare donationes factæ Classensi cœnobio in castro Longiano & in comitatu Arimini spectant ad antecedens seculum. In quo etiam Ariminensi territorio nominata fuerunt a Friderico castrum Montis-albani, & Fontana-calderaria de jure ejusdem Classensis cœnobii non recensita in superioribus præceptis. In Cæsenate comitatu confirmata sunt massa Cassani & locus appellatus Credatio, curtis etiam Succuniana cum omnibus rebus, quæ eo loci devenerunt ad cœnobium Classense a Johanne archidiacono Ravennatis ecclesiæ. In massa Cassani ædificata erat ecclesia sub titulo sancti Michaelis; in massa autem Succuniana alia sub titulo sancti Apollinaris, quarum ecclesiarum collationes semper spectarunt ad jus monasterii Classensis. Massæ Succunianæ donator videtur fuisse Johannes archidiaconus Ravennas. Johannes archidiaconus abbas sanctorum Mercurialis & Gratii ad annum 948. [a] legitur in chartis tabularii archiepiscopalis Ravennatis; ad annum autem 970. Johannes archidiaconus Ravennas & abbas sanctorum Archangeli & Severini ad Horologium nominatur. Sed cum donationes Johannis archidiaconi primum nominentur in Fridericiano diplomate, videtur is vixisse posterioribus temporibus. In sententia Gualterii archiepiscopi Ravennatis lata anno 1141. inter canonicos ecclesiæ Rhegiensis, & inter monachos sancti Prosperi tamquam testis interfuit, sed errore dicitur

[a] *Caps. E.* 181.

citur

citur *Johannes Ravennatensis ecclesiæ archiepiscopus cardinalis* apud Ughellium [a]. Anne legendum Johannes archidiaconus, qui vixerit præsenti seculo, & de sua hæreditate beneficus fuerit erga monasterium sancti Apollinaris in Classe? Addita sunt in eodem imperiali diplomate locus seu fundus Castruccius in Foro-liviensi episcopatu, & pars castri Limitis-alti in Foro-corneliensi. Curtis Florentiolæ in Pisaurensi comitatu, quam recensuit Fridericus, appellatur castrum Florentii in diplomate Gualterii archiepiscopi, & in bullis Urbani III. & Gregorii IX. immo etiam in præcepto veteri sub anno 1037. Conradi imperatoris. Fundus autem vocatus Roncus Ravennatum vel fundus Ravinnianus in eodem Pisaurensi territorio diversus erat a ditione Ravenniana, quam in Fanensi regione obtinebat idem Classense monasterium. *Hec autem omnia*, conclusit imperator, *intuitu pietatis, & ex debito gratie predicto fideli nostro abbati, & ejus monasterio sancti Apollenaris ideo concessimus, tum quia noster regalis, & dilectus & specialis abbas est, tum quia ipsum, & ejus monasterium & omnia sibi pertinentia pre ceteris majori favore & dilectione studiosius manutenere debemus & conservare*. Successerat Gualfredus Henrico abbati; & „ cum omnia, subdit Fortunius, tumultu ac furore bellico „ plena essent, Gualfredus abbas tanta familiaritate imperatori conjun- „ ctus fuit, ut imperator ejus opera pro Ravenna multisque aliis in „ rebus, uti prudentissimi ac fidelissimi, frequenter usus sit; quapropter „ Classense cœnobium multum gloria ac dignitate per eos dies enituit. " Ravennates siquidem in fide continere volens Fridericus imperatoria promulgavit decreta *in agro Mutinensi in plano castri Saviniani post destructionem Mediolani* XVI. *kal. julii regni anno* X. *imperii vero* VIII. *indictione* X. „ ut consules Ravennæ præsente legato imperii eligerentur, si „ ibi adesset Cæsar, si vero alibi per Romandiolam aut Ferrariæ ageret, „ major pars consulum ipsum adiret, insignia accipiendi gratia ab illo, „ & in verba jurandi, quod sacramentum quinto quoque anno teneren- „ tur innovare, usque adeo ut singuli a quinto-decimo suæ ætatis anno „ usque ad septuagesimum jurarent omnia regalia & justitiam, civitatem- „ que in fide ac societate imperii conservare, salvis regalibus per justum „ feudum ecclesiæ Ravennatis debitis. Si autem imperator alibi per Ita- „ liam moram traheret, duo solummodo ex consulibus id vice omnium „ præstarent. Si vero extra Italiam degeret, tunc consules electi placi- „ tum imperatorium districtumque dumtaxat secundum bonum usum ser- „ varent. " In iis itaque decretis promulgandis operam potissimum Fridericus adhibuit Gualfredi abbatis, cui superius privilegium concessit. Inter testes privilegii Classensis leguntur Conradus Moguntinus electus, Albertus Tridentinus episcopus, Albericus Laudensis episcopus, Hermannus Hersfeldensis abbas, aliique comites. Christianus cancellarius vice Raynaldi Coloniensis archiepiscopi & Italiæ archicancellarii recognovit. *Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini* M. C. LXIV. *indictione* XII. *regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus* XI. *imperii vero* IX. *Actum in castro sancti Archangeli* V. *idus februarii*. Hujusmodi castrum est in territorio Ariminensi.

ANN. CHR. 1164.

[a] *T. II. col.* 366.

Die sequenti, hoc est *quarto idus februarii* ex eodem Sancti-archangeli castro alterum per præfatum Christianum cancellarium privilegium dilargitus est monasterio sancti Severi de Classe Ravennæ, & Petro ejus abbati, quo ipsi confirmavit suam ecclesiam & cœnobium ac bona in variis comitatibus posita, de quibus satis superque diximus ad annum 1029. occasione consimilis privilegii Conradi imperatoris. Utrumque integrum

ANN. CHR. 1164.

publici juris facimus ex tabulario Classensi, & secundum collatum etiam cum exemplo anni 1284.

In tribus his privilegiis usurpatur annus XI. regni, & imperii IX. cum tamen mense februario hujus anni 1164. compleretur XII. annus regni Friderici. Id forte factum, quia apud Italos recognita & approbata fuit ejus electio in regem anno tantummodo 1153. Optime autem conveniunt anni imperii, qui ab anno 1155. numerabantur æquo modo apud omnes.

XVIII. Athonis ep. Castrensis donationes ecclesiarum in Sardinia factæ eremo Camaldulensi.

ATHO Castrensis in Sardinia ecclesiæ episcopus, cum voluntate Barasonis Turritani regis & judicis, necnon viri religiosi Alberti archiepiscopi suorumque coepiscoporum, Gregorio priori Camaldulensi ejusque successoribus tradidit hoc anno ecclesiam sancti Saturnini de Usolvisi, & ecclesiam sanctæ Mariæ de Anela, & ecclesiam sancti Georgii de Analeto, quatenus Camaldulensis prior, qui eidem sacræ eremo pro tempore præfuerit, ecclesias prædictas haberet, suoque jure disponeret, & rectorem ibidem secundum congregationis suæ ordinem statueret. „ Rector „ autem inibi ordinatus hanc reverentiam exhiberet Castrensi episcopo, „ ut repræsentare se deberet ad capitulum, & ad sanctum chrisma con„ficiendum, & ad ecclesiarum consecrationes, necnon ad festum matricis „ ecclesiæ veniret, & visitantem parochiæ suæ ecclesias episcopum cum „ honore susciperet; libram quoque argenti, quæ pro legato Romanæ „ ecclesiæ hactenus dari consueverat, cum legatus venerit, & episcopo „ placuerit, cum integritate persolveret: " Ceteras autem dationes & „ gravamina eidem sanctæ eremo ex caritate remisit. *Actum consilio & auctoritate domini Alberti Turritani archiepiscopi Sardinie primatis ac sedis apostolice legati, necnon Petri diaconi cardinalis sancti Eustachii anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto indictione* XII. Potuit usurpari in hac charta annus Pisanus, nimirum annus 1163. Romanus, mutata indictione mense septembri anni antecedentis, cum indictio XII. proprie spectet ad annum 1164. Atque eo verisimilius Athonis episcopi donationem ad præcedentem annum referendam arbitramur, quo fit in ipsa mentio Petri diaconi cardinalis sancti Eustachii, qui eo ipso anno 1163. translatus fuit ad presbyterorum cardinalium collegium in prima purpuratorum promotione facta ab Alexandro III. qui diaconiam sancti Eustachii tradidit eo anno Hugoni recens creato cardinali, si fides habeatur collectoribus vitarum S. R. E. cardinalium. Sin vero in Athonis donatione adhibeatur annus communis 1164. ad hunc saltem annum regimen congregationis Camaldulensis tenuit Gregorius, cui suffectus fuit Rodulphus III. Apographum hujusce donationis Ægidio Maruccinio præsuli nostro generali Castrensis episcopus, qui tunc vivebat, anno 1626. transcripsit. Baraso Turritanus rex filius erat Gunnarii, pater autem Constantini, quorum regum illustravimus historiam ad annos 1112. & 1113. Distinguendus est ab altero Barusone vel Barasone rege Arborense, qui hoc ipso anno ceteros insulæ reges deprimere tentans principatum super totam Sardiniam a Friderico imperatore obtinuit, varias etiam vices subiit, carceri quoque addictus tamquam obæratus. De Barasone videantur, quæ diximus ad annum 1147. Guilielmus Cuperus [a] agens de Raymundo Castrensi in Sardinia episcopo uno ex successoribus Athonis seculo XIII. in adnotationibus ad vitam beati Benigni abbatis generalis Vallumbrosani ad diem 17. julii; „ Non novi, inquit, nisi duos „ Castrenses episcopos in Italia; unum in regione Hydruntina, alterum „ in Etruria, ut videri potest in Italia sacra apud Ughellium. Forte „ hujus legendæ auctor indicare voluit Raymundum patria Castrensem es-

a T. IV. p. 344.

„ se

„ se, & in Sardinia fuisse episcopum. " Sed jam notum est Italis etiam in Sardinia fuisse Castrensem episcopum, qui ad hanc diem perseverat. Ceterum Athum sive Athonem Castrensem episcopum, monachum antea fuisse Camaldulensem asserit Ambrosius Machino archiepiscopus Calaritanus in libro, cui titulus: *Defensio primatus archiepiscopi Calaritani*, edito Calaris anno 1639. capite 38. pagina 171. ubi hæc habet: „ Secundo affertur pro parte Turritani archiepiscopi, cum quo Calaritanus „ litem de primatu habebat, actus cujusdam donationis servatus in archivo curiæ Turritanæ Athi monachi Camaldulensis episcopi Castrensis „ factæ anno 1164. in favorem ecclesiæ sancti Salvatoris ad instantiam „ Barisonis judicis Turritani, & Petri diaconi cardinalis & aliorum episcoporum. " Eumdem Camaldulensem facit etiam Antonius-felix Matthejus ex Minoribus Conventualibus in suo opere episcoporum Sardorum, quod novissime prodiit.

Ann. Chr. 1164.

XIX. Chartæ Faventinæ & S. Mariæ ad Carceres.

HOC ipso *anno ab incarnatione Domini* M. C. LXIIII. *die* XXVIIII. *mensis novembris indictione* XII. *in ecclesia sancti Laurentii Guarcinorum non longe a Faventia, tempore Friderici imperatoris*, Ugo de Bolognano & Mattheus, Guido Guittoti, Almericus, Spinabellus, Dominicus, Farulfus, Guilielmus, & Albertinus Vidolini, qui erant majores castri Guillarini, donarunt & irrevocabiliter confirmarunt ecclesiæ sanctorum Laurentii & Hippolyti de Faventia & Clementi abbati ejusdem monasterii accipienti pro collegio dictæ ecclesiæ & pro pauperibus Christi omnes res mobiles & immobiles, quas vel ipsi, vel eorum parentes donaverant præfatæ ecclesiæ, ratam insuper habentes largitionem ecclesiæ sancti Andreæ de Zagonaria, quam similiter aut ipsi aut eorum majores tradiderant prædicto monasterio, cum omni ordinandi & disponendi potestate. Nota dignum, quod obligarunt propterea se & filios, nepotes, abnepotes & trinepotes daturos & humaturos corpora eorum, qui quindecim annos superaverint, & defuncti fuerint in episcopatu Imolensi vel Faventino, ad hoc ut honorem sepulcri habituri essent in ecclesia sanctorum Laurentii & Hippolyti; ita tamen, ut abbas cum fratribus suis deberet portare dicta corpora, & sepelire propriis expensis, ac mittere insuper brevia per congregationem Camaldulensem pro unoquoque eorum defunctorum. Quæ omnia ad invicem utraque pars pollicita fuit sub pœna viginti librarum Lucensium. Leguntur prædictorum hominum de castro Guillarini nomina etiam apud Tonduccium [a] in charta sponsionis factæ anno 1155. Ubaldo Faventiæ prætori, in qua etiam nominantur Vivianus comes & Gisla comitissa, qui plura bona in castro Guillarini dederant communi Faventiæ eo anno. Confirmationis & pollicitationis nostræ paginam ex apographo archivi ejusdem monasterii ad Appendicem amandamus.

a *Hist. di Faenza pag.* 195.

Manfredinus seu Manfredus marchio filius Gottæ & Tancredi marchionis Estensis, ejus nimirum, cujus supremam voluntatem attulimus ad annum 1145. postremus ex stirpe Ugonis cognominati *del Manso*, præsenti *anno* M. C. LXIV. *die mercurii, qui est* VII. *intrante mense julii indictione* XII. per testamentarias tabulas reliquit monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus & Dominico priori *braidum* suum de Lovaria, quod erat in Palso, mandans corpus suum sepeliri in prædicta ecclesia de Carceribus, relinquens filiam suam Agnetem, & filium vel filiam existentem in utero Villæ uxoris suæ, filiæ Alberti de Urbana, hæredes bonorum suorum. Actum in Melliadino, in domo prædicti marchionis. Mandaverat olim Tancredus, ut decedente filio suo Manfredo sine liberis, omnia ipsius bona devenirent ad ecclesias sanctæ Mariæ Carcerum, sanctæ Mariæ de

Ann. Chr. 1164.

Vangaditia, & sancti Fidentii. Manfredini chartam produxit Muratorius in Antiquitatibus Estensibus, [a] apud quem legi potest.

a Pag. 335. P. I.

Ann. Chr. 1165.

XX. Parisius Bononiæ vitam monasticam amplectitur.

QUINTUM-DECIMUM ætatis annum agebat Parisius, quo tempore referendus est ipsius monachatus in Bononiensi Camaldulensi cœnobio. In vita ipsius Sancti edita anno 1748. hoc ab ipso præstitum diximus in monasterio sanctorum Cosmæ & Damiani, quod erat in meditullio urbis Bononiensis ad pontem Ferri; verum idipsum fieri potuit a Parisio etiam in monasterio sancti Michaelis de castro Brittorum, quod octo milliaribus distabat ab urbe Bononia, præsertim cum cœnobium sanctorum Cosmæ & Damiani subjiceretur alteri castri Brittorum, cujus monachi fundatores illius dicuntur. Brevi tempore in institutis monasticis & in via perfectionis, cui unice studuit, profecit Parisius, & per vicennium de virtutibus in virtutes ascendens meruit post id temporis sacrarum virginum moderatoris & confessarii munere fungi; quod officium octuaginta annorum tempore irremisse, fideliter & sancte, ut videbimus, adimplevit tum in patria sua Bononiensi, tum in urbe Tarvisina.

XXI. Christiani imperialis legati privilegium eremo Camaldulensi.

CHRISTIANUS imperialis aulæ cancellarius & legatus fratres Camaldulenses cum omnibus possessionibus & bonis eorum hoc anno sub imperiali protectione recepit, eisque quæcumque bona tam a se, quam ab aliis majestatis imperatoriæ legatis intromissa vel ablata, quæ juste & rationabiliter habere vel possidere solebant, integre restituit, & auctoritate imperiali confirmavit, videlicet Montionem, Bagnolum, Soci, Condolese, Monte & quidquid habebant in curte Partinæ, mulctatis pœna centum marcarum puri argenti iis, qui contra hocce suum edictum agere tentaverint. *Datum* est privilegium *Soci in domo Blanci medici* VI. *kal. martii anno* M. C. LXV. *indictione* XIII. *regnante domino Frederico Romanorum imperatore serenissimo anno regni ejus* XII. *imperii vero* X. quod ex autographo archivi Camaldulensis proferimus. Christianus die XIV. februarii hujus anni nondum electus fuerat Moguntinus archiepiscopus, quo titulo se decorat & decoratur in ceteris privilegiis imperialibus hujus anni. Sequebatur & ipse mordicus partes Friderici domini sui, & dejecto Conrado a Witenspalch piissimo Moguntino archiepiscopo electo, eam sedem favore imperatoris ad plures annos occupavit, & bellis ac rapinis pro domino suo hoc & pluribus sequentibus annis Italiam totam replevit.

XXII. Chartæ variorum monasteriorum.

THEODORA filia quondam Malpilli, & Gianni vir ejus promiserunt hoc anno Dominico presbytero & priori ecclesiæ sancti Georgii de Apibus, monasterio scilicet posito in territorio Senensi, nullam se amplius controversiam moturos, aut molestiam illaturos de omnibus terris & juribus, quæ præfatum cœnobium obtinebat; quam refutationis paginam ex tabulario monasterii Rosæ Senarum ad illustrationem hujus cœnobii, quod aliquo tempore monachorum, aliquo sacrarum virginum domicilium fuit, cujusque origines tradidimus ad annum 1107. proferimus in Appendice.

Pertinet ad hunc annum M. C. LXV. *tertia-decima die intrante mense martii indictione* XIII. testamentum Beatricis matris Donellæ, & avæ tum alterius Beatricis, tum Fulcolini & Ubertini, quæ præter consanguineos suos beneficam se ostendit erga monasterium sanctæ Mariæ ad Carceres, ita tamen, quod prædicta ecclesia unoquoque anno competenter viginti & quatuor pauperibus comestionem tribueret & duodecim vestes, sex lineas, & sex laneas ipsis erogaret, si hæredes sui sine filiis decederent.

Aliqua etiam reliquit hospitali ejusdem monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus, hospitali de Rupta, hospitali Hierusalem, & ecclesiæ sanctæ Theclæ in Atheste; insuper priori sanctæ Mariæ ad Carceres legavit viginti libras ad procurandum funus suum, & tertiam partem panis & vini ac carnium distribuendam in pauperes. Actum in eodem hospitali sanctæ Mariæ ad Carceres. Videtur Beatrix, quæ testamentum condidit, filia fuisse Fulconis I. & soror Bonifacii, Fulconis II. Alberti & Opizonis marchionum, quibus propterea fratribus superstitibus reliquit totum id, quod sui vassalli Casalis & Scodasiæ possidebant a se jure feudi, & silvam suam domnicatam. Ejus sententiæ fuit & Muratorius [a] in Antiquitatibus Estensibus, ubi testamentarias tabulas Beatricis protulit.

ANN. CHR. 1165.

[a] P. I. pag. 325.

Rusticum adhuc priorem eremi & monasterii ad Vivum, Peponem autem abbatem sancti Petri in Campo exhibet nobis oblationis pagina, qua Arnulphus cum conjuge sua & filiis se devoverunt hoc anno monasterio dicto sancti Petri in Campo, quam ex libro cancellariæ Montis-politiani produximus in dissertatione de Veteribus conversis [b].

[b] T. I. Append. col. 392.

ANN. CHR. 1166.

XXIII. Obitus S. Johannis abbatis S. Stephani Januæ.

REFERTUR ad hunc annum obitus sancti Johannis, monachi prius Camaldulensis, abbatis inde sancti Andreæ de Sestri, postremo abbatis monasterii sancti Stephani Januensis urbis. Id testatur Benedictus Bobiensis monachus in libro ms. apud Constantinum Cajetanum, *de Vitis Sanctorum & Beatorum monastici ordinis*, dicens: *In ejus regimine*, postremi scilicet monasterii, *expletis annis* XXXVII. *per omnia benedictus in secula cum sanctitate regularis observantiæ degens, vitam suam laudabiliter finivit, cujus sacrum corpus pontificalibus vestitum in sepulcro abbatum ipsius monasterii locatum fuit anno* M. C. LXVI. *die* XIV. *martii*. Accedunt monumenta emphyteutica existentia in tabulario præfatæ abbatiæ, in quibus constanter Johannis abbatis nomen legitur usque ad hunc annum. Quare audiendus non est Aurelius Riccherius ordinis fratrum Capuccinorum, & nobilis familiæ Januensis, qui in chronologia urbis Januæ [c] ad calcem asserit beatum Johannem anno 1146. diem extremum obiisse; ipse tamen scriptor testis est de incorruptione corporis beati Johannis, de quo nonnulla agit. Ad præsentem annum assignant ejus obitum etiam Augustinus Schlaffinus Carmelita in suis Annalibus sacris Liguriæ, & Bartholomæus Raynaldus Lucensis protonotarius apostolicus in suo ms. tractatu insigniorum reliquiarum Sanctorum Liguriæ. Si numerentur anni decem & novem, quibus rexit abbatiam sancti Andreæ, comperitur ipsum partim in uno, partim in altero cœnobio jus dixisse quinquaginta sex annis, quibus si adjiciatur tempus, quo in congregatione Camaldulensi ut monachus vixit, ad extremam senectutem pervenisse dicendus est. Post obitum effloruit ejus sanctitas, cujus maximum inditium testimonio ejusdem Bobiensis monachi habitum fuit anno 1284. *Factum est autem*, inquit, *deinceps anno Domini* M. CC. LXXXIV. *die secunda novembris, ut dum Fredentius abbas præfati monasterii fabricam capituli reformandam curabat, repertum fuerit sepulcrum prædictum, in quo tres olim abbates jamdicti monasterii erant conditi, videlicet Ansaldus, Guido & sanctus Johannes. Ob stupendum quidem! Cum jam centum annis & amplius ab obitu suo ibi jacuisset, reperta sunt amictus, camisus, stola, manipulus, sotulares ac cetera ita recentia absque ulla corruptione atque contaminatione, ac si modo sepulta; corpus cum membris compaginatum & integrum absque ulla contagione, ac si modo tumulatum. Ad hoc spectaculum tota Genua cucurrit, & quidque potuit de vestimentis ejus asportavit, ac*

[c] Pag. 429.

reli-

Ann. Chr. 1166. *religiosissime tenuit. Tunc venerandum corpus translatum est, & positum in altari ipsius ecclesiæ sanctorum Raphaelis & Hieronymi usque in hodiernum. Cujus natalis colitur quartadecima martii.* Altare sanctorum Raphaelis & Hieronymi modo in parvula ædicula appellata *Sepulcreti* abbatialis ecclesiæ sancti Stephani extat subter vetus sacrarium, & quamquam in honorem sanctæ Franciscæ Romanæ in præsentiarum sit dicatum, nullaque amplius in tabula supersit sancti Angeli & sancti Doctoris imago, hoc factum est, postquam Olivetani monachi ejus abbatiæ possessionem accepere. Ceterum Fredentium abbatem eo anno Januensi sancti Stephani monasterio præsedisse constat etiam ex edicto *anni* M. CC. LXXXV. *indictione* XIII. *die* XIV. *novembris*, quo dictus abbas relaxavit quamdam præstationem fieri solitam ab hominibus Villæ-regiæ. Edictum refertur a Lancellotto [a] in historia præfati monasterii. Bollandus ejusque continuatores sancti Johannis abbatis non meminere in Actis Sanctorum, immo nec nominant inter prætermissos vel rejectos, aut ad diem XIV. martii aut ad aliam; sed neque ipsius nomen reperitur in martyrologio Ferrarii nec in aliis Sanctorum catalogis, neque pariter ad hodiernam diem cultum aliquem, nec officium proprium, neque imaginem obtinet in præfata ecclesia sancti Stephani, ubi tumulatus jacet; verum, quo loco, ignotum. Ipsius proinde beati Johannis memoriam suscitasse gaudemus. Dominicus Mussus Januensis archivi custos reperiri affirmat Johannis abbatis nomen sæpius, potissimum in archivo appellato Notariorum, & efferri ex nobili Januensium familia Serra. Denique mss. codices, quos summa industria & labore paraverat doctissimus abbas Casinensis Cajetanus, majorem in partem devecti primum fuere ad collegium Urbanum *de Propaganda fide*, sed postea jussu Alexandri papæ VII. in bibliothecam *Sapientiæ* nominatam traducti.

a *Pag.* 329.

XXIV. Pisanæ & Vivenses paginæ. Anno *ab incarnatione Domini millesimo-centesimo-sexagesimo-septimo*, more Pisano, *indictione quartadecima* VIII. *kalendas augusti* Gerardus abbas monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum, consensu Berardi prioris claustri, & Ugonis & Læti, Hildebrandi & Maraulæ presbyterorum, & Henrici, qui fuit juris-peritus de Florentia, & Henrici atque Widonis diaconi, & Johannis, atque alterius Widonis diaconorum, & fratris Rolandi sacristæ ecclesiæ, & Burgi sindici, & Glandulfi atque Stephani necnon Maradelli patronorum ejusdem ecclesiæ (etiam in his paginis patronorum consensus requirebatur) chartam pignoris confecit pro quantitate pecuniarum, quam mutuo acceperat. *Anno* antecedenti Romano, scilicet M. C. LXVI. more Pisano *indictione* XIII. *sexto idus aprilis* ex alia pagina chartularii ejusdem monasterii prior ecclesiæ sancti Frigdiani de Pisis erat adhuc Ugo.

Hoc eodem anno Fridericus imperator liberum ab omni jurisdictione & impositione declaravit locum eremi ad Vivum una cum castro Castilioncelli & Canini, & cum ceteris comitatibus usque ad Orciam, cum Peretto quoque & suis pertinentiis, ac cum monasterio sancti Petri in Campo suisque juribus, teste Miniato in suo *Monte-politiano illustrato*.

Asserit quoque Ubertus Folieta in historia Januensi [b], quod cum per hæc tempora Pisanorum respublica a Januensibus affligtaretur, „ ad pacem procurandam Januam petiit abbas Gorgonæ insulæ, nonnullis additis sociis ab eadem republica missis, qui leni submissaque oratione, vultu, habituque corporis summam animi demissionem præferentes, urbem ipsam circumeuntes, religionemque & divini numinis metum consiliis miscentes, homines ad pacem hortabantur. " Sed cum nihil

b *Lib. II.*

actum

actum esset, post longam diutinamque hac de re disputationem, Pisani relicto timore omni ac metu, triremes in Januenses miserunt, ac unum alterumque prælium prospero semper commiserunt eventu. Ann. Chr. 1166.

Postremus hic annus fuit vitæ Johannis Gnesnensis archiepiscopi, cui communi omnium consensu suffectus fuit Bogumilus ejus nepos, & ipsius ecclesiæ decanus. „ Johannes primus Gnesnensis archiepiscopus, „ vulgo Janicus (habet Demalevicius [a]) extremum interea vitæ diem „ clausit ischidiata ægritudine, qua diutius laboraverat, confectus, post- „ quam ecclesiam per annos quindecim gubernasset. Cum igitur frequens „ senatus prælatorum, canonicorumque ad providendum de sponso eccle- „ siæ viduæ convenisset, non diuturna deliberatione cleri populique desi- „ derium tenuit, ut ad Bogumilum, cujus vitæ sanctitas satis omnibus „ fuit explorata, fasces dignitatis excelsæ deferrent. Obluctatur suffragiis „ collegarum vere humilis sacerdos, qua precibus, qua lacrymis, ne onus „ angelicis humeris formidandum imponerent suæ imbecillitati, obsecran- „ do, sed potius dignioris, qui tam arduo labori sustinendo par esset „ (virum nomine proprio indigitando) merita tam sublimis honoris fa- „ stigio coronarent. Cum vero reluctanti electores frustra suas preces op- „ ponerent, severa illi comminatione adjunxerunt, ut apud se diligen- „ tius expenderet, an electioni dissentire non sit resistere Spiritui-sancto, „ qui voluntates & animos omnium concordi suffragio in se pertraxisset. „ Tandem passus sibi persuaderi, accinxit fortitudine lumbos, Spiritus- „ sancti opem implorans, ut qui se ad onus tantum vocasset, vires fe- „ rendo illi dignaretur suppeditare idoneas. Ab Alexandro igitur III. „ summo pontifice confirmationem obtinuit, atque a vicinioribus conse- „ cratus episcopis, & pallio decoratus, ecclesiæ gubernaculum anno Chri- „ sti M. C. LXVII. maxima omnium ordinum de sancto præsule orantium „ congratulatione apprehendit. “ Plurimum diffluit Demalevicius in exarandis ejus virtutibus tempore sui archiepiscopatus, quo nihil de contemplatricis vitæ studio remisit, immo vigiliis, orationibus, jejuniis, animi perturbationibus edomandis, cupiditatibus frangendis, & corpori ad rationis imperium subigendo tanto vacavit intensius, quanto hæc arma regendis ac moderandis aliorum affectibus expeditiora & magis necessaria judicaret. Inter ceteras virtutes laudat ejus liberalitatem [b], qua „ dono dedit quinque villas patrimonii sui, & de villis quatuordecim decimas, „ cum consensu collegii metropolitani, ordini Cisterciensi ad fundandum „ cœnobium in loco, qui capitulo generali videretur magis idoneus, quæ „ bona in manus Boguphali fratris in monasterio Luknensi anno Domi- „ ni 1153. a Sbyluto nobili Polono condito viventis consignavit, quæ- „ que generale capitulum postea Christiano episcopo Prussiæ monacho „ Cisterciensi (eo quod sua bona, quorum plus quam centum villas in „ terra Culmensi habebat donatione Conradi ducis Masoviæ, Prutheni „ vastaverant) in subsidium possidenda contulit. Quæ deinde cum resi- „ gnasset Christianus anno Christi 1233. Willelmo abbati de Sulejovv, „ ejusque cœnobio pro voluntate generalis capituli possidenda, is de man- „ dato ejusdem capituli condidit monasterium ultra Vistulam e regione „ cathedralis ecclesiæ Uladislaviensis in villa Szpital, quod deinde in vil- „ lam Byschovv translatum, inde post annos septuaginta ad oppidum „ Coronovvo anno Domini 1288. in die sancti Vitalis martyris IV. kal. „ maji sub regimine Engilberti abbatis Byschovviensis transtulit Vislaus „ episcopus Uladislaviensis gente Zabavius. “ Unde monasterium Corono-

Ann. Chr. 1167. XXV. Bogumilus fit archiep. Gnesnensis.

a *Pag.* 65.

b *Pag.* 83.

ANN. CHR. 1167.

novviense primum sui fundatorem grato animo agnoscit & veneratur Bogumilum, licet ante seculum defunctum, hoc illi antiquitus tribuens elogium : *Bogumilus archiepiscopus Gnesnensis de domo & familia Rosarum, homo pius & ecclesiasticus, pauperum & pupillorum strenuus defensor, in vita sua nulli injurius, cultus divini ardentissimus zelator & propagator, primus monasterii Coronovviensis fundator.*

XXVI. Certa monumenta ejus archiepiscopatus.

QUO veteri Coronovviensium monachorum testimonio satis patet, quanto fundamento Demalevicius Bogumilum a ceteris Polonis scriptoribus omissum inter archiepiscopos Gnesnenses locaverit, præsertim cum tutissima omnium seculorum traditione & fama fulciatur hæc veritas. Agmen ducat Uladislaus filius Ottonis dictus Pluacz rex Poloniæ electus anno 1231. qui abbatiæ Sulejoviensi anno sequenti 1232. ecclesiam Dobrovvensem subjiciens hæc potissimum de Bogumilo habet [a], quæ libenter subjicimus, quia ad historiam faciunt archiepiscopi Bogumili, & ecclesiæ Dobrovvensis ab ipso fundatæ, & illustrant, quæ mox diximus de donationibus ab eo factis tempore sui archiepiscopatus; neque satis obvius est Demalevicii liber, ex quo exscribimus privilegium. *In nomine Domini amen. Ego Uladislaus Dei gratia dux Poloniæ inclyti olim ducis Odonis filius notum esse volo universis Christi-fidelibus præsentibus & futuris, quod piæ memoriæ beatus Bogumilus quondam archiepiscopus Gnesnensis ecclesiam suam & ecclesiæ Gnesnensis in Dobrowo cum possessionibus & hæreditatibus ad ea pertinentibus, videlicet ipsa villa Dobrowo, Lesno, Rzuchowo, Zadowo & Kwaczowo cum saltuariis & piscatoribus, & cum decimis ipsarum possessionum, aliarumque, scilicet: Chelm, Krobewo, Dambe, Ostrowo, Komorowo, Karsewo, Zakrzewo, Bissecre, Slaventino, Grabowo. Item Janissewo, Kolmica, Chontemino & Weglowa contulit & dedit ob honorem Dei, beatissimæque Mariæ semper virginis ordini Cisterciensi cum usufructu plene libere in perpetuum possidendam, & ad manus fratris Boguphali monachi consignavit pro voluntate generalis capituli ejusdem ordinis disponendam; & quod idem capitulum post mortem fratris Boguphali monachi de Lecna præfati eamdem ecclesiam cum pertinentiis suis omnibus prædictis religioso domino patri Christiano episcopo Prussiæ monacho Cisterciensis ordinis ad tempus vitæ suæ contulit tenendam & possidendam pro subventione terræ suæ. Idem autem pater dominus Christianus episcopus postmodum coram me in Posnania consistens, & in præsentia venerabilis patris domini Fulconis archiepiscopi Gnesnensis cum instrumento mandati memorati capituli generalis, præfatam ecclesiam de Dobrowo cum omnibus attinentiis suis prælibatis abbati Willelmo de Sulejow & ejus conventui post suam vitam consignavit & tradidit pleno jure tenendam, ac pro voluntate generalis capituli possidendam. Ad istius facti testimonium & robur æternum præsentem paginam conscribi jussi, meoque sigillo, & sigillis dominorum prædictorum Fulconis archiepiscopi Gnesnensis & Christiani episcopi Prussiæ communiri.*

Acta sunt hæc anno Domini M. CC. XXXII. *indictione* V. *in festo beatorum apostolorum Petri & Pauli. Præsentibus probis viris & dominis Baldevino Gnesnensi, & Alberto Lanciciensi decanis, magistro Andrea de Cracovia & Stephano cancellario meo. Item Jarosio Posnaniensi, Petrone Sandocensi & Vincentio de Zbaussin castellanis, Nemera pincerna meo, Vislao vexillifero, Laurentio venatore & aliis multis. Ego etiam intuitu remunerationis divinæ omnes libertates a prædecessoribus meis sollemnis memoriæ ducibus Poloniæ Miescone avo meo, Uladislao patruo meo & Odone patre meo sæpedictæ ecclesiæ de Dobrow, possessionibus ejus & incolis earum cujus-*

a Ap. Demalev. Series &c. pag. 101.

cujuscumque conditionis collatas renovo & confirmo. Videlicet quod jus plenum piscationis & castorum habent in fluminibus Warta & Nyr intra terminos possessionis suæ; nec aliquod vectigal ducunt, neque aliquam solutionem mihi vel meis solvunt castellanis & officialibus, nec coram ipsis citantur, sed ad meam præsentiam tantum per literam meo anulo signatam; nec caput mihi vel meis solvunt, nec septuaginta; neque castra, neque pontes ædificant vel emendant, nec ad expeditiones vadunt, sed per omnia ecclesiæ de Dobrow & fratribus possessoribus ejus legitimis quiete deserviunt in æternum. Hos autem fratres in protectionem meam suscipio, ac meis successoribus in spe resurrectionis divinæ semper protegendos committo. Et quicumque eos molestare præsumpserit, a Deo, & a sancta ejus genitrice virgine Maria, & ab omnibus Sanctis sit anathema maranatha. Amen.

ANN. CHR. 1167.

Confirmant eamdem de archiepiscopatu Gnesnensi Bogumili veritatem miracula ad ipsius sepulcrum patrata statim ab ejus obitu, & postea seculis sequentibus; cultus insuper, quem tamquam episcopus obtinuit in ecclesiis Polonicis, præsertim post elevationem corporis factam a Fulcone ejus quinto successore. Eamdem fulciunt seculo XV. testimonia Vincentii Coti archiepiscopi Gnesnensis & successorum archiepiscoporum, quæ alibi referemus. Cur autem Dlugossus, Neugibaverus, Cromerus, Miechovias ceterique scriptores Polonicarum rerum Bogumili mentionem nullam ingerant, nos præterit. Subit dicere confusum fuisse Bogumilum cum Petro archiepiscopo Gnesnensi, quem faciunt immediatum Johannis successorem, & ea, quæ ab ipsis tribuuntur Petro, referenda esse ad Bogumilum, vel etiam Bogumilum Græca voce a Polonis appellatum Theophylum, ut videbimus, aliud insuper Latinum Petri sortitum fuisse nomen. Certe in charta relata Uladislai regis ecclesia Dobrovensis privilegiis & libertatibus ditata fuisse dicitur a Miescone avo ipsius Uladislai, ab altero Uladislao junioris patruo, & ab Odone patre ipsius Uladislai. Porro sub iis ac etiam sub Boleslao Miesconis fratre, quique ante hunc regnavit, floruit Bogumilus, dum nuntium remisit ecclesiæ Gnesnensi anno 1177. qui fuit postremus annus principatus Miesconis sive Miecislai a Polonis e regno Poloniæ-majoris pulsi, vocato ad principatum regendum fratre ejus minore Casimiro Justo.

Ceterum non omnino Dlugosso fidendum. Is [a] Petrum archiepiscopum nullo mediante suffectum Johanni asserit anno 1165. In Petri [b] autem locum electum Zdislaum anno 1182. post viginti-duos archiepiscopatus Petri annos; ubi non satis sibi constat, cum alibi [c] affirmet anno 1180. Zdislaum concilio Lanciciæ in Polonia præsedisse, & confirmationem synodalium statutorum obtinuisse ab Alexandro III. Romano pontifice eodem anno. Anno enim 1182. mortem oppetierat Alexander, cui anno antecedenti suffectus fuerat Lucius III. Quare synodus Lanciciensis statuenda est sub pontificatu Alexandri III. ante annum 1182. Neque ab anno 1165. emortuali Johannis ad annum 1182. multoque minus ad annum 1180. interfluunt viginti-duo anni, quot cathedræ Petri tribuit Dlugossus. Rursus affirmat ipse [d] per obitum Vincentii Gnesnensis archiepiscopi, qui contigit anno 1232. ut scribit, electum fuisse Petrum, cum tamen ex suprarelato Uladislai regis diplomate eo anno Fulco Gnesnensem ecclesiam administraret. Consulto omittimus ceteros Dlugossi, & historicorum Polonorum ipsius fidei innixorum errores, licet illud ceteroquin fateamur scriptorem ipsum fuisse gravissimum & diligentissimum, principemque historiæ Polonicæ.

a T. I. *hist. Polon. col.* 508.
b *Col.* 548.
c *Col.* 541.
d *Col.* 648.

XXVII. Donationes factæ eremo Camaldulensi.

In summariis instrumentorum Simonis & Rainerii monachorum Fontis-boni

Ann. Chr. 1167.

tis boni hæc leguntur sub præsenti anno [a]: *Ugolinus Comitissæ, & uxor ejus Imilia & Ugolinus ejus filius cum ceteris consortibus, & Rodulphus Romanæ ecclesiæ cardinalis, Guilielmus & Crescentius ejus nepotes cum aliis per se suosque hæredes in perpetuum donaverunt pure & irrevocabiliter inter vivos domno Orlando monacho Camaldulensi recipienti vice domni Ildebrandi prioris Camaldulensis & successorum ejus omnes terras & res, quas habebant in loco, qui vocatur hospitale de Furca, juxta radium Cavalcarezum, & la Balza, & Vedretigi, & la Scerello, & Lorado de Lacherella usque ad flumen, cum omni eorum jure & actione. Sub annis Domini* M. C. LXVII. *die* XVII. *mensis julii manu Brunelli notarii*. Hæc bona videntur concessisse in usum monachorum sanctæ Mariæ in Insula diœcesis Galeatensis, vel eremitarum de Cortina aut de Fagiolo, prope quorum monasterium & eremum erant loca nominata in hac donationis pagina, licet Baroncinius in chronico ignoret, ubinam situm foret hocce hospitale de Furca.

a Pag. 190.

Ildebrandus suffectus fuerat vel anno antecedenti, vel præsenti Rodulpho III. priori generali congregationis, qui officium dimiserat. Rodulphus autem S. R. E. cardinalis erat diaconus sanctæ Luciæ in Septisolio, qui creatus cardinalis a Cœlestino II. eamdem constanter diaconiam retinuit sub variis pontificibus, & ad hunc saltem annum vixit, Alexandri III. semper contra Octavianum ceterosque anti-papas favens partibus.

Scribit Rubeus [b] „ hoc anno tertio idus aprilis in divi Apollinaris in „ Classe homines capitaneos, valvassores, & populum oppidi Brittonorii „ coram consulibus Ravennæ fœdus cum Ravennatibus, amicitiamque „ omnis fraudis expertem se conservaturos, foreque cives Ravennates, „ eosdemque amicos & inimicos habituros jurasse; cum equitatu sua im„ pensa per XV. dies, quocumque Ravennatibus placeret, ituros, quæ„ cumque in prædiis templisque Ravennatibus servari quadraginta jam „ annis consuessent, ea servaturos. Cum Friderico Cæsare nec pacem, nec „ bellum absque Ravennatibus facturos; si quæ intervenerint diffidia, ad „ arbitrium ea Ravennatum delaturos, & consulum Ravennatum decreto „ staturos. “ Hæc acta a Brittorianis dicuntur ad honorem Dei ac domini eorum Friderici imperatoris.

b Lib. VI. pag. 347.

Ann. Chr. 1168.

XXVIII. Monasterium S. Mariæ foris portam Faventiæ datur Avellanensibus.

Donavit hoc anno Rambertus episcopus Faventinus monasterium sanctæ Mariæ Forisportam congregationi Avellanensi, ut colligitur ex sequenti charta prolata a Tonduccio; [c] quam etiam supplemus ex autographo existente in tabulario canonicorum Faventiæ. *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo sexagesimo octavo tempore Federici imperatoris die* XXV. *mensis aprilis indictione prima in capitulo monasterii sancte Marie foris portam. Sacrosancta ecclesia mater fidei & religionis, nec non & discretionis omnibus, quibus potest, secundum Deum debet providere, maxime tamen locis venerabilibus & religiosis, quatenus in eisdem locis commorantes Deo perpetuo valeant deservire. Et ideo ego Rambertus sancte Faventine ecclesie episcopus una cum consensu canonicorum meorum, scilicet Beniamin archipresbyteri ac ceterorum fratrum, & consulum, ac totius communis Faventine civitatis a presenti die concedimus, tradimus & donamus tibi presenti Johanni Dei nutu priori sancte Crucis Fontis-avellane tuisque successoribus in perpetuum quoddam monasterium, cujus vocabulum est sancte Marie foris portam, cum omni sua possessione & jure, tam mobilibus rebus, quam immobilibus ad disponendum, ordinandum, & regendum atque gubernandum, salvo tamen jure & omni*

c Pag. 201.

debita

debita & consueta reverentia in omnibus & per omnia nostri episcopi, ac salvo jure, omnique debita & consueta reverentia in omnibus & per omnia matricis ecclesie tam in decimis, quam testamentis & sepulturis, atque in consuetis annuis redditibus, nec non & salva omni consuetudine nostre Faventine civitatis. Hanc vero nostram donationem & concessionem vobis facimus &c. *Scripta ab Hugone Faventino notario rogatu utriusque partis. Adfuerunt his omnibus presbyter Albertus ecclesie sancte Marie Leonis, Johannes presbyter ecclesie sancti Cassiani, Bonusfilius presbyter & capellanus jam dicti Ramberti episcopi, Aureus & Petrus Ponzittus sacre aule judices, Ugo Bibensaquam, Guido Ramberti causidici, Guido Seniorelli, Bernardinus de Caminiza, Petrus Ugolini, Gherardinus Farulfi, Guillielmus Bibensaquam* &c. *aliique plures, nec non ipse Ugo jamdictus notarius omnia supradicta describens.* Sequuntur subscriptiones, quæ desunt in Tonduccio. *Ego Johannes prior manu mea ss. Ego Drudo monachus ss. Ego Petrus monachus ss. Ego Johannes frater & monachus prefati monasterii ss. Ego Bernardus ss.*

ANN. CHR. 1168.

XXIX. De prioribus Avellanensibus hujus temporis.

POST Theobaldum priorem sanctæ Crucis Fontis-avellanæ Johannis prioris nomen non apparet ex chartis Avellanensibus, sed ex allato monumento exploratum est in priorum syllabo admittendum esse etiam Johannem, qui insuper legitur [a] ad annos 1192. & 1199. in rubeo libro signato B. statuti Fabriani scripto seculo XV. In membranis e contra Avellanensibus acta annorum 1173. & 1181. adnotantur nomine Theobaldi vel Thebaldi prioris, qui alius erit a Theobaldo olim priore, deinde electo Eugubino episcopo, & post nuncium dictum eidem ecclesiæ archiepiscopo Jaderense ad annum 1177. Rursus ad annos 1181. & 1186. legitur nomen Philippi prioris, & ad annos 1189. & 1190. illud Marci prioris. Dicendum videtur vel Johannem sæpius officio se abdicasse, iterumque ipsi commissum esse regimen; vel in eremo Avellanensi introductum fuisse morem Camaldulensis congregationis, ut præter priorem, qui toti congregationi Avellanensi & monasteriis subjectis præesset, alius eligeretur, qui locum peculiarem & eremum Avellanensem regeret, & sic Johannes foret quasi præses generalis congregationis, ceteri vero priores tantummodo eremi Avellanensis.

a *Pag.* cxli.

Ceterum plura digessimus in his nostris Annalibus de monasterio sanctæ Mariæ foris portam Faventiæ, in quo humatus etiam fuerat ante seculum sanctus Petrus Damiani Avellanensium propagator & fere parens. Afferit idem Tonduccius [b] ecclesiam sanctæ Mariæ olim fuisse veterem episcopi Faventini sedem, translatam inde ad ecclesiam sancti Petri, & loco canonicorum eo temporis introductos fuisse sancti Benedicti monachos; monumenta insuper hujus monasterii existere ab anno incarnationis Dominicæ millesimo; Johanni abbati anno 1026. Heribertum archiepiscopum Ravennatem concessisse ecclesiam sanctæ Mariæ & sancti Georgii in plebatu sancti Stephani in Catenis territorii Faventini. De Eleuchadio abbate ad annum 1022. & rursus ad annum 1042. de Guarino abbate ad annum 1033. & de supradicto Johanne veteribus ejusdem loci præsulibus, de Andrea quoque, alteroque Johanne abbatibus præfati monasterii seculis undecimo & duodecimo videantur, quæ delibavimus tomis ancecedentibus. Post Johannem abbatem in paginis ejusdem cœnobii ad annos 1136. & 1138. adnotatur nomen Petri abbatis; ad annos 1141. & 1146. Guitto prior, qui ad annos 1155. & 1157. appellatur abbas. Drudo monachus & abbas sanctæ Mariæ reperitur ad annos 1163. 1164. 1165. 1167. Sub ipso vocati Avellanenses, & forte idem est, qui dum-

b *Pag.* 27.

Ann. Chr. 1168.

taxat ut monachus, primus subscribit post Johannem priorem Avellanensem. Ad annum 1172. usque ad annum 1185. legitur nomen Salvi abbatis, & Marci prioris sub ipso. Berardus abbas regularis monasterii sanctæ Mariæ ad annum 1197. Tudinus vel Theodinus ad annum 1202. Macchabeus ad annum 1205. & demum ad annos 1207. & 1209. Petrus. Alio loco agemus de sequentibus ejus monasterii abbatibus.

XXX. Chartæ Bononienses & Pisanæ.

Autographa pagina extat in archivo monialium sanctæ Christinæ de Bononia, quæ continet testamentarias tabulas cujusdam Scanabicci confectas hoc *anno* M. C. LXVIII. *imperante domino Friderico Romanorum imperatore anno* XIV. *imperii, decimo kalendas augusti, indictione prima*, quibus præter pecuniam legatam monasterio nostro sancti Damiani, & cœnobio sancti Stephani, ac ecclesiis sanctæ Mariæ de Turlione, sancti Nicolai de Vivola, sancti Dalmatii, hospitali sancti Stephani, ecclesiæ sancti Johannis in Monte, & baptisterio sancti Petri, legavit pontibus aliqua de hæreditate sua; *ponti* scilicet *Reni tres libras*, *ponti sancti Rossilli quinque solidos*, *ponti Aralte tres libras*, *ponti Calderne quinque solidos*, *ponti Ysicis quinque solidos*, *ponti majori quinque solidos*, *ponti de fossa Caballina quinque solidos*; nimirum prope pontes consueverant circa hæc tempora erigi hospitalia, quibus proinde præfatam pecuniam testamento suo reliquit supradictus Scanabiccus.

Ildebrandus prior & rector ecclesiæ & monasterii sancti Nicolai positi Pisis in porta maris, consensu Benedicti, Baronis & Lamberti fratrum suorum & monachorum dicti loci vendidit Gerardo abbati sancti Michaelis in burgo Pisarum terras sitas in loco dicto Bottano, prope ecclesiam sancti Christophori: *Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo nono tertio nonas novembris indictione secunda*. Usurpatur annus Pisanus, & indictio mutatur mense septembri.

Rolando abbati sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, qui successerat Clementi, ejusque monasterio terræ donatæ fuere a Rambutino Franculi & a Guidone fratribus pro Guidone Guidoti, qui in articulo mortis positus fecerat ipsis potestatem donandi pro anima sua præfato cœnobio.

XXXI. Sacramentum obedientiæ præstitum Camaldulensibus ab Anglariensibus.

Subjicimus sacramentum præstari consuetum priori Camaldulensi, & priori sancti Bartholomæi de Anglari ab electo Anglariensi potestate, ex autographo archivi Camaldulensis [a], relatum ad hunc annum.

In nomine Dei eterni amen. Ad honorem Dei, & beate Marie virginis & beati Bartholomei apostoli & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, & ad honorem & statum imperii Romani & domini Frederici imperatoris, & ad honorem & salutem domni prioris Camaldulensis, & ad honorem & salutem monasterii & prioris Anglaris, & totius communitatis ejusdem castri, & ad honorem civitatis Aretine & omnium nostrorum amicorum. Ego, qui sum electus potestas ... Anglari, juro portare &c. *segnoriam* &c. *que mibi datur castri Anglaris & totius curie ejusdem castri* ... &c.

Eligam vel eligemus sex homines cum consilio prioris Anglaris & consiliariorum communis Anglaris ante exitum vel nostre segnorie seu regiminis, ut constitutum revideant & reaptent, prout melius cognoverint cum consilio domni prioris, quod faciant per totum mensem madii &c.

Eligam duos homines cum consilio consiliariorum communis Anglaris, & domni prioris Anglaris, quos jurare faciam sacramento novo, ut potestatem eligant cum consilio domni prioris, prout melius viderint & cognoverint, non recepto consilio ab aliquo, neque pretio, remoto omni malo sophismo

a §. Statuta n. 4.

mo & ingenio , & similiter teneantur eligere judicem & consiliarios sex & camarlengum &c. ANN. CHR. 1168.

Officiales scilicet , qui imponunt arcos & guaitas cum fecerint servitium, habeant suum beneficium idem. Pagaraitius, cum posuerit arcus, habeat X. *solidos denarii, sicut fecerit servitium ; & si dictus Pagaraitius preceperit arcus dicto domno priori , & non fecerit fieri sive monasterio sive guaitas ab aliis bailitoribus impositas, eidem teneatur camerarius facere fieri de parte dicti domni prioris* &c.

Item omnia , que ad me potestatem vel ad aliquem per me pervenerint occasione mee segnorie seu regimenti castri Anglaris , tenear dare seu facere dari in manus camerarii communis Anglaris , & camerarius de his omnibus, que ad manus ejus pervenerint , teneatur dare tertiam partem domno priori Anglaris, & tertiam partem det mihi potestati . Aliam vero tertiam partem retineat sibi pro dicto communi, & similiter facere camerarius in singulis ..... commune , potestate, & coram domino priore vel ejus nunptio & coram consiliariis dicti communis de salariis, bannis , pignoribus & aliis rebus acapitatis, retentis sibi prius de sua parte .... prioris , quam mei potestatis & communis de summa de toto XII. *denarios pro qualibet libra pro suo feudo , & de parte vero communis faciat expensas communis consilio potestatis & domni prioris & consiliariorum communis , qui fuerint ordinati , & reddere rationem in singulis kalendis coram me potestate & priore vel ejus nunptio & coram consiliariis communis statutis , & si habuerit aliquid de communi, quod supererit , teneatur expendere in utilitatem communis cum consilio consiliariorum, & communis & domni prioris , & hoc non sit prejudicium predicte ecclesie .... opere.*

Item juro gerere negotia dicti communis cum consilio consiliariorum omnium vel majoris partis, qui juraverint , & cum consilio prioris Anglaris, qui consiliarii sint electi & qui sunt .... &c.

Statuimus, ut omnes homines castri Anglaris & curie ejus teneantur afferre tres satorias lapidum tales, que pro unaquaque salma sint quinque lapides, & sit somarius ex eis bene oneratus &c. *& similiter prior predictus lapides & arenam teneatur in alio opere non collocare.*

Si contigerit aliquid dubietatis , mihi potestati , aut de re , de quibus me oporteat habere consilium , tenear habere consiliarios communis , & domnum priorem, & alios bonos sex homines, quos dicti consiliarii & domnus prior elegerint . Illud consilium , quod mihi dederit una cum dicto domno priore , tenebo & observabo , ita quod non recedam ab ipso constituto &c.

ALEXANDER III. summus pontifex ex Galliis redux Romam iterum se receperat, in qua urbe aliquantulum substiterat; verum Romano populo schismaticorum patrono non satis fidens anno 1167. Romam deseruerat, & Terracinam primum, tum Cajetam, inde Beneventum se contulerat , in qua urbe regis Siciliæ studiis fretus domicilium suum constituit usque ad annum 1170. Beneventi ergo commorans cum intellexisset monasterium Sextense sancti Salvatoris , quod religione olim plurimum pollebat, inturgescente schismaticorum perfidia , attritum plane esse, & spiritualiter ac temporaliter diminutum, scripsit filiis canonicis Pisanæ ecclesiæ, & pro relevatione præfati monasterii mandavit , ut in ecclesiis suis prohiberent sub interminatione anathematis , ne ullus diœcesis Pisanæ ab intruso dicti monasterii aliquid de bonis ipsius in feudum recipere auderet , vel eidem intruso patrocinium exhiberet . Gratiam e contra Dei & benedictionem concessit illis, qui A.. legitimo abbati præ-

ANN. CHR. 1169.
XXXII.
Alexandri III. epistola pro monast. Sextensi.

fati

Ann. Chr. 1169.

fati monasterii consilium & auxilium tribuerent. *Datum Beneventi* XVIII. *kal. octobris*. Sextense monasterium, excusso olim jugo & disciplina Camaldulensium, videtur hoc tempore excussisse etiam jugum Padolirensium monachorum, quibus ab Innocentio II. Romano pontifice fuerat anno 1134. commendatum. Abbas legitimus Sextensis erat Atto nominatus etiam in charta anni 1174. quæ ex archivo archiepiscopatus Pisani prostat apud Muratorium [a]. Contra ipsum tamen altare erexerat alter pseudo-abbas, qui dum regimen loci obtinebat, monasterii bona dilapidabat, exemplum pessimum sequens canonici Benincasæ, qui contra legitimum Pisanum archiepiscopum Villanum cathedram ejus urbis ascenderat per hæc eadem tempora.

a T. III. col. 1175.

XXXIII. Schisma in urbe Pisana.

Quod intelligimus ex alia ad eosdem canonicos epistola ejusdem Alexandri, qui prædicto in loco consistens, *secundo idus junii*, cum ex literis abbatis monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum & Henrici monachi Camaldulensis accepisset, quod V.. & M.. presbyteri minis & persuasionibus iniquis compulsi Benincasæ, quem Malincasam vocat, eidem pseudo-antistiti reverentiam & obedientiam impenderant, sed postea pœnitentia ducti, & reatum suum humiliter recognoscentes, in præsentia ejusdem abbatis sancti Michaelis spontanea & libera voluntate juraverant se obedituros mandatis pontificiis: scripsit propterea eisdem canonicis se eos fecisse a sententia excommunicationis, qua tenebantur, absolvi, imposita condigna pœnitentia. Ipsos itaque absolutos ad eosdem canonicos remisit, mandans, quatenus, si absque interpositione fidei & juramenti intruso archiepiscopo reverentiam & obedientiam, prout asserebant, præstiterant, ipsos usque ad proximum festum natalis Domini a celebratione Missarum abstinere facerent; alioquin per annum removerent. Verum si facultates ecclesiarum suarum non sustinerent, ut per alios sacerdotes eis ecclesiis valerent deservire, mandavit præfatis canonicis, ut aucta impositione pœnitentiæ ipsis officium suum restituerent; & quia inter ceteras pœnas schismaticis impositum fuerat apostolicam sedem adire, voluit, ut canonici ex parte Romani pontificis, & ex parte sua commonerent abbatem sancti Michaelis, quatenus ipsos in plenitudine beneficii eorum reciperet, & benigne ac mansuete pertractaret. De cetero eosdem canonicos monuit Villanum presbyterum alterum ecclesiæ sancti Jacobi ad se venisse, sed jurare noluisse obedientiam mandato apostolico; quare excommunicatum, ut erat, ad propria remeasse. Idcirco per apostolica scripta ipsis commisit, ut eumdem Villanum presbyterum tamquam contumacem, superbum & rebellem publice ecclesiastica censura irretitum denuntiarent, donec cum literis canonicorum ad præsentiam apostolicam satisfacturus accederet. Abbas sancti Michaelis Pisarum per hæc tempora erat Gerardus. Henricum vero monachum Camaldulensem ejusdem cœnobii sancti Michaelis legisperitum de Florentia novimus & vidimus etiam ad annum 1166. Benincasa autem canonicus sanctæ Mariæ majoris urbis Pisarum electus fuerat in archiepiscopum a Pisanis octavo kalendas aprilis anni Romani 1167. cui papa seu anti-papa Paschalis III. die sabbati sancti sacerdotium contulerat, & die Lunæ sacri paschatis honorifice cum suis cardinalibus archiepiscopatus consecrationem impenderat, ut scribit auctor chronici Pisani; quæ electio ideo facta fuit, quia legitimus Pisarum archiepiscopus Villanus Friderici imperatoris & anti-papæ schismati adhærere nollens voluntario exilio in insulam Gorgonam se receperat. Ceterum paulopost proprio veroque pastore revocato, clerus populusque Pisanus Benincasam intrusum deturbarunt de sede. Eadem proinde

de schismatis opportunitate loco motus fuerit legitimus Sextensis abbas, & intrusus præsul schismaticus, qui monasterii bona pessum dabat. Benincasa tamen cathedram Pisanam occupabat etiam anno sequenti 1170. *Anno* enim *ab incarnatione millesimo centesimo septuagesimo primo*, stilo Pisano, *tertio nonas madii indictione tertia. Manifestus sum ego Benincasa Dei gratia Pisane ecclesie humilis archiepiscopus* &c. ex charta nimirum tabularii archiepiscopatus Pisani sub numero 429. ex alia autem sub numero 431. *anno* M. C. LXXI. stilo communi *indictione* IV. *nonis martii* pacificam archiepiscopatus possessionem iterum obtinuerat Villanus, deinceps signatus usque ad annum 1174. primum sedis Ubaldi ejus successoris.

ANN. CHR. 1169.

MULTÆ lites inter episcopos Arretinos & inter monachos Camaldulenses eatenus viguerant quoad plebanos ecclesiarum Camaldulensibus subjectarum, circa eorum electionem, & circa obsequium, quod foret ab ipsis plebanis episcopo præstandum. Hæc concordia inter episcopum & Camaldulenses decreta fuit hoc anno quoad plebanum plebis sanctæ Mariæ de Micciano, quam ex summariis instrumentorum Simonis & Rainerii hic subjicimus [a]: *Dominus Hieronymus episcopus Aretinus cum consensu suorum canonicorum, videlicet domini Ughitionis primicerii, domini Rustici archidiaconi, domini Rainerii archipresbyteri, domini Massarii canonici, domini magistri Matthæi canonici & aliorum; & domnus Rolandus prior monasterii de Anglari, præsentibus domnis Rodulfo & Mauro monachis Camaldulensibus, super plebe de Micciano litigiosam quæstionem habentes, de communi consensu ad talem concordiam devenerunt; videlicet quod cappellani ejusdem plebis de consensu prioris prædicti eligant plebanum, qui si conversus fuerit, conversus maneat; si vero non est, in manus prioris prædicti conversum se faciat. Electo autem & converso facto plebano prior prædictus exhibeat administrationem plebis, deinde repræsentet eum episcopo Aretino, & dominus episcopus de spiritualibus eum investiat, & obedientiam pro se & suis successoribus ab eodem recipiat. Deinde plebanus prædictus episcopo in spiritualibus respondeat, priori vero prædicto & successoribus suis reddat pro temporalibus rationem. Plebanum vero nec episcopus sine priore, nec prior sine episcopo Aretino a plebanatu removeant. Corrigere autem unus sine alio possit, non tamen ad præjudicium alterius partis, neque ad prædictæ plebis detrimentum. Sub anno Domini* M. C. LXIX. *die prima mensis aprilis manu Rainerii notarii.*

XXXIV. Compositio episcopum Aretinum inter & plebanos Camaldulenses.

a Pag. 121.

ALBRICUS filius Actonis, & Moricus & Acto filii ejus pro anima Ugonis filii Albrici secundum suam legem Langobardorum donarunt hoc *anno millesimo centesimo sexaginta novem in die mense februarius & regnante Frederico imperatore indictione secunda* monasterio sancti Victoris & Perfecto abbati ipsius (hujus abbatis nomen legitur in chartulis sancti Blasii, & sanctæ Catharinæ de Fabriano ab anno 1159. usque ad annum 1192.) tertiam portionem ecclesiæ sancti Apollinaris cum omnibus suis pertinentiis, quæ posita erat in loco dicto Serra-Senzano. Quam donationem edimus ex archivo sancti Blasii Fabriani.

XXXV. Paginæ ad plura monasteria spectantes.

Dominico quoque priori sanctæ Mariæ ad Carceres suffectus fuerat Pistor, qui hoc *anno millesimo centesimo sexagesimo nono indictione secunda* VIII. *idus augusti* legitur apud Muratorium [b] in Antiquitatibus Estensibus litem habuisse cum Rodulphino & Sibillia coram Opizone marchione Estense. Litaldo autem abbati Vangaticiensi, quem ad annum 1163. perdurasse ex chartis affirmat Blancolinius [c] in ecclesiis Veronensibus illustratis, successerat Conradus ipsi ignotus, nobis autem apprime notus ex pagina emphyteusis hujus anni M. C. LXIX. *tempore Alexandri pape &* *Fede-*

b P. I. pag. 336.

c T. III. pag. 279.

Ann. Chr. 1169.

Federici imperatoris die XIV. *introeunte mense augusto indictione* II. *in curia sancte Marie Vangathitie*, quam ex autographo ejusdem monasterii publici juris facimus in Appendice.

Ann. Chr. 1170.

XXXVI. Epistolæ Alexandri III. super monasterio Sextense, & super cadavere Tancredi comitis.

Ex Benevento Verulas in Campania se transtulerat hoc anno Alexander Rom. pont. ut sermones conferret, tractatusque concordiæ haberet cum Everardo episcopo Bambergensi legato imperatoris Friderici. Ex ea urbe hoc vel ad summum sequenti anno rursus alias literas dedit XVII. *kal. aprilis* canonicis Pisanis, irritans, & declarans nullas quascumque venditiones & infeudationes factas ab intruso abbate Sextensi, & mandavit, ut ipsi monerent parochianos suos, quatenus infra quadraginta dies post literarum susceptionem res acceptas ab illegitimo abbate liberas & absolutas monasterio præfato dimitterent; aliter excommunicationis sententiam in detentores injustos proferrent.

Anteriori mense v. nempe *kalendas martii* ex eadem urbe V.. archipresbytero & iisdem canonicis Pisanis aliam epistolam scripserat idem Alexander gratias ipsis agens, quod Gualandum notarium apostolicum in canonicum ecclesiæ Pisanæ cooptassent; id quod didicerat ex altero Gualando subdiacono & a P.. Præterea notum fecit se commisisse archiepiscopo Pisano, Villano utique legitimo præsuli, causæ cognitionem, quæ vertebat inter eosdem Pisanos canonicos & inter abbatem ac monachos monasterii sancti Savini super cadavere comitis Tancredi; cui archiepiscopo mandaverat, ut nisi Tancerdus comes sepulturam suam elegisset apud idem monasterium, & si alias cadaver præfatum pertineret ad ecclesiam Pisanam, observari faceret pontificium interdictum, maxime si hoc fuisset attentatum post appellationem, quousque canonicis cadaver prædicti comitis restitueretur. An Tancredus comes est ille, qui memoratur in chronicis Pisanis ad annum 1169. more Pisano, quique appellatur vicecomes & traditor castri Agnani ex dominio Pisanorum ad dominium Lucensium? Illud scimus causam ab archiepiscopo Pisano judicatam fuisse in favorem monachorum sancti Savini, in quorum ecclesia adhuc extat sepulcrale monumentum ejusdem Tancredi comitis; licet eo lapide usi fuerint artifices tempore reædificationis præfatæ ecclesiæ ad reaptandum parietem extrinsecum. En inscriptio lapidi apposita.

QVOS. TENEANT. ISTI. LAPIDES. COGNOSCITE. CVNCTI
HVIVS. NEMPE. DOMVS. ABBAS. PIETATE. PROBATVS
HOC. SVB. PALLENTI. MARTINVS. DORMIT. HVMATVS
AC. COMES. ILLVSTRIS. TANCREDVS. VOCE. VOCATVS
SVB. NIVEO. LATITAT. MILES. BONVS. ET. DECORATVS
AVXILIVM. DONENT. QVI . . . .

Martinus abbas *pietate probatus*, qui nominatur in hac inscriptione, fuit abbas sancti Savini post Guidonem, ut vidimus ad annum 1129. cujus etiam monumenta supersunt in chartulario archiepiscopatus Pisani sub numm. 326. & 333. ad annos 1137. & 1139. & etiam ad annum 1159. sub num. 272. quo postremo anno una cum Villano archiepiscopo Pisano fuit executor testamenti Norberti medici filii Alberti Rotti. Is præsenti anno jam obierat, & successorem habuisse videtur Ubaldum, cujus mentio fit sub anno M. C. LXXXI. *indictione* XIV. *quarto idus martii* in

eodem

eodem tabulario [a] in charta venditionis de quadam terra, quam ipse fecit Ardoino filio Ildebrandi cum consensu Hieronymi prioris, Ildebrandi camerarii, Lucæ cancellarii &c.

ANN. CHR. 1170.

a Num. 467.

XXXVII. Chartæ Adelmenses & Sanvictorianæ.

b Zibald. 100. pag. 70.

In amplissimis collectionibus MSS. Ferdinandi Melioris [b], ex tabulario conventus sancti Spiritus de Florentia, sub *anno* M. C. LXX. more tamen Florentino, hoc est initiis anni sequentis, *indictione* IV. *mense martio* reperiuntur cuidam sententiæ inter abbatiam sanctæ Mariæ de Adelmo territorii Volaterrani, & inter ecclesiam sancti Angeli de Certaldo subscripsisse Ildebrandinus presbyter & canonicus ecclesiæ sancti Angeli cum aliis canonicis; ex Camaldulensibus autem Albertus abbas sancti Petri de Monte-muro, Benedictus abbas sancti Petri de Cerreto, Ozias prior sancti Salvatoris de Camaldulo Florentino, Ildebrandus prior generalis congregationis Camaldulensis, Azzo abbas monasterii sanctorum Justi & Clementis de Volaterris, & Rodulphus monachus quondam prior Camaldulensis.

Hoc eodem *anno* M. C. LXX. *regnante Frederico imperatore mense september indictione* IV. comites Munaldus & Rugerius filii Ugitionis comitis refutarunt monasterio sancti Victoris & Perfecto ejusdem loci abbati aliquot terras, recepto pretio sexaginta librarum Lucensium in curia filiorum comitis Actonis, & *in* curia Zaupoli judicis Eugubinensis. Chartam edimus ex apographo tabularii de Fabriano.

XXXVIII. Ecclesiæ donatæ a Sophia comitissa monasterio Fullinæ.

Monasterium sanctæ Mariæ de Fullina in valle Mareni regebat præsenti anno Petrus suffectus in locum Stephani. Ipsi ejusque ecclesiæ *anno millesimo centesimo septuagesimo indictione* III. *regnante domino Frederico Dei gratia imperatore augusto Deo propitio hic in Italia anno primo* XIV. *kal. julii* Sophia comitissa uxor Guecellonis de Camino comitis obtulit plura bona, pluresque ecclesias, quarum nomina hæc sunt: Ecclesia sanctæ Margaritæ de Serravalle, ecclesia sanctæ Mariæ de Lacu, ecclesia sanctæ Justinæ de Zumellis, ecclesia sancti Petri de Mareno, ecclesia sancti Titiani de Faravo, ecclesia sancti Salvatoris de Colfusco, alia ecclesia sanctæ Margaritæ, & ecclesia sanctorum Nicolai, Viti & Martini de Fonto cum suis possessionibus, ad hoc ut abbates Fullinates jus in ipsas haberent, ipsasque in perpetuum regere valerent. Confirmavit donationem Sophiæ Oldericus patriarcha Aquilejensis, testesque fuerunt hujus oblationis Sigefridus episcopus Cenetensis, Conradus episcopus Petenensis aliique canonici Aquilejenses & Cenetenses, ac plebani, quorum aliqui subscripsere. Irrepsit mendum in authenticum exemplum hujus donationis asservatum in chartario ejusdem monasterii, confectum a duobus notariis *anno* M. CCC. XXI. *indictione* IV. de mandato Francisci comitis & episcopi Cenetensis, quoad annos Frederici imperatoris, qui hoc anno mense augusto regni XIX. imperii autem XVI. numerabat annos. In altera apographa pagina *anni* M. CC. XCI. *indictione* IV. exarata auctoritate Petri Cenetensis episcopi & comitis, quæ continet quasdam testificationes factas *anno* M. C. LXXIX. *indictione* XII. legitur, „ presbyterum Johannem eo „ anno asseruisse suo sacramento se præsentem fuisse, quando comitissa „ Sophia refutavit in manus abbatis Petri capellam de Sarravalle, & capellam de Lago, & capellam de Zumelle, & capellam de Mareno, „ & capellam de Longano, & capellam de Colfusco atque capellam de „ Fonto pro anima sua & pro remedio omnium suorum parentum, & „ sicut jamdicta comitissa habebat & tenebat prædictas capellas, ita dedit eas præfato monasterio de Fullina, ita ut abbas ejusdem monasterii poneret & auferret presbyteros in dictis capellis, & hoc fuit ad „ Mare-

ANN. CHR. 1170.

„ Marenum, parum antequam obiret de hoc feculo. " Verum de obitu Sophiæ dicemus poſt quinquennium ad annum 1175. quo contigit. Idipſum confirmarunt alii teſtes, presbyter Johannes, & presbyter ac monachus Richardus.

Eccleſia ſanctæ Margaritæ de Serra-valle, quæ prima nominatur in donatione Sophiæ, ſita eſt in arce, ubi modo commoratur prætor Serravallis; eccleſia ſanctæ Mariæ de Lacu tribus milliaribus abeſt a Serra-valle ſub archipresbyteratu Tartii: eccleſia ſanctæ Juſtinæ de Zumellis facile eſt, quæ nunc temporis appellatur de Trecliano in comitatu Zumellarum, quem vocant vulgo *Mel;* eccleſia ſancti Salvatoris de Colſuſco erat prope caſtrum ſancti Salvatoris de Colle-alto; eccleſia ſancti Petri de Mareno milliario abeſt a monaſterio ſanctæ Mariæ de Fullina, erecta modo in parœcialem; eccleſia ſancti Titiani de Faravo, vulgo *Farò*, diſtat ab eodem cœnobio tribus milliaribus; capella demum ſancti Nicolai & ſanctorum Viti & Martini de Fonte extat in diœceſi Tarviſina non longe ab Aſylo, quæ poſtrema eccleſia collata legitur anno 1255. & anno 1292. ab abbate Sanæ-vallis de Fullina. In pagina anni 1366. dicitur: „ Inſtitutio & deſtitutio præfati beneficii de Fonte ex antiqua & „ præſcripta conſuetudine pertinet ad abbatiam Fullinæ. " & in alia anni 1292. „ Magnanus plebanus ſancti Petri de Fonte ipſas refutavit ab„ bati de Fullina, aſſerens ſeſe intromiſiſſe, & uſurpaſſe in eas jus igno„ ranter; quod tamen beneficium ipſi collatum fuit coram Leonardo ab„ bate Fullinate, præſentante & obſecrante Tiſone de Campo-ſancti-Pe„ tri patrono dictarum eccleſiarum. " Demum eccleſia ſanctæ Margaritæ non expreſſa in prima charta corroſa, ſed in alia anni 1179. appellata de Longano, erat in diœceſi Bellunenſi, cujus eccleſiæ tertia pars ſpectabat ad abbatiam Fullinæ, ut ex charta autographa anni 1215. Filialis, ut dicunt, nunc eſt, & ſubjecta archipresbyterali eccleſiæ Sedici. Oldericus, ſive Voldericus aut Uldaricus ſeu Ulricus patriarcha Aquilejenſis eam eccleſiam regebat ab anno 1162. Peregrino ſuffectus. Ughellius [a] primam mentionem Sigifredi epiſcopi Cenetenſis haberi aſſerit ad annum 1174. in chronico ſancti Salvatoris Venetiarum, ſed ex noſtra pagina ſaltem quinquennio præveniendum eſt tempus ejus præſulatus. Conradus autem Petenenſis epiſcopus ipſi omnino eſt ignotus, qui locandus eſt ante Peponem ſeu Poponem epiſcopum, qui interfuit anno 1180. concordiæ inter abbatem Moſacenſem & Adelmotam de Divvino; immo locandus eſt ante Fredericum alterum Petenenſem epiſcopum ab Ughellio haudquaquam memoratum, de quo monumenta proferemus ad annos 1174. & 1176. Comes autem Wecello vir Sophiæ erat ex nobiliſſima familia dominorum de Camino, qui jus dicebant in Valle Mareni, ubi fundatum erat monaſterium ſanctæ Mariæ de Fullina, & proceſſu temporis dominium ſuum extenderunt in urbes Cenetenſem, Bellunenſem, Feltrenſem, in Cadurbium & in maximam partem territorii Tarviſini. Quod autem Sophia uxor eſſet Wecellonis liquet [b] ex pagina ejuſdem tabularii anni antecedentis M. C. LXIX. *indictione ſecunda* VII. *die intrante menſe decembri, qua Serravallus, ex juſſu comitiſſe Sophie & Vecellonis de Camino jugales, accepto pretio quatuor librarum Veronenſium inveſtivit Ubertinum & Luſcum fratres de duabus petiis terre ad rectum feudum ſine fidelitate & ſine homatico. Actum in Serravallo* &c. *in domo comitiſſe Sophie. Ego Savariſius ſacri palatii notarius* &c.

Hoc anno [c] *ſexto kalendas octobris indictione* III. Richelda amplam donationem fecit Scholaſticæ abbatiſſæ parthenonis ſanctæ Chriſtinæ Septemfontium

a T. V. col. 181.

b Num. 424.

c Capſ. I. 15.

fontium de omnibus, quæ ad ipsam pertinebant ab antiquo, sive in castro, sive in curia plebatus sancti Auxiani, in Monte-longo, in Monte-aurio, in curia & in castro plebatus Sabri, exceptis servis suis, ut legitur in tabulario ejusdem monasterii. Scholasticæ nomen primum legitur ad annum 1163. post Adalasiam abbatissam, & perseverat usque ad annum 1180. & facile etiam ad annum 1184.

Ann. Chr. 1170.

Ann. Chr. 1171.

XXXIX. Hospitale de Petia datum monasterio Prataliæ.

ILDEBRANDINUS filius quondam Trastasse & Spinellus Munaldi, Ugo, Rainerius, & Guelfolinus germani filii quondam Guelfi, & Guideramus filius olim Bernardini donarunt hoc *anno* M. C. LXXI. *Friderico imperante anno imperii ejus* XVI. *undecima die aprilis indictione* IV. Deo & monasterio sanctæ Mariæ de Pratalia, *in quo Deo protegente domni Ugonis in vice prioris Camaldulensis ibi Deo regere & servire videtur*, hospitale positum in loco dicto Petia, quod ædificaverat quidam Vernatio, qui tunc custos & rector erat ejusdem hospitalis, una cum omnibus possessionibus suis. *Actum Banzena juxta ecclesiam sancti Donati*. Hospitale hocce erat situm in curia Banzenæ, cum donatores ad calcem paginæ, ubi se subscribunt, *Banzinenses* appellentur. Prataliensis vero monasterii regimen habebant priores Camaldulenses, qui præsidem ibidem statuebant, qui eorum nomine cœnobium regeret sub titulo abbatis vel prioris.

XL. Paginæ San-victorianæ, Valle-castrenses & Senenses.

PERFECTUS abbas sancti Victoris consensu suorum monachorum omnia, quæ fuerunt Ugolini comitis, renovavit Transmundo, Monaldo, Raynaldo & Rugerio comitibus germanis fratribus filiis Uguccionis comitis, idest castrum Plarosariæ, concedendo eisdem sextam illius partem cum castellis & ecclesiis, ac bonis in ipso castro positis. Renovationis chartam edimus ex tabulario sancti Blasii de Fabriano; superiorem autem donationis ex archivo Fontis-boni; ex tertia charta Pisana, Henricus quondam Ranuccini cum uxore Berta tradidit Martino hospitalario sancti Frigdiani terras positas in Fasciano prope ecclesiam sancti Stephani.

Eleutherius plebanus sanctæ Mariæ de Lucolle dedit Vivulo de Durello aliquot bona ecclesiæ suæ positæ in comitatu Senogálliæ *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo primo mense madius indictione* XIV. *tempore Friderici imperatoris*. Præsenti anno indictio erat IV. quare vel mutandus annus & legendus annus 1181. quo revera indictio XIV. recurrebat, vel retento anno 1171. mutanda indictio ex XIV. in IV. Ecclesia sanctæ Mariæ de Colle unita postea fuit prius monasterio sancti Victoris de Clusis, inde alteri Vallis de Castro, ex cujus archivo existente nunc ad divum Blasium urbis Fabriani chartam proferimus. In ea nominantur *denarii Fortiatorum*.

Ob pacem firmatam inter Faventinos & Bononienses opera Guillelmi Marchesellæ, ædificatam fuisse hoc anno ecclesiam sanctæ Mariæ de Pace scribit Tonduccius [a]. Extat hæc ecclesia quatuor milliaribus ab urbe Faventina prope castrum Bononiense, tributa postea monasterio nostro sancti Johannis-baptistæ de Faventia anno 1503. ab hominibus ejusdem Bononiensis castri.

a *Pag.* 209.

Peponi abbati sancti Petri in Campo successisse Johannem, docet nos charta hujus anni, quam publici juris fecimus ex codice cancellariæ Montis-politianensis in dissertatione de *Veteribus conversis* [b].

b *T. I. Append. col.* 395.

XLI. Privilegium Alexandri III. pro ecc. S. Salvatoris de Fracta.

ALEXANDER III. Ippolyto priori ecclesiæ sancti Salvatoris de Fracta in comitatu Patavino privilegium concessit, quo sub beati Petri protectione præfatam ecclesiam suscepit cum omnibus bonis ad ipsam eccle-

ANN. CHR. 1171. siam pertinentibus; subscripserunt post ipsum undecim S. R. E. cardinales. Privilegium autem, quod edimus ex veteribus exemplis monasterii Carcerum, datum fuit *Tusculani per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii idibus martii indictione* IV. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXI. *pontificatus vero domini Alexandri pape* III. *anno* XIII. De ea ecclesia consulantur, quæ diximus ad annum 1100.


ANN. CHR. 1172. XLII. De Conrado abbate Vangaticiense.

GERARDUS Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus Conrado abbati monasterii sanctæ Mariæ in Vangaticia, tribusque ipsius successoribus abbatibus libellum emphyteusis scripsit de bonis positis in territorio Gavellensi, quæ ad jus pertinebant Ravennatis ecclesiæ. Vidimus & exscripsimus ex tabulario archiepiscopatus ejus ecclesiæ veteres libellos eorumdem bonorum confectos pro aliis emphyteutis a Friderico & a Gualterio olim Ravennatibus archiepiscopis initio seculi antecedentis, & præsenti seculo. Gerardi libellus scriptus est: *Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo secundo, die quartodecimo mensis februarii indictione quinta Ferrarie apud ecclesiam sancte Marie de Vado*; hanc ecclesiam de Vado hoc eodem anno præfatus archiepiscopus incolendam dederat canonicis Portuensibus Ravennatibus. Etiam ex hac tabularii archiepiscopalis Ravennatis pagina, quam edimus, innotescit Conradum statuendum esse abbatem monasterii Vangaticiensis inter Litaldum & Isaac, cujus postremi tamen electio ad annum sequentem saltem ante mensem martium est referenda. Alia locationis charta habetur in Vangaticiensi archivo, qua Conradus abbas *anno* M. C. LXXI. *indictione* IV. *in ecclesia sancti Martini in Venezze, die jovis, qui fuit septimus dies exeuntis mensis junii*, aliquot bona sui monasterii tradidit. Quare tertia pagina, quam legimus in eodem Vangaticiensi tabulario, edita etiam a Muratorio in Antiquitatibus Estensibus [a], signata *anno millesimo centesimo septuagesimo, tempore Alexandri pape & Federici imperatoris die tertia intrante mense aprilis*, qua „ Isaac abbas dicti monasterii investituram feudi fecit Alberto & „ Obizzoni marchionibus Estensibus de possessionibus & juribus, quæ us„ que tunc parentes eorum tenuerant a dicto monasterio in feudum in „ comitatibus Gavellensi, Ferrariensi, Montisilicano, in diversis aliis lo„ cis & etiam in Pollicinio, & dicti marchiones propterea fidelitatem „ juraverunt, " emendanda est, & assignanda ad sequentem annum, quo primum apparet nomen Isaac abbatis Vangaticiensis. Conradus itaque medius est locandus inter Litaldum post annum 1163. signatum Litaldi nomine, & inter Isaac anno sequenti annotatum.

a P. I. pag. 365.

Ex alia pagina archivi monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum eruitur abbatem cœnobii sancti Zenonis ejusdem urbis hoc *anno* M. C. LXXIII. stilo Pisano, *pridie idus novembris indictione quinta*, hoc est anno præsenti Romano, fuisse Ildebrandum, cui locum fecerat Ubertus nominatus ad annum 1152.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-SECUNDUS.

Ab anno CHRISTI M. C. LXXIII. *ad annum* M. C. LXXVII.



ONTRA falsos rumores, qui in populo Ravennate circa hæc tempora magis magisque invaluerant, asportatum fuisse jam ab ævo Johannis VIII. archiepiscopi Ravennatis ex basilica Classensi ad illam sancti Martini in Cœlo-aureo intra urbem Ravennam, appellatam subinde sancti Apollinaris-novi, corpus sancti Apollinaris martyris & primi Ravennæ antistitis, apostolica sedes præsenti anno millesimo-centesimo-septuagesimo-tertio sollemni decisione comprobavit existentiam ejusdem venerandi corporis in sua veteri basilica Classensi. Historiam inventionis, & hujusmodi declarationis scripsit auctor anonymus, qui tunc vivebat; & Muratorii sententia fuit noster Rodulphus, idem, qui post regiminis Camaldulensis abdicationem vitam tunc privatam agebat in eremo, de quo monumenta supersunt ad annos 1167. 1169. 1170. quibus appellatur *monachus*, vel *olim prior*, denuoque anno 1180. congregationis Camaldulensis fuit generalis præses, factus deinde episcopus Anconitanus, *doctor* quoque *eximius* dictus; extatque hæc elucubratio in Spicilegio Ravennatis historiæ ab eodem Muratorio publici juris factæ inter scriptores rerum Italicarum [a]. Totam itaque rei seriem a nullo melius quam ab oculato teste, qualis fuit Rodulphus, addiscere possumus, cujus proinde verba in nostros Annales derivamus. Cetera omittimus, quæ ad veterem litem pertinent, de quibus fusissime egimus ad annum 927. Animadvertimus tamen aliquando ecclesiam sancti Martini in Cœlo-aureo seculis decimo & undecimo appellatam fuisse in publicis documentis ecclesiam sancti Martini; aliquando, sed frequentius sancti Apollinaris-novi. Ex tabulario insignis monasterii sancti Pauli de Urbe transmisit humanissime ad nos Cl. Vir & doctissimus ejus loci abbas Johannes-ludovicus Luchius has paginas: *Anno Johannis pape tertio regnantibus Berengario & Adelberto ejus filio anno nono Andreas religiosus subdiaconus sancte Ravennatis ecclesie & deserviens basilice sancti Apolenaris novi concedit in emphyteusim* res

ANN. CHR. 1173.
I.
Falsi rumores de corpore S. Apollinaris translato ex Classe in urbem Ravennæ.

a T. I. P. II. pag. 536.

ANN. CHR. 1173.

res in fundis Glaudiano & Cisianello &c. Imperante patre & filio (hoc est duobus Ottonibus) Petrus dux & comes filius quondam Severi comitis donat sancte & intemerate ecclesie beati Apolenaris novi &c. Anno Benedicti pape quinto, Ottonis in Italia XI. Andreas abbas sancti Apolenaris novi &c. Ubertus reverentissimus subdiaconus sancte Ravennatis ecclesie, filius Urardi comes & abbas monasterii sancte Marie, que vocatur Aregianicus, anno Benedicti pape undecimo, Ottonis imperatoris in Italia XVI. die VI. augusti indictione XI. concedit Andree diacono & monacho atque abbati sancti Apolenaris novi &c. Sergius gratia Dei archidiaconus sancte Ravennatis ecclesie & abbas monasterii sancti Martini, qui vocatur in Palacio, anno Benedicti pape quarto, Erici in Italia tertio die IV. februarii indictione XV. &c. Anno M. C. XXVII. septima januarii indictione VI. Gualterius archiepiscopus Ravennas judicat abbati sancti Apollinaris novi contra abbatem sancti Apollinaris in Classe totum tenementum &c. in fundo Flixano & in fundo Quinque-tabernula. Semel nimirum impositum ecclesiæ sancti Martini nomen novum sancti Apollinaris perduravit, licet non omnes, & præsertim Gualterius archiepiscopus ejus forent sententiæ.

Sed ea ex Rodulpho prosequamur, quæ recentiora sunt, & proxime ad præsens seculum spectant. *In ala*, inquit, *Classensis ecclesiæ beatæ Feliculæ venerabile corpus, jubente sancto Gregorio papa, collocatum est, in quadam videlicet basilica, brevi quidem, sed decoro ambitu fabricata, cui etiam prædia non modica deputata sunt. Hanc cum quidam de cardinalibus Ravennensis ecclesiæ a monasterio suscepisset, unde humiliari debuerat, cœpit intumescere. Nam sub hac occasione ipsum monasterium tyrrannica dominatione premebat. Unde factum est, ut per industriam ejusdem abbatis ab hujus dominatu cardinalis ille cum innumera.... pelleretur. Expulsus itaque vehementer æstuabat, qualiter suum furorem in ruinam ipsius monasterii extingueret. Studuit igitur per populos rumorem spargere, sacrum corpus de Classensi loco translatum esse*; novam scilicet recudendo fabellam, quæ videbatur superioribus temporibus satis sopita, Romualdi præsertim visione & testimonio, ut asserit sanctus Petrus Damiani, & ineluctabilibus monumentis, quæ producta fuerant eatenus a Classensibus monachis. *Quod mendacium non distulit omnipotens Deus ulcisci, misericorditer adhibens temporalem severitatem, ne juste inferret etiam æternam. Siquidem elephantiæ morbo illico cardinalis ille percussus est justo judicio Dei, ut qui de corpore beati Apollinaris falsitatis maculam sparserat, in suo etiam corpore maculosus appareret. Mox vero ad se reversus suum correxit errorem, ut quod simplici sermone protulerat, juratoria protestatione negaret, asserens se in consilio multorum fuisse mentitum. Factus est ergo prædicator veritatis, qui falsitatis fuerat assertor, & cum se Deo & beato Apollinari vovisset, & monasticæ conversationis in Classensi monasterio spopondisset obsequium, continuo liberatus est, & in eadem Classensi ecclesia religiose vixit, & migravit ad Dominum.*

Accesserunt etiam monachorum sancti Apollinaris-novi tentamina, ut prætensionem suam firmarent de translato olim ad eorum basilicam per Johannem VIII. corpore sancti martyris Apollinaris. Quid per hos postremos annos moliti fuerint, enarrare pergit supradictus auctor. *Cum ergo*, inquit, *monachi præfati monasterii sancti Apollinaris novi figmenta suæ machinationis vellent pro argumento producere veritatis, ausi sunt locum quemdam infra dictum cœnobium clanculo & quasi furtive infringere, & corpora, quæ illic latebant, quadam temeritate detegere. Et ut facilius possent suæ cupiditatis adimplere propositum, domnum Gerardum Ravenna-*

tum archiepiscopum (is ob decessum Guidonis antistitis eam cathedram electus ascenderat anno 1171.) *adeuntes, quæ invenerant, notificare cœperunt, & importunis precibus ac suasionibus blandis aures illius inclinare. Ipse vero quamquam mira sapientia & honestate præditus esset, citius forte quam deceret, se accommodavit, & auditum inclinavit, assensum etiam impendit. Quo id zelo fecerit nescimus. Unum tantum scimus, quod tunc tantum temporis ecclesiam Classensem obliquo sidere, quamquam non manifesta occasione, respiciebat. Accedens itaque ad monasterium sancti Apollinaris novi, quod factum erat, publice prædicavit, & approbavit in populo, Classensis abbatiæ monachis constantissime prohibentibus, & apostolicam sollemniter appellantibus sedem, ne de corpore beati Apollinaris tam nova, tam falsa sententia teneretur.* ANN. CHR. 1173.

II. Delegatio apostolica pro determinanda existentia prædicti corporis in Classe.

RE enim vera apostolicæ veritatis judicium interpellavere Classenses cœnobitæ pro asserenda numquam interrupta existentia corporis sancti Apollinaris in eorum basilica. Sed auctorem eumdem audiamus. *Quo audito dominus papa Alexander, cujus virtus & sapientia in camino schismaticæ persecutionis tamquam aurum in fornace probata, cujus maturitas & industria huic operi non sine cœlesti providentia servata est, graviter doluit, tum pro enervata sedis apostolicæ oppositione, tum pro auctoritate præfati pontificis tantæ levitati tam velociter inclinata. Et convocatis apostolicæ curiæ senatoribus, factaque deliberatione, auditæ temeritatis cassavit audaciam, reprobavit figmenta, damnavit errores. Scripsit itaque Ravennati archiepiscopo, & de pontificali maturitate minus servata hunc, prout decuit, increpavit, præcepitque, ut præfatis corporibus in loco proprio reconditis, accensos in populo rumores extingueret, & de corpore sacro beati Apollinaris non aliter permitteret teneri, quam per millenos annos fuerat approbatum. Sed ne forte contingeret id neglectum iri, scripsit domno Ildebrando cardinali legationis officio in eisdem partibus fungenti, qui cognominatur Crassus, non tam pro pinguedine corporis, quam pro ubertate honestatis & sapientiæ, ut episcoporum & abbatum, aliorumque fidelium copiosa convocata multitudine calumniantium illicitos compesceret ausus, & de corpore beati Apollinaris antiquam mutari sententiam sub apostolica excommunicatione vetaret. Quod si aliter fieri non posset, sacrum corpus in conspectu plebis invenire curaret, inventum publice demonstraret. Accidit autem eodem tempore, ut domnus Theodinus vir magnificæ virtutis & industriæ de Gallicanis regionibus, ubi apostolica vice functus fuerat, reverteretur, qui prædicto patri vere opportunus collega sociatus est. Quod non sine divina constat factum esse providentia, ut dum tantorum patrum geminaretur auctoritas, maturior fieret in eodem facto celebritas.* Ildebrandus erat presbyter cardinalis tituli basilicæ XII. apostolorum, Bononiensis communiter dicitur, & ex nobili Crassorum familia, licet, ut mox vidimus, Rodulphus hoc ei potius cognomentum fuisse ob corporis obæsitatem scribat. Theodinus autem monachus & presbyter erat cardinalis sancti Vitalis tituli Vestinæ, & recens ex Galliis vel potius ex Anglia & ex apostolica legatione venerat, atque una cum eodem Hildebrando *die mercurii sexto idus octobris* hujus anni Mutinæ interfuerat ex mandato ejusdem Romani pontificis Alexandri conventui consulum plurium urbium Italicarum pro firmanda societate & fœdere Lombardiæ; quam conventionis paginam ex codice Bononiensi profert laudatus Muratorius in Antiquitatibus medii ævi [a]. An & ipsi cardinali Theodino demandata tunc fuerit ab apostolica sede causæ hujus cognitio, vel præsens tantummodo fuerit inquisitioni sacri corporis & Ildebrandi judicio, omnino non liquet,

a T. IV. col. 271.

Ann. Chr. 1173.

liquet, & Rodulphus scriptor in ancipiti nos relinquit; scribit enim Theodinum „ opportunum sociatum fuisse collegam Ildebrando; convenisse in „ unum sanctæ Romanæ ecclesiæ legatos; utrumque cardinalem dedisse li„ centiam impetratam ab Apostolico revelandi locum sepulcri beati A„ pollinaris; ipsos præcepisse defossionem loci, inspectionem sacrorum pigno„ rum, & laminarum lectionem, ambos statuisse anniversariam diem in„ ventionis festivam peragendam; Willelmum abbatem Classensem adiisse „ utrumque cardinalem, ut Ravennam se conferrent pro sacro corpore „ inquirendo &c.“ Liquet tamen præcipuam in eo negotio fuisse Ildebrandi partem, & in ipsius Ildebrandi sententia, ac in monumentis lapideis solam Theodini cardinalis præsentiam memorari.

Convenientibus itaque in unum sanctæ Romanæ ecclesiæ legatis cum venerabili archiepiscopo Ravennæ apud Classense cœnobium, cum suffraganeis & cardinalibus suis, tanta illic multitudo cleri populique subito confluxit, ut incredibile putaretur auditui, nisi oculorum id comprobasset aspectus. Interfuit etiam domnus Ildebrandus Camaldulensis congregationis probabilis vitæ gubernator, ad cujus dispensationem & providentiam idem quoque monasterium spectat, cum venerabili abbatum & monachorum caterva, cum quo & quidam singularis constantiæ monachus & eremita ductus est, nomine Johannes, de cujus sinceritate tantum præsumebatur, ut ei potissimum sacra membra contrectare liceret. Erat enim canitie venerabilis, sobrietate abstemius, innocentia mitis, vultu venerabilis, ut ad ejus aspectum catervatim concurrerent universi. Stabilito igitur consilio requirendi, quæsitum a patribus est, si quis esset, qui hujus secreti aliquam haberet notitiam. Inventi sunt duo bonæ opinionis fratres, qui dicerent, sibi hoc sub juratoria cautione commissum esse arcanum, ut sine apostolicæ auctoritatis jussione nullis revelaretur. Data ergo a cardinalibus licentia, quæ ab ipso quoque Apostolico fuerat impetrata, per Johannem Ravennatem civem miræ industriæ virum, pretiosum thesaurum sub majori ejusdem ecclesiæ altari præfati fratres declaraverunt esse reconditum. Sed & omnium patrum, qui aderant circa eumdem locum, suspensa erat æstimatio. Aderant autem inter agmina fidelium etiam plerique adversantium, qui explorandæ veritati objicere summopere parabant. Exacuerunt enim, ut gladium linguas suas, intendentes arcum rem amaram, ut sagittarent in occultis immaculatum. Iis ergo data est scrutandi licentia, ne qua illis remaneret occasio suspicandi sinistrum.

III. Inventio ejusdem sancti corporis in basilica Classensi.

Accedentes *igitur ad locum, tanto scrutinio cœperunt exquirere, ut nec aliqua ibi possent reptilia latere. Et quum penitus nihil artificiosæ calliditatis invenissent, defecerunt scrutantes scrutinio, unde obmutescere compulsa sunt ora eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Factum est ergo per providentiam Dei, ut non minus livore persequentium, quam diligentium favore declarandæ veritati præstaretur obsequium. Sic nimirum Herodiana persecutio Innocentibus parvulis plus profuit odio, quam prodesse potuerit obsequio. Adscitis itaque fossoribus injuncta est cura fodiendi, sub cautissima videlicet diligentia. Erat enim non parva formido, ne tam venerabile altare, quod a beato Maximiano, aliisque sanctis patribus consecratum fuerat, in cujus anniversaria dedicatione sollemnis annorum statuta est Indulgentia, contingeret violari; sed per miraculum Dei illæsum permansit: Quum igitur usque biduum foderetur, ventum est ad locum, ubi duo reperta sunt sepulcra. In uno quidem, quod inferius videbatur, non dubium erat sanctorum martyrum Abdon & Sennen corpora requiescere. In ipso autem, quod eminebat, spes & fiducia erat quæsitum inveniendi thesaurum. Accersito itaque Johanne præfato eremita Camaldulensi, cui hæc licentia concessa*

cessa erat, hic, quum visione præstaret, aperto sepulcro cœpit introspicere, & sive virtute divina, sive propria trepidatione, ita territus est & stupefactus, ut velut in extasi positus videretur. Admonitus autem a venerandis cardinalibus, iterum introspiciens, videt, credit, agnoscit mirabilia Dei, tam per eximium candorem sacrati corporis, quam per suavitatem miri odoris, omnium aromatum fragrantiam superantis, qui cunctorum nares ita perfudit, ut omnes renovati, omnes refecti, omnesque lætificati apparerent. Et quum extendisset manum ad caput ejus, laminam invenit, argentea quidem materia, sed argento & auro pretiosiora continentem. Siquidem hujusmodi scriptum repræsentabat. Ann. Chr. 1173.

HIC. REQVIESCIT. CORPVS

BEATISSIMI. APOLENARIS

PONTIFICIS. ET. MARTYRIS. ET. EPI

QVOD. HIC. DEEST

IN. EADEM. ECCLESIA

PP. MAGNA. CAVTELAM OPIFI

REPOSITVM. EST.

Rubeus [a] ita legit: *Hic requiescit sacratissimum corpus beatissimi Apollinaris martyris & sacerdotis Christi. Quod vero hic deest, in hac eadem ecclesia maxima cautela reconditum est.* Eademque verba affert ex Rubeo Fabrius [b].

a Lib. V. pag. 241.

b Mem. Sagr. pag. 109.

His completis & cognitis clamor populi attollitur, signa pulsantur, gaudium cunctorum lacrymis & vocibus declaratur. Mox egregie sapiens Ildebrandus cardinalis, cui præcipue commissa est ista legatio, tribunal ascendit, & adstanti populo patefactam veritatem prædicavit & docuit, atque sub apostolico anathemate prohibuit, aliud de cetero credi vel teneri, quam quod in præsentiarum fuerat mirabiliter declaratum. Iterum archiepiscopus Missarum sollemnia celebrat, & quum pervenisset ad locum prædicandi, quod inventum fuerat, uberi affabilitate commendat, suamque ignorantiam, pro eo, quod aliter prædicaret, eleganter excusat. Nemo etenim tam profundæ sapientiæ, tam circumspectæ cautelæ, qui subreptitiis verbis falli vel fallere non possit.

Fallere vel falli modico discrimine distant,
Quæ duo prudentes simili conamine vitant.

Omnium tamen habere memoriam, & in nullo peccare, non humanitatis, sed divinitatis esse probatur. Interea calumniatores insibilare cœperunt, dicentes unam laminam ad testimonium tantum non sufficere, quum in ejus historia tribus laminis ipsius opera scripta legantur. Hinc etiam & plebs universa tumultuabatur dicens, se adhuc quodam scrupulo moveri, nisi ostendatur oculis, quod auribus fuerat intimatum. Certior enim in visu habetur notitia, expressius argumentum, experientia verior. Quo audito pontifices graviter æstuant. Verebantur enim tam sacrata membra contingere, & de loco, ubi tam decenter locata fuerant, atque per tot annorum spatia quieverant, facili occasione levare, præsertim quum populus docendus sit, non sequendus. Quid plura? non aliud licuit, nisi quod populus Deo inspirante coegit. Inspirasse quidem hæc Deus non immerito creditur, ut per hanc occasionem patefacta veritas validius solidaretur. Nam hujusmodi dubitatio

Ann. Chr. 1173.

bitatio solidandæ fidei certum & incredibile demonstravit argumentum. Sic omnis tarditas Thomæ plus profuit ad fidem Christi, quam discipulorum facilitas; ita dubietas obstrepentium, magis quam favor obsequentium huic notitiæ adstipulatur. Accedens itaque ad locum sæpedictus eremita cunctorum jussione patrum, cum timore & tremore sacra membra contigit, & in quadam capsula decentissime præparata componit. Cui mox craticula quædam ferrea cancellatis virgulis fabrefacta superponitur, ut exinde sacrum corpus & videri possit & tangi non possit. Taliter enim hanc diligentiam præparaverat Willelmus Classensis monasterii abbas (suffectus is fuerat in locum Gualfredi, de quo ad annum 1164.), *cujus maturitas & industria, cujus liberalitas & sapientia licet alias evidenter apparuerat, in his tamen operibus evidentius effulsit. Quum igitur hæc agerentur, duæ in eodem sepulcro inveniuntur argenteæ laminæ, quæ pontificibus porrectæ, quum legerentur, ortum, passionem & transitum beatissimi Apollinaris sub quodam compendio repræsentabant. Nam in prima legebantur ista.*

ORTVS. AB. ANTIOCHIA. BEATVS. APOLENARIS. A. SVMMO. APO STOLORVM. PRINCIPE. RAVENNAM. MISSVS. EST. PRAEDICARE. BA PTISMVM. POENITENTIAE. IN. REMISSIONEM. PECCATORVM. IBIQVE PER. EVM. DOMINVS. VIRTVTES. MVLTAS. OPERATVS. EST. NAM CAECOS. ILLVMINAVIT. PARALYTICOS. CVRAVIT. MVTOS. LOQVI FECIT. DAEMONES. FVGAVIT. MORTVOS. SVSCITAVIT. LEPROSOS MVNDAVIT. SIMVLACRA. ET. IDOLORVM. TEMPLA. DISSOLVIT.

Secunda vero lamina hæc præferebat.

HIC. FVSTIBVS CAESVS. EST. DIVTIVS. SVPER. PRVNAS. STETIT. NVDIS. PEDIBVS. EQVVLEO. APPENSVS. DENVO. VERBERATVS. SVPER. PLAGAS AQVAM. RECEPIT. FERVIDAM. CVM. GRAVI. PONDERE. FERRI. IN. EXI LIVM. RELEGATVS. ORE. SAXO. CONTVSO. DEFVNCTVS. EST. SVB. VESPE SIANO. CAESARE. AVGVSTO. X. KALENDARVM. AVGVSTARVM. REGNAN TE. DOMINO. NOSTRO. IESV. CHRISTO. CVM. PATRE. ET. SPIRITV. SAN CTO. IN. SECVLA. SECVLORVM. AMEN.

Quibus auditis, visis & cognitis fideles unanimiter exultant in Deum vivum, & facta est lætitia magna in populo, tantaque jubilatio sequuta est, ut nec posset ore exprimi, nec corde teneri. Beatus populus, qui scit jubilationem. Nam & qui solebant super iis calumniari, & deridere fideles, fidelium tunc gratulationi videntur applaudere, veritati favere, consentire rationi; & licet nunquam nescit tacere iniquitas, etiam quum hanc cogit obmutescere veritas, tamen contra tantam evidentiam non audebat os aperire, & ...... gloriam beati Apollinaris, & Classensis ecclesiæ laudes æmulatio calumniantium ferre non potuit, auferre nequivit, sed calumniando fecit gloriosiorem. Cui, dum pararet obstaculum, obsequium præstitit. His ita peractis, congregati patres statuerunt hujus inventionis diem per singulos annos celebrari quinto novembris calendas (die nimirum sacra sanctis apostolis Simoni & Judæ) *annuam concedentes indulgentiam omnibus circa hunc terminum usque ad quadragesimum diem cum fructu devotionis Classen-*

Classense monasterium visitantibus. Quorum consilio missa est epistola per adjacentium provinciarum ecclesias, & sub auctoritate apostolica mandatum est fidelibus, ut circa Classensem ecclesiam studeant servare & præstare devotionem, & de corpore beati Apollinaris non aliud credant, quam per tot seculorum spatia fuerat creditum, & in præsentiarum constat evidentissime declaratum. Et qui aliam sententiam tenere præsumpserit, noverit se apostolici anathematis nexibus innodatum, ut ruinæ suæ dolore prosternatur, quisquis apostolicis decretis contempserit obedire. Per omnia benedictus Deus, qui exaltavit filios pauperum & humiliavit calumniatores; qui superbos dispersit & erexit humiles, esurientes implevit bonis & claros dimisit inanes.

ANN. CHR. 1173.

IV. Miracula tempore inventionis secuta.

TUM auctor subdit secuta ea occasione, & deinceps prodigia ad tumulum sancti pontificis & martyris Apollinaris, quæ ad hunc annum pertinent, his verbis: *Circa inventionem sacri corporis beati Apollinaris in Classensi ecclesia per misericordiam Dei, & ipsius eximii patris visitari cœpit locus ipse, coruscare miraculis, illustrari prodigiis, & tantis clarescere signis, ut si cetera probationis deessent indicia, sufficerent testimonia signorum. Horum vero summa & maxima esse probantur, quæ superius prælibata sunt, videlicet miri fragrantia odoris, & admiranda candoris species, quæ in ejus corpore cognita est. Quid enim mirabilius est, quid in hac vita gloriosius, quam inde fragrantiam effluere, unde solet fœtor exalare, & ibi candidam apparere speciem, ubi miseranda consuevit horrere deformitas? Humana quippe natura* &c. Hic diffluit auctor in exaggeranda humanæ naturæ vilitate, quæ libenter omittimus. Tum prosequitur: *Taceamus interim de secretis hujusmodi, quæ non solum loquendi usum, sed etiam facultates cogitandi excedunt, & ad ea, quæ subdenda sunt, festinemus.*

Quum ad inveniendum sacrum corpus fodiendi cura impenderetur, erat quidam de factione insidiantium invidia durus, obstinatione acer, contumacia protervus, qui gravissime deridebat inquirentes, & dum a fidelibus increparetur, sibi taliter est imprecatus. Si hoc, inquit, quod quæritis, vos invenire contigerit, decidam in hoc loco, ut exire non valeam. Quod dictum mox divina ultio sequitur. Nam illico ad terram tam graviter lapsus est, ut pene videretur exanimis. Sicque factum est, ut alienis educeretur manibus, qui propria temeritate intraverat, & divino judicio percussus est, qui fideles præsumserat irridere, ut unius ruina multorum cautela existeret. Quo præmisso statim quoddam cœleste apparuit signum, ut exeunte malitia, innocentia subintraret. Nam columba quædam nive candidior apparuit, & usque ad locum sancti sepulcri tertio volatu processit, tamquam beati viri corpus patenti monstraret indicio. Merito columbæ monstratur indagine, qui columbina vixerat simplicitate, qui fellea caruit amaritudine, qui Spiritus-sancti septiforme charismate fulsit juxta columbinæ naturæ septenarias proprietates.

Quum hæc agerentur, abbas sancti Johannis-evangelistæ (cœnobii ejusdem Ravennatis urbis) *meritis & officio venerabilis, tanto languore gravabatur, ut nulla posset remedia invenire, nulla tranquillitate quiescere. Quum igitur audisset, quæ apud Classim gerebantur, votum fecit Deo & beato Apollinari, quod si de hac molestia per misericordiam ejus convalesceret, ipsius ecclesiam, sanctumque corpus visitaret. Quo proposito confestim somnus, quo diu caruerat, sequitur, somnumque protinus plena sospitas comitatur. Surgens itaque sanus & incolumis ad ecclesiam Classensem festinat, sacrati liberatoris corpus honorat, persolvens Deo vota sua, quæ di-*

Ann. Chr. 1173. *strinxerunt labia sua. Quod miraculum tam evidens fuit, ut latere non possit. Siquidem amplitudo urbis, personarum celebritas, evidentia signa, quod factum est, occultari non permittit.* Placidum abbatem sancti Johannis-evangelistæ de Ravenna nominat Rubeus [a] ad annum antecedentem, cui Gerardus archiepiscopus Ravennas „ ratam habuit tribuitque Padi ripam, „ quæ est in capite Sandali, cui templo sancti Zenonis est nomen, ce„ teraque, quæ ibidem habentur. "

a *Lib. VI. pag. 349.*

Erat in eadem civitate presbyter quidam nomine Petrus, qui ecclesiam sanctorum Simonis & Judæ strenue gubernabat. Hic in monasterio Classensi maximam solebat habere fidem, plenamque devotionem. Sed quum audisset ea, quæ in monasterio sancti Apollinaris novi facta fuerant, a priori loco cœpit fidem avertere, stolidaque pœnitentia a pristino fervore tepescere. Qui statim divina increpatione correctus in lecto decubuit, & tam gravi languore afflictus est, ut de vita desperaret. Audiens autem multitudinem apud Classem congregatam ad sacri corporis præsentiam requirendam, cœpit aliquantulum ad pristinam reclarescere fidem, & ad priorem devotionem paulatim animum revocare. Mox nimium in modum ad incrementa piæ fidei & devotionis sequebantur etiam augmenta salutis. Quum ergo audisset sacrum corpus esse inventum, illico factus incolumis, fide ad integrum reparata surrexit; & accedens ad medicinas, ferreum candelabrum cum denis ramusculis emit, totidemque superpositis cereis ad ecclesiam Classensem devotissime properans, tam solemnem, tam publicam oblationem obtulit, non minus affectu, quam censu, Deo & beato Apollinari acceptam. Sicque contigit, quod non ratio sola, sed etiam vexatio intellectum daret auditui.

Denique illud prætereundum non est, quod quidam artifex de civitate Ravennæ, ætate senex, sed maturitate senior, frequenter enarrare solebat. Referebat enim beatum Apollinarem sibi aliquando apparuisse narrantem ei, quæ passus fuerat, quum a beato Petro Ravennam mitteretur. Ostendebat etiam sibi unam de tibiis vulneratam & scissam, quod in ipso itinere sibi acciderat, quum ab obviantibus diutissime cæderetur. Unde factum est, ut quum sacrum corpus fuisset inventum, in ipsius crure fissura eadem reperta est, ut illius assertionis probatio visionis esset experimentum, quod incredibilibus visum est, quod simplex & mitis vir ille fuisse referebatur. Scimus enim, quia cum simplicibus sermocinatio est Dei, & confabulatio Sanctorum. Alia spectantia ad revelationem corporis beati Apollinaris, cetera quoque prodigia ad ipsius tumulum, & in ejus Classensi basilica vel alibi secuta remittimus ad annum sequentem.

V. Commutatio castrorum inter canonicam Arretinam & eremum Camaldulensem.

Hoc eodem *anno mense augusti indictione* V. (indictio corrigenda in VI. nisi usurpetur annus Pisanus, & si charta non pertineat ad antecedentem annum Romanum 1172.) inter Adanulphum præpositum ecclesiæ sancti Donati Arretii, Rusticum archidiaconum, magistrum Aliottum, Gregorium camerarium, Christophorum & Presbytellum canonicos ejusdem ecclesiæ ex una parte, & inter Ildebrandum priorem Camaldulensem, Rodulphum, Gregorium, & presbyterum Johannem monachos ecclesiæ Camaldulensis ex altera, hujusmodi commutationis libellus scriptus fuit; scilicet præpositus Arretinus dedit castrum de Modiona cum sua curte, prior autem Camaldulensis tradidit integram medietatem castri de Toppole & curtis ejus, & quidquid acquisierat ab abbate sanctæ Floræ in villa de Verrazzano, aut alibi, cum approbatione Hieronymi episcopi Arretini & Arengerii, cum subscriptione canonicorum, & una cum ipsis prioris sancti Ansani. Ex tabulario monasterii Berardingorum Guitto prior erat san-

sancti Ansani ad annos 1163. & 1177. Ad hæc etiam tempora Hieronymum Arretinum episcopum supervixisse ex charta, quam afferimus, liquet. Ipsius monumenta quolibet fere anno protulimus, quibus suppleri etiam poterit Ughellius, qui pauca admodum de Hieronymo sub anno 1144. refert, ipsumque dumtaxat scribit Friderici Oenobarbi partibus accessisse. Constantinum quemdam insuper Hieronymo successisse comminiscitur, qui anno 1177. coadjutorem Helvium seu Heliottum sibi adjunxerit. Hæc unde hauserit Ughellius, nescimus; facile ex Buralio, qui Hieronymo defuncto, ut asserit, anno 1177. successorem dat Constantinum, huic Franciscum, corepiscopum autem Constantini Heliottum, quos etiam successive vixisse scribit usque ad annum 1196. quem primum fuisse episcopatus Amadei arbitratur; hæc tamen falsa judicabit, qui perlustraverit tabularium canonicorum Arretinorum, in quo nulla monumenta de Constantino II. episcopo Arretino habentur, ut neque de Francisco, quem Constantino suffectum faciunt. Sed immediatus Hieronymi successor fuit Heliottus, de quo plura annis sequentibus. An-ne Heliottus is est, qui magister Aliottus dicitur in mox recensita commutationis pagina? Rodulphum autem Camaldulensem non dubitamus eumdem fuisse, qui prioratu deposito monachus tunc erat, sicut etiam Gregorium, eum esse, qui eodem magistratu circa annum 1163. se abdicaverat. Johannem demum inter primores Camaldulenses reperimus, qui facile fuerit senex ille venerabilis, cui fas erat sacras reliquias contingere, ut mox vidimus in narratione revelationis corporis sanctissimi Apollinaris. Arengerii postremo mentio fit etiam in pagina anni sequentis. Ceterum *castrum de Toppole ex concambio a Camaldulensi priore habitum* confirmavit sub anno 1196. præposito, primicerio & canonicis Arretinis Philippus dux, Henrici VI. imperatoris frater, & Friderici I. imperatoris filius apud eumdem Ughellium [a]. Ex dictis constat expungendum etiam esse ex syllabo antistitum Arretinorum Michaelem monachum Avellanensem, quem Jacobillius [b] creatum scribit circa annum 1172. episcopum Arretinum, obiisse autem die quinta-decima junii anni 1177. Videantur, quæ diximus tomo antecedenti ad annum 1100. Commutationis relatæ chartulam edimus in Appendice ex tabulario Fontis-boni.

Ann. Chr. 1173.

a *T. I. col.* 418.
b T. *III. pag.* 347.

VI. Chartæ Vallecastrenses & Vangaticienses.

Anno *Domini mille centesimo septuagesimo tertio, regnante Frederico imperatore, mense octuber indictione nona* Rubertus comes filius Gentilis comitis, & Rolandus abbas monasterii sancti Urbani ad fluvium Æsinantem, consensu suorum monachorum, chartulam fieri rogavere loco pignoris a Simone comite & a Guicta comitissa ejus uxore de possessione, quam monasterium præfatum, & prædictus Rubertus comes obtinebant in comitatibus Camerinensi & Senogalliensi in variis fundis. Inter fundos & confines nominantur sanctus Martinus de Fugsano, mons de la Romita, sanctus Vincentius de Plarosara, sanctus Christophorus de Rosora, sancta Maria de lo Colle, Lappuranum aliaque loca, quæ illustrant topographiam veterem utriusque comitatus. Subscribunt post Rubertum comitem & post Rolandum abbatem, præpositus & monachi dicti cœnobii. Chartam autem proferimus ex autographo archivi sanctæ Catharinæ de Fabriano, in qua pariter emendanda est indictio, quæ hoc anno erat VI.

Cum controversia esset de terra Costæ inter Guillelmum priorem monasterii sancti Cypriani de Muriano, quod erat subjectum cœnobio sancti Benedicti de Padolirone, cujus abbas hoc anno erat Rainerius, & inter Fulconem, Albertum & Opizonem fratres marchiones de Este, & filios quondam marchionis Fulconis, litem inter ipsos composuere post

varias

Ann. Chr. 1173.

varias concertationes judiciaque, quæ secuta fuere, Conradus abbas sanctæ Mariæ de Vangaticia, & Pistor prior sanctæ Mariæ de Carceribus, qui assignarunt triginta-sex mansos de præfata terra Costæ priori sancti Cypriani, reliquam autem terram concesserunt marchionibus, in qua terra iidem marchiones construxerunt villam, appellatam subinde *Costa-marchionum*, quæque ipsis ideo est dimissa, ut ecclesiam in ea villa construerent, quæ dono data fuit ab iisdem monasterio Vangaticiensi, ut legitur tum in sententia a supradictis arbitris lata hoc *anno indictione* VI. *die* IV. *exeunte januario* apud Muratorium in Antiquitatibus Estensibus,[a] tum etiam in testium examine super constructione alterius ecclesiæ facta a clericis Rhodiginis in præjudicium ecclesiæ, quæ erat de jure monasterii sancti Cypriani; quod postremum monumentum ex archivo patriarchali Venetiarum e tenebris eripuit eruditissimus senator Flaminius Cornelius in suis ecclesiis Torcellanis[b]. Hæc est postrema memoria, quam viderimus, Conradi abbatis Vangaticiensis, cui successor datus fuit Isaac.

a P. I. cap. XXXIV. pag. 339.

b T. III. pag. 264.

Ann. Chr. 1174.

VII. Prosecutio miraculorum ad corpus S. Apollinaris.

PROSEQUIMUR sub hoc anno prodigiosa facta, quæ occurrere ad tumulum sancti Apollinaris in ejus basilica Classensi, quibus Deus testatam voluit ipsius sacri corporis in eo loco existentiam. En verba scriptoris & collectoris, qui, quæ scribebat, videbat, vel a testimoniis oculatis acceperat[c]. *Mulier quædam cujusdam civis, nomine Sinicoli, relicta, infamis vitæ, quæ per plurimos annos sine pœnitentiæ remedio steterat, quum vellet sacrum corpus contingere, divino judicio semel & iterum intrare basilicam impediebatur. Quoties enim tentabat ingredi, occulta virtute duro angebatur cruciatu. Quid plura? monita a circumstantibus, ut revelaret Domino viam suam, quum se præmissa confessione per pœnitentiam correxisset, tertio accessit, & ad sacrum corpus cum ceteris fidelibus sine difficultate pervenit. O mirum & velocem pœnitentiæ fructum, quæ iram cœlestem sine tarditate placat, sine dilatione indulgentiam impetrat, virtutem meretur & præmia.*

c Spicil. Ravenn. Hist. inter Script. rer. Ital. T. I. Par. II. pag. 543.

Quidam cives apud Ravennam de præsentia sacri corporis graviter contendebant. Unus asserebat, idem apud Classem requiescere, alter inficiabatur: Vade, inquit, qui fideliter ibi certabat, ad cœnobium Classis, & quum redieris, nisi fidem, quam teneo, & tu sponte tenueris, sequar fidem tuam. Ivit, rediit, & tam constanter fidem, quam impugnaverat, tenere cœpit, ut concertatorem suum in fervore hujus fidei superaret. Factus est ergo veritatis assertor, qui fuerat impugnator. O vere mutatio dexteræ Excelsi, quæ meritis beati Apollinaris de infideli fidelem, de persecutore defensorem fecit!

In territorio Populiensi erat quidam nomine Prudentius, qui gravissime languens, quum in extremis laborare videretur, venerabilem illius loci episcopum vocavit, & ab ipso pœnitentiam cum sacrosancta Eucharistia suscepit. Hunc ergo sequenti die præfatus episcopus, quum ad Classense cœnobium pro instanti negotio venisset, apud eumdem locum incolumem reperit, & vehementer obstupuit, nam quod sperabat posse fieri, miratus extimuit factum.

Apud oppidum Cæsenæ quidam illustris erat, qui vocabatur Ugo de Manfredo. Hic quemdam filium habebat a nativitate cæcum, super cujus calamitate graviter amaricabatur. Qui ad ecclesiam Classensem ductus, quum ad sepulcrum beati Apollinaris, & ad corpus illius accederet (res mira & a seculo post Christum inaudita!) illico lumen, quod natura negaverat, gratia recuperavit.

In

In eisdem partibus mulier quædam erat, quæ diutius clinica jacuerat. Hæc quum plena fide ad dictum sanctumque Apollinarem preces & vota fudisset, illico manus dissolutas & genua debilia erexit, & in omni compage corporis pristinam sospitatem recepit. Ann. Chr. 1174.

Præterea alia quædam mulier in villa, quæ dicitur Taybana, cujusdam viri, nomine Barotis, filia, ultra triennium contracta & muta jacuerat. Quumque pater illius cum eadem puella Deo & sancto Apollinari, & preces & vota obtulisset, fructumque devotionis Classensi promisisset ecclesiæ, mox loquendi & ambulandi, omniumque membrorum recuperavit officium per merita sanctissimi patris, illo videlicet auctore, qui erigit elisos, illuminat cæcos, per quem obsoluta fiunt ora mutorum.

Quidam quoque manum habens aridam de parte Ficolentiæ (forte *Ficoclis*, hodie *Cervia*, urbis episcopalis, vel legendum *Vicobabentiæ*,) *ad corporis sacri præsentiam veniens, quum obtulisset imaginem ceream, confestim sospitate recuperata debitas grates exsolvit.*

De Galiata quoque quidam ad sacrum corpus accessit, vota persolvit, preces & oblationes obtulit, pro eo quod a sui corporis cæcitate, quam longo tempore se passum fuisse testabatur, per misericordiam Dei, sanctique Apollinaris merita liberatus est.

Quidam de Ravennæ ecclesia clericus, nomine Cornubius, genere comes, & officio cardinalis, gravem, & durissimam patiebatur intestinorum molestiam. Hic igitur sacro corpore jam invento, inter Missarum sollemnia suo archipræsuli necessitate officii sui assistens, per misericordiam Dei, & beati Apollinaris inclyti patris meritum ab omni molestia sensit se absolutum, gratias agens patri misericordiarum, & Deo totius consolationis. Quod licet non possit aliorum attestatione probari, tamen auctoritas personæ, celebritas officii, reverentia loci magnum promissionis præstat argumentum.

Idem Wilielmus ejus l ci venerabilis abbas, de cujus industria & maturitate, de cujus sapientia & liberalitate plura dici posent, nisi ejus humi'itas recusaret, multas & magnas in hoc negotio expertus est efficacias. Nam ut de pluribus eligamus unum, quum ad partes Lombardiæ, ad præsentiam videlicet cardinalium, per eamdem viam festinaret, accidit, ut in ipso itinere tam graviter caderet, equo desuper ruente, ut totum corpus, præcipue brachium, collisum sentiret, & quum nulla sibi surgendi suppeteret virtus, ad misericordiam Dei, sanctique Apollinaris meritum tota fiducia mentem erexit. Mirabile dictu & factu! Mirabilis illico cum tanta sospitate surrexit, ut robustior & alacrior solito viam suam perageret. Quanta denique discrimina rerum, quas asperitates temporum, quales in itineribus sæpe difficultates, quantasve insidias calumniantium in virtute Dei, & inclyti martyris auxilio mirabiliter evaserit, quis enarrare sufficiat? Vidimus anno antecedenti mense septembri Hilbebrandum & Teodinum cardinales Mutinæ constitisse pro firmanda Lombardiæ societate contra Fridericum imperatorem, ad quos profectus est Wilielmus abbas Classensis eorum opem imploraturus ad dirimendam controversiam corporis sancti Apollinaris.

Postremo, qui scripsit hæc, nonnullas in hujusmodi negotio admirationes comprobavit. Nam quum ad partes Balnei festinasset ad visitandum scilicet beatæ memoriæ Rolandum cardinalem in extremo tunc laborantem, sperans se in crastinum reversurum, nimia temporum asperitate diutius in partibus illis coactus est remorari. Interim accensum est in animo suo desiderium Classense monasterium visitandi, ut si vera essent, quæ dicebantur, evidentius ibi agnosceret. Nam usque ad id temporis super iis quadam dubitatio-

Ann. Chr. 1174.

rationis nebula tangebatur, ut in hac parte neque calidus, neque frigidus esset. Quum igitur hæc conviatori suo retulisset, invenit eum eodem affectu flagrare, quem invitum putaverat. Quiescamus, inquit, usque ad sequentem diem, exspectantes beneplacitum Dei, & hoc nobis erit signum; ut si crastina serenitas hodiernam temporis inclementiam subsequatur, firma spes erit, quod prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. Surgens itaque summo diluculo, quum serenitatem vidisset optatam, fidentior factus iter arripuit. Et quum plura in itinere formidarentur obstacula, fluviorum videlicet inundatio, viarum asperitas, occursus hostium, omnia pertransivit illæsus. Quumque pervenisset ad locum, plura quam audierat, vidit, credidit, & agnovit, sicut reginæ Sabæ de sapientia Salomonis legitur accidisse. Hunc igitur abbas & fratres affectuosius solito suscipientes optato dicunt advenisse, quoniam ejus præsentiam adscire cupiebant. Celebrantes itaque capitulum, cœperunt ab eo, scilicet abbas, & fratres instanter exigere, ut quæ fuerant facta, stilo dictandi narraret. Quo audito miratus est valde, ipsos tanta instantia id exposcere, quod ipse statuerat spontanea devotione pro reverentia beati Apollinaris offerre. Quis ergo existimet, sine Dei providentia, sanctique Apollinaris merito factum esse, ut tam subita, tamque improvisa fieret tam diversarum voluntatum concordia, tamque dissimilium chordarum in uno concentu harmonia? Quis, inquam, putet, ut sine dispositione divina tanta fieret prosperitas itineris, serenitas aeris, unanimitas voluntatum? Nam in redeundo amplius, quam in eundo subsequuta est optata commoditas. Fiducialiter igitur ad scribendum de misericordia Dei confisus accessit, non tamen solus, quia venerabilium fratrum, abbatum videlicet & aliorum, qui super hoc negotio ceteris interfuerant, est adjutus meritis, roboratus testimoniis, doctrina instructus. Triduo huic operi deputato exaravit hæc. Concludit Rodulphus tractatum suum egregia laude urbis Ravennæ. Rolandus beatæ memoriæ cardinalis superius nominatus, qui graviter ægrotabat apud Balneum, si non fuit cardinalis ecclesiæ Ravennatis, omittitur a collectoribus vitarum S. R. E. cardinalium.

VIII. Alia ad eam existenziam spectantia.

Non frustra possunt & sequentia, quæ ad hæc tempora spectant, adjici ad confirmationem existentiæ corporis sancti Apollinaris in basilica Classensi, excerpta ex eodem Spicilegio Ravennate [a]. *Fuit in ipso monasterio sancti Apollinaris novi quidam in officio prioratus, qui acriter contendebat corpus beati Apollinaris ibidem esse reconditum, quam contentionem hujusmodi fine claudebat. Utinam, inquiens, non alibi liceat mihi mori vel sepeliri, nisi ubi corpus illud requiescit. Quid plura? Egressus civitatem pro necessitate sui monasterii, tanta, quum rediret, inclementia temporis est occupatus, ut ad Classis ecclesiam divertere cogeretur. Ibi ergo gravi præventus ægritudine, vitam eadem nocte finivit; ibidemque sepulturam accepit. Sic omnipotentia summæ pietatis, quæ humanæ saluti potius quam voluntati solet providere, citra intentionem illius fratris adimplevit votum suæ salutis. Impletum est ergo in bonis desiderium suum, & præter propositum suum & absque merito suo, quia non volentis, neque currentis, sed Dei miserentis fuit, ut in morte linguam corrigeret, quam in vita non correxit.*

a Pag. 546.

Sub Gualterio autem archiepiscopo, qui obierat anno 1144. & Camaldulenses monachos ad reformationem Classensis monasterii anno 1138. vocaverat, ut vidimus, sequens contigit factum. *Apud Ferrariam quidam fuit habens sindonem tam pretiosam, ut nollet illam humanis usibus applicari. Quum ergo quid inde agendum esset animo hæsitaret, apparuit ei*

quidam

quidam venerando habitu, dicens: In altari beati Apollinaris illum appone. Mox Ravennam veniens clericis Metropolitanæ sedis ea referebat. Ipsi vero, ut plerisque moris est, quæ sua sunt, quærere, monebant illum, ut in eodem altari eumdem imponeret, quod ad sanctum Apollinarem pertinere dicebant. Audiens hæc beatæ memoriæ Gualterius archiepiscopus, qui Classense cœnobium per Camaldulensium congregationem reformavit: Vade, inquit, ad ecclesiam Classis, ibique verum beati Apollinaris altare invenies, ubi sacrum corpus requiescit, & in eodem juxta præceptum Domini tuæ devotionis vota persolve. Sicque impleta est jussio Salvatoris & devotio viri.

ANN. CHR. 1174.

IX. Sententia Ildebrandi S. R. E. card. de existentia corporis S. Apollinaris in Classe.

NE quid desit celeberrimæ huic inventioni, subjicimus sententiam anno elapso prolatam ad Ildebrando cardinale, quam contulimus cum autographo existente in tabulario dicti monasterii Classensis, quæ est hujusmodi.

Ildebrandus Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis apostolicæ sedis legatus omnibus in Christo fidelibus in Domino æternam salutem. Cum de corpore beati Apollinaris martyris inter monachos sancti Apollinaris-novi, & dilectos filios nostros de Classe non modica contentio diutius agitata fuisset, præfati monachi de sancto Apollinare-novo in sui erroris argumentum & apud nonnullos conceptæ dubitationis robur clanculo quamdam, quæ jam in dicta fuerat ecclesia, lapideam arcam temeritate nimia illecti ausi sunt nocturno tempore violare. Inventas vero ibidem non paucas reliquias per falsum epitaphium nomine memorati martyris intitulabant, & ejus sacratissimum corpus se invenisse publice prædicabant. Nos autem, ut falsæ opinionis seminarium removeretur, quod jam latius spargebatur in populum, pro indaganda sacri corporis veritate, juxta mandatum reverentissimi patris nostri Alexandri summi pontificis ad famosissimum sæpedicti martyris templum Classis devenimus. Ceterum præsentibus dilectissimis fratribus nostris venerabilibus admodum viris Theodino sancti Vitalis cardinali presbytero, & Gerardo sanctæ Ravennatis ecclesiæ archiepiscopo, ejusdem assistentibus episcopis suffraganeis, & immensa cleri & populi multitudine, sacratissimum corpus multo labore effodi fecimus, & magna cum reverentia universis spectandum adorandumve in altum levavimus. Sed & laminas argenteas tres invenimus sanctis membris appositas, martyris historiam continentes ita. Hic referuntur inscriptiones, quas attulimus anno antecedenti, sine ulla divisione primæ, secundæ & tertiæ laminæ: *Nos denique*, prosequitur Ildebrandus, *tanto reliquiarum thesauro comperto, immensum lætificati his adnotationibus fidem nostram & fere universorum roborantes, & multorum errorem amoventes, & æmulorum figmenta penitus abnuentes, sicut in mandatis apostolicis accepimus, eos, qui de cetero alibi, quam in Classensi ecclesia tanti corporis præsentiam credere vel frequentare præsumpserint, ex auctoritate apostolorum Petri & Pauli perpetuæ excommunicationis vinculis alligamus; ea propter tantæ relationis sollemnitatem quinto kalendas novembris in perpetuum deinceps agi statuentes, ad hanc eamdem convenientibus annuatim devote, & in præsentiarum ob reverentiam revelationis martyris suam ecclesiam infra quadraginta dies visitantibus de injunctis sibi de criminalibus pœnitentiis de largitate divina humiliter præsumentes, ex eadem nobis apostolica auctoritate unum annum misericorditer relaxamus. Acta sunt hæc anno* M. C. LXXIII. *indictione sexta mense octobri quinto kalendas novembris.*

Tunc ante sepulcrum beatissimi martyris appositum fuit sequens elogium, quod ut videtur, hymnus est vel rythmus in ipsius honorem.

Ann. Chr. 1174.

† CHRISTO. DILECTE	PLAGAS. ET. IGNEM
APOLLENARIS	NOSTRA. SALVTE.
A. PETRO. MISSE	† MEMBRA. COMMITTENS
QVEM. VENERARIS	PRO. PIO. IVRI.
ORA. PRO. TVIS.	CHRISTO. ADHAERENS
† RAVENNAM. INTRANS	NVNQVAM. TELLVRI
VRBEM. BEATAM	GAVDES. IN. COELO.
CHRISTI. VIRTVTEM	† CVIVS. HIC. CORPVS
IN. TE. FIRMATAM	NVNC. REVELATVR
SACER. OSTENDIS.	QVOD. ALEXANDRI
† PASSVS. PRO. CHRISTO	IVSSV. MANDATVR
PRAESVL. BENIGNE	III. PAPAE.
SVSTINE. POENAM	

Hæc pariter post inventum sancti Apollinaris corpus inscriptio cælata ad ipsius sacrum tumulum.

SIQVIDEM. ILDEBRANDVS. TEODINO. PRAESENTE. CARDINALI GERARDO. PRAESVLE. CONSISTENTE. CVM. PONTIFICVM. TVRBA SACRVM. CORPVS. LEVAVIT. SANCTO. PAPA. IVBENTE AC. CVNCTIS. ADORANDVM. MVLTA. TVRBA. FLVENTE REVERENTER. MONSTRAVIT. FREDERICO. IMPERATORE REGNANTE. ALEXANDRIAM. QVOQVE. TVNC. EXPVGNANTE. EST FACTVM. HOC. OPVS. PRECE. WILIELMI. HVMILLIMI FRATRIS INGENIO. ACHILLIS. VIRI. SAGACIS. PRO. QVIBVS. ORATE.

quæ postrema verba intelligenda sunt de tempore, quo superimposita fuit inscriptio; anno enim revelationis sacri corporis, qui fuit certe 1173. nondum Alexandriam oppugnaverat Fridericus, qui eam obsidione cinxit anno 1174. mense octobri, cinctamque tenuit usque ad festa Paschalia anni 1175. Wilielmus autem abbas in marmore elaborando usus est opera sagacis viri Achillis. De posterioribus sacri pignoris sancti Apollinaris inquisitionibus commodius ad annos, quibus contigere, narrationem instituemus.

X. Christiani archiep. Moguntini edictum pro Camaldulensibus.

Præsenti anno C. hoc est Christianus Moguntinæ sedis archiepiscopus, Germaniæ archicancellarius & sacri imperii in Italia legatus post Raynaldum Coloniensem Camaldulenses eremitas & eorum congregationem, omniaque ipsorum bona sub imperialis majestatis protectione suscepit. Confirmavit præsertim quæcumque anno 1142. Quintavallis cum uxore sua Cæcilia & cum nepote suo Astuldo Camaldulensi eremo obtulerat; corroboravit patrimonium seu donationem, quam similiter eidem eremo fecerat anno 1104. Bernardinus Sidoniæ. Præcepit, ne Rainerius marchio deinceps homines de Anglari vel de Monte-aureo in suum usum violenter auderet revocare, vel aliquam ab ipsis exactionem extorquere. Vetavit, ne ulla urbs aut persona eremitas Camaldulenses cogeret pro prædiis tributum persolvere. Montejonem quoque, quem locum imperialis

lis majestatis nuntii usque modo per vim occupaverant, præfatis eremitis integre restitutum voluit. Mandavit Arretinis, Castellanis & Burgensibus consulibus, ut bona Camaldulensium, quæ forent in ipsorum comitatibus, defendere ab omni homine studerent, atque a beneficio feudi deciderent, quotquot ipsos Camaldulenses impugnare præsumerent ex iis, qui ob feudi beneficium fideles ipsis esse tenebantur. *Datum Castellioni de filiis Bocchi anno Dominice incarnationis* M. C. LXXIIII. *indictione septima* II. *mensis madii*. Inter testes nominantur comes Macharius, comes Everardus, consules Arretini & Castellani, Renerius Ubertini & Arengerius. Inferri potest ex notis chronicis allatis, quod cum mense majo Christianus archiepiscopus Moguntinus esset in Thuscia, Anconitanæ urbis obsidio, quæ a Muratorio olim in collectione Italicorum scriptorum auctoritate Sicardi episcopi Cremonensis ad annum 1172. relata ab ipso emendatur in Annalibus, & testimonio chronicorum Pisanorum refertur ad præsentem annum, nequeat hoc anno admitti; nequaquam enim componi potest, Christianum a *kalendis aprilis usque ad medium mensem octobris* Anconæ civitatem præsentia sua obsedisse, & initio mensis maji degisse in Thuscia. Videntur itaque auctores annalium Pisanorum usurpasse annum Pisanum, & proinde obsidio Anconitana aut cum anno 1173. aut cum anno 1172. erit illiganda. Macharius comes testis privilegii Christiani pro Camaldulensibus nuntius erat imperatoris Friderici, & *comes comitatus Senensis* appellatur in pagina, quam apud Muratorium [a] affert Benvoglientius ex nosocomio Senensi; & legitur ejus nomen ad hunc eumdem annum Romanum in iisdem chronicis Pisanis: *Anno* M. C. LXXV. *facta est pax cum comite Macario & filiis ejus, & cum hominibus de sancto Miniate*. Eadem leguntur in Ughelliana chronicorum Pisanorum editione. Ipse Macarius comes sancti Miniatis cum Francone filio suo testis reperitur in duplici privilegio concesso a Friderico imperatore anno 1178. ecclesiæ Pisanæ apud Ughellium [b]. Arengerius idem videtur, qui nominatur anno antecedenti in charta permutationis inter Adanulphum præpositum Arretinum, & inter Ildebrandum priorem Camaldulensem. Ceterum Christianus invasor Moguntinæ sedis jam ab anno 1165. [c] *qui se non habebat secundum morem clericorum, sed more tyranni exercitus ducendo, & qui multa mala fecit ecclesiæ Romanæ*, obiit Tusculi anno 1183. post ejuratum tamen schisma. Ipsius obitus in necrologio Font-avellanensi signatur ad diem XXVI. augusti: *Obiit Christianus archiepiscopus commissus noster*.

ANN. CHR. 1174.

a *T. III. Antiq. col.* 577.

b *T. III. col.* 411. 413.

c *Robert. de Monte in chronico*.

XI. Sententia Friderici ep. Petenensis pro ep. Parentino contra monasteria ejus territorii.

PETRUS Parentinus episcopus hoc *anno* M. C. LXXIIII. *indictione* VII. querimoniam exposuit coram Odelrico Aquilejensi patriarcha & apostolicæ sedis legato, quam habebat adversus monasteria sancti Petri de Silva & sancti Michaelis de Lemmo. Contendebat nimirum episcopus, quod consecrationes ecclesiarum & altarium, atque abbatum prædictorum locorum, ordinationes etiam clericorum sive monachorum ad jus Parentinæ ecclesiæ pertinerent, & quod eadem monasteria deberent annuatim persolvere sibi suem unius anni in nativitate Domini, & in pascha majori duos agnos, & in festo sancti Mauri arietem unius anni, & in carnis levamine spatulam carnis suinæ. Hanc controversiam Frederico Petenensi episcopo definiendam commisit Odelricus, ut examinatis utriusque partis juribus sententiam diceret. Itaque Petenensis episcopus convocata utraque parte litigante in ecclesiam Parentinam, cum abbates præfati inficiarentur unquam monasteria sua exsolvisse ea, quæ petebantur, Parentinus episcopus tres in confirmationem causæ suæ testes produxit, Albi-

Ann. Chr. 1174.

num archipresbyterum, Adaltranum archidiaconum, & Ratulphum custodem Parentinæ ecclesiæ, qui sacramento testati sunt, quidquid episcopus requirebat, juris esse Parentinæ ecclesiæ, quæ a quadraginta retro annis idem jus obtinuerat. Fredericus propterea episcopus sententiam tulit dictos abbates quotannis teneri præstare supradicta exenia Parentinæ ecclesiæ. Inter testes leguntur Ugo abbas monasterii sanctæ Barbaræ & plebanus de Duobus-castellis & de Montona. Verum de justitia hujus sententiæ aliqua dicemus ad annum 1176. Produxit chartam Ughellii illustrator Coletus in Italia sacra [a], extatque ipsius vetus exemplum in libro H. [b] signato tabularii monasterii sancti Mathiæ de Muriano. Successerat Fredericus episcopus Petenensis Conrado, quem utrumque omiserat in episcopis ejus sedis Ughellius; Conradum vero omittit & Coletus. Superstes erat Fredericus etiam ad annum 1176. ut videbimus.

a T. X. col. 317.
b Pag. 5.

Falsum præterea est, ut animadvertit Cl. vir Gaspar Niger doctissimus episcopus Parentinus in ms. epistola ad patrem Ignatium Drensfeltz ordinis sancti Pauli eremitam vicarium in Histria, id, quod asserit Johannes Waichardo liber baro de Valvasor in Annalibus Cragni ducatus Germanica lingua editis anno 1689. Mainardum IV. comitem Goritiæ fundasse anno 1255. cœnobium sanctorum apostolorum Petri & Pauli in Silva Parentini territorii, cum sub hoc anno tam clarum documentum extet ipsius vetustioris fundationis; nisi etiam Fortunii opinionem adoptare velimus ipsum cœnobium fuisse excitatum a sancto parente nostro Romualdo initiis seculi XI. vel ejus disciplinæ tunc se subdidisse; quæ demonstrarent antiquiores ejus monasterii origines.

XII. Consecratio & dotatio altaris S. Johannis in abbatia Carcerum.

Ex tabulario monasterii sanctæ Mariæ Carcerum edidit Muratorius in Antiquitatibus Estensibus [c] donationem possessionum factam hoc anno eidem cœnobio a Gerardo episcopo Paduano die consecrationis altaris sancti Johannis in ecclesia ejus monasterii. Donavit siquidem Pistori ipsius priori proprietatem possessionum juris Paduani episcopatus, quas marchiones Estenses Fulco, Albertus & Opizo percipiebant ab episcopo, Albertinus autem a Baone percipiebat a marchionibus, ecclesia vero ipsa Carcerum nomine Albertini detinebat, cum onere tamen non tradendi eas in beneficium alicui, aliter traditio esset irrita. *Actum & datum in choro sanctæ Mariæ ad Carceres.*

c P. I. pag. 372.

XIII. Conventio inter abbatem S. Hippolyti de Faventia & inter homines de Zagonaria.

Eodem anno *tempore Frederici imperatoris die* XVIII. *mensis augusti indictione* VII. Rolandus abbas monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia ex una parte, & ex altera plures clerici pro se & pro cuncto populo ecclesiæ sancti Andreæ de Zagonaria in hæc invicem convenere. „ Quod monachus præfati abbatis, & presbyter prædictæ eccle-
„ siæ sancti Andreæ communiter simul debeant degere & habitare cum
„ eorum communibus clericis & servientibus, & possidere bona, exceptis
„ quindecim tornaturiis terræ pro usu presbyteri, & excepto beneficio
„ pœnitentiarum, atque tertia parte de decimis & primitiis, quæ de-
„ beant spectare ad presbyterum. Populus vero octo tornaturias terræ
„ pro ædificanda & reaptanda ecclesia habeat, quæ ædificia ad sensum
„ presbyteri, monachi & populi fiant. Alia vero prædia & latifundia
„ ejusdem ecclesiæ dividantur inter presbyterum & monachum, eorum-
„ que communes clericos & servientes, salvis juribus & consuetis reve-
„ rentiis episcopo sancti Cassiani & plebi de Barbiano. Si discordia emer-
„ serit inter presbyterum & monachum, abbas & populus eos simul re-
„ conciliare studeant. “ Sed integram conventionis paginam damus in Appendice ex tabulario ejusdem monasterii.

Nobile

Ann. Chr. 1175.

XIV.

Monasterium Uranense datur reformandum Camaldulensibus.

Nobile monasterium sanctæ Mariæ de Urano exsurgebat in diœcesi olim Foro-popiliensi, nunc Brittonoriensi, & in castro antiquitus appellato Cesubeo, extra mœnia, & extra portam Brittonoriensis oppidi vulgo dictam portam-veterem super viam, quæ Meldulam ducit, quo in loco saxa adhuc multa imminent, maceriæque visuntur veteris abbatiæ. Ex eo in commodiorem locum translatum fuit posterioribus temporibus monachorum domicilium, & modo tum aeris salubritate, tum situs amœnitate in loco celsiore exsurgit nova abbatia, quæ post plures casus sui juris existit ad aliam Brittonoriensis urbis faciem. De Uranensi cœnobio plura vetera monumenta ad seculum decimum & undecimum protulimus primis tomis Annalium nostrorum. Vixerat eatenus legibus suis, nec alicui monasticæ congregationi manus dederat, sed circa hæc postrema tempora aggregatum fuerat, Alexandro III. Romano pontifice permittente, & Placido loci abbate cedente, congregationi Camaldulensi. *Anno* enim M. C. LXVIII. *pontificatus* sui *anno nono* VII. *idus augusti* idem Romanus pontifex ex Beneventana urbe ipsum monasterium, ejusque procuratorem Placidum, & fratres dicti loci, qui monasterium & ecclesiam Urani beato Petro obtulerant, susceperat sub apostolicæ sedis protectione, ac immediate Romanæ ecclesiæ subjecerat, ipsum eximens ab omni archiepiscopali, nempe Ravennatis antistitis, & episcopali, Foro-popiliensis præsulis, jurisdictione, imponensque pensionem trium librarum ceræ solvendam pontificiæ curiæ, ut in confirmatoria bulla ejusdem privilegii, quod suo inserit, testatur Honorius papa III. ejus successor ad annum 1217. Ad hos pariter annos, & nominatim ad annos 1176. & 1177. legimus in paginis tabularii Fontis-boni Placidum abbatem Uranensem retenta abbatia prioratum sive majoratum eremi Camaldulensis exercuisse, ac ipsum post quinquennium videbimus electum etiam præsidem generalem totius congregationis Camaldulensis. Quare post annum 1168. & ante præsentem annum aggregatum fuit congregationi Camaldulensi, & suppositum disciplinæ eremi hujusmodi monasterium, cujus unionis quamquam paginam videre non licuerit, testis est altero suo privilegio toti congregationi concesso hoc ipso anno idem Alexander, nam in diplomate, quo *anno incarnationis Dominice* M. C. LXXV. *pontificatus* vero *anno* XVII. indictione VIII. *decimosexto kalendas aprilis* confirmat Ildebrando priori Camaldulensi ejusque fratribus omnia monasteria, quæ in congregationem hactenus devenerant, ad calcem ipsius bullæ subjicit: *Ad hec monasterium de Urano vobis & conventui vestro, salvo jure Ravennatis ecclesie, auctoritate apostolica confirmamus*. Obiter animadvertimus in hoc eodem Alexandrino privilegio, æque ac in illis Paschalis II. & Eugenii III. addi: *In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Felicis*, quod similiter legibus Camaldulensium parebat. Subscribunt duodecim S. R. E. cardinales, bullæque excerptum edimus ex codice membranaceo monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum. Confirmata fuit anno 1177. donatio abbatiæ Uranensis eremo Camaldulensi a Gregorio episcopo Foro-popiliensi; neque is eo primum anno, vel etiam post eum annum, ut legitur apud Fortunium [a] & Ughellium [b], dono dedit Camaldulensibus præfatum monasterium.

Hoc ipso *anno* M. C. LXXV. sed more Florentino, *idus januarii indictione nona pontificatus domini Alexandri pape* III. *anno* XVII. hoc est initiis anni sequentis Romani, per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii idem Romanus pontifex sub protectione sedis apostolicæ recepit monasterium sancti Savini in Montione extra urbem Pisanam, & Ubaldum

a *P. I. lib. II. cap.* 19.

b *T. II. col.* 601.

ANN. CHR. 1175.

dum ejus loci abbatem, recensitis ecclesiis & bonis; quod Alexandrinum privilegium una cum altero Cœlestini III. anni M. C. XCIII. Johannes XXII. Romanus pontifex confirmavit & inseruit *anno pontificatus* sui *septimo incarnationis Dominice* M. CCC. XXIII. nos autem ad eum annum integrum proferemus ex regesto Vaticano.

Quinto kalendas augusti indictione septima hujus anni M. C. LXXV. Aliottus filius Giurli una cum Sanduccia uxore sua convenit cum Dilecta abbatissa sancti Petri de Luco, quæ in locum Maximillæ electa fuerat, interveniente consensu Ildebrandi prioris Camaldulensis, circa permutationem aliquot terrarum. Dedit ergo abbatissa omnia, quæ monasterio obvenerant a Caronciana uxore olim Ildebrandi, & ipsa recepit ab Aliotto integram medietatem de silvis & de bonis Fraxinetæ, & de colle Muscoli, & Rizzuali, & de Grizzano, & de Rena. Hæc bona post decennium confirmata fuere Lucensi parthenoni a Friderico imperatore. Indictio notata in pagina spectat ad annum antecedentem, quare facile fit in ipsa usus anni Pisani.

XV. Rainerius monachus Avellanensis ex Callio ad ecclesiam Spalatensem transfertur.

RAINERIUS, monachus olim Font-avellanensis, ex Calliensi, quam per plures annos gubernaverat, ecclesia, cum pacem habere ægre posset cum suis clericis, qui continuis acribus litibus super jura eorum ecclesiæ animum episcopi a pastorali officio distrahebant, & cum eodem tempore Salonitana sive Spalatensis in Dalmatia cathedra vacaret per obitum Girardi archiepiscopi per eos dies vita functi, qui licet jampridem translatus fuisset ad archiepiscopalem Sipontinam ecclesiam, retinebat nihilominus administrationem alterius Spalatensis, hoc eodem anno ab Alexandro III. Romano pontifice ad implendam sedem Spalatensem fuit assumptus. Sed præstat audire historiam Salonitanam Thomæ archidiaconi, qui paulo post hæc tempora vivebat, utpote natus anno 1200. & defunctus anno 1268. Thomas igitur in ea historia, quam publici juris fecit Johannes Lucius in appendice ad libros de regno Dalmatiæ & Croatiæ, hæc de translatione Rainerii habet: *Mortuo tandem* [a] *bonæ memoriæ Girardo archiepiscopo, in hoc totius ecclesiæ Spalatinæ resedit consilium, ut neminem eligerent, sed a sede apostolica pastorem idoneum postularent. Tunc miserunt legatos suos ad curiam sacerdotem quemdam Jonium sacristam, & quemdam alium. Qui accedentes ad pedes domini Alexandri papæ, petitionem Spalatensis ecclesiæ humiliter porrexerunt. Erat autem tunc temporis magna controversia inter clericos Callenses Thusciæ civitatis ex una parte, & Rainerium eorum episcopum ex parte altera, super quibusdam juribus ecclesiæ ipsorum, steterantque ambæ partes diu in curia implacabiliter litigantes. Cumque non posset inter eos tumultus hujus discordiæ mitigari, dominus papa hanc viam invenire voluit, fomitem tanti rancoris utiliter extinguendi. Itaque absolvit Rainerium ab administrationis vinculo, quo Callensi ecclesiæ fuerat alligatus, & quia sciebat eum virum valde habilem regimini pastorali, vocatis ecclesiæ Spalatinæ nuntiis, dedit ipsum illis in patrem & pastorem suæ ecclesiæ deducendum. Tunc clerici Callenses, licet ipsum odiis & vexationibus prosecuti fuissent, multum tamen tristes de amisso pastore effecti, ad propria sunt reversi, Rainerius autem suscepto dignitatis pallio gaudens & lætus cum nuntiis iter arripuit veniendi. Descenderunt ergo Ravennam; habebat autem Rainerius archiepiscopus vasa argentea non modica, pecuniam & indumenta pontificalia pretiosa. Cum autem timerent in mari latrocinia piratarum, noluerunt prædictas opes secum in navi portare, sed includens eas archiepiscopus in quodam dolio, recommendavit servandas apud sanctæ Mariæ monasterium de Portu*

[a] Pag. 329.

tu Ravennate, mandans, ut nulli hominum illud depositum traderetur, nisi ad manus cujusdam servientis sui, quem eis præsentem ostendit; tunc conscendentes navem profecti sunt. Cum autem pervenisset ad civitatem, cum magno tripudio cleri populique susceptus est. Animadvertendum est autem, quod *tunc temporis Spalatenses & tota pene Dalmatia*, ut observat idem archidiaconus [a], *subjecerat se Constantinopolitano imperio, quare Spalatini cives rogaverant Girardum* patria Veronensem archiepiscopum suum, Rainerii antecessorem, ut *ad urbem regiam proficiscens fidem pro se & pro civibus imperatoriæ celsitudini jurejurando firmaret; qui cum nollet aquiescere, præter mandatum papale, civesque instando quasi vim facerent, Girardus ad Alexandrum papam se contulerat, petens ab eo consilium, quid super facto hujusmodi sibi foret agendum? Papa vero ipsius indebitæ molestationi compatiens eum præfecerat ecclesiæ Sipontinæ.* In tanto itaque rerum discrimine missus Rainerius, præfectusque fuit ecclesiæ Spalatensi, de cujus prudentia & dexteritate argumentum hinc ducendum. Cetera de ipso suis annis.

ANN. CHR. 1175.

a *Pag.* 328.

XVI. Obitus Sophiæ comitissæ benefactricis monasterii Fullinatis.

OBIIT hoc anno circa festum sancti Johannis-baptistæ in quadam sua domo posita in villa Mareni Sophia comitissa uxor Wecellonis comitis, qui erat ex familia de Camino, & insignis benefactrix monasterii sanctæ Mariæ Sanæ-vallis seu de Fullina, adsistentibus ejus morti Sigifredo episcopo Cenetensi, & Petro abbate præfati monasterii, ut novimus ex depositionibus testium examinatorum anno M. CC. XVI. coram judicibus a sede apostolica delegatis ab Innocentio III. Rom. pont., in quibus legitur ante quadraginta & unum annos Sophiam defunctam fuisse, id etiam attestante sepulcrali lapide, qui tunc existebat, visusque fuerat a dictis testibus. Renovavit memoriam piissimæ comitissæ, sed simplici & nuda inscriptione ad pedes aræ majoris ecclesiæ abbatialis Fullinæ sanctus Carolus Borromeus Cardinalis sanctæ Romanæ ecclesiæ, qui fuit abbas commendatarius ejus monasterii ab anno 1563. ad 1570. quo abbatiam dimisit

SOPHIAE. DE. CA

MINO. CAR. BOR.

P.

Petrus abbas, qui adstitit funeri Sophiæ, alius videtur fuisse a Petro primo hujus nominis abbate, cui eadem comitissa ecclesiarum donationem anno 1170. fecerat, cum inter utrumque Petrum legatur alter intermedius abbas Girardus, qui anno antecedenti [b] M. C. LXXIV. *indictione* VII. *die sabbati* VI. *intrante aprili* in præsentia Wecellonis de Camino in possessionem missus fuerat quarumdam terrarum in plebe Stablutii. Post sex tamen dies [c], *die* nimirum *veneris intrante mense aprilis indictione* VII. abbas erat Petrus, cui eodem Wecellone & Sophia permittentibus, in præsentia Schenellæ comitis, & Principissæ Conradinæ aliorumque Manducavillanus tradidit totam suam proprietatem terrarum Stablutii. (An Corradinæ cognomen vel adjunctum *Principissæ*? cum hæc dignitas vel titulus in usu non esset horum temporum.) Idem Petrus reperitur in alia charta hujus *anni* M. C. LXXV. *indictione* VIII. *die lune* V. *exeunte januario*, & ad vigesimam-quartam diem junii ejusdem anni defuncta est Sophia, cui in extremis adstitit. Rursus (id quod magis implicat seriem abbatum Fullinatum) in iisdem testium responsionibus legitur [d] Petrum stetisse pro abbate monasterii per quinque annos, postea abbatem Gerardum

b *Num.* 29.

c *Num.* 1311.

d *Num.* 29.

Ann. Chr. 1175.

rexisse per plures annos, post Girardum fuisse abbatem Ubertum per septem annos, qui depositus fuit ab Johanne abbate de Claravalle Mediolanensis urbis, qui in locum Uberti instituit abbatem Bernardum, Bernardum quindecim annos monasterio præsedisse, qui etiam remotus fuit, locumque fecit Philippo ad octo annos, in cujus locum demum institutus fuit Anselmus, qui etiam tunc, anno scilicet 1216. quando controversia agitabatur, regebat monasterium, cujusque monumenta in tabulario ejusdem cœnobii habentur ab anno 1205. ad annum 1236. Quæ ægre componuntur, nisi dicamus eodem tempore Petrum & Girardum fuisse ejus monasterii abbates, ita ut post Stephanum, primum, quem novimus, abbatem, præsederint partim Petrus per quinquennium, partim Girardus per plures annos usque ad præfatum annum 1175. & utrique vel defuncto, vel amoto eodem anno successerit Ubertus Vercellensis ad septennium, quandoquidem abbatiali dignitate privatus fuit Ubertus anno 1182. Ipsius Uberti memoria etiam extat in charta possessionis acceptæ molendini in territorio Opitergino *anno* M. C. LXXX. *indictione decimatertia* VI. *exeunte novembri* [a]. Uberti locus per XV. annos, nimirum ab anno 1182. usque ad 1197. repletus fuerit a Bernardo, qui etiam reperitur fuisse abbas eo anno, quo sepulcrum Christi fuit a Saracenis violatum (is est annus 1187.), ipso enim anno legitur Bernardum ivisse Venetias ad dandam pœnitentiam domino Viviano de Forminica, qui ibat ultra mare. Bernardo subrogatus fuerit ad octennium anno 1197. Philippus, cujus etiam monumenta supersunt ipso & sequentibus annis; demum in Philippi locum suffectus fuerit Anselmus anno 1205. usque ad annum præfati processus 1216. immo usque ad annum 1236. In charta [b] ejusdem tabularii ad annum M. C. LXXIV. *indictione* VII. *quintodecimo intrante junio* nominatur Stephanus abbas de Piro. *Actum in civitate Tarvisina in domo dicti abbatis.*

a Num. 1011.

b Num. 64.

Quædam Alvica uxor cujusdam Thomasini ecclesiæ sancti Salvatoris de Curte-regia & monasterio sanctæ Mariæ de Vangaticia hoc anno *indictione octava* bona aliquot reliquit, *ut a monachis quotannis sibi celebrentur vigiliæ, ut consuetum est fieri pro fratribus & benefactoribus congregationis*. Ita apud [c] Senesium nostrum ex Vangaticiensi tabulario.

c Pag. 50.

Ann. Crh. 1176.

XVII. Placitum habitum in territorio Parentino.

Cum quæstio ventilaretur coram inclyto comite Histriæ Aldapreto inter commune sancti Laurentii territorii Parentini ex una parte, & inter filios olim Aldaburni ejusdem castri incolas, Aldaburnum scilicet & Cadulum fratres ex altera parte, quoad possessiones, piscationes, aliaque jura castri de Calixeto, præsenti *anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo septuagesimo-sexto die mensis novembris vigesimo-quarto*, *indictione quarta* singulari certamine pugnatum fuit ab utraque parte. Cumque prævaluisset pars fratrum Aldaburni, post monomachiam ita res fuit composita, ut commune sancti Laurentii quotannis solveret locationis nomine quamdam frumenti & pecudum portionem pro usu pascuorum & piscationum, in qua locatione, promittente Johanne abbate, comprehensum fuit monasterium sancti Michaelis de Lemmo, quod bona plura obtinebat in eo territorio, cuique permissa fuere jura pabuli animalium & piscationum. Chartam edimus tum ad illustrationem hujus quæstionis, ritumque compositionis, tum ad exornandam topographiam ejusdem regionis, ex veteri exemplo archivi monasterii sancti Mathiæ de Muriano, in quo tamen erratum est ab imperito exscriptore quoad indictionem, quæ non quarta, sed nona erat hoc anno.

Ex

Ex quo etiam producimus sententiam latam ab Odelrico Aquilejensi patriarcha ad favorem episcopi Parentini contra monasteria de Lemmo, & de Silva. Siquidem expostulaverat ante biennium Petrus episcopus Parentinus, quod abbates monasteriorum sancti Petri de Silva, & sancti Michaelis de Lemmo exenia, quæ ei annuatim persolvere deberent, suem videlicet in nativitate Domini, & in pascha duos agnos, & in festo sancti Mauri arietem, & in carnis levamine spatulam porci, detinerent. Commiserat Odelricus eodem anno 1174. causam Petenensi episcopo Frederico, qui testes examinans judicavit prædicta monasteria teneri ad exenia ipsa præstanda Parentinæ ecclesiæ. Cognoscens itaque Odelricus sententiam latam a Frederico Petenensi episcopo eam confirmavit, præsentibus Venerando episcopo Tergestino, & præfato Frederico Petenensi, Johanne Æmoniensi electo, aliisque quampluribus. Hæc tamen sententia vim non habet, cum liqueat Henricum III. imperatorem circa annum 1040. monachos sancti Michaelis de Lemmo exemisse ab omnibus decimis & oneribus episcopo Parentino persolvendis. Ac ne jurgia aut litis occasiones orirentur inter episcopos Parentinos & inter monachos, Azzica comitissa terras pro decimis dono dederat episcopo Parentino. Plura hujus generis judicata, quæ contra monasterium de Lemmo pro episcopis Parentinis tum hoc, tum sequenti seculo prolata fuere, revocata & emendata sunt seculo XV. ut suo loco videbimus. Lata fuit superior sententia *apud flumen Arsam in Histria anno Domini* M. C. LXXVI. *indictione* IX. mutata mense septembri. Venerandus episcopus Tergestinus omittitur ab Ughellio & ab ejus illustratoribus. Venerandi nomen sive Wernardi occurrit & ad annum *1164*. tanquam testis in documento Voldarici Aquilejensis patriarchæ apud Coletum [a] in Italia sacra. Quare facile idem est est ac Bernardus, dictus etiam Guarnardus, episcopus simul Tergestinus & Justinopolitanus, de quo plura habentur apud eumdem Coletum coll. 372. & 577. immo & ad annos 1149. & 1158. [b] tum in præcepto Conradi III. regis, tum in alio documento apud eumdem. Johannis autem Æmoniensis episcopi electionis annus ex Odelrici patriarchæ sententia a nobis allata dignoscitur.

ANN. CHR. 1176.

XVIII. Sententia Odelrici patr. Aquilejensis pro ep. Parentino.

a *T. V. col.* 73.

b *Ibid. col.* 63

EODEM *anno mense januario indictione* VIII. Adanulphus præpositus canonicæ Arretinæ & Rusticus archidiaconus aliique canonici transegerunt cum Placido abbate sanctæ Mariæ de Urano recipiente vice Ildebrandi prioris Camaldulensis, & remiserunt ei possessiones omnes & proprietates prædiorum urbanorum & rusticorum, quæ olim fuerunt Quintavallis & Astulphi, idest castrum de Planetulo cum curte sua, & castrum de Valialla, excepto jure, quod præfatus prior Camaldulensis habebat in castrum & curtem de Toppole, salvo si homines de Toppole vel ecclesiæ ejusdem loci possessiones obtinerent in curte de Planetulo. Item refutaverunt seu confirmarunt paginam refutationis castri de Mojona cum curte sua confectam anno 1173. promissione etiam adjecta se non fore alienaturos castrum de Toppole. Ex chartario [c] monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus habemus hoc eodem anno Adanulphum de consensu canonicorum investisse Ildibrandinum & Ugum de turri, castello & curte Toppole. Chartam refutationis hujus anni edimus ex autographo archivi Camaldulensis.

XIX. Alia commutatio bonorum inter canonicam Arretinam & eremum Camald.

c *Num.* 77.

PETRUS abbas sancti Michaelis de castro Brittorum dedit Scholasticæ abbatissæ ecclesiæ sanctæ Christinæ Septem-fontium titulo permutationis ecclesiam sancti Andreæ de Basiliano pro ecclesia sancti Johannis de Fontana curiæ Medicinæ, ut liquet ex autographo instrumento asceterii

XX. Paginæ Bononienses & Valle-castrenses.

Ann. Chr. 1176.

sanctæ Christinæ de Bononia signato *anno Domini millesimo centesimo septuagesimo sexto, imperante Friderico Romanorum imperatore* III. *kal. junii indictione* IX.

Ipso anno Matthæus filius Transmundi concessit ecclesiæ sancti Salvatoris & sancti Romualdi ædificatæ in fundo Vallis de Castro in manu Guilielmi abbatis medietatem bonorum suorum, quæ posita erant in comitatu Camerinensi & in fundo *la Montanea de Savicino*, scilicet in monte Suavicinio; quartam nimirum partem castri Civitellæ cum quarta parte turris, totam decimam, quam habebat in monte Martini, & quartam partem mortuorum castri Civitellæ una cum corpore suo, uxoris & hæredum suorum, cum defuncti fuerint. E contra Guilielmus abbas promisit *murare gironem* Civitellæ, ubi necesse fuerit, & insuper dedit *benedictionem* duodecim librarum denariorum Matthæo præfato pro suo beneficio, accipiens ipsum in fidelem sui monasterii, & spondens daturum se equum valentem libras decem denariorum. Chartam producimus ex authentico exemplo tabularii sancti Blasii de Fabriano, in quo etiam sequens monumentum de turri Civitellæ habetur. *Turris, quæ vocatur Civitella.* „ Juxta hos confines est quædam turris, quæ Civitella vocatur, & pertinet monasterio Vallis-castri, cujus possessiones sunt partim „ laborativæ, prativæ & sodivæ, & partim silvatæ. Est notandum, „ quod quidam Matthæus Transmundi in anno M. C. LXXVI. donavit „ quartam partem dictæ turris cum sex modiolis terræ præfato monasterio Vallis-castri. Accidit tempore Eugenii, quod comes Franciscus fugatus fuit de provincia Anconitana per stipendiarios ecclesiæ. Terra „ sancti Severini tyrannica potestate occupabat præfatam turrim cum suis „ possessionibus, & dicta terra erat tunc rebellis ecclesiæ Romanæ; fuit „ capta dicta turris per præfatos stipendiarios, & per patriarcham Aquilegensem, qui præerat genti armorum ecclesiæ, fuit concessa terræ Fabriani. Communitas Fabriani animadvertens, quod erat dicta turris „ juris Vallis-castri, restituit dicto monasterio, & pro monasterio fuit „ possessa per plures annos, & inde per dictam communitatem sancti „ Severini clam fuit furata, & tyrranice tenuerunt & tenent, per dominum cardinalem Firmanum, qui erat legatus provinciæ, fuit confirmata prædicto monasterio, & item per dominum cardinalem Bononiensem „ tunc legatum tempore Nicolai. “ quinti scilicet hujus nominis.

XXI. Investitura facta ab Ildebrando priore Camald.

„ Ildebrandus prior Camaldulensis & Placidus electus prior eremi dicti loci, cum consensu eremitarum & præsentia monachorum, „ ut legitur [a] in indicibus Baroncinii, mense aprili hujus anni dederunt „ & concesserunt in feudum Ugolino Griffoli de Carciano ejusque filiis & „ hæredibus de progenie in progeniem totum id, quod ad præfatam eremum spectabat quovis modo, jure & usu de bonis olim Astulphi & „ Quintavallis avunculi prædicti Ugolini infra hos fines: Sicut currit rivus Sestolæ in flumen Soaræ, & fossatum, quod vadit super ecclesiam „ sancti Laurentii de Domazano a flumine Soaræ usque ad summitatem „ collis de Anglare versus Pantanetum, & versus Catilianum usque ad „ rivum Centenæ, tam homines, quam eorum tenimenta infra prædictos „ fines; pro quo feudo Ugolinus promisit se soluturum eremo Camaldulensi censum annuum solidorum decem, & præstitit juramentum fidelitatis, & promisit idem facturos filios suos. Ildebrandus vero spopondit „ nulli personæ potenti prædictum feudum se alienaturum, excepta ecclesia sancti Donati, cum qua pactus est de proprietate dicti feudi, & „ vicissim Ugolinus præfata omnia bona sine fraude detenturum &

„ recu-

[a] §. *Investitura n.* 13. *A.* 2. 18.

„ recuperaturum; quibus spretis vel non exhibitis fraudolenter, feudum „ ad eremum revertatur. Actum in domo, quæ Clericaria vocatur, juxta monasterium Camaldulense, manu Tancredi notarii. “ Similiter “ „ mense junio [a] anni sequentis idem Ildebrandus, consentientibus eremitis, & Rodulpho aliisque fratribus de Fonte-bono, concessit eidem Ugolino medietatem omnium donamentorum hominum de terra olim Quintavallis, & medietatem locationum & dislocationum, albergarias omnes & paleas & hujusmodi servitia, & medietatem omnium placitorum finitorum per judicem, & omnia banna usque ad solidos duos, & medietatem summæ excedentis duos solidos. Item stariora octo terræ pro horto & vinea in Planetulo, & spatia terreni extra castrum Planetuli ad domorum fabricas, usum turris castri tempore guerræ, item dominium super homines terræ Quintavallis, excepto castro Vallialłæ, pro quo feudo Ugolinus per se suosque homines fidelitatem Ildebrando priori juravit, & salvitatem omnium rerum ecclesiæ. Insuper promisit numeraturum se libras ducentas quinquaginta Lucenses aut Pisanas; manu Presbyteri notarii. “

ANN. CHR. 1176.

a *Ibidem n.* 14. *A.* 2. 22.

Henricum abbatem monasterii sancti Severi Classis exhibet nobis charta emphiteutica tabularii sancti Apollinaris alterius Classensis monasterii. Successerat is Petro post annum 1164.

ANN. CHR. 1177.

XXII. Abusus his temporibus invalescentes in Polonia.

ZELO honoris Dei percitus Bogumilus, sed inundantibus malis occurrere non valens, Gnesnensi archiepiscopatu se abdicavit hoc anno; verum audiamus prius statum infelicem rerum in Polonia his temporibus, quem describit Martinus Cromerus Warmiensis episcopus & gravissimus Poloniæ historicus. „ Inoleverat, inquit, superiorum principum negligentia & conniventia pravus & barbarus mos apud proceres & equites Polonos, ut iter facientes quotiescumque & ubicumque collibitum esset, agros atque prata agrestium & oppidanorum depascerent, ac non modo pabulum, sed etiam victum omnem ipsis imperarent, sive adeo ipsi effractis horreis atque cellis per vim auferrent, neque contenti, quantum libuisset assumpsisse, reliquum etiam malitiose profundebant, dissipabant & corrumpebant; jumenta e pascuis & ex stabulis, atque etiam juncta curribus & aratris utenda vel potius ad cursum abutenda abducebant, eaque vel defatigata & enecta dimittebant, vel si forte placuissent, retinebant & usurpabant. Quin & præfecti principis idem faciebant, & principis horrea, prædia fiscumque facultatibus, quæ cultus divini administris & egentibus dedicata erant, augebant. Hæc quamvis iniqua, injusta, crudelia & impia, quamvis acerba miseris hominibus & intolerabilia, tamen quia longa consuetudine inveteraverant, legisque vim propemodum obtinebant, & a proceribus, quibus erant utilia, defendebantur, difficile erat abrogare. “ „ Nulli tamen labori pepercit sanctissimus Gnesnensis archiepiscopus Bogumilus; atque coegit, sequitur Demalevicius, [b] nationale concilium Lanciciæ, quærens remedia, quibus iret obviam tam sceleratis militum ausibus, ad quod cum omnes episcopi convenissent, concordibus votis, & unanimi consensu sanxerunt: *Ut qui bona, possessiones & quasvis facultates obitu episcoporum defensoribus orbas occupasset aut invasisset; Qui agricolarum jumenta, currus aut annonam vi extorquerent; Qui res decedentium sacerdotum usurparent, & pro libitu diripere, distrahere aut in suos usus convertere auderent, tam diu anathemati subjacerent, donec omnia plene dominis suis, vel iis, ad quos de jure dispositio spectabat, restituerent.*

b *Pag.* 122.

Ann. Chr. 1177. „ Quæ lex, ut perenne firmitatis robur obtineret, & potentius improbis „ obsisteret conatibus, decreto supremi ecclesiæ hierarchæ Alexandri III. „ firmata est, & tandem a Zdislao Bogumili secundo successore ad exe„ cutionem deducta, Casimiro Justo principe auctoritatem, & vires exe„ cutioni necessarias interponente. “

Hanc tamen nationalem synodum, quam Bogumilo Demalevicius, tribuunt alii Poloni scriptores eidem Zdislao archiepiscopo. Facile pluries actum fuit in conventibus episcoporum de hujusmodi abusibus tollendis, & tandem res perfecta fuit sub Zdislao archiepiscopo, & sub Casimiro Justo rege.

Aliud perniciosum malum irrepserat in Polonia; nimirum ut sacerdotes incœstis nuptiis se coinquinarent. Quam rem canonibus adversantem & sacerdotali puritati contrariam damnare nunquam non desinebat sanctus & integerrimus archiepiscopus; [a] „ qui eo vel maxime doluit, quod „ magistri prurientes auribus, qui in partem laboris pastoralis ab illo „ adsciti fuerant, damnatis nuptiis irretiti tantum abest, ut denuntiarent „ populo scelera, illumque ira Dei ac æternis suppliciis peccatis constitu„ tis perterrefacerent, ut etiam militarem furorem in sanctum præsidem „ sacrilegas damnantem nuptias accenderent, ut quo minus sibi vacaret „ plurimis vexationibus, injuriis & persecutionibus implicito in hæresim „ Nicolaitarum inter sacerdotes late serpentem animadvertere, eo licen„ tiorem vitam securius agerent, cæci cæcorum duces, impiorum consilio„ rum contra pastorem fomenta subministrantes. “

a Pag. 110.

Pariter non multo antequam archiepiscopale deponeret fastigium Bogumilus, quidam „ [b] Bolesta impius Polonus ausu temerario bona ec„ clesiæ Plocensis invaserat, cujus episcopus erat Wernerus, equestri Ro„ sarum prosapia oriundus, sanctimonia vitæ conspicuus, & insigni do„ ctrina præditus. Fuit Bolesta ejus gentis, quæ soleam equi gerit pro „ stemmate, Cruce altrinsecus eminente, castellanus Viscensis, vir potens „ & audax, audaciam hominis fovente principe, cujus auctoritate oram „ Prussiæ finitimam gubernabat. Cum Crascum pagum ecclesiæ Plocensis „ ademisset Bolesta, & Wernerus comitem orasset, ne vim ecclesiæ in„ ferret, ubi nihil proficiebat, vocaverat episcopus in jus occupatorem, „ causam obtinuerat, & in possessionem immissus fuerat. Iratus Bolesta „ subornatos sicarios in villam Biskupice, ubi tunc episcopus morabatur, „ cum fratre Bienassio expediit, qui dormientem episcopum in cubiculo „ una cum Benedicto sancti Benedicti monacho crudeliter trucidaverant. „ Licet indignus parricida flammis a principe concrematus fuisset, non „ deerant tamen tam scelerati criminis vel patroni, vel propugnatores, „ vel socii, vel imitatores etiam Bogumili archiepiscopi temporibus, „ qui bona ecclesiarum truculenta rabie vastarent, quorum facinorum „ cum præcipuos auctores frequentius admonuisset, nihilque blandis ad„ monitionibus profecisset, constanti magnanimitate & imperterrita forti„ tudine gladium spiritualem strinxit in sacrilegos, non alio eventu, „ quam ut in bona ecclesiarum sæviore tumultu irruerent, & in eis de„ vastandis tanto furerent insolentius, quanto se læsos ab archiepiscopo „ gravius interpretarentur. “

b Pag. 114.

Addit Martinus Baronius [c] aliam causam, cur de deponendo archiepiscopali onere cogitaverit Bogumilus, odium scilicet Premislai II. principis Posnaniensis & majoris Poloniæ, qui Lucardim pudicam consortem suam inique, eo quod nullam ex ea prolem susceperat, strangulare jusserit; cujus facinus detestatus Bogumilus impium principem acriter redarguerit.

c Pag. 35.

Sed

Sed tempora Bogumili & Premislai II. minime conveniunt, cum Premislaus II. filius alterius Premislai & nepos Miecislai, nonnisi anno 1257. mortuo patri in Posnaniensem & Gnesnensem principatum successerit, & uxorem Lucardim anno 1273. ductam jugulari a suis pedisequis præceperit anno 1283. seculo proinde integro post Bogumili archiepiscopatum & vitam, qui ecclesiam Gnesnensem rexit temporibus Boleslai & Miecislai. — Ann. Chr. 1177.

XXIII. Bogumilus nuncium mittit archiepiscopatui Gnesnensi.

Superioribus itaque rationibus motus, & calamitatibus pertæsus Bogumilus, concupitam solitudinem, cui inhiaverat a primis annis, animo suspirans, & ut occasionem graviter Deum offendendi furentibus animis subtraheret, re diu apud se agitata, virisque religiosis in consilium adhibitis communicata, exemplum gentilis sui sancti Adalberti refractarios Pragenses deserentis sequi constituit, „ ac proinde (verba sunt Demalevicii [a]) ad Alexandrum III. Venetiis tunc commorantem se contulit, „ cui exposita sacerdotum populique sui protervitate, & supervacaneis „ curæ pastoralis recensitis laboribus, solutionem ab ecclesiæ Gnesnensis „ vinculo demissa supplicatione poposcit, ut tranquillius suæ saluti vacaret, alienæ curis inutilibus exsolutus; cujus petitioni non difficilem „ præbuit assensum Alexander, compati edoctus alienæ calamitati sua, „ quam interea tolerabat, persecutione."

[a] Pag. 133.

Porro cum hæc in vita Bogumili enarret Demalevicius, exploratumque sit præsenti dumtaxat anno Alexandrum III. Romanum pontificem in Venetiarum urbem concessisse, ut pacem ibidem cum Friderico firmaret, & cum insuper claris conceptisque verbis doceat nos Demalevicius Bogumilum anno *1167.* successisse Johanni, cujus obitum duobus dumtaxat annos prævenit Dlugossus, jam satis patet abdicationem Bogumili illigandam esse cum anno præsenti, post decem vel duodecim administrationis pastoralis annos. Quare mirari subit, cur idem Demalevicius in serie archiepiscoporum Gnesnensium triennium dumtaxat in sede Gnesnensi tribuat Bogumilo, cui duodecennium tribuit in vita singulari edita? „ Exantlatis, inquit, [b] plurimis intra triennium laboribus „ in ecclesiastica disciplina instauranda, quæ graviter labefactari cæperat, cum suus antecessor vehementius ischiadica ægritudine conflictatus omnes diœcesis suæ partes lustrare, & in depravatos sacerdotum mores animadvertere, ac equestrem ordinem a direptionibus ecclesiæ bonorum cohibere non posset (urgebat virum apostolicum ferventem zelus domus Domini) quid faceret? cum se tot & tantis „ curis Æthiopem lavare videret, illis in libidinem sacrilegam per incæstas nuptias ruentibus, iis in oppressione ecclesiarum rabioso quodam impetu effusis *&c.* inter tot calamitates gentilis sui & cognati „ divi Adalberti sequi exemplum constituit; itaque consulto sedis apostolicæ oraculo, ac relaxatione vinculi ab ecclesia metropolitana obtenta, cujus sollicitudinem in humeros Petri sedi apostolicæ diligenter commendati deposuit *&c.*" (Petrus fuit juxta Demalevicium successor Bogumili in cathedra Gnesnensi.) Multoque magis miramur Papebrochium in actis Sanctorum, [c] qui eamdem a Demalevicio scriptam Bogumili vitam ob oculos habens, eamque unice suæ collectioni inserens, quinque annos licet non integros sedis Gnesnensis Bogumilo tribuit: „ Qui, ait, post annos gesti muneris quinque non integros, „ captus desiderio solitariæ vitæ ex Camaldulensium institutione ducendæ, honori simul renuntiavit & oneri anno 1172." Vel ergo dicendum, attenta Demalevicii secunda narratione, Bogumilum post triennium

[b] Pag. 109.

[c] T. II. Jun. pag. 340.

nium

Ann. Chr. 1177.

nium tantum archiepiscopali dignitati nuntium remisisse anno 1170. tribus annis scilicet post mortem Johannis, & tunc ipsum accessisse ad Alexandrum III. non Venetiis, sed Beneventi, vel Anagniæ vel Romæ commorantem; vel dicendum, attenta prima narratione, post x. sive xii. administrationis Gnesnensis annos Venetias accessisse hoc anno ad archiepiscopalem sarcinam deponendam. Præsertim cum majori lumine ex antiquitate destituamur, & cum Dlugossus, quem cardinalis Baronius parentem historiæ Polonicæ merito habet, & cujus auctoritati potissimum innititur, inconsultis veteribus chartis, Bogumilum in archiepiscopis Gnesnensibus præterierit, nullumque verbum de eo fecerit.

XXIV. In Hungariam proficiscitur, ut eremiticam vitam profiteatur, inde in Poloniam redit.

a Pag. 134.
b Pag. 135. & seqq.

Sed ad Demalevicii historiam redeamus [a]. „ Venetiis rediens Bogumilus, prosequitur, perrexit in Ungariam, ubi eremitæ Camaldulenses a sancto patriarcha Romualdo missi morabantur, a quibus modum vivendi eremiticum didicit, atque sic obtenta summi pontificis licentia, secessit in eremum Dobrowensem, ubi duo rapidis vorticibus flexuosi fluvii Warta & Nyr coeuntes omnem aditum populo mæandris tortuosis & profundis intercludunt. “ Tum describit [b] institutum eremitarum Camaldulensium propagatum per Romualdi discipulos in Poloniam & in Hungariam, quæ nos fusissime prosecuti sumus tomo I. annalium nostrorum, animadvertitque discipulos in Hungariam a Romualdo missos in tantum Camaldulensis ordinis observantiam in ea regione propagasse, ut jam monasteria reliquos ad societatem illius vitæ aspirantes capere non possent, ideoque Romualdinæ austeritatis imitatores tuguriola sibi excitasse in solitudine, in quibus more antiquorum eremitarum singuli viritim habitabant, sed nullius obedientiæ jugo subjecti, sanctum Paulum primum eremitam & alios subsequentes patres imitando, ex vitisque illorum relictis exempla vivendi depromendo. Tandem ab exstasi contemplationis amore juvandi proximos excitos in cœnobia se ac civitates & oppida, ut ibi evangelizarent, ac curæ salutis, non propriæ dumtaxat, verum etiam alienæ incumberent, actionem contemplationi junxisse, strictum illud vivendi genus perpetuæ a carnibus abstinentiæ ob labores, quos in concionibus & confessionum exceptionibus, ac sacramentorum administrationibus subire debebant, summo Christi vicario temperante, & ad regulam illos sancti Augustini transferente, postquam eos in sollicitudinis circa curam animarum partem archiepiscopus Strigoniensis vocasset anno Domini 1214. quorum institutum Gentilis presbyter cardinalis legatus de latere Clementis V. anno Domini 1308. approbavit apostolica suffultus auctoritate. Subdit Demalevicius habitum illos album eremitarum Camaldulensium retinuisse, ac eremitas sancti Pauli deinceps vocatos. Sed de hac re suo loco. A discipulis ergo discipulorum Romualdi eruditus Bogumilus ex Hungaria Poloniam rediit, ac in eremum solitudinis suæ Dobrowensis, ubi junior ecclesiam sanctissimæ Trinitatis ædificaverat, provectior autem animarum curam susceperat, nunc deposito onere archiepiscopali se recepit. Totus est Demalevicius in laudibus eremiticæ vitæ describendis, in paupertate Bogumili, tentationibus, virtutibus, constantia, abstinentia, amore Dei & erga proximum ejusque prædicationibus stilo suo exornandis, quæ consulto omittimus, quia ut observat Papebrochius, „ narrationes potius sunt eorum, quæ facere debuit Bogumilus, ut sanctus evaderet, quam quæ ab eo peculiariter fuerint facta. “ De Bogumilo cetera ad annum ipsius emortualem.

XXV. Rainerius archiep. Spalatensis jura ecclesiæ suæ tuetur, & legati apostolici munere fungitur.

Rainerius ante biennium ex Calliensi ad Spalatensem cathedram translatus, zelo etiam ipse Divini numinis ductus, & juribus ecclesiæ sibi con-

concreditæ servandis apprime vacans, clerum & populum suum ad rectam vivendi normam quammaxime curabat exigere, & bonis violenter diremptis ecclesiæ suæ simul recuperandis totis nisibus intendebat. Cœpit autem, inquit Thomas archidiaconus [a], *ecclesiam multa prudentia gubernare, emendare clericos, populum instruere salubribus documentis, facultates ecclesiasticas vigilanti studio ampliare.* Sede deposuit pariter episcopum Insularum, Martinum nomine, senectute & morbo amentem effectum, cujus proinde vecordiam Insulani ferre non valebant, ideoque ex urbe expulerant, & accedentes ad Rainerium archiepiscopum, elegerant sibi in episcopum Luccarum filium Duymi Ciclæ archidiaconum ejusdem ecclesiæ, quem ipse consecravit. *Verum cum recuperata sanitate jam compos mentis denuo effectus fuisset Martinus, & querelam summo pontifici Alexandro III. exposuisset de sua expulsione, & de Luccari intrusione, ipse Rom. pontifex auditis & cognitis causæ meritis, Luccarum deposuit, Martinum vero ad suam pristinam sedem remisit.* Id contigit hoc anno, *quo Alexander navigans ex Apulia, venit,* teste eodem Thoma archidiacono, *ad insulam Lissam. Quod statim ac nuntiatum fuit Rainerio archiepiscopo, præparatis navibus multis, cum magno comitatu cleri & nobilium civitatis venit ad eum, deferens ei cibaria & xenia multa. Tentabat insuper rogare eum, ut ad Spalatensem urbem, quæ prope erat, divertere dignaretur, sed non acquievit papa; festinabat enim ire Venetias ad componendum cum Friderico imperatore. Navigavit ergo inde, & venit Jaderam, ivit enim Rainerius archiepiscopus cum eo.* Verisimiliter non solum ad Jaderensem urbem, sed Venetias usque Romanum pontificem comitatus fuit Rainerius, in qua urbe postea mense augusto concordia illa secuta est inter Romanum pontificem Alexandrum & inter imperatorem Fridericum, de qua inferius.

ANN. CHR. 1177.

[a] Pag. 329. & 330.

Digrediens postea, sed ante pacem firmatam, Rainerius ab Alexandro, apostolicæ sedis legationem obtinuit in partibus Dalmatiæ & Histriæ. Quare vigesima-tertia die julii hujus anni sequentem ipsi & Traguriensi episcopo scripsit ex Venetiarum urbe epistolam Alexander, quam in suis de Dalmatiæ regno libris affert Lucius [b], nos vero ex ipso ad illustrationem factorum Rainerii recudimus.

[b] Pag. 133.

Alexander episcopus &c. venerabilibus fratribus Spalatensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, & .. Traguriensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

Cum dilectus filius Raimundus de Capella subdiaconus noster a præsentia carissimi in Christo filii nostri Willelmi illustris Siciliæ regis, ad quem fuerat a nobis, & a dilecto filio nostro Jacobo sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinale transmissus, rediret ad nos, piratæ, qui erant in sagettia comitis de Sevenico, in qua duo comites erant, Nestros videlicet & Poclat, in ipsum & socios suos præsumpserunt violentas manus injicere, & ei, quidquid habebat in navi valens, ultra sexaginta marchas argenti, & literas etiam nostras, & illas etiam, quas præfatus rex nobis mittebat, ut scriptum de d.... pecuniæ ipsius cardinalis, ei turpiter & inhoneste auferre minime dubitarunt; super quo itaque tanto movemur amplius & turbamur, quanto id amplius in nostram injuriam respicit & contemptum, cum tantam jacturam & injurias cujuslibet clerici, nedum subdiaconi nostri, non possemus sub taciturnitate & silentio præterire. Quoniam igitur sustinere non possemus, nec debemus, ut tanta præsumptio & excessus incorrectus remaneat, fraternitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, quatenus illos duos comites & piratas & raptores

Ann. Chr. 1177.

res alios, qui in prædicta sagettia fuerunt, quantocius moneatis, ut tam literas, quam etiam ablata nuntio memorato subdiacono nostro, præsentium latori, sine diminutione & dilatione, cum expensis, quas propter hoc facere coactus est, restituant, & comitem de Sevenico, cujus illa sagettia fuit, ad restituendum quidquid de his ad suas manus devenit, diligenter inducatis; si vero ad commonitionem vestram id non fecerint, eosdem & omnes, qui tunc in prædicta sagettia fuerunt, contradictione & appellatione cessante, publice accensis candelis auctoritate nostra excommunicetis, & si nec sic infra decem dies resipuerint, in civitate Sevenici, & in alia terra comitatus Sevenici, si ejus fuit ipsa sagettia, omnia divina, præter baptisma parvulorum & pœnitentiam, prohibeatis officia celebrari. Illos autem, qui in prædictum subdiaconum nostrum violentas manus injecerunt, sublato appellationis remedio, publice excommunicatos sine dilatione denuncietis, & eos faciatis sicut excommunicatos vitari, donec universa ablata restituant, & cum literis vestris nobis & prædicto cardinali, necnon etiam eidem subdiacono nostro satisfacturi ad apostolicam sedem accedant; qualiter autem idem nuncius cum his, quæ recuperavit, ad nos secure possit redire, studeatis sollicite providere. Porro si uterque vestrum .... sequendis interesse non poterit, alter & ea nihilominus exequatur. Datum Venetiis Rivoalti x. kal. augusti.

Sub eodem Rainerio Gregorius Antibarensis archiepiscopus declarationem fecit ecclesiam suam, licet subjectam Salonitanæ seu Spalatensi, metropoliticam esse, ut sequenti epistola ex archivo capituli Spalatini, quam idem auctor [a] refert, sit compertum.

[a] Pag. 91.

Venerabili patri & domino R.. Dei gratia sanctæ Salonitanæ ecclesiæ archiepiscopo apostolicæ sedis legato G.. Antibarensis minister licet immeritus salutem cum reverentia.

Ex antiquis rescriptis & monumentis antecessorum meorum, & diversis aliis conjecturis veritatem perpendens, quod Salonitana ecclesia totius Dalmatiæ dominatum & primatum quondam obtinuit, & quod Diocletana ecclesia, cujus vicem Antibarensis ecclesia in se recto transtulit consilio, in metropoli prædictæ Salonitanæ ecclesiæ consensu se ordinavit, reverentia suæ matrici servata; satis & satis mecum reputans tam gravissimum excessum, potius cum honore fore sepeliendum, quam quod ut ad consequentiam & exemplum traheretur, ut illa nobilis ecclesia tam nitidissimis monumentis decorata diutius in tantum sua privaretur nobilitate; hinc enim quoque curiosus permansi, volens debitam decenter reverentiam dominæ meæ firmiter exhibere, nuntium certum hoc agendi per me non tamen inveniens, laudem Dominus noster verus, qui pia gubernatione quemlibet amplectitur, fidelissimos nuntios vestros mag. F.. & R.. qui supra certa servitia vestra tractare procurant, mihi multa volventi dirigere destinavit, quorum avidis precibus .... & quibus inclitam vestram voluntatem referentibus, jam ecclesiam vestram in matrem & dominam recognoscere destinavi, & ei debitum honorem & reverentiam seu dominæ speciali exhibere. Ita tamen quod mihi ad pallium ad vestrum servitium a curia Romana inquirendum tamquam in negotio proprio curiosius existatis, & quod consilium, auxilium & adjutorium huic ecclesiæ Antibarensi cum successoribus vestris mihi & successoribus meis perpetuo vos & vestri successores impendatis, & quod dominus papa hoc velit, vobis incumbat. Me autem eidem hoc domino papæ attestaturum personaliter, vel internuntio omnino fore sciatis.

Gregorius Antibarensis archiepiscopus testis legitur apud eumdem Lucium in sententia lata a Petro Spalatensi archiepiscopo, a Matthæo Nonensi

nensi episcopo, & a comitibus Jaderæ, & Spalati, judicibus a rege Hungariæ delegatis anno 1194. die IX. julii inter Templarios & monachos sanctorum Cosmæ & Damiani de Monte Jaderensis diœcesis.

ANN. CHR. 1177.

XXVI. Theobaldus monachus Avellanæ olim ep. Eugubinus ad Jaderensem archiep. promovetur.

CIRCA hunc annum mortuo Lampridio archiepiscopo Jaderense petierunt Jadertini ab Alexandro III. episcopum Eugubinum sibi præfici in archiepiscopum. Is fuit Theobaldus, qui ex priore monasterii Fontis-avellanæ suscepto regimine ecclesiæ Eugubinæ anno 1160. post mortem Ubaldi episcopi sanctissimi, per aliquot menses tamquam electus præsederat ei ecclesiæ, inde secedens, sive malevolorum factione, sive ne cum schismaticis episcopis participaret, locum fecerat Bonacto, & Bonacti successoribus episcopis, vel pristinam suam Font-avellanensem solitudinem petens, vel episcopali honore contentus privatam vitam agens, vel demum mortuo aut exturbato Bonacto rursus post annum 1163. accitus ab Eugubinis ad ipsorum ecclesiam regendam. Ughellius [a] Theobaldum sanctis operibus clarum diem suum obiisse vigesima februarii anni 1171. scribit in ecclesia Eugubina, ad cujus regimen perseverasse ad obitum usque existimat, & ad ipsius petitionem affirmat Alexandrum III. anno 1170. privilegium concessisse canonicis Eugubinæ ecclesiæ. Sed jam constat ad Jaderensem ipsum transiisse ecclesiam.

Theobaldi translationem ad cathedram Jaderensem dicimus ad hunc circiter annum esse statuendam, nam Lampridius ipsius prædecessor in archiepiscopatu ejus ecclesiæ ab anno 1145. quo pallium recepit ab Eugenio III. Romano pontifice, vivebat ex fragmentis chartarum, quas affert Lucius [b], annis 1167. & 1174. immo hoc ipso anno 1177. *Temporibus equidem Sebastiani Ziani ducis Veneti, & Lampredii venerabilis archiepiscopi, atque Dominici Mauroceni comitis.* Ex sanctuario vero Arbensi aliam chartam producit idem auctor scriptam anno 1180. *Temporibus Aurii Mastopetri ducis & Theobaldi venerabilis archiepiscopi & Dominici Mauroceni comitis.* Quare inter utrumque annum sedes Jaderensis seu translatio Theobaldi ad cathedram Jaderensem est collocanda.

Theobaldo electo archiepiscopo, recruduit Jaderensium pervicacia, qua moliebantur se subtrahere a subjectione patriarchæ Gradensis; sed præstat Andream Dandulum exscribere, qui postquam turbas Jadertinas narravit sub Lampredio prædecessore, hæc prosequitur de turbis sub Theobaldi regimine: *Jadertini*, inquit, *suæ sedis dedignantes subjectionem, ne in Lampredii defuncti eligendus successor a Gradensi patriarcha confirmationem susciperet, ab Alexandro papa Eugubinum episcopum ab iis electum archiepiscopum obtinuerunt, cui in traditione pallii commisit papa, ut Gradensi patriarchæ obedientiam primati debitam exhiberet, non intendens, ut scripsit, juri Gradensis ecclesiæ ex hoc aliqualiter derogare. Archiepiscopus Jaderæ receptus reverentiam patriarchæ exhibere a civibus non solum prohibitus, sed etiam ut ecclesiam suam eximeret, cum aliquibus civibus Romam accedere coactus fuit, qui iens apud Fossam-malam infirmatur, literis & nuntiis Jaderensium propositum pontifici enarrat.* (in charta Vangaticiensi anni 1172. Fossam-malam reperimus in territorio Gavellensi, per quod ex Dalmatia ad Urbem, vel etiam Venetias, ubi hoc anno morabatur Alexander, facile erat iter. Pariter in veteri necrologio monasterii sancti Gregorii urbis Venetiarum ad diem vigesimam-quintam februarii legitur: *Obiit presbyter Bonus prior sancti Leonardi de Fossa-mala.*) *Papa igitur eum redarguens inter cetera per epistolam ait*; quæ eo libentius afferimus ad Venetiarum urbis immortalem gloriam. *Venetia in unitate catholica laudabilis stetit, & fuit civitas refugii episcopis & aliis ecclesiarum prælatis,*

[a] T. I. col. 638.

[b] Pag. 139.

Ann. Chr. 1177.

latis, qui de Lombardia, Thuscia & Marchia a sedibus propriis instante schismate illuc divertere voluerunt. In reformatione quoque ecclesiæ, qualiter sedem apostolicam adjuverint & honoraverint, ad tuam credimus notitiam pervenisse. Quia igitur tibi imminet subjectos a præsumptione sua compescere, cum non debeamus sequi populum, sed docere, mandamus, quatenus infra tres menses, postquam Jadram iveris, pergens Venetias eidem patriarchæ obedientiam & reverentiam primati debitam promittas & impendas, & clerum & populum tuum ad idem, sicut te decet, inducas, ita quod ipse patriarcha contra te materiam conquerendi non habeat, nec inter Venetos & Jadrenses gravis ex hoc & periculosa discordia oriatur. Alioquin usum tibi pallii interdicimus, & te consecrandi suffraganeos tuos, & ecclesias dedicandi auctoritate privamus. Sed archiepiscopus Theobaldus rediens ad suam ecclesiam per Jaderenses elatos adimplere mandata Romani pontificis pertinaciter prohibitus fuit. Cetera ad annum 1190.

XXVII. Concordia inter Alexandrum III. & Fridericum imp. secuta Venetiis.

Annus fuit iste concordiæ inter sacerdotium & imperium, inter Alexandrum III. nimirum Romanum pontificem, & inter Fridericum imperatorem. Pro loco concordiæ firmandæ electa fuit urbs Venetiarum. *Quinto idus februarii indictione* X. *pontificatus* sui *anno* XVIII. adhuc morabatur in Apulia Romanus pontifex; ex urbe enim Vestana per manus Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii ea die Antonio priori sanctæ Mariæ in Pulsano & fratribus suis eremiticam vitam agentibus privilegium indulsit, enumerando omnia ejusdem congregationis loca; quod publici juris facimus ad calcem Appendicis hujus tomi. Ibidem ecclesiam Pulsanensem dedicavit, teste Jordano in historia sancti Johannis Materensis abbatis & fundatoris Pulsanensis, quæ extat apud Henschenium in Actis Sanctorum [a].

[a] T. *IV. jun. pag.* 40.

XXVIII. Privilegium Alexandri III. Vangaticiensi monasterio.

Die nona martii navim conscendit; die decima-tertia Jaderam appulit, vigesima autem vel vigesima quarta ejusdem mensis Venetias pervenit. Cum autem Ferrariensi in urbe moras traheret, ubi *se* receperat ex eadem urbe Venetiarum die dominica Passionis, ut ibidem nuncios imperatoris exciperet & audiret, ac firmius locus habendi congressus statueretur, amplum privilegium concessit Isaac abbati monasterii sanctæ Mariæ de Vangaticia, quo suscepit sub protectione apostolicæ sedis præfatum monasterium, quod *a recolende memorie*, inquit, *Hugone quondam marchione constat esse constructum, atque a predecessoribus nostris sancte recordationis Silvestro, Calixto & Innocentio Romanis pontificibus libertate donatum, tamquam ad jus beati Petri & sancte Romane ecclesie speciali prerogativa pertinens.* Bona, quæ recensentur, eadem sunt, quæ leguntur in privilegiis Calixti & Innocentii. *Datum Ferrarie per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii nonis maji indictione* X. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXVII. *pontificatus* vero *domini Alexandri pape* III. *anno* XVIII. Pontificium diploma edimus ex authentico exemplo a tribus notariis confecto, sed omissis nominibus cardinalium & episcoporum, *anno Domini* M. CCC. XLV. *indictione* XIII. *de jovis* VII. *aprilis* coram domino Jacobo de Grassonibus Mutinense, potestate prædictæ terræ, nempe Abbatiæ-Pollicinii, quæ nomen recepit ab abbatia Vangaticiensi. Ipsum edidere etiam Silvestrius & Blancolinius.

XXIX. Altera parthenoni Lucensi & monasterio S. Mariæ ad Carceres.

Die nona ejusdem mensis maji Venetias iterum se recepit Alexander, ubi communi suo & imperatoris consensu firmatus fuerat congressus habendus. Vigesima-septima die ejus mensis per manus Alberici cardinalis & S. R. E. cancellarii apostolica auctoritate abbatissam & sanctimoniales parthenonis sancti Petri de Luco sub apostolicæ tutelæ patrocinio admisit,

sit, ratum habens privilegium Eugenii III. & præcipiens episcopo Florentino, & præposito ejus ecclesiæ, ut tam in decimis, in sepulturis, quam in aliis apostolicis indultis sanctimoniales manutenere curarent, & a molestiis protegerent invasoribus. *Datum* est, ut effertur, Alexandri diploma *Venetiis in Rivoalto anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto* VI. *kalendas junii*, sed in apographo imperiti notarii corrigendus est annus incarnationis, & substituendus præsens. Ecclesia sancti Petri de Luco hoc tempore ab obitu sancti Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, qui martyrio coronatus fuerat anno 1170. & canoni Sanctorum ab eodem Alexandro III. anno 1173. adscriptus, præter sancti Petri apostoli, titulum alium assumpserat sancti Thomæ martyris. Supersunt monumenta celebrationis sollemnis ipsius festivæ diei penes Lucense asceterium usque ad annum 1236. Ann. Chr. 1177.

Tertium idem Romanus pontifex privilegium conscripsit die XXVIII. augusti Pistori priori monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres, censum faciens omnium ipsius loci ecclesiarum & bonorum; videlicet nominavit ecclesiam sancti Andreæ de Curterodulo cum decimis plurium locorum; donationes quoque confirmavit episcoporum Patavinorum Sinibaldi, Bellini & Gerardi. Superaddidit se probare venditionem, *quam archipresbyter de Ronco cum fratribus suis de quadam terra in Minervio rationabiliter fecit vobis & ecclesie vestre*. Datum *Venetiis Rivoalto* per manum G.. sanctæ Romanæ ecclesiæ subdiaconi & notarii, V. *kalendas septembris indictione* X. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXVII. *pontificatus* vero sui *anno octavo decimo*.

XXX. Quartum asceterio Septemfontium in Bononiensi territorio.

QUARTUM proferimus pontificium diploma eodem anno *mense octobri* transmissum a dicto Romano pontifice ad sanctimoniales sanctæ Christinæ in agro Bononiensi, & ad Scholasticam ipsius abbatissam, *Datum Venetiis in Rivoalto per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii* IV. *nonas octobris indictione* XI. auspicata mense septembri, *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXVII. *pontificatus vero domini Alexandri pape* III. *anno* XIX. quo adhærens vestigiis Paschalis papæ II. prædictum monasterium positum in loco appellato Pastina in episcopatu Bononiensi sedis apostolicæ munimine confovit. Inter bona hujus parthenonis recensentur possessiones eidem monasterio oblatæ a bonæ memoriæ viris Airardi filiis & Aidulini de proprio jure, atque a Martino Camaldulensi priore sacris virginibus donatæ. Hæc largitio contigit circa annum 1097. Fundus insuper, in quo prædictum asceterium situm erat cum omnibus bonis positis in fluvio Idicis, & molendinum inter Stratellum & castellum Odiscæ; Oblationes præterea comitis Hubaldi juxta ecclesiam sancti Johannis de Fontana, & integrum feudum Hugonis de Adelberto; donationes comitissæ Beatricis; aliæ filiorum Guidonis de Manfredo, filiorum Ildibrandi de Curte & Vivilendæ; ecclesia sancti Andreæ apostoli in massa Basiliana dono data a Gregorio abbate monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum, concedente Rodulpho priore Camaldulensi, secundo nimirum hujus nominis, & capitulo ipsius consentiente anno 1156. Voluit demum, ut locus ipse semper permaneret sub Camaldulensis prioris protectione, neque episcopo ejusque ministris liceret præfati loci congregationem aut ejus presbyteros excommunicare vel interdicere, nisi prius Camaldulensem priorem caritatis studio requisierint. Subscripserunt post Alexandrum quinque S. R. E. cardinales; privilegium edimus ex autographo tabularii parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia.

XXXI. Diplomata Friderici imp. pro Vangaticia, pro Carceribus, pro Avellanensibus & pro ecc. S. Leonardi ad flumen Æsinum.

FRIDERICUS pariter imperator Venetiis existens mense augusto ex

Ann. Chr. 1177.

palatio ducis imperiale privilegium concessit monasterio Vangaticiensi, quod jam productum a Muratorio & a Silvestrio iterum edimus ex veteri apographo ejusdem cœnobii; quo interventu Gothofredi cancellarii sui, & Marci Mauroceni honorabilis & ingenui Veneti civis, sub imperiali protectione recepit supradictum Isaac abbatem ejusque cœnobium, numerans ipsius bona. Interfuerunt Christianus Moguntinus archiepiscopus, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Arnoldus Treverensis archiepiscopus, Oldericus patriarcha Aquilejensis, Henricus patriarcha Gradensis, Sebastianus Ziani dux Venetiarum, comes Hollandiæ, Marchiones de Este Albertus & Obizo, Schinella comes Tarvisii, Wezelo de Camino, Willelmus Tempesta, Johannes filius Marci Mauroceni, & alii quamplures. *Acta sunt hec anno Domini* M. C. LXXVII. *indictione* X. *regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus* XXVI. *imperii autem* XXIV. Mense eodem, VI. nimirum Kalendas septembris, alterum dedit idem imperator monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres *Venetiis in palatio ducis* & signatum *anno Dominice incarnationis* M. C. LXXVII. *indictione* X. *regnante domino Friderico Romanorum imperatore invictissimo anno regni ejus* XXVI. *imperii vero* XXIV. *Gothefrido cancellario vice Philippi Coloniensis archiepiscopi & Italici regni archicancellarii* privilegium recognoscente, cui subscribunt Volricus Aquilejensis patriarcha, Christianus Moguntinus, & Philippus Colonienses archiepiscopi, Cuonradus Wormatiensis electus, Drudo Feltrensis episcopus, Gabriel filius Gueceli de Camino, & plures alii marchiones, comites & dynastæ. Ipso nimirum præcepto Fridericus ad petitionem marchionum Estensium, Alberti nempe, Obizonis & Bonifacii, & fratris etiam Pistoris, qui prior erat loci, monasterium Carcerum sub suæ tuitionis speciali protectione suscepit. Hinc canonici sancti Augustini prius, inde monachi Camaldulenses, qui in illorum jura introjerunt, quotannis *anniversarium invictissimi Friderici I. imperatoris* sollemniter celebrarunt, ut adnotatur ad diem XXVII. augusti in kalendario minus vetusto ejusdem monasterii, in quo etiam ad diem VI. aprilis alterum præscribitur *anniversarium illustrissimi Hieremiæ comitis Caldenatæ*, quem vidimus loci vel institutorem, vel præcipuum benefactorem.

Ibidem existens III. *idus septembris* tertium imperiale diploma dilargitus fuit ecclesiæ sancti Leonardi sitæ in litore maris prope Æsinum fluvium, ejusque rectori Benedicto, confirmans pontem ipsius loci, hospitale & omnia bona ipsius. Subjecta erant ecclesia & hospitale sancti Leonardi monasterio Fontis-avellanæ. Cui Fonti-avellanensi eremo & cœnobio ante aliquot menses, hoc est XI. *kalendas aprilis* Cucurani commorans (castrum erat Fanensis regionis) amplam auream bullam concesserat, locum & fratres dicti loci sub sua imperiali tutela recipiens; testibus Christiano Moguntino archiepiscopo, Eberardo Meserburgensi, Adelardo Hildesheimensi episcopis, episcopo Florentino, comite Hollandiæ, Walterio comite Fanensi, Rudigero comite Eugubino, Paganello de Montealbotto, aliisque. *Acta anno Domini* M. C. LXXVII. *indictione* X. *regnante domino Federico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus* XXVI. *imperii* XXIII. quod ex tabulario ejusdem monasterii Avellanensis & ex schedis Romualdi Blanci edimus in Appendice.

XXXII. Donaria a Friderico imp. missa ad monasterium Fontis-avellanæ.

Beneficum etiam se ostendit idem imperator erga præfatum monasterium Avellanense, & testimonio Jacobillii [a] dono dedit ecclesiæ ejusdem loci sacras vestes & vasa argentea altaris sui portatilis cum pluribus sacris reliquiis ligni sanctæ Crucis & aliorum Sanctorum, locatis in capsulis argenteis & aureis cum lapillis pretiosis, pallium quoque rubrum cum fim-

b *P. III. SS. Umbr. pag.* 345.

fimbriis aureis scriptum characteribus, ut ipse ait, Alemannicis, aliaque sacra dona & lipsana, quorum syllabum texit, quæ ad ipsius tempora asservabantur in cimeliarchio ejusdem monasterii. Andreas Vallemanius monachus noster, qui anno 1641. sub Mauritio abbate lectoris munere fungebatur in dicto cœnobio, quique descripsit pretiosas suppellectiles ejusdem ecclesiæ, [a] affirmat pallium sive vexillum ibidem se reperiisse auro & unionibus opere phrygio contextum cum imagine sancti Michaelis archangeli, & Emmanuelis imperatoris Græcorum, & cum literis græcis, quarum in Latinum idioma versionem dedit hujusmodi: *MICHAEL ARCHANGELUS. Auris mea exaudivit orationem tuam, & tego te alis propriis tamquam servum, inimicos autem tuos interficio ense. MANUEL. Ex utero enim materno confisus sum in te.* Ex alia vexilli parte legitur: *PRINCEPS ORDINUM INCORPOREORUM.* In medio autem vexilli hæc habentur: *Quemadmodum antea Hiesus Nave flectens genua suos pedes ante te ipsum prostravit, petens a te vires sumere, & alienigenarum subjugare turbas; ita ego Manuel servus tuus Eudociæ filius inclitæ ter beatæ....... & præveniens libera me..... ab omni periculo, & ..... habeo enim te custodem meum, animæque & corporis existens in vita, & in novissimo quoque & horrendo judicio inveniam te propitium. Per Dominum nostrum* &c. Et subtus: *Habens gemmeum germen porphyrigenitam supplici modo me prosterno ante pedes tuos, & supplico te, ut protegas me tuis alis auratis.*

ANN. CHR. 1177.

[a] Inter nostr. Anecd. MSS. T. IV. pag. 141.

Vel ergo Emmanuel Græcorum imperator, qui Anconæ & propinquis litoralibus oris dominabatur, pallium hocce transmisit & obtulit celebri Avellanensium cœnobio haud multum dissito a sua ditione; vel tempore Anconitanæ obsidionis vexillum hoc de manibus Græcorum præreptum a Christiano cancellario & duce exercitus Friderici imperatoris anno 1173. dono missum fuerat ex inimicorum spoliis ad idem Avellanense monasterium, cujus erat Christianus *commissus*. Ceterum fallitur laudatus Jacobillius, qui hujusmodi dona oblata a Friderico scribit Rainerio diacono & priori eremi Avellanensis suique studiosissimo, quod idipsum repetit in catalogo sacrarum Reliquarum; [b] quem fingit Sabino priori successisse in eremi administratione ad annum 1157. & probatissimæ vitæ opinione obiisse die quinta septembris anni 1180. cum in chartulis ejusdem loci post Sabinum Theobaldus, inde Johannes aliique priores reperiantur; Rainerii autem nomine, ut alibi diximus, paginæ signentur dumtaxat ab anno 1105. ad annum 1123. Alius quidem tunc vivebat Rainerius, ut mox vidimus, ex Avellanensi monacho Calliensis prius episcopus, inde Spalatensis archiepiscopus, & Emmanueli Græcorum imperatori acceptissimus, cui etiam a veri specie non abludit imperatorem Græcum dono dedisse præfatum vexillum, Rainerium vero archiepiscopum obtulisse & transmisisse ad suam Avellanensem eremum. Et ita non Fridericianum munus fuerit pallium hocce, sed munus vel Græci principis Emmanuelis, vel Rainerii Spalatensis archiepiscopi. Ex supralaudatis Emmanuelis imperatoris piis petitionibus evincitur ipsum fuisse filium Eudociæ, quam inter Græcas imperatrices hujus temporis non agnovit Ducangius, [c] dicendumque videtur Johannem Emmanuelis patrem, extincta Irene prima conjuge sua anno 1124. aliam superduxisse uxorem Eudociam, ex qua anno 1125. natus fuerit Emmanuel, qui tempore expeditionis Neocæsariensis, quæ superstite patre contigit circa annum 1142. duodevicesimum, ut auctor est Cinnamus apud eumdem Ducangium, attingebat ætatis annum.

[b] Pag. IX.

[c] Fam. Augg. pagg. 150. 154.

XXXIII. Ecc. & hospitale de Ravone ad urbem Bononiam tradita Camaldulensibus.

EREMO Camaldulensi oblatus fuit hoc anno in urbe Bononiensi locus pro

ANN. CHR. 1177.

pro ecclesia una cum adjuncto hospitali erigenda, ut ex sequentibus monumentis nobis relictis a Simone & a Rainerio monachis Fontis-boni addiscimus. [a] *Imelda uxor olim domni Burgari gravi infirmitate gravata sui corporis per se suosque hæredes in perpetuum pro Deo jure ultimi testamenti reliquit hæredem heremum Camaldulensem omnium possessionum suarum, quas habebat in loco dicto Beveraria, videlicet terrarum, vinearum & domorum. Item reliquit simili modo tenimentum sive locum, quem emerat, in quo hospitale & ecclesiam ad honorem Dei & beatæ virginis Mariæ in refugium pauperum ædificari statuit, & prædictas possessiones prædicto loco assignandas simili modo ordinavit. Alias de ceteris bonis suis distribuendo illa aliis piis locis, sub anno Domini* M. C. LXXVII. *decimo-tertio kalendas septembris, manu Lamberti notarii.* Hæc sunt initia ecclesiæ, hospitalis & monasterii de Ravone extra portam sancti Isaiæ urbis Bononiæ, quæ confirmata legimus Camaldulensibus annis 1184. & 1186. a Lucio III. & ab Urbano III. & subinde ab aliis Romanis pontificibus. Hospitale hocce unitum fuit a Bonifacio IX. prioratui sanctæ Mariæ de Camaldulino, quod antea anno 1262. a Massario priore generali Camaldulensi commendatum fuerat priori sancti Damiani ejusdem urbis, & anno 1303. decreto generalis capituli Bononiensis erectum fuerat in sanctimonialium asceterium. Sic appellabatur a fluviolo Ravone, qui nomen dat regioni & parœciæ sanctæ Mariæ de Ravone unius milliarii quadrante ab urbe remotæ. Fortunius & Grandius confudisse videntur erectionem loci de Ravone cum eremo de Burellis, de qua annis sequentibus. Quare ille ait: „ In eam rem Ildebrandus, qui erat prior Camaldulensis, summa „ diligentia & sollicitudine incubuit, jamjamque excitato monasterio tem- „ plum ibi sancto Salvatori, ac beatissimæ Mariæ virgini sacrandum cu- „ ravit; & Grandius allata Imeldæ donatione scribit: Quod & præstitit Il- „ debrandus tunc generalis sub invocatione sancti Salvatoris ac beatæ Mariæ „ semper virginis; " & uterque ipsorum locum de Ravone conversum in suburbanam villam, ubi seminarii Bononiensis alumni ad rusticandum conveniunt, dudum ab ordine avulsum affirmant; quæ omnia conveniunt eremo ædificatæ in silva Burellorum, & excitatæ in honorem sanctissimi Salvatoris, dictæ etiam Camaldulum de Bononia, quæ revera assignata fuit mensæ dicti seminarii. De Imelda uxore Burgari seu Bulgari, & de ipso Bulgaro videatur Grandius [b] in appendice monumentorum ad epistolam de Pandectis; De eremo vero Burellensi alibi.

a § *Amissæ* 214. *A.* 194.

b *Pag.* 268.

XXXIV. Libellus emphyteusis scriptus a Johanne abb. S. Gregorii de Urbe.

ANNO *Dominice incarnationis millesimo centesimo septuagesimo septimo* XVIII. *pontificatus domini Alexandri III. pape, indictione* XI. *mensis decembris die duodecima* Johannes abbas monasterii sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe una cum monachis sui cœnobii, Gregorio videlicet œconomo, Nicolao de Mola-rupta, Petro priore sancti Andreæ de Tibure aliisque concessit Stephano Pantaleonis & Gaytæ ejus matri & Johanni nepoti integrum castrum dictum de Guido, *cum pensione trium solidorum domini pape & quindecim saumarum lignorum.* Ex codice Gregoriano chartam edimus, ex qua in cognitionem venimus, præter obedientiam Molæ-ruptæ, quæ subjecta erat cœnobio sancti Gregorii, accessisse jam tunc eidem cœnobio etiam monasterium sancti Andreæ de Tibure, quod nunc etiam subjicitur.

In altera refutationis pagina spectante ad monasterium sancti Michaelis de Burgo Pisarum apparet nomen Zachariæ abbatis ejusdem loci, qui Gerardo successerat. *Actum Pisis, in ballatorio ecclesie sancti Martini, Dominice incarnationis anno millesimo centesimo septuagesimo octavo,*

vo, more Pisano, *idus novembris indictione* XI. incœpta mense septembri. | ANN. CHR. 1177.

XXXV. Charta monasterii Adalbertini.

GUIDO abbas sancti Adalberti in Pereo, habito consensu monachorum suorum, dilargitus est hoc anno *die* XIII. *novembris* Johanni episcopo Faventino, & canonicis ac consulibus urbis Faventinæ quascumque possessiones obtinebat cum omnibus hominibus ibidem habitantibus in territorio Faventino monasterium suum; promisit vero episcopus se defensurum eos homines contra quoscumque molestiam inferentes. Hæc apud Tonduccium in historia Faventina. [a]

a *Pag.* 212.

XXXVI. Vetera monumenta abbatiæ de Candiculis prope Florentiam.

DE monasterio sancti Andreæ de Candiculis prope urbem Florentiam, & de Petro ejus loci abbate pauca diximus ad annum 1130. Videtur Petro successisse Johannes; in restauratione enim veteris ecclesiæ, quæ contigit anno 1734. & in permutando situ januæ lateralis ejusdem ecclesiæ, inventus est, ut refert Soldanius, [b] arcus marmoreus figuris cœlatus, in quo ex una parte conspicitur Christus Dominus stans, & navicula cum Petro & Andrea, super quorum capita exarata sunt verba hæc: *Venite post me;* subtus autem pedes eorum: *Faciam vos fieri piscatores hominum*. In superiori vero parte arcus hi versus leguntur:

b *Hist. Passin. pag.* 204.

Tempore, quo fuerat Venetis pax reddita terris
Hoc opus abbatis, lector, cognosce Johannis.

Ex alia quoque parte Christus Dominus stat quasi benedicens monachum, super capita quorum scriptum est: *Anno Domini* M. C. LXXVII. *indictione* X. quo revera anno firmata fuit Venetiis pax inter Alexandrum III. verum pontificem, & Fridericum imperatorem. Ad prædictum Johannem facile pertinet *epistola* ejusdem Alexandri III., quæ legitur inscripta *abbati de Candeglio*, quam laudat idem Soldanius. Post initia seculi sequentis, rejectis monachis coloris atri, reformandum datum fuit monasterium hoc Camaldulensibus.

„ Gerardo archiepiscopo Ravennati, Alexandro Liviensi, Leonardo „ Cæsenati ceterisque archiepiscopo Ravennati subjectis episcopis; Guil„ lelmo abbati sancti Apollinaris in Classe & aliis eidem archiepiscopo „ subditis præsulibus Fridericus imperator concessit hoc anno, testimonio „ Rubei, [c] ne ad operam quampiam (angarias & perangarias appellat) „ & alia hujuscemodi ab aliquo, etiam Cæsaris internuncio, præter ea, „ quæ ad pia opera & legibus decreta sunt, cogi aliqua ratione possent; „ idque testatum voluit suo diplomate dato in comitatu Auximi apud „ castrum Casarola, *anno ab incarnatione* M. C. LXXVII. *indictione* XI. „ mutata septembri, *tertio nonas decembris*. “ De hac exemptione agemus ad annum 1185. quo signatum est diploma imperiale, quod nos vidimus & proferimus in Appendice, facile confirmatorium indulti præsentis anni.

c *Lib. VI. pag.* 352.

XXXVII. De litibus inter episcopos Arretinum & Senensem, ubi monumenta vetera de Guidone ep. Arretino.

FERVEBAT per hæc tempora accerrima lis inter episcopum Heliottum Arretinum, & inter Gunteramum Senensem episcopum quoad terminos & fines suarum diœcesum. Jam a seculo ecclesiæ VII. & impensius temporibus Liutprandi Langobardorum regis excitata fuerat inter utramque ecclesiam hujusmodi controversia; ac proinde initio seculi octavi adjudicatæ fuerat Arretinæ ecclesiæ aliquot plebes adversus jura, quæ sibi usurpabat ecclesia Senensis, confirmante Stephano II. Romano pontifice regium Liutprandi judicatum. Sed seculo sequenti ad annum 853. coram papa Leone IV. & Ludovico II. imperatore in concilio Romano discussa iterum causa, prolatum fuit pro ecclesia Senen-

Ann. Chr. 1177.

nensi. Efferbuit rursus concertatio anno 1029. sub Theodaldo Arretino episcopo, & recruduit sub successoribus ipsius, potissimum vero sub Guidone paulo post initia seculi sequentis, hoc est XII. Demum exardescente magis magisque controversia, demandata fuit hoc anno causæ hujus cognitio Laboranti sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali diacono sanctæ Mariæ in Porticu; qua occasione interrogati fuere plures testes, & institutum rigidum & validum examen, præsertim quoad jura & quoad tempora ejusdem Arretini episcopi Guidonis. Nos quandoquidem serius habuimus acta cognitionis hujus causæ, quæ summa humanitate ex tabulario canonicorum Arretinorum transcripsit, & ad nos misit nobilis & eruditissimus vir Hiacynthus Fossombronius ejusdem urbis patritius, plura hic loci ex iis non injucunda in medium proferimus, quibus cupimus corrigi, quæ monumentorum defectu de Guidone episcopo Arretino protulimus tomo antecedenti. Asseruimus ad annum 1115. [a] Guidonem priorem generalem Camaldulensem eo anno ad superos evolasse a mense saltem aprili ad mensem julium, & Guidonem, qui hoc eodem anno ad infulas Arretinas evocatus fuit, non fuisse Guidonem priorem generalem, sed alterum Guidonem monachum alicujus Arretini monasterii Camaldulensis congregationis, quæ plura tunc temporis cœnobia in urbe & in diœcesi Arretina obtinebat. Verum ex testium depositione intelligimus Guidonem episcopum Arretinum, qui altercationes habuit cum Gualfredo vel Gaufredo Senensi episcopo quoad plebes Arretini territorii, priorem antea fuisse eremi Camaldulensis, & qui magnum sibi fecerat nomen in prioratu Camaldulensi, majus sibi nomen comparasse in Arretino episcopatu; quem proinde jure merito Camaldulensem faciunt præter scriptores omnes Arretinos, plures alii auctores, inter quos Gammurinius, appellatum etiam Buccatortam communiter. Operæ pretium idcirco arbitramur juris publici facere partem eorum actorum, quæ rem ipsam non tantum, sed plura illustrant tum ad Guidonem tum ad ecclesiam Arretinam spectantia.

a T. III. pag. 164.

Isti sunt testes Aretinæ ecclesiæ apud Sanctum Quiricum in Oxenna examinati. „ Petrus presbyter plebanus sancti Valentini juratus dixit. Eram „ quasi annorum sexdecim tempore Gualterii episcopi Aretini, & eram „ subdiaconus ab ipso factus, & eram apud sanctum Valentinum de Fullonica in obsequio presbyteri Ugonis in ipsa plebe sancti Valentini. „ Tunc vidi prædictum episcopum G.. in eadem plebe, & vidi eum in „ prandio & in cæna, & dixit mihi tunc magister meus, scilicet præfatus Ugo, quod ille dominus episcopus G.. tum faciebat circam per „ plebes suas, ex quibus una erat ipsa plebs sancti Valentini. Profectus inde ipse episcopus G.. ivit ad alias plebes suas, ut dicebat ille „ magister meus Ugo, pertinentes ad circam. Post hæc, ut dicebatur „ palam, episcopus ipse G.. coram pp. Calixto de crimine fuit accusatus incesti, deinde convictus ab ipso domino papa depositus fuit, a „ cujus depositione post tres menses electus fuit in episcopum Aretinum „ prior de Camaldul. qui dicebatur Guito, & agnominabatur Buccatorta, & factus episcopus a domino Calixto papa, sub quo Calixto sine „ quæstione per quinque annos tenuit has omnes plebes, & ecclesias, de „ quibus facit quæstionem Senensis ecclesia contra Aretinam. Post quinque annos illos exactos, ut dicebatur palam, Senensis episcopus, ut „ puto Gualfredus, conquestus fuit domino papæ Calixto de episcopo & „ ecclesia Aretina, asserens, quod tenebant plebes vel ecclesias istas suas, „ ut dicebat, de quibus est quæstio nunc inter Aretinum & Senensem

„ epis-

„ episcopos, & ab ipso domino papa quæsivit inde justitiam. Tunc dominus ipse papa Calixtus citavit ad præsentiam suam prædictum G. Aretinum episcopum, & præfixit illi certum diem, quo esset in præsentia sua super antelibata quæstione sufficienter instructus contra Senensem episcopum. Sed ipse Aretinus episcopus G.. apud Camaldol. intentus cuidam causæ, non, ut mihi videtur, per dies quinque ultra diem & terminum a domino papa præfixum sibi, distulit se apostolico conspectui præsentare. Ea propter dominus papa motus, ut dicebatur, possessionem illi & ecclesiæ Aretinæ abstulit præsignatarum plebium seu ecclesiarum, super quibus ei facta fuit ab episcopo Senensi querela, & dedit ipsam possessionem Senensi episcopo, & ecclesiæ suæ, & ex tunc, ut recolo, fere per annum ecclesia Senensis possedit ecclesiam istam sancti Quirici, in qua & plebanum constituit, ut dicebatur, presbyterum Teuzonem, quem ego vidi hic, & vidi & audivi eum nominari plebanum, & publice dicebatur hic esse pro Senensi ecclesia. His itaque gestis *&c.* “

Ann. Chr. 1177.

In hac depositione Petri plebani emendandum est nomen Romani pontificis, qui non Calixtus II. sed Paschalis II. fuit, a quo accusatus de incesto depositus est Gualterius episcopus Arretinus. Cum enim Guido Arretinus episcopus in autographa pagina tabularii Fontis-boni conceptis verbis asserat se anno 1117. tertium gerere præsulatus sui annum, liquet ipsius prædecessorem loco motum fuisse ab eodem Paschali, qui usque ad annum 1118. pontificatum tenuit. Evectus Guido ad episcopalem cathedram pacifice obtinuit per quinquennium plebes, toto nimirum reliquo pontificatus Paschalis II. tempore, tempore Gelasii II., & primordiis pontificatus Calixti II. Ex Galliis Romam petenti Calixto Gualfredus episcopus Senensis querimoniæ libellum obtulit, obtendens præreptas sibi fuisse aliquot episcopatus sui plebes ab episcopo Arretino. Dies dicta fuit episcopo Guidoni; verum cum hic ad condictum terminum se coram pontifice non stitisset, causa decidit, & plebes Senensi episcopo fuere tributæ.

Ex ejusdem testis responsionibus eruitur secundo loco admittendum esse in censu episcoporum Arretinorum Gualterium, quem nos, licet memoratum a Bujano & a Mauro Arretinis episcopis, locum tamen ipsius frustra quærentes [a] alibi explosimus, conjicientes Gregorium episcopum, cujus monumenta ab anno 1104. ad 1114. supersunt, forte fuisse binomium, & Gualterii etiam nomen tulisse. Cui conjecturæ modo alteram addimus, quam nobis aperuit suprarelatus Cl. V. Fossombronius, duos nimirum eodem tempore antistites Arretinis jus dixisse, Gualterium Henrici V. imperatoris partes sectantem, & Gregorium pontifici Paschali obsequentem. Videtur, subdit ille, conjecturæ robur addere epistola ejusdem Paschalis, qua minatur interdictum clero & populo Arretino, eo quod morem non gererent proprio episcopo. Epistola Paschalis legitur in codice Udalrici Babembergensis libro II. n. 244. in collectione Georgii Eccardi [b]. Scimus etiam anno M. C. XI. inter clerum & populum Arretinum divisos fuisse animos, quo anno Henricus V. cædibus pariter, incendiis, depopulationibus Arretium vastavit, & a veri specie non abludit imperatorem eo temporis episcopum sibi faventem urbi præposuisse, Gualterium nimirum, adversus Gregorium legitimum episcopum. Legatur quoque alia ipsius Paschalis epistola ad eumdem imperatorem Henricum, in qua hæc habet [c]: *Frater noster Aretinus adhuc inter procellas quatitur, & longe portum videt .... dilectionem itaque vestram rogamus, ut*

a T. III. pag. 66.

b T. II.

c ibid. col. 275.

ANN. CHR. 1177. *prædicto fratri nostro gratiam vestram reddatis, & possessiones ecclesiæ restituatis; fidelibus quoque suis injungite, ut ab ejus servitio ulterius se non subtrahant.* Hæc verba indicant schisma tunc viguisse in ecclesia Aretina. Quod exploratum est, Gualterius ab ipso Paschali dignitate male acquisita privatus fuit, & ob incesti crimen depositus; obeunte autem vel etiam cedente altero episcopo Gregorio circa annum 1115. evocatus est e sua Camaldulensi solitudine Guido.

Presbyteri Petri narrationi concinunt alii testes: „ Domnus Rodulphus „ monachus monasterii Campi-leonis juratus dixit: Quasi decennis eram, „ & vidi episcopum Aretinum Gualterum, qui, ut dicebatur, tenebat „ omnes illas ecclesias *&c.* Illi Gualtero successit Guido Buccatorta *&c.* „ Presbyter Homodei de Romena juratus dixit: Credo quod Paschalis „ tempore Aretina ecclesia possedit omnes ecclesias, unde modo est liti- „ gium *&c.* Et tunc quando Paschalem papam vidi, ut dixi, Aretinus „ episcopus erat Gualterus, quem ego vidi. Gualtero successit G.. Buc- „ catorta, ab ipso Paschali factus episcopus *&c.* "

Prosecutionem historiæ quæstionis super plebes inter utrumque episcopum Arretinum & Senensem addiscimus ex altero teste. „ Baccalarinus civis „ Aretinus juratus dixit: Annos habebam, ut puto, XIV. vel eo amplius, & „ audivi tunc pluraliter dici, & specialiter a Guilielmino patre meo, quod „ Gual. episcopus Senensis traxit episcopum Aretinum Gui. in causam, & „ fuerunt ambo Romæ coram papa Calixto pro ecclesiis, quas tenebat Areti- „ na ecclesia, unde modo est litigium. Et tunc papa Calixtus sententialiter „ concessit Gual. Senensi episcopo præfatas litigiosas ecclesias. Si tamen „ ambo præfati episcopi simul interfuerunt ipsi sententiæ, non recolo „ me audisse. Audivi tamen a patre meo, quod post illam sententiam „ una dierum in Lateranensi palatio præfato episcopo Gui. Portuensis „ episcopus dixit: Episcope Aretine non mihi velis semper malum, & „ ait ei episcopus Gui. Quommodo possum tibi bonum velle, qui divi- „ sisti episcopatum meum per medium, & abstulisti mihi? Si reversus „ Aretium fuero, totus incidar. Et ait ei Portuensis episcopus: Ab- „ sit, quod de tuo dederimus aliquid Senensi ecclesiæ; ecce in manu „ mea cartula, in qua scriptum est, *salva justitia Aretinæ ecclesiæ.* Ait „ ad eum episcopus Gui. Domine, Senensis episcopus fortis est, & po- „ tens; ex quo abierit & tenuerit ecclesias illas, numquam amplius di- „ mittet eas. Dixit ei Portuensis episcopus: Quandocumque voluerimus, „ mittemus ei tres literas, & ipse ad nos cum festinatione redibit, & „ faciemus tibi justitiam. Cogito, quod episcopus Gual. tunc reversus „ est domum; de Aretino nescio, si redivit domum tunc; scio autem, „ quod pater meus redivit, & postea reversus est Romam, & fuit ibi „ cum episcopo Gui. & sicut audivi ab ipso patre meo, tunc iterum „ fuerunt Aretinus episcopus Gui. & Gual. Senensis episcopus propter „ antefatas ecclesias coram pontifice, qui Calixto successit, & litigarunt „ coram eo de ipsis ecclesiis. Adhuc pendente lite una die in Latera- „ nensi palatio quidam pulcher clericus toto capite respersus albicantibus „ canis, vidente tunc & audiente patre meo atque præsente, accessit ad „ episcopum Gui. & ait ad eum: " (Hæc eadem ex alio teste nonnihil variata refert etiam Grazinus [a] in libro Vindiciarum SS. MM. Arretinorum, quæ nos quoque ex ipso attulimus ad annum 1125.[b]) „ Episcope Are- „ tine, quid fecisti de causa tua. Et ait ei episcopus, quid facere pos- „ sum? injuriose ducor & tractor in curia ista, & totum meum jam ex- „ pendi, quid agam nescio. Cui senex ille respondit: Mitte ad montem

„ Sira-

a *Pag.* 72.

b T. *III. pag.* 225.

„ Siracti pro registro papæ Alexandri , in quo est diffinitiva sententia „ super controversia , quæ olim fuit de ipsis ecclesiis inter Aretinam & „ Senensem ecclesias. Quo dicto senex ille abiit, & ad jussionem episco- „ pi Gui. pater meus, ut mihi dixit, ivit post eum in palatio , ut re- „ vocaret eum ad episcopum, quatinus eum interrogaret plenius, sed non „ ulterius inventus est, & a plerisque creditus est fuisse beatus Donatus. „ Tunc episcopus Gui. patrem meum direxit ad amicum suum , qui di- „ cebatur Gualfredus de Papa habitantem in castello Caprallica prope „ Sutrium, rogans eum, ut faceret eum habere mutuo prædictum regi- „ strum, qui & fecit petitionem ejus. Quo registro reperto in monte Si- „ racti, mox illum ibi pater meus aperuit , & protinus ei capitulum „ præfatæ sententiæ primum occurrit. Erat enim pater meus literatus . „ Invenit, quod volebat, & registrum illud totum detulit episcopo Gui. „ & episcopus ostendit illud curiæ . Deinde pater meus, sicut mihi dixit, „ interfuit sententiæ præsignati domini papæ tunc datæ pro ecclesia Are- „ tina super antedictis ecclesiis. Tunc episcopus Gui. Aretium redivit jo- „ cundus & victor. Venit quoque nuntius domini papæ , sicut dicebatur, „ tunc missus ab eo, clericus erat, & ego eum vidi , & sicut dicebatur „ vulgariter , ille nuntius ex parte domini papæ investivit eo tempore „ episcopum Gui. de præfatis ecclesiis litigiosis . Ante victoriam illam „ & postea vidi letanias de ecclesiis, ut dicebatur, illis venientes ad epi- „ scopium istud sancti Donati, clericos etiam ad synodum & ad ordines „ suscipiendos *&c.* “

Produxit Grazinus ex iisdem testibus alia nonnulla lectu jucunda, quæ edidimus tomo III. Ex ipso quoque intelligimus amplissimam Honorii II. bullam pro ecclesia Aretina fuisse datam [a] *tertio nonas martii indictione* III. *anno dominice incarnationis* M. C. XXV. Nunc vero prosequamur ple- *bani* sancti Valentini intermissam narrationem.

[a] *Pag.* 57.

„ His ita Romæ gestis regressus est episcopus G.. & præpositus Buja- „ nus cum eo. Episcopus G.. abiit Aretium ; Bujanus vero præpositus „ divertit huc, & existens extra burgum istum sancti Quirici gratulaba- „ tur foris, & exultabat de aquisitione tanti triumphi, nec intravit huc, „ set abiit post episcopum apud Aretium. Episcopus G.. expectavit, ut „ divulgabatur, nuntium domini papæ Honorii, qui apostolica auctorita- „ te debebat episcopum ipsum in possessionem restituere prædictarum ec- „ clesiarum. Venit postea nuntius ille grossus, & crassus & raucus; hoc „ enim videlicet oculus meus vidit , & audivit auris mea , & erat illi „ nomen , ut opinor , Divizus . Tunc episcopus ipse Guido cum illo „ nuntio domini papæ Honorii venit ad plebem sancti Valentini, sed an- „ tequam accederet ad plebem ipsam episcopus , dixit mihi prænomina- „ tus presbyter Ugo magister meus : Ecce nuntius domini papæ venit „ cum episcopo Aretino ad revestiendum eum de ipsa ecclesia , & de „ aliis, unde est litigium inter ipsum & episcopum Senensem . Et sub- „ sequenter venit ad ipsam plebem sancti Valentini , & me vidente re- „ ceptus fuit in sonitu campanarum , me etiam sonante cum aliis, cum „ cruce, incenso & aqua benedicta , & in cantu responsorii , quod est „ *Ecce sacerdos magnus*. Erat autem campanile foris ante ecclesiam ; & „ tunc continuo præfatus nuntius papæ Honorii revestivit eum de plebe „ ipsa per funes campanarum , quas ego tenebam in manu mea, & po- „ suit in manum illius, & tunc præfatus Divizus clausit portas ecclesiæ, „ & aperuit eas , & posuit eas ambas in manus ejus , scilicet episcopi „ G.. & ivimus ad altare , & ibi posuit pannos altaris in manus ejusdem

Ann. Chr. 1177.

„ episcopi, & in hunc modum revestitus est, & etiam ibidem hospitati sunt in sero illo; ipsi enim post nonam venerant. Mane autem „ facto ipse episcopus cantavit ibi Missam, & sermocinavit sic incipiens, „ si bene recordor: *Imitatores mei estote sicut filii karissimi*. Post Missam „ ibi pransus est, & postea abiit inde ad plebem sancti Donati de Bibiano, & similiter ab eodem Divizo idem episcopus de ipsa plebe me „ vidente revestitus est per funes campanarum, & per ecclesiæ portas ab „ eodem Divizo clausas & apertas, & per pannos altaris. Similiter autem idem episcopns ab eodem Divizo revestitus est de omnibus aliis „ plebibus litigiosis per funes & portas, & pannos altaris earumdem ecclesiarum, me vidente & præsente, exceptis duabus plebibus, scilicet „ plebe de Mesule, & plebe sancti Constantii, ubi ego ad revestiendum „ non interfui.

„ Spetialiter autem illud est memorandum, quod idem episcopus Aretinus cum prædicto Divizo nuncio domini papæ appropiavit burgo „ huic sancti Quirici, & ibi foris mansit in loco, ubi dicitur *a le prata*, & ut sermo erat, misit ipsum Divizum in burgum istum dicens ad „ eum: Vade in burgum & ad plebem, & si videris, quod possis me „ reducere in casam meam pacifice, & si potes me revestire de ea in „ quiete, mihi placet; alioquin illuc non veniam, quia nolo, quod inde „ sit bellum propter me. Tunc intravit in burgum istum Divizus, & „ cum eo Bujanus præpositus Aretinus. Omnibus introeuntibus, Senenses, „ qui erant hic cum burgensibus loci hujus, quorum major pars favebat „ Senensibus, expulerunt ipsum Bujanum & socios ejus, quorum uni „ præcisa fuit manus; Divizum tamen non expulerunt. Videns igitur „ episcopus illum, cui manus erat amputata, & manum adhuc pendentem a brachio, ingemuit & planxit, & tamen misit ad Divizum dicens: Adhuc vide, si potes me restituere pacifice in casa mea; sin autem ibo ad dominum papam. Sero ergo illo; nam post horam nonam „ accesserat episcopus, & etiam ego cum suis, remansit hic Divizus, „ placavit populum, vias expediri fecit, & dirigi, & mane misit ad „ episcopum, & fecit eum venire ad ecclesiam istam sancti Quirici, & „ me præsente & vidente portas has, quæ sunt a strata, ipse Divizus „ clausit & aperuit, & in manus illius posuit, deinde posuit in manum „ ejus pannos altaris, tertio loco posuit in manus funes campanarum; „ sic enim erat series rerum, & adhuc, ut cernitis, est. Ex tunc continue sine intermissione nunc usque possedit Aretina ecclesia, & ex quo „ restitutio hæc facta est per Divizum, sunt anni LII. & plus &c. “

Hæc Petrus plebanus testis. Porro, cum bulla apostolica Honorii II. data fuerit anno 1125. quo anno etiam per apostolicum nuntium Guidoni Arretino episcopo restitutæ fuere plebes controversæ, deducitur ad hunc annum 1177. pertinere examen testium coram Laborante cardinale diacono; licet fortasse lis excitata fuisset annis antecedentibus inter Heliottum & facile etiam ipsius prædecessorem Hieronymum episcopos Arretinos, & inter Gunteramum episcopum Senensem. Hæc addidisse non pœnitet, tum ad emendationem eorum, quæ protulimus superioribus annis, tum etiam ad illustrandam historiam nostri episcopi Guidonis, cujus pietatis & zeli non spernenda monumenta ex oculatis testibus nota volumus, quæ majorem in partem nunc primum lucem aspiciunt.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-TERTIUS.

Ab anno CHRISTI M. C. LXXVIII. *ad annum* M. C. LXXXV.



NON *solum* apud Romanum pontificem Alexandrum III. *gratiam* iniit Rainerius archiepiscopus Spalatensis, legati apostolici munere in Dalmatia fungens, sed etiam apud Emmanuelem Orientis imperatorem, per hæc tempora, quibus dominio Græcorum imperatorum parebant Spalatenses cum tota fere Dalmatia & Chroatia. *Eo tempore*, inquit Thomas archidiaconus apud Lucium, [a] *Emmanuel inclytæ memoriæ apud Constantinopolim imperabat. Tota autem Dalmatia & pene Chroatia universa subjecta erat principatui ejus. Ipse autem erat benignissimus circa omnes sibi subjectos, non tributorum exactor, sed divitiarum suarum liberalissimus distributor. Omnes ad se venientes honorabat, omnibus impensas ex fisco regio exhibebat. Recepta etiam computatione capitum civitatis Spalatensis, mittebat stipendia omnibus, infantibus etiam in cuna jacentibus singulos aureos dari faciebat. Mittebat autem duces suos cum magno apparatu armorum portantes pro sumptibus pecuniam copiosam, qui veniebant & tenebant civitates maritimas, & magnam Chroatiæ partem. Itaque Spalatenses rogaverunt Rainerium archiepiscopum, ut pergeret CPolim ad imperialem curiam visitandam; qui gratanti animo acquiescens, associatis sibi aliquot de nobilibus civitatis CPolim profectus est. Ingressusque ad Emmanuelem imperatorem, ipsumque ex parte suorum civium multum reverenter salutans valde honorifice ab imperatore susceptus est, & quamdiu ibi mansit, satis venerabiliter impensis ex curia affluenter exhibitis, procuratus est. Cum autem redeundi licentiam a principe postulasset, donavit ei munera pretiosa satis & non pauca; sicque ad ecclesiam suam gaudens & locuples est reversus.* Credendum est, accessisse consensum Romani pontificis, quo permittente Raynerius ad curiam imperatoris Græci se contulerit, fidelitatemque ipsi spoponderit pro Spalatensi urbe; ea enim de causa ejus antecessor Girardus detrectavit imperatorem adire, nisi pontificis Romani præcederet mandatum. Captata occasione privilegia etiam obti-

ANN. CHR. 1178.

I. Rainerius archiep. Spalatensis acceptus Emmanueli Græcorum imperat.

a Pag. 330.

ANN. CHR. 1178. obtinuerit Rainerius pro recuperandis juribus & bonis suæ ecclesiæ violenter occupatis & detentis ab improbis hominibus, sed de hac re fusius ad annum 1180.

II. Vicecomitatus Vallialæ collatus a Camaldulensibus. De Johanne duce Ravennate.

ILDEBRANDUS prior Camaldulensis cum voluntate Placidi abbatis Urani, qui erat insuper prior eremi Camaldulensis, Tebaldi prioris sancti Bartholomæi de Anglari, Placidi abbatis sancti Viriani, & Placidi alterius prioris de Planeto, concessit Ugoni, Marino & Jacobo filiis germanis Guastonis quondam de Valliala vicecomitatum Vallialæ, castri nempe & curtis, in feudum, sicut ipse obtinebat Ugolinus de Carciano, & insuper concessit ipsis vineas & hortos, qui fuerunt Quintavallis inter castrum & Tiberinam; *pridie kalendas junii indictione* X. *imperante Friderico*, sed indictio est corrigenda, quæ hoc anno erat XI.

Postremum est hoc monumentum, quod inter chartas Camaldulensis tabularii repererimus Ildebrandi prioris, quem tamen vixisse in officio existimamus usque ad mensem majum anni 1180. qui primum signatur nomine Rodulphi prioris ejusque successoris. Re enim vera, cum in examine testium sub anno 1218. in depositione [a] Guidonis Mazzolini canonici Arretini, qui processus autographus servatur in archivo capitulari canonicorum ejusdem ecclesiæ Arretinæ, habeatur, quod *in synodo episcopi Heliotti sermonem habuit Rodulphus tunc monachus, postea prior Camaldule, & deinde episcopus Anconitanus, quem fuisse*, dixit, *de sancto Miniate*, & quod *synodus Heliotti habita fuit post synodum Lateranensem*, quæ postrema celebrata est mense martio anni 1179. dicendum erit Rodulphum suffectum non fuisse in locum Ildebrandi nisi anno 1180. quo certe anno constat mense majo ipsum congregationi Camaldulensi præfuisse; præsertim etiam, quia testes interrogati in nostro processu annorum 1216. & 1217. conceptis verbis asserunt Rodulphum *parum stetisse in prioratu*, eo quod factus fuerit episcopus Anconitanus, & consequenter innuunt usque ad eum annum Ildebrandum perdurasse in regimine. De Heliotto episcopo Arretino, qui post Hieronymum eam sedem tenuit, alibi alia proferemus.

a Num. 531.

„ Exeunte hoc anno decimo-tertio kalendas octobris Ravennæ Johan-
„ nem ducem, intestatus ne moreretur, assentiente Fide ejus conjuge,
„ testamentum fecisse, scribit Rubeus [b], illudque in primis fidei ejus
„ commisisse. Reliquisse autem tum ecclesiæ Ravennati libras Lucenses
„ quinquaginta pro absolutione decimarum, tum sacræ ædi divæ Mariæ
„ in Portu, ubi sepeliri cupiebat, agrum & molas frumentarias; item
„ cœnobiis Classensi, divi Petri ad Vincula, divi Severi, divæ Mariæ in
„ Urano, aliisque monasteriis plurima legasse." Nominantur bona ex donatione Johannis ducis in bulla Urbani papæ III. ad annum 1186. pro monasterio sancti Apollinaris in Classe, quæ bona Johanni huic tribuenda potius quam aliis hujus nominis ducibus arbitramur, quia primum in Urbani bulla hæ Johannis ducis donationes recensentur. Constat siquidem ex paginis tabularii archiepiscopalis Ravennatis plures duces Johannis nomine insignitos vixisse, viros primariæ nobilitatis, quorum aliquot seculo decimo & undecimo celebrium nomina subnectimus. Johannes dux pater Honesti subdiaconi, Johannes dux quondam Sergii ducis, Johannes dux pater nobilis viri Sergii, Johannes dux pater Natalis ducis [c] ad annum 955. recensentur. Johannes dux pater Johannis diaconi & abbatis sancti Georgii foris portam Ravennæ [d] ad eumdem annum; Johannes dux, Maria uxor Johannis ducis, Amelricus filius Johannis ducis, Guilla nobilis femina filia Johannis ducis [e] ad annum 963. Petrus subdia-

b Lib. VI. pag. 352.

c Caps. B. 489.

d Cap. G. 2878.

e Caps. E. 1857.

diaconus & filius quondam Johannis ducis [a] ad annum 968. Johannes filius Andreæ ducis [b] ad annum 976. Ad annum 1014. [c] Petrus quondam Johannis ducis. Ad annum 1030. [d] Johannes dux & Johannes filius Petri ducis. Petrus dux & Johannes dux sub [e] anno 1034. Alterius ad annum 1063. [f] Amelricus filius quondam Johannis ducis. Demum ad præsentem annum Johannes dux, qui testamentariis tabulis suis beneficum se exhibuit erga plura monasteria Ravennatia. Etiam seculo sequenti Johannes dux vir Orabilis legitur [g] ad annum 1258. Pariter in tabulario Pomposiano ad divi Benedicti Ferrariæ sub anno 1012. nominantur Petrus dux filius quondam Johannis ducis, & Johannes filius Petri ducis.

ANN. CHR. 1178.

a Capf. I.4480.
b Capf. B. 487.
c Capf. F. 2084.
d Capf. E. 1814.
e Capf. I. 4421.
f Capf. G. 2780.
g Capf. P. 8357.

III. Privilegium Alexandri III. Guittoni abb. S. Silvestri de Monte-subasio. Ecclesia S. Joh. de Vighizolo data monasterio S. Mariæ ad Carceres.

GUITTONI abbati monasterii sancti Silvestri in Monte-subasio confirmasse privilegio suo, quod præ manibus habuit, bona ejus monasterii hoc anno Alexandrum III. tradit Jacobillius [h], & præter ea, quæ memoravimus ad annum 1011. hæc alia in diplomate suo recensuisse; nimirum ecclesias sancti Petri de Forzano, sanctæ Mariæ de Pattono, sancti Johannis de Balneo, sanctæ Mariæ de Papiano, sancti Angeli de Ruita, sancti Angeli de Polvese, sancti Petri de Fracta, sancti Silvestri de Bevania, sanctæ Mariæ de castello Ermentano, sancti Felicis in massa Reola, sancti Silvestri de Casali, aliasque in diœcesi Spoletana; in Perusina vero ecclesias sancti Savini de Caliano, sanctæ Mariæ de Orbe, sancti Facundini, sanctæ Mariæ de colle Prepo, sanctæ Mariæ in colle Bernero, sancti Feliciani de Bocchiano, sanctæ Mariæ in Cassano &c. Monasterium sancti Silvestri excitatum, ut creditur a sancto Romualdo, nisi anteriori tempore, saltem a pontificatu Eugenii III. parebat disciplinæ eremi Camaldulensis.

h T. III. pag. 306.

Pistor prior monasterii seu canonicæ sanctæ Mariæ de Carceribus testis interfuit præsenti anno divisioni bonorum factæ a Taurello inter marchiones Estenses Albertum, Opizonem & Bonifacium. Idem prior hoc eodem *anno millesimo centesimo septuagesimo octavo, indictione undecima x. kalendas januarias* titulo donationis & oblationis recepit a Gerardo Pomedella episcopo Paduano ecclesiam seu plebem sancti Johannis de Vighizolo cum omni jure ad ipsam pertinente, retinente sibi episcopo jus plebatus tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Actum in Padua, præsentibus Guifredo Paduano archipresbytero, presbytero Cono, Johanne Bono Saccensi archidiacono, Johanne Bonino capellano episcopi Paduani canonicis, Jordano archipresbytero de Masserata, & Balduino archipresbytero de Merlaria. Hanc donationis paginam edimus ex autographo tabularii nostri sancti Michaelis de Muriano, primam vero publici juris fecit Muratorius in Antiquitatibus Estensibus [i]; subjicimus autem sigillum ejusdem Patavini episcopi, quod pendet ex donationis charta.

i P. I. pag. 348.



ANN. CHR. 1179.

IV. Concilium œcumenicum Lateranense sub Alexandro III.

INTERFUIT hoc anno Rainerius archiepiscopus Spalatensis concilio Lateranensi celebrato ab Alexandro III. ejusque nomen legitur inter episco-

ANN. CHR. 1179.

a T. XIII. Concil. col. 415.

b Pagg. 143. 148.

piscopos assidentes.[a] Theobaldi autem archiepiscopi Jadertini nomen non apparet, forte quia prohibitus Romam accedere a suis civibus Jadertinis, qui se subtraxerant contra pontificia mandata ab obedientia patriarchæ Gradensis. Sed de provincia Jaderensi leguntur nomina Lanfredrii Absarensis, Drogonis Veglensis, Andreæ Arbensis, Matthæi Nonensis & Michaelis Scardonensis episcoporum, quorum trium postremorum monumenta supersunt in chartis horum temporum apud Lucium[b]. Interfuit & Jacobus episcopus Senogalliensis. Hunc ex eadem Avellanensi familia evectum ad infulas Senogallienses asserit Germanus Botta in ms. opere de Sanctis & Beatis Camaldulensibus, asseritque obiisse die vigesima-tertia decembris, cujus tamen anni ignorat.

V. Idem Rom. pont. confirmat ecclesias & bona monasterii Insulani.

POST celebrationem Lateranensis concilii amplum concessit idem Romanus pontifex privilegium Viviano abbati monasterii nostri sanctæ Mariæ in Insula secus Bidentem fluvium. De hoc monasterio primum egimus sub anno 1092. Bona, quæ dictum cœnobium obtinebat, quæque recensentur in Alexandri diplomate sunt hujusmodi: „ Quidquid Ugo de „ Bleda bonæ memoriæ eidem monasterio concesserat; quidquid habebat „ in Spiura, in Biserno, in Ricanetulo, in Strabatenzulo, in curtibus „ Bledæ, Spissæ, sanctæ Floræ, sancti Benedicti, Faforatæ & in alpibus „ Galeatensibus, in flumine Bidente; ecclesia sanctæ Floræ in Castello; „ ecclesia sancti Christophori in Biturali; terra vocata Affingna in cur- „ te sancti Gaudentii; ecclesia sancti Johannis in curte Spissæ; ecclesia „ sancti Laurentii in Crescolese; ecclesia sancti Martini; ecclesia san- „ cti Bartholomæi; ecclesia sancti Petri in Bleda; ecclesia sancti Pau- „ li in Pozolo; ecclesia sanctæ Mariæ in rivo Grausi; ecclesia sancti „ Salvatoris in Spugna; ecclesiæ duæ in Biserno; ecclesia sancti Pauli in „ Alticella; ecclesia sanctæ Mariæ in Solarolo, ecclesia sancti Petri in „ Faforata; duæ ecclesiæ sancti Benedicti; ecclesia sancti Paterniani in „ Ferraciano; ecclesia sancti Matthæi in Orbiciano; ecclesia sanctæ Ma- „ riæ in Meldula, & in eadem curte ecclesiæ sancti Laurentii de Vena- „ dri, sancti Salvatoris in Espulo, sancti Matthæi, dicta Canonica, & „ medietas ecclesiæ sancti Christophori in Losi." Penes aliquas harum ecclesiarum erecta erant monasteria, quæ subjiciebantur Insulano, ut apud illas sancti Paterniani de Ferraciano, & sancti Matthæi de Orbiciano. Subscribunt post Alexandrum novem S. R. E. cardinales. *Datum Laterani per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii* XIII. *kal. maji indictione* XII. *incarnationis Dominice* M. C. LXXIX. *pontificatus domini Alexandri pape* III. *anno* XX. Ex archivo Classensi ipsum edimus, ex quo olim pendebat plumbeum sigillum.

In codice Mediceo historiam referente abbatiæ urbis Burgi-sancti-sepulcri aliud sub hoc anno ponitur ejusdem Alexandri III. privilegium bonorum & jurium dictæ abbatiæ confirmatorium. Idipsum egerat ejus antecessor Hadrianus IV. ut in epistola ad Frigdianum camerarium monasterii sancti Nicolai ejusdem Burgensis urbis Camaldulensis ordinis affirmat Hieronymus Gherardius Burgensis civis.

VI. Erectio eremi de Burellis in diœcesi Bononiensi.

c Pag. 194.

EODEM anno alterum monasterium seu eremus prope Bononiam in silva appellata de Burellis ædificata, bonisque ditata, tradita fuit Camaldulensibus incolenda. Referuntur ad hunc annum[c] in summariis instrumentorum Simonis & Rainerii donationes eidem loco factæ a Petro filio Mellanzoli: *Petrus filius Mellanzoli pro se & Delderico nepote suo & Ricardus filius.... pro se & Contino fratre suo per se suosque hæredes in perpetuum donaverunt pure & irrevocabiliter inter vivos Dalfinello reci-*

pienti

pienti pro ecclesia & heremo sancti Salvatoris Bononiensis unum casamentum, quod fuit olim Class.... de Randuino cum omni suo jure & actione usque in viam pubblicam, positum juxta Arardum & filios Paltri, & viam publicam a duobus lateribus, & Balbum, hoc videlicet pacto, ut ecclesia prædicti loci in prædicto casamento construatur; alias autem prædicta donatio sit inanis, sub anno Domini M. C. LXXIX. *secundo kalendas junii, manu Ildebrandi notarii*. De hujus ecclesiæ dedicatione facta sub Martino priore Camaldulensi, & non sub Ildebrando, ut affirmant Fortunius & Grandius, alibi agemus. Petrus de Mellanzoli notus est in historia Bononiensi; ipsius mentio fit in memoriali historico rerum Bononiensium collecto a Matthæo de Griffonibus [a] apud Muratorium inter scriptores rerum Italicarum, & in chronica miscella Bononiæ; ipse ad annum 1193. effertur tamquam consul Bononiensis.

ANN. CHR. 1179.

[a] T. XVIII. coll. 108. & 246.

Scribit Tonduccius [b] in historia Faventina hoc anno „ hospitium & „ ecclesiam sancti Juliani sita extra urbem Faventiæ in loco dicto Leone „ & Volpacchino, qui modo est demolitus, consensu Deodati & Venerii „ ministrorum dicti hospitii, canonicorum etiam Faventinorum, & expressa „ consulum voluntate fuisse cum omnibus suis bonis stabilibus & mobilibus „ concessa Ugoni priori sancti Jacobi de Avellana, ut ibidemviros religiosos „ induceret, qui viverent juxta ipsorum institutum & regulam, salvis juribus „ episcopalibus & canonicorum *&c.* De utroque loco nihil præterea scimus.

[b] Pag. 215.

ANN. CHR. 1180.

VII. Martyrium Rainerii archiep. Spalatensis.

CORONAVIT hoc anno præclara morte & insigni martyrio zelum suum pastoralem & irreprehensibilem vitam suam Rainerius archiepiscopus Spalatensis. Rem totam ex Thoma archidiacono addiscimus [c]. *Fuit*, inquit, *Rainerius vir constans valde & intrepidus, nec patiebatur aliquid de juribus & facultatibus ecclesiæ deperire. Unde factum est, ut quodam tempore iret ad montem Massarum, ut exquireret quædam prædia ecclesiæ, quæ a Sclavis occupata detinebantur, & cum faceret circuitum cum his, qui terrarum illarum habebant notitiam, ambiendo & limitando eas per suas extremitates, ecce Nicolaus quidam cum fratribus & parentela sua, qui erant ex genere Cacitorum, de facto archiepiscopi valde dolere cœpit, & convocata populari multitudine in magno furoris impetu Rainerium circumdantes exclamaverunt. Quid tu pessime præsul, & inique contra nos agere conaris? Numquid putas posse nos ejicere de possessionibus territorii patrum & antecessorum nostrorum? nisi in continenti recedas, hic dies vitæ tuæ ultimus erit. Rainerius autem, ut erat constantissimus, nil eorum minis perterritus libera & intensa satis voce respondit, dicens: Non vestrum est territorium, ut asseritis, sed possessio ecclesiæ beati Domnii a vobis hactenus usurpata. Ad hanc vocem omnis multitudo Sclavorum arreptis lapidibus in eum unanimiter projecerunt, tandiu dextris furentibus debacchantes, donec exanime corpus sub magno acervo lapidum dimitterent, & abirent. Viri autem illi, qui præsulem fuerant comitati, videntes Sclavorum rabiem in ejus fore mortem succensam, cucurrerunt ad civitatem, tantum malum civibus nuntiantes. Cives autem subitaneo rumore attoniti repente ad arma concurrunt, & alii quidem per mare, alii per terram ad montem Crassum, ubi scelus perpetratum fuerat, venire accelerant properanter. Ut autem pervenerunt ad locum, ecce pontifex miserandus sub illa lapidum congerie quasi tumulatus jacebat, hostes omnes recesserant. Tunc extrahentes eum, navique extincta imponentes membra cum magno luctu & mœrore ad civitatem duxerunt. Clerus autem præparatis de more sollemnibus exequiis una cum populo extulerunt corpus pontificis, & sepelierunt eum*

[c] Pag. 330.

Ann. Chr. 1180.

in ecclesia sancti Benedicti. Erat autem eo tempore sacerdos quidam nomine Micha; hic cum de suis excessibus a prædicto antistite sæpe argueretur, in magnum exarserat odium contra eum, non enim erat homo, qui de correctione proficeret in melius, sed qui deficeret in deterius. Hic ergo videns, quod mortuus erat insectator vitiorum suorum, lætus effectus est, & quasi insultans morti ejus dixit quibusdam complicibus suis: Date mihi potum aquæ, ut possim dicere, quia superstes sum illi maligno præsuli, qui me quiescere non sinebat. Et cum datam aquam ex voto bibisset, statim se jecit in lectum, ex quo numquam surrexit, sed paulo post vita decessit. Spalatenses autem facta inquisitione de interfectoribus archiepiscopi, aliquos invenerunt, quos statim patibulis suspenderunt. Sed Deus omnipotens non diu permisit tam nefarium scelus sine manifesta ultione manere; nam quotquot in effusione innocentis sanguinis impias extenderunt manus, post modicum tempus alii fame, alii gladio, alii peste cum sua posteritate consumpti sunt. Obiit autem venerabilis Rainerius secundo nonas augusti anno Domini M. C. LXXX. *Præfuit vero ecclesiæ annis quinque.*

VIII. Literæ Emmanuelis imp. pro eodem Rainerio.

Ut autem hæc clarius intelligantur, referendæ hic sunt ex eodem Lucio, & ex tabulario Spalatensi sequentes chartulæ, quæ historiam præfatam Thomæ archidiaconi illustrant. Scilicet Emmanuel imperator Rainerio archiepiscopo conquerenti plurima ecclesiæ suæ bona ab injustis detentoribus occupari, hanc ad favorem ejusdem archiepiscopi relaxaverat ministris suis scriptam paginam hoc ipso anno.

Ligie imperii mei Rogeri Sclavoni. Insinuatum est imperio meo ab honorificentissimo archiepiscopo Spalatensi Rainerio, quod quidam incolarum ejusmodi regionis, sed & Caciclorum aliqui non pauca eorum, quæ in suo privilegio & ad suam ecclesiam pertinent, possident in Serengene, & prædicta quod ecclesia illis suis bonis privatur. Hi autem violenter ea tenentes dictæ ecclesiæ prælato nullam propter hoc reverentiam faciunt, jubet ergo tibi Rogerio imperium meum, ut discutias hujusmodi negotium in præsentia prædicti archiepiscopi, & prædictorum incolarum, atque Caciclorum; quod si in privilegio prædictæ ecclesiæ constiterit, omnia prædictæ ecclesiæ in integrum restituas, sicut in chartula prædictæ ecclesiæ apparuerit pertinere, possessores autem repellas, & interdicas eis, ut desistant ab invasionibus rerum hujus ecclesiæ, & præsertim in villa de Serengene, quomodo vero & idem archiepiscopus conquestus est, quod prædia ecclesiæ sancti Bartholomæi occupata sunt a quibusdam, considera tu Rogeri Ligie mei imperii, & omnem terram, quam supradictus dominus archiepiscopus poterit monstrare per chartam, aut per bonos testes esse vel fuisse sancti Bartholomæi, archiepiscopatui sancti Domnii in integrum tribuas. Mense martio indictione XIII.

Pro quarum literarum executione Rogerius dux omnem præstitit operam sanctissimo archiepiscopo, ut ex sequenti monumento fit compertum.

In Christi nomine. Anno Dominice incarnationis M. C. LXXX. *indictione* XIII. *regnante domino nostro Manuele sanctissimo imperatore, & in ducatu Dalmatiæ & Croatiæ existente domino Rogerio Sclavone duce. Hoc actum est ante præsentiam idoneorum testium, nomina quorum inferius leguntur, & in civitate Spalati, & in podo imperialis turris. Dominus Rogerius Sclavone Ducas de mandato domini nostri sanctissimi imperatoris Manuel dedit mihi Rainerio Spalatensi archiepiscopo duos pristaldos, Michaelem Dragumanum & Petrum de Sagavella, de terris videlicet sancti Bartholomæi, quod ab isto die in antea* V. *die martis, qui est* X. *dies mensis junii in introitu ejusdem mensis junii ubicumque repertæ fuerint terræ, & omnia prædia memoratæ ecclesiæ sint ecclesiæ beati Domnii in perpetuum, ita quod* nullus

nullus Zuppanus vel post Zuppanus , & nullus alius homo aliquam molestiam sive injuriam Deo & beato Domnio, & mihi Rainerio Spalatensi archiepiscopo & omnibus meis canonicis successoribus audeat inferre ; quicumque autem & aliquid contrarietatis seu adversitatis Deo & beato Domnio, mihique Rainerio Spalati archiepiscopo vel meis canonicis successoribus aliqua temeritate præsumpserit facere , habeat iratum trinum & unum Deum , & indignationem summi imperii omnino incurrat & consequatur . Hujus rei isti sunt testes. Inprimis Mireus Segnensis episcopus , Flasco Tiniensis episcopus, Martinus Spalatensis comes, Martinus Traguriensis comes, Zuppanus Desa, judex Vilcotta, Breveco Zuppanus , comes Nicolaus Zuppanus , Miroslavus filius Bogdanazi Zuppanus, Srepanus filius Raccos Zuppanus, Grubessa filius Sajoli Zuppanus, Desco presbyter Kadole, Vilcotta subdiaconus, Sorizcius clericus, Zuppanus Drago, Paulus de Avina , Nicolaus de Calosatine, Dabre filius Kale, Dobre de Mari, Vitus clericus , Grobie clericus, Caraldus clericus & Sagarella . Et ego magister Gualterius comitis notarius, qui hanc chartulam scripsi, testor. Ann. Chr. 1180.

† *Ego Rogerius Sclavone Dei & imperiali gratia Dalmatiæ & Croatiæ Ducas manu mea subscripsi.*

IX. De loco ejus sepulturæ & de ipsius cultu.

Post Rainerii mortem Spalatenses recuperaverunt thesaurum , quem ipse apud canonicos sanctæ Mariæ in Portu Ravennæ deposuerat , cum ad capiendam possessionem novæ ecclesiæ ex Callio per Ravennam iter faceret ; *rogaverunt* scilicet *servientem ejus, quatenus Ravennam pergeret, depositumque archiepiscopi ad ecclesiam Spalatensem deferret . Ipse autem cum esset fidelis, & bonus acquievit civibus, & præparato navigio perrexit Ravennam ; miserunt autem cum ipso quemdam clericum nomine Raddam Marulle. Tunc ostenderunt depositariis quædam intersigna archiepiscopi, quia ille idem erat, ad cujus manus depositum illud jusserat archiepiscopus tradi, reddiderunt totum illud dolium, in quo fuerant opes illæ reclusæ, receptis vero omnibus reversi sunt. De rebus itaque illis quædam ecclesiæ datæ sunt , de aliis fecit communitas voluntatem suam.*

Inquirit Lucius [a], an ad Rainerium archiepiscopum spectet inscriptio, quæ in ecclesia sancti Matthæi Salonæ extat super quoddam sepulcrum , in cujus labro superiori leguntur infrascriptæ literæ unica linea sculptæ:

† HIC. REQVYESCET. FRAGELIS. EI. INVTELISI
X X X
HANNIS. PECCAT R. HARCHIPISC PVS.
X X X

& quamvis incompertum dicat, quis fuerit hic *R.. archiepiscopus* , cum in antiquis archiepiscoporum nominibus nullus tali nomine notetur ante beatum mox dictum Rainerium , qui in ecclesia sancti Benedicti magna veneratione colitur , fallitur tamen , dum arbitratur in præfata inscriptione designari archiepiscopum, cujus nominis prima litera sit R. Siquidem prædicta inscriptio sic est legenda . † *Hic requiescit fragilis & inutilis Johannes peccator harchiepiscopus ;* & duplex litera X. substituta est pro litera O. quotiescumque hæc litera occurrit in verbis præfatæ sepulcralis inscriptionis, ut liquet in dictionibus *Johannis* , *peccator* , *archiepiscopus* . Re enim vera ex libro cui titulus : *Memoria archiepiscoporum Salonitanæ & Spalatinæ ecclesiæ*, scimus Johannem quemdam patria Ravennatem & legatum summi pontificis, quique in ecclesia Spalatensi instauravit archiepiscopatum civitatis antiquæ Salonæ, sepultum fuisse in eadem ecclesia sancti Matthæi. *Johannes* [b], ibi dicitur, *primus archiepiscopus in Spalato, iste*

a Pag. 474.

b Apud Lucium 385.

Ann. Chr. 1180.

iste fecit templum argenteum , & ædificavit ecclesiam sancti Michaelis de Mare , tumulatus est in ecclesia sancti Matthæi .

a Pag. 386.

In eodem memoriali libro sub n. LXXXIII. legitur de Rainerio [a]: *Rainerius sedit annos quinque , Iste fuit lapidatus a Sclavis de Masaro , eo quod circuibat terras ecclesiæ , anno Domini* M. C. LXXX. *pridie nonas augusti . Sepultus est apud monasterium sancti Benedicti intus in ecclesia .* Hi Slavi habitantes ad montem Massarum appellantur a Thoma archidiacono ex genere Cacitorum ; in literis Emmanuelis imperatoris ex genere Caciclorum; Cinnamus [b] autem inter urbes ditioni imperatoris subjectas in Dalmatia nominat nationem Catziciorum. Distinguendus est Rainerius episcopus Calliensis, inde archiepiscopus Spalatensis ab alio Rainerio episcopo Calliensi , de quo hæc leguntur in necrologio Font-avellanensi ad diem vigesimam-quintam aprilis: *Obiit domnus Rainerius episcopus Calliensis commissus noster .* Spalatensis enim Rainerii dies emortualis fuit quarta augusti , sub qua tamen haud legitur in eodem necrologio ipsius nomen , sicut plurium celebrium & sanctorum virorum Avellanensium nomina æque desiderantur.

b Lib. IV.

In ecclesia sancti Benedicti erectum fuit sacellum, in quo servatur ipsius sacrum corpus, & temporis progressu , amisso sancti Benedicti nomine, ecclesia appellata fuit titulo sancti Rainerii . Archiepiscopus & clerus Spalatensis adstant divinis mysteriis in ejus ecclesia anniversaria die ipsius festi; celebratur de ipso officium cum octava, & compatronus Spalatensis urbis est declaratus una cum sancto Domnio . Etiam in villa Dubrava provinciæ Politzanæ sita inter duos colles montis Masari, quindecim milliaribus a Spalatensi urbe remota a parte meridionali, ubi martyrium complevit, constructa fuit ecclesia in sancti Rainerii honorem. Ad cornu evangelii in marmore impressa visitur forma corporis sancti martyris , cum saxorum turbine pressus exanimis terræ procubuit . Scaturit ibidem aqua prodigiosa medendis morbis efficax, quæ quotannis die ipsi sacra turbatur. Existunt etiam signa genuum, quando pro persecutoribus oravit , in lapide translato in ecclesiam sanctimonialium sancti Benedicti.

De Rainerio agunt editores Actuum Sanctorum ad diem IV. augusti ; justum autem commentarium de ipso promittit Sartius noster , cum per otium ei licuerit traditiones Avellanenses publici juris facere. Ad Appendicem vero amandamus hymnum, lectiones & antiphonas , quæ de sancto martyre Rainerio recitantur in tota diœcesi Spalatensi , approbata a sacra Rituum congregatione , cum attestationibus pientissimi & doctissimi Salonitani seu Spalatensis archiepiscopi viventis D.D. Nicolai Dinaritii, qui perhumaniter ad nos ea transmisit .

X. Monasterium S. Helenæ ad flumen Æsinum donatur Camaldulensibus.

Insignis cœnobii facta fuit hoc anno accessio eremo Camaldulensi. Guilielmus prior , Guarnerius præpositus , Marto monachus , consentientibus ceteris monachis , canonicis & conversis , qui tam in monasterio commorabantur , quam extra in obedientiis existebant , & cum expressa voluntate omnium patronorum monasterii donaverunt & tradiderunt ecclesiæ sancti Salvatoris de Camaldulo & Rodulpho priori congregationis Camaldulensis monasterium sanctæ Helenæ ædificatum prope fluvium Æsinum cum omnibus suis ecclesiis, castellis & villis positis in comitatibus Camerini, Senogalliæ, Æsii & Auximi , cujus fines sic denotantur : *A primo latere litus maris , a secundo flumen Sasani , a tertio alpis montium , a quarto flumen Mossoni.* Musio appellatur hic postremus fluvius in Cingulanorum finibus Auximum versus . Rodulphus autem prior promisit nomine & consensu fratrum suorum se nunquam suppositurum præ-

fatum

Ann. Chr. 1180.

satum monasterium jurisdictioni alterius ecclesiæ, nisi eremi Camaldulensis, neque daturum castella, villas & possessiones hujus monasterii ulli duci, marchioni, comiti, alterive ecclesiæ sine eorum consensu, nisi aliquid daretur pro utilitate ecclesiæ parochianis vel ipsius hominibus, & si acciderit, quod aliquis de ipsis hominibus moreretur, spopondit se non recepturum possessiones eorum, quæ essent oneratæ tributis, sine prædictorum patronorum facultate. Patroni autem adjuturos se promiserunt monasterium ejusque personas sub pœna quinquaginta librarum boni auri, salvo tamen jure patronatus. Subscripserunt post Guilielmum priorem & post monachos & patronos Ufredus abbas sancti Apollinaris, Martinus abbas de sancto Johanne, Giso prior sanctæ Mariæ, Albertus prior eremi, Ægidius prior sancti Georgii, Johannes sancti Ansovini, aliique. Abbatiam prædivitem sancti Apollinaris prope Rubellianum, quam ex concessione Pauli III. Romani pontificis obtinent modo priores ecclesiæ Æsinæ, indicat nobis Sartius [a] in epistola de antiqua Cupra-montana. Emersisse hanc abbatiam ajunt historici Æsini ex ruinis vetustioris abbatiæ sancti Eutitii. Giso prior erat sanctæ Mariæ, facile de Serra, quæ nunc in Auximano, nunc in Æsino episcopatu ponitur. Albertus prior eremi dictæ de eremita, sive sancti Jacobi, aut de Mandriolis. Ægidius prior sancti Georgii, hoc est de Murro, vel in monte Roberto. Ecclesia sancti Ansovini memoratur inter ceteras subjectas monasterio sanctæ Helenæ ab Innocentio III. ad annum 1199. ubi etiam nominatur ecclesia sancti Johannis de Rosorio, quam idem cœnobium obtinebat. Integram chartam edimus ex pluribus exemplaribus, quæ variis in locis reperimus. Monasterium sanctæ Helenæ, ædificatum a sancto patre Romualdo, ut fert traditio, & ut innuere videtur sanctus Petrus Damiani, primo sanctimonialium fuisse creditur domicilium; inde amotis monialibus, monachorum, canonicorum & conversorum usui inserviit. De ipso plura dicemus in sequentibus. Ceterum Rodulphus, qui hoc *anno millesimo centesimo octuagesimo regnante Frederico imperatore mense julio die jovis & indictione* XIII. quæ sunt notæ chronicæ prædictæ donationis, erat prior Camaldulensis, mense augusto ejusdem anni vocatus ad ecclesiam Anconitanam regendam pastore destitutam, locum fecit Placido, qui ex abbate Uranensi, & ex priore eremi electus fuit prior seu præses generalis totius congregationis, ut dicimus inferius.

[a] Pag. 71.

XI. Bona monasterii S. Mich. in Burgo Pisarum confirmantur ab Alexandro III.

Alexander III. Rom. pont. Velitris existens *per manum Alberti* S. R. E. *presbyteri cardinalis & cancellarii* VI. *idus aprilis indictione* XIII. *incarnationis Dominice* anno M. C. LXXX. *pontificatus vero* sui *anno* XXI. gratioso privilegio communivit monasterium sancti Michaelis de Burgo Pisarum, & Zachariam loci abbatem, qui subrogatus fuerat Gerardo post annum 1176. ad quem annum usque servantur contractus & paginæ Gerardi nomen præferentes in tabulario dicti monasterii. Recensuit bona ipsius cœnobii Alexander ad exemplar prædecessoris sui Adriani papæ, inter quæ numerantur locus ipse, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis, ecclesia sancti Laurentii de Rivolta cum hospitali, ecclesia sanctæ Cæciliæ, jus in ecclesiam sancti Christophori de Colignola cum parochiis & diœcesibus suis, possessiones in villa de Gessano, de Colignola, de Mezzana, de Leona, de Bottano, & infra Maneto, jus in ecclesiam sanctæ Mariæ juxta ecclesiam sancti Petri in Gradu, salvo solito censu solvendo Pisano archiepiscopo; quicquid demum monasterium sancti Michaelis obtinebat juxta muros civitatis tam in terris, quam in vineis. Sancivit insuper, ut nullus infra terminos

minos

Ann. Chr. 1180. minos parochiæ vel ecclesiarum ipsorum monachorum sine consensu dioecesani episcopi & San-michaelensium cœnobitarum aliquam ecclesiam ædificare præsumeret. Privilegium, quod ex autographo tabularii ejusdem monasterii exemplavimus, firmatum est subscriptione duodecim S. R. E. cardinalium.

Scholasticæ abbatissæ parthenonis sanctæ Christinæ de Septem-fontibus & Aldebrando presbytero, ipsiusque asceterii sororibus & fratribus in eodem monasterio Deo famulantibus donationem factam hoc eodem anno legimus in archivo ejusdem asceterii. Aliam Guilielmo abbati monasterii sancti Salvatoris in Valle de Castro, in qua nominatur silva comitis Ruberti, factam a Francone itidem comite, in archivo sancti Blasii de Fabriano.

XII. Rodulphus prior Camald. fit ep. Anconitanus.

Diximus superius Rodulphum ex priore generali Camaldulensis congregationis electum fuisse mense augusto hujus anni episcopum Anconitanum. Id eruimus ex documentis veteribus tabularii Fontis-boni, & ex testibus examinatis annis 1216. & 1217. & 1220. in causa controversiæ inter eremum Camaldulensem, & episcopum Arretinum.

Inter quos interrogatus Stephanus abbas monasterii sanctorum Justi & Clementis Volaterrarum respondit: *Factus fuit Placitus prior Camaldulensis, quia prior Rodulphus erat electus in episcopum Anconitanum circa finem augusti*; & paulo post: *Rodulphus ex priore electus episcopus Anconitanus dedit literas abbatibus & prioribus conventus Camaldulensis, ut venirent Camaldulum pro eligendo novo priore, qui elegerunt domnum Placidum abbatem de Urano*. Et anno 1217. interrogatus Guido prior cœnobii sancti Laurentini de Arretio VII. kalendas septembris dixit: *Rodulphus parum stetit in prioratu* (secunda scilicet vice) *& factus fuit episcopus Anconitanus*. Quare anconitana sedes Rodulphi statuenda est inter Gentilem, qui anno antecedenti subscripsisse legitur & assedisse cum patribus concilii Lateranensis, & inter Beroaldum, cujus memoria reperitur ad annum 1187. Neque protrahendum tempus sedis Rodulphi usque ad annum 1192. ut protrahitur in Italia sacra Ughellii [a] ex documento, quod asservari dicitur in monasterio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, cum in privilegio, quod concessit anno 1186. Henricus VI. Italiæ rex abbati monasterii Portus-novi apud eumdem Ughellium, inter ceteros testes appareat nomen Bertaldi seu Beroaldi episcopi Anconitani, & successoris Rodulphi. Datum est Henricianum præceptum apud Æsium *anno Dominice incarnationis* M. C. LXXXVI. *indictione* IV. *quinto kalendas decembris*. Pariter de eodem Beroaldo, fide Juliani Saracini cathedralis Anconitanæ canonici, penes eumdem Italiæ sacræ editorem, in eadem majori ecclesia legebatur olim sequens inscriptio marmori insculpta: *In nomine Domini Jesu Christi. Hoc est factum post partum virginis actum anno milleno centeno nono ottogeno, Federico Martis amico secla urgente; quarto Clemente Petri sedem retinente, præsule Bebaldo lapidumque fabro Leonardo*. Obiter adnotamus ly *quarto Clemente* referendum ad annum quartum Clementis III. qui eo anno quartum numerabat sui pontificatus annum; vel Clementem III. dictum fuisse IV. computato inter veros pontifices, & legitimos Wiberto antipapa, qui appellatus fuit Clemens III. Quare Cannetus noster docuit [b] Coletum in nova Italiæ sacræ editione documentum cœnobii Angelorum ab Ughellio citatum innuere Rodulphum vel jam se episcopatu abdicasse, vel etiam decessisse, qui ibidem dicitur *olim episcopus Anconitanus*, quod certe eo magis asserendum, cum in eodem documento, præter Rodulphum olim episcopum, memoretur etiam

dictus

a T. I. col. 338.

b T. X. col. 206.

dictus Beroaldus episcopus Anconitanus, Beroaldo successorem dat idem Ughellius Rufinum Lupatum Patavinum Minoritanum, qui vivebat anno 1222. ANN. CHR. 1180.

SED nos ex superius recensitis testificationibus sic emendandam arbitramur seriem episcoporum Anconitanorum per hæc tempora. Gentilis eam ecclesiam rexit usque ad annum 1180. quo anno vergente ad finem mense augusto, electus fuit Rodulphus ex priore Camaldulensi. Rodulpho suffectus fuit anno 1186. vel etiam antea Beroaldus vel Bertaldus vel Bebaldus, dictus pariter Berardus in tabulario Fontis-boni in charta anni 1192. die secunda septembris [a], qua refutavit eremo Camaldulensi, & monasterio sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum quasdam res. Adnotatur Berardi seu Bernardi obitus in necrologio Font-avellanensi sub die quartadecima julii: *Obiit domnus Bernardus Anconitanus episcopus commissus noster.* Sedit post Beroaldum Gerardus monachus Camaldulensis, qui testimonio Rainerii prioris sancti Michaelis de Arretio de pluribus interrogati anno 1216. VII. kalendas decembris, erat eo anno episcopus ejusdem Anconitanæ urbis. Ait enim se audivisse ea, quæ testabatur, a prioribus Camaldulensibus, & ab eorum vicariis domno Johanne, domno Jacobo, domno Simone, *domno Gerardo, qui modo est episcopus Anconitanus* &c. Idipsum repetit inferius: *Audivi a domno Gerardo, nunc episcopo Anconitano.* Idem Gerardus adstitit *anno* M. CC. XVIII. *die* VIII. *exeuntis martii indictione* VII. compromisso facto in Alatrinum subdiaconum Honorii III. papæ a Richardo episcopo Fanense, & ab abbate sancti Paterniani de Fano, quod documentum reperitur apud Amianum [b] in memoriis historicis urbis Fani, immo, ut alibi fusius videbimus, superfuit etiam ad annum 1227. Gerardo post eum annum subrogatus fuerit Rufinus. Alio in loco demonstrabimus post Rufinum, & ante Johannem Bonum episcopos Anconitanos agnoscendum esse alium ejusdem ecclesiæ episcopum Persevalem seu Reservalem nomine, nobis cognitum ex chartis ejusdem tabularii Fontis-boni.

XIII. Emendatur series episcoporum Anconitanorum.

[a] §. Amissæ n. 246.

[b] T. II. pag. XXXVI.

Quandoquidem de episcopis Anconitanis est sermo, non inutiliter hic loci memoriam illustramus Lamberti Anconitani episcopi, quem ignoraverunt Ughellius, Saracenus, & quotquot historiam hujus urbis concinnarunt. Primus e tenebris ipsum eduxit Cl. V. Eduardus Corsinius in erudita relatione detectionis sacrorum corporum Ciriaci, Marcellini & Liberii [c] ex sequenti Anconitana inscriptione: *Audi preces Christe Deus noster Lamberti præsulis, qui dilectus Deo semper decoratur infulis, Nos & ipsum Tu absolve peccatorum vinculis. Omnia, quæ hic habentur suo in cronomate, fere recuperavit ipse proprio numismate, auferentes & mulctavit diro anathemate.* Quo tempore floruerit Lambertus, hucusque ignotum; ex conjectura deducit idem doctissimus vir, sedisse ipsum inter Bernardum & Gentilem ad annum circiter 1150. Ex monumentis tabularii Fontis-boni, quæ primum inferius procudimus, constat Lambertum Anconitanam cathedram tenuisse tempore Rodulphi prioris sanctæ Camaldulensis eremi, & totius ordinis generalis. Sed hic rursus nobis hæret aqua, sub quo priore Rodulpho Lambertus fuerit Anconitanus episcopus; cum enim tres fuerint hujus nominis priores Camaldulenses, primus ab anno 1074. ad 1088. secundus ab anno 1152. ad 1158. tertius demum duabus vicibus ab anno 1164. ad 1167. & præsenti anno 1180. a mense majo ad augusti finem, nos latet cuinam Rodulpho contemporaneus fuerit episcopus Lambertus, præsertim cum, ut mox dicemus, exemplum monumentorum afferendorum in notis chronicis erroribus omnino scateat.

[c] Pag. 34.

Verum

Ann. Chr. 1180.

Verum, ut aliqua etiam nos conjiciamus, primo loco credimus Lambertum non vixisse temporibus Rodulphi I. prioris; non enim usuveniebat, ut eo seculo prior eremi Camaldulensis appellaretur etiam totius ordinis generalis; quod primum decreto Paschalis II. Romani pontificis usurpatum fuit anno 1113. sub Guidone I. priore, successore Martini I. & Rodulphi I. Si Rodulpho III. præsenti anno 1180. coævus fuerit Lambertus, dicendum erit brevissimam fuisse sedem hujus in Anconitana cathedra; mense enim martio anni 1179. Anconitanus episcopus erat Gentilis subscriptus inter patres concilii Lateranensis ejus anni; sub finem autem mensis augusti anni 1180. postulatus fuit ad viduatam Anconitanam ecclesiam regendam ex priore Camaldulensi idem ipse Rodulphus III. Quare vix annum compleverit Lambertus. Majori itaque innitimur fundamento, si ad tempora Rodulphi II. revocemus Anconitanum episcopatum Lamberti, ut juxta supralaudatum Corsinium cathedram ejus ecclesiæ impleverit circa annum 1150. signanter autem ad aliquem ex annis interfluentibus annum 1152. & annum 1158. quibus prioratum Camaldulensem tenuit Rodulphus II. vel etiam ad tempora Rodulphi III. quando prima vice electus fuit prior Camaldulensis, ab anno 1164. ad 1167.

Sed jam monumenta ipsa Camaldulensia producamus, explosis tamen notis chronologicis, in quibus vitium est. *Anno* M.CC.L. *die madii indictione sexta. Actum in monasterio sancti Johannis de prope Anconam, præsentibus domno Florido capellano dicti ...... Aldobrando Petri de Imula, & Johanne de Arimino familiaribus domini episcopi. Constituti domnus Stephanus abbas monasterii prædicti, domnus .... Benedictus, domnus Johannes, domnus Ciriacus prior ecclesiæ sanct...... de Ancona membri ejusdem monasterii, domnus Maurus rector ecclesiæ sancti Pauli, domnus Placidus rector ecclesiæ sancti Flaviani, domnus Floridus monachus monaster... frater Paulus & frater Andreas conversi ejusdem monasterii, constituti coram reverendo in Christo patre & domino domno Rudulpho sanctæ Camaldulensis heremi priore, & totius ordinis generali de mandato reverendi in Christo patris & domini domini Lamberti episcopi Anconitani. Qui abbas & conversi genuflexi petierunt humiliter velle se ipsius regimine gubernari pro meliori & salubriori statu, & pro redemptione animarum suarum religionem Camaldulensem intrare, & sub jugo ipsius obedientiæ se subjicere, petierunt devote ab ipso domno priore recipi cum personis & locis in Camaldulensem congregationem; quos cum ita præfatus prior recepisset, promiserunt ei obedientiam* &c. *& subjecerunt ei suisque successoribus etiam temporalia, scilicet terras, vineas & ecclesias ipsius monasterii, & præter prædictas ecclesias, illas sancti Andreæ, sanctæ Christinæ extra civitatem, sancti Silvestri in Vajano, & sancti Michaelis. In Pisenzano sancti Petri, in monte Corusco sancti Apollenaris, sanctæ Euphemiæ, sancti Andreæ in Campo* &c. *Ego Johannes de Pisis auctoritate imperiali notarius* &c.

Similiter: *Anno* M.CC.L. *de sexta maji indictione sexta dominus Lambertus Anconitanus episcopus considerans & confidens de sanctitate & honestate sanctæ Camaldulensis heremi, & de sapientia, ac moribus & vita venerabilis viri Roidulphi prioris Camaldulensis heremi & totius ordinis generalis ac & suorum successorum, quod monasterium sancti Johannis de prope Anconam & personæ ipsius poterunt salubriter gubernari, concessionem in hunc modum facere procuravit. Lambertus* &c. *dilecto in Christo filio Roidulpho Camaldulensi priori ejusque successoribus in perpetuum. Pro ecclesiarum statu satagere, atque earum utilitati, atque religionis restitutioni propensius auxiliante Domino providere dignum esse cognoscitur. Quapropter*

dilecte

dilecte in Christo Roidulphe Camaldulensis prior tibi tuisque successoribus monasterium sancti Johannis situm juxta civitatem Anconitanam , & universa, quæ ad præfatum monasterium jure pertinere videntur , intuitu reformandæ religionis concedimus , atque in perpetuum consignamus terras , vineas & ecclesias ipsius monasterii, videlicet (hic recensentur ecclesiæ in superiori documento nominatæ) *Decernimus quoque, ut nulli omnino episcoporum vel alicui hominum liceat prædictum temere conturbarè, ejus possessiones auferre, vel ablata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare* &c. *possessiones prædicti monasterii sine consensu episcopi & prioris Camalduli nullo modo alienare. Omnia insuper arbitrio prædicti prioris Camaldulensis relinquimus* &c. *Prædictum autem monasterium reddat consuetum censum viginti solidorum pro refectione domini episcopi & canonicorum majoris ecclesiæ, si de jure debetur per singulos annos. Actum in ecclesia sancti Johannis , præsentibus Federico de Imula , domno Benvenuto archidiacono & aliis præsentibus & consentientibus ; manu Ciriaci de Ancona imperiali auctoritate notarii.*

Ann. Chr. 1180.

Hæc monumenta apocrypha arbitratur Eduardus Baroncinius in suis excerptis tabularii Fontis-boni ea dumtaxat ratione , quia anno 1250. Martinus III. erat prior generalis Camaldulensis , non Rodulphus , cui rationi alteram addimus etiam indictionem sextam non convenire anno 1250. Sed hæc demonstrant imperitum documentorum veterum & primigeniorum exscriptorem putide errasse in anno & indictione consignandis; neque ea ratio sufficit, ut propterea monumenta hujus generis vitiata ad fabellas statim amandentur. Corrigi itaque tam annus incarnationis, quam indictio debent , & exigi ad tempora Lamberti episcopi , & Rodulphi prioris Camaldulensis. Anno 1158. decurrebat indictio sexta, & ei anno facile illiganda est traditio hujus monasterii , vel si etiam in indictione erratum est , illiganda alicui anno prioratus Rodulphi II. vel Rodulphi III. prima vice, ut superius conjecimus.

Nunc vero aliqua pariter de monasterio sancti Johannis prope Anconam delibanda . Monasterium hocce tum apud Sarracenum , tum apud Lubinum appellatur sancti Johannis-baptistæ de Pinoclaria extra muros urbis Anconæ ordinis sancti Benedicti , ut habetur in codice taxarum cameræ apostolicæ, vulgo de *Pennochiaria* extra portam *del Calamo* dictam, a fonte vicino cognomine, situmque erat sub arce civitatis, quod anno 1464. fere demolitum erat , monachis destitutum & in commendam tributum , datum postremo canonicis regularibus Lateranensibus . Quanto tempore ipsum possederint Camaldulenses, non liquet ex chartis nostris. In pagina donationis monasterii sanctæ Helenæ de Æsio , quam superius attulimus , inter ceteros , qui subscripserunt, legitur Martinus abbas de sancto Johanne , qui facile eo anno abbas erat Camaldulensis monasterii hujus Anconitani , & successor Stephani , sub quo societatem Camaldulensem expostularunt monachi ejusdem cœnobii. Hæc, quæ tum ecclesiæ Anconitanæ, tum Annalium Camaldulensium historiam locupletant , prætерire fas non erat.

XIV. De translatione corporis S. Gaudentii ep. Absarensis, & de cultu, quem nunc obtinet.

Ceterum sub Rodulpho episcopo Anconitano Lucius III. Romanus pontifex *anno* M. C. LXXXIV. *pontificatus* sui *anno* III. *quintodecimo kalendas julii indictione secunda* confirmavit privilegium Alexandri III. pro monasterio sanctæ Mariæ de Portu-novo in eodem territorio Anconitano, celebri ob sancti Gaudentii episcopi olim Absarensis incolatum . Anno 1177. abbas ejus monasterii erat Rusticus, cui concessum fuit Alexandrinum privilegium. Ipsius Rustici tempore , immo eodem anno 1177. refertur

ANN. CHR. 1180.

fertur in catalogis mss. ecclesiæ Absarensis, Venetis Anconam obsidentibus, sublatum fuisse corpus sancti episcopi & monachi Gaudentii, atque annorum octuaginta-trium spatio sub terra tumulatum jacuisse in loco appellato *Bonaccia* prope Absarum, ex quo postea in Absarensem urbem fuit translatum. Occasione Gaudentii lectores monemus post editum secundum volumen Annalium nostrorum nactos nos fuisse vetustius exemplar vitæ ipsius sancti episcopi scriptum a quodam Matthæo Jaderense, qui se indicat in calce ejusdem vitæ, his verbis: *Memoria Matthei de Jadra; omnia testor Deum, prout melius potui, exemplavi, que in exemplari habui.* Porro in hoc veteri exemplo, præter aliquot variantes lectiones, quæ parum aut nil immutant sensum exempli nostri, ex quo vitam dedimus præfati sancti viri in eodem tomo, loco verborum: *assumptus est ad cœlum ex corpore kalendis junii*, legitur: *assumptus est cum g..... pridie kalendas junii.* Nihilotamen secius festiva ipsius dies in urbe Absarensi agitur ipsis kalendis junii, & in synodo Absarensi celebrata anno 1660. singulari decreto sub numero XXVI. statuitur, ut *die prima junii festum sancti Gaudentii celebretur ritu duplici primæ classis in tota diœcesi, & in ecclesia cathedrali cum octava.*

Superior sacri corporis Gaudentii direptio, si contigit tempore obsidionis Anconitanæ, non ad annum 1177. ut refertur in mss. Absarensibus, sed anteverti debet ad annos 1172. vel 1173. quibus diximus Anconitanam urbem fuisse obsidione circumseptam. Ad idem tempus pertinent ea, quæ leguntur in ipsius vita, „ Jaderenses nimirum ex ecclesia, ubi corpus sancti episcopi requiescebat, extrahere contendisse linteamina, aliaque, quæ in apparatu basilicæ distenta fuerant, ibique percussos divinitus non potuisse aliquid subripere, Teutonicos quoque festinasse cum exercitu ad ecclesiam una cum monasterio depopulandam, sed virum quemdam divino spiritu accessisse, & liberasse domum, quæ illæsa permansit. " His enim annis Veneti & Teutonici Anconitanam urbem & loca vicina exercitu ducto obsidione vallabant contra Emmanuelem Græcorum imperatorem.

Non injucundum erit hic loci postremam referre translationem sacri corporis sancti Gaudentii factam anno 1748. ab Illustrissimo & Reverendissimo D.D. Nicolao Dinaritio, tunc episcopo Absarensi, nunc archiepiscopo Spalatensi, cujus translationis relationem, una cum frustulo ossium sancti episcopi, perhumaniter ad nos transmisit doctissimus præsul, ex actis sacræ visitationis episcopalis existentibus in cancellaria episcopatus Absarensis, quæ est hujusmodi:

„ Sacra lipsana sancti Gaudentii episcopi Auxerensis, quæ in perantiqua arca lignea lævigatis cancellis obstrusa primis ævis asservabantur, & quæ postea anno M. CCCC. XVII. in alia arca lignea varie depicta, & imaginem ejusdem sancti pontificis interius præseferente, cancellis pariter, sed ferreis deauratis, munita custodiebantur, ac denique anno M. DCC. XI. in arca marmorea, in qua adhuc hodie super ara majori ecclesiæ cathedralis fidelium venerationi exhibentur, ab Illustrissimo & Reverendissimo D.D. Nicolao Dinaritio moderno episcopo anno M. DCC. XLVII. sub die XIII. mensis aprilis visitatæ fuerunt, inspectoque aditu, quem sibi mures fecerunt a posteriori arcæ parte, quæ simplici tabula tuebatur, idem Illustrissimus & Reverendissimus præsul ipsas sacras reliquias inde extraxit, & ea, qua par est, reverentia in alia simplici lignea capsula, quinque sigillis in cera Hispanica impressis munita, inclusit, & in supradicta arca lignea ferreis cancellis ac tribus iterum si-

„ gillis

„ gillis communita recondidit, & super aram B. V. de monte Carmelo „ collocavit. Peracta interim nova cypressina capsa exterius ex auricalco „ circumtecta, ipsa sacra lipsana fuerunt in eadem anno M. DCC. XLVIII. „ sub die XXX. mensis maji reposita, chrystallo ex anteriori parte defensa, „ & per laudatum Illustrissimum & Reverendissimum D. D. episcopum „ duabus seris clausa super mensam aræ majoris iterum exposita usque „ ad diem primam junii, natalis ejusdem sancti Gaudentii, in qua pro „ majori sollemnitate indicta publica processione ipsa sacra lipsana hume- „ ris sacerdotum imposita magna populi frequentia ex finitimis urbibus „ affluentis per totam civitatem circumlata fuerunt. Perventum autem in „ ecclesiam denuo super aram majorem deposita capsa publicæ veneratio- „ ni fuit exposita usque ad diem quartam junii. Quibus omnibus rite „ ac pie perfunctis Illustrissimus & Reverendissimus præsul ipsam novam „ capsam cypressinam cum sacris reliquiis in arcam marmoream introdu- „ xit, quam tribus seris reseravit. Præsentibus ad hæc omnia Reveren- „ dissimis D.D. archidiacono Antonio-Jacobo Moise, archipresbytero Ja- „ cobo Zentilini, canonico decano Francisco Tentor aliisque pluribus „ ecclesiasticis & laicis, & ita &c.

„ Quare ad perpetuam rei memoriam hoc præsens publicum instrumen- „ tum de mandato ejusdem Illustrissimi & Reverendissimi episcopi ego „ canonicus Julius-antonius Bertoli cancellarius episcopalis confeci & ma- „ nu propria exaravi.

Loco † sigilli.


„ Ego idem canonicus Julius-antonius Bertoli ex actis sacræ Visitatio- „ nis in cancellaria episcopali existentibus præsens instrumentum fideliter „ exemplavi & in fidem &c.

Non sine peculiari divino beneplacito contigit recentissima hujusmodi translatio, sollemnissima pompa & devotissimo studio ab urbe Absarensi & a circumjacentibus populis celebrata; novimus enim ex eo tempore aerem regionis salubriorem factum, fœcundioresque feminas ex sterilibus redditas, atque loca incolarum frequentia magis habitata divisi. Addimus etiam capsam ligneam affabre sculptam a celebri Francischio Veneto ad condenda sancti Gaudentii ossa, una cum chrystallis ejusdem, unice recuperatam superfuisse naufragio, quod passa fuit navis, super quam fuerat imposita; meritis certe & intercessione sanctissimi Absarensis episcopi Gaudentii, qui protectionem suam specialem donat urbi & regioni, præsentia sua dum viveret, & sacris reliquiis post aliquot secula a suo obitu illustratis.

Ceterum eidem doctissimo & piissimo tunc Absarensi, nunc Spalatensi archiepiscopo acceptas referimus notitias fere omnes, quas de sancto Absarense episcopo Gaudentio sub præsenti anno proferimus, cujus etiam beneficio habemus ære incisum ectypon capsæ ligneæ repertæ, quando in marmoream capsam ipsius sacra ossa transtulit; quod libenter hic subjicimus ad perennandam, illustrandamque sanctissimi antistitis & solitarii Gaudentii memoriam.

ANN. CHR. 1180.

ANN. CHR. 1180.



Eadem opportunitate iterum consuluimus catalogos ms. sive monumenta ecclesiæ Absarensis ope Cl. Senatoris Flaminii Cornelii optime de nobis studiisque nostris meriti, in quibus post relatum obitum sancti episcopi Gaudentii ad annum 1044. socii ei tribuuntur his verbis: *Socium habuit Liberium seu Oliverium, & Pancratium fratrem suum, qui ut sanctus veneratur in sepulcro marmoreo in ecclesia Anconitana*: Quare tomo II. Annalium nostrorum ad annum 1050. [a] tribuimus Pancratio potius quam Liberio honorem sepulcri & sanctitatis elogium, cultumque in ecclesia Anconitana, juxta verborum obvium sensum; verum cum non Pancratii, sed Liberii antiquissima monumenta extent in ea ecclesia, corrigenda vel illustranda arbitramur catalogorum verba; & gratulamur doctissimo viro congregationis Scholarum-piarum præsidi generali Eduardo Corsinio, qui summa diligentia & eruditione lumen addidit sanctorum episcoporum Anconitanæ sedis historiæ, occasione adinventionis corporum sacrorum, fabellamque explodit Liberii, quem non in remotissima antiquitate, sed seculis posterioribus inquirendum esse sibi ceterisque persuasit, literisque nobis humanissime datis in eam sententiam lubens descendit Liberium unum fuisse ex sociis sancti Gaudentii, Absarensis prius episcopi, inde monachi in cœnobio Portus-novi prope Anconam. Hæc de Gaudentio superaddidisse non pœnitet. Sed ad historiam nostram redeamus.

a Pag. 119.

XV. Rodulpho priori Camald. sufficitur Placidus abbas Uranensis.

RODULPHO ex priore Camaldulensi Anconitano episcopo facto subrogatus fuit mense augusto vel septembri, ut diximus, Placidus abbas sanctæ Mariæ de Urano in territorio Foro-popiliensi, quique simul erat antea prior eremi Camaldulensis. Tempore regiminis Placidi, quo anno ignoramus, Camaldulum se contulit Gratianus episcopus Tudertinus, ut ipsi juxta consuetudines eremi Camaldulensis reformandum traderet mona-

naste-

nasterium sancti Fortunati, quod addiscimus ex depositione Rainerii prioris sancti Michaelis Arretii in causa libertatis ejusdem eremi ad annum 1216. De monasterio sancti Fortunati egimus ad annum 1007. ejusque variam fortunam ibidem descripsimus; subjiciebatur tamen ipsum etiam hoc tempore abbatiæ sancti Apollinaris Ravennæ Classis, ut liquet ex privilegio Urbani III. ad annum 1186. referendo.

ANN. CHR. 1180.

XVI. Heliottus ep. Arretinus confirmat ecclesiam S. Blasii monast. Agnanensi.

HELIOTTUS episcopus Arretinus ad petitionem Saxonis abbatis monasterii sanctæ Mariæ de Agnano, & presbyteri Augustini rectoris ecclesiæ sancti Blasii, quæ erat subjecta cœnobio Agnaniensi, præfatam ecclesiam constitutam in civitate Arretina, claustrum, domos, vineas ceteraque ejus ecclesiæ recepit hoc anno sub protectione sancti Donati, ita etiam sepulturas defunctorum, judicia mortuorum, decimationes, oblationes, & totum jus parœciale dictæ ecclesiæ cum populo ipsius, & quæcumque per quadraginta annos legitime possederat, rata habuit, confirmavit etiam jura, quæ predicta ecclesia habebat in castrum Anteriæ, domum, vineam, terram, juspatronatum ecclesiæ & partem ipsius castelli. Adjecit demum, ut si quis e populo dictæ ecclesiæ aliunde sepeliri vellet, medietatem judicii sui prædictæ ecclesiæ tribueret, sicut prædecessor suus Maurus episcopus constituerat. Actum in civitate Arretina in palatio juxta plebem sanctæ *Mariæ* virginis, cum subscriptione episcopi & sigillo. Quam confirmationis syngrapham ex chartulario nostro sanctæ Mariæ in Gradibus [a] damus in Appendice.

In tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia [b] leguntur sub hoc anno mense martio donationes factæ ex Puppio a Guidone comite Thusciæ & a Gualdrada comitissa ejus uxore presbytero Petro rectori ecclesiæ sanctæ Mariæ de Petra-ficta rerum omnium, quæ possidebant in Pratilione & in Farta. Aliæ ab iisdem præfatæ ecclesiæ largitiones factæ leguntur sub anno 1190. Quare commentitium omnino est & fabulosum, quod ex Villanio profert Admiratus Gualdradam desponsatam fuisse comiti Guidoni tempore Ottonis IV. imperatoris, cum tam vetustiora supersint monumenta utriusque conjugis, qui triginta saltem annos ante Ottonem IV. matrimonium simul inierant.

a *Num.* 79.
b *Num.* 262.

XVII. De abbatia Senensi S. Mariæ de Cicille.

QUO tempore monachi Camaldulenses abbatiam sanctæ Mariæ de Cicille vel Sicille in diœcesi Senensi, nunc Pientina, possederint, incompertum est. Hieronymus Gilius [c] in suo Diario Senensi ipsam sub Camaldulensium disciplina stetisse anno 1224. scribit, adeoque ante eum annum statuta Camaldulensia suscepisse. Anno præsenti 1180. Alexander III. ex Tusculano per manum Alberti cardinalis & cancellarii III. *idus novembris indictione* XIV. *pontificatus* sui *anno* XXII. Peponem procuratorem monasterii ejusque fratres apostolico privilegio sub sancti Petri protectione suscepit una cum ecclesiis adjunctis. Inter ceteras ecclesias enumeravit Alexander ecclesiam sancti Petri in Petrorio, quæ nunc sita est in eadem diœcesi Pientina; ecclesia hæc olim fuerat & ipsa abbatia sui juris, quæ similiter, teste eodem Gilio, ad Camaldulenses transierat, & unita fuerat alteri de Cicille. Ceteræ ecclesiæ subjectæ appellabantur sancti Andreæ, sanctæ Agathæ, sancti Petri in Cicelano; possessiones autem obtinebat præfatum monasterium in villa de Cicillo, de Ciclano, de Ecceleto & Agello; jura autem habebat in Petrorii, Camprenæ, Vajani & Taleani loca. Subscripserunt Alexandrino præcepto decem S. R. E. cardinales. Cum monasterium de Cicille per hæc tempora destitutum esset abbate, & per procuratorem regeretur, ac obeunte dicti loci procuratore statuerit Alexander, ut alter a fratribus juxta beati Benedicti regulam eligeretur, non ab-

c *Pag.* 700.

Ann. Chr. 1180.

abludit a vero, ipsum circa hos annos amplexum fuisse disciplinam Camaldulensem, ut ad annum 1175. vidimus etiam monasterium Uranense a procuratore rectum anno 1168. paulo post ad consuetudines Camaldulenses transiisse. Post varias vices demum anno 1443. abbatiam hanc adjunxit Eugenius papa IV. Senensi monasterio sancti Benedicti congregationis Montis-olivetanæ, ut in historia monasteriorum ejusdem cœtus affirmat Secundus Lancellottus [a]. Ante duodecim annos tertio nonas junii concesserat idem Romanus pontifex Eugenius abbati de Cicille, ut residere posset in ecclesia sancti Johannis-baptistæ ad Assum, eo quod monasterium ruinam minitaretur, ut eruitur ex pagina [b] tabularii ejusdem cœnobii sancti Benedicti. Exscripsimus ex autographo dicto monasterii Alexandri privilegium a Lancellotto laudatum, & proferimus in Appendice.

a Pag. 115.

b C. 2.

XVIII. De altera S. Laurentii de Ardenghesca.

Idem dicendum de abbatia sancti Laurentii de Ardengescha, appellata etiam sancti Salvatoris prope montem Lucium, viginti duobus milliaribus distante ab eadem urbe Senensi. Fundatam ipsam existimat idem Gilius a comite Ardingo, qui circa annum 1085. vivebat, cujusque comitis donationis chartam factam monasterio sancti Petri de Argiano sub eo anno attulimus, submissam autem communi Senarum anno 1202. ab abbate Camaldulensi, ut idem affirmat. In contractu subjectionis hujusmodi memorantur castrum Civitellæ cum sua curte, quod abbatiæ & Lamberto abbati donaverat anno 1108. comes Rainerius vel Renardus, ecclesia sancti Laurentii, pars Paturuli, & ecclesia sanctæ Anastasiæ, quas monasterio obtulerat Conradus Thusciæ marchio anno 1124. Locupletata fuit abbatia apostolicis privilegiis anno 1143. a Cœlestino II. anno 1144. a Lucio II. anno 1145. ab Eugenio III. & anno 1178. ab Alexandro III. Romanis pontificibus. Ad abbates commendatarios progressu temporis devenit; Joachimo autem postremo abbate commendatario vel renuntiante vel obeunte Eugenius papa IV. anno 1440. eam concessit canonicis regularibus sanctissimi Salvatoris, qui modo incolunt *locum* sanctæ Mariæ de Angelis urbis Senarum. Abbas hujus monasterii marchionis titulo gaudebat. Abbatia curam animarum habet sub vicariatu Civitellæ. Quas notitias non ex Gilio dumtaxat eduximus, sed ex tabulario quoque eorumdem canonicorum regularium, favente Josepho Nino docto & pio ejusdem loci canonico regulari, ex cujus paginis etiam innotescit Palmerium prius monachum sancti Anthimi, inde priorem sancti Thomæ Pistoriensis urbis, & declaratum a Rainerio abbate sancti Anthimi præsulem dicti loci confirmatum fuisse a Gregorio X. anno primo sui pontificatus bulla data ex Viterbio; Venturam olim monachum sancti Sabbæ urbis Romæ abbatem huic monasterio datum fuisse a Nicolao IV. Romano pontifice anno III. sui pontificatus; anno M. CCC. XXXI. *mense octobri indictione* XV. abbatem fuisse Christophorum, absolutum etiam ab excommunicatione a Restauro episcopo Grossetano. Sed sufficiant hæc ad brevissimam harum abbatiarum illustrationem.

Spectat ad hunc annum alia Alexandri III. Romani pontificis bulla pro monasterio Campi-majoris, dicto etiam Camajoris & Cammate Lucanæ diœcesis, de qua dicemus ad annum 1385. quando acta fuit unio ejusdem monasterii cum ordine Camaldulensi. Data est ipsa *Velitris per manum Alberti S. R. E. cardinalis & cancellarii* IV. *kalendas madii indictione* XIII. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXX. *pontificatus vero Alexandri pp.* III. *anno* XXI.

XIX. Consecratio ecclesiæ S. Petri de Galeata.

Facta fuit hoc vel sequenti anno dedicatio sollemnis archipresbyteralis ecclesiæ sancti Petri de Bosco, quæ subjiciebatur monasterio sancti

Hilari

Hilari de Galeata; liquido enim expressum non est in lapide, quem proferimus, an ipsa præsenti vel sequenti anno peracta fuerit. En inscriptio, quæ visitur ad dexteram aræ principis partem in trianguli formam disposita, sed pro commodiore typographorum usu ad sequentem formam redacta: ANN. CHR. 1180.

DEDICATA. FVIT. HAEC. ECCLESIA. A. DOMINO
GERARDO. RAVENNATE. ARCHIEPISCOPO. TEMPORE
IOHANNIS. ABBATIS. III. NONAS. AVGVSTI. ANNO
M. C. LXXX. INID. TEMPORE. ALEXANDRI. PP. III.
FRIDERICI. IMPERATORIS.

Putamus scilicet lapidarium artificem, quota esset indictio hujus anni, ignorantem, post siglam INID. nullum ipsius posuisse numerum. Litera pariter I. vel potest adjici tamquam unitas ad annum incarnationis M. C. LXXX. ita ut exsurgat annus M. C. LXXXI. vel prima est litera vocis INDICTIONE. Tertio nonas augusti anni sequentis vivebat adhuc Alexander III. defunctus die trigesima ejus mensis; Johannis abbatis Galeatensis obitus refertur ad annum 1190. in necrologio prædicti monasterii; Gerardus vero archiepiscopus Ravennas supervixit ad annum 1188. Anno 1180. indictio erat XIV. anno autem sequenti XV. Quare vel præsenti, vel sequenti anno illiganda est consecratio præfatæ ecclesiæ.

Bono priori sancti Savini de Chio in territorio Arretino [a] promiserunt patroni hoc anno se recuperaturos bona ejus ecclesiæ; ecclesiæ autem & monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres Gerardus episcopus Paduanus habito consilio canonicorum suorum & aliorum sapientum, intuitu pietatis, ob opera misericordiæ, quæ in monasterio dicto propter frequentiam pauperum exercebantur, die septima februarii donavit decimationes paludis de Baone, tam quæ tunc excolebatur, quam quæ imposterum ad culturam perveniret quacumque occasione.

a *Arch. Fontis boni §. Defensio 2. A. 2.*

ANN. CHR. 1181. XX. Privilegium Alexandri III. Simoni abbati monast. SS. Hipp. & Laurentii de Faventia.

HOC anno, qui fuit pontificatus sui postremus, Alexander III. Simoni abbati monasterii sanctorum Martini, Hippolyti & Laurentii de Faventia, qui præsenti vel præterito anno successerat Rolando, privilegium concessit, recipiens sub beati Petri protectione ejus monasterium, simulque recensens ecclesias eidem cœnobio subjectas; ecclesiam nimirum sancti Antonini in suburbio portæ pontis ejusdem urbis, quam Hildebrandum episcopum Faventinum eidem monasterio dilargitum fuisse vidimus ad annum 1019. ecclesiam sancti Andreæ in Zagonati seu de Zagonaria; ecclesiam sancti Laurentii in Guercinoro; ecclesiam sancti Lucæ; ecclesiam sancti Johannis-evangelistæ de Granarolo; ecclesiam sanctæ Mariæ in Fermellino; ecclesiam sancti Martini in Villa-nova; ecclesiam sanctæ Mariæ in Filiola; ecclesiam sanctæ Mariæ in Sala; duas ecclesias apud sanctam Luciam; ecclesiam sanctæ Mariæ in Antignana; ecclesiam sancti Laurentii in Scarzana & demum ecclesiam sancti Michaelis in Trebana. *Datum* est apostolicum privilegium *Viterbii per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii* XVI. *kal. augusti indictione* XIV. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXI. *pontificatus vero domini Alexandri pape* III. *anno* XXII. quod producimus ex exemplo tabularii sancti Romualdi de Urbe, cum subscriptione novem S. R. E. cardinalium. Compertum

Ann. Chr. 1181.

pertum fit ex ipso Alexandrino privilegio monasterium sanctorum Hippolyti & Laurentii alterum obtinuisse sancti Martini titulum.

XXI. Alexandri III. obitus. Epistola Alberti Balneensis archipresb. ad eumdem.

Paulo post, hoc est sub finem mensis augusti, obiit dignissimus pontifex, qui tempore suæ sedis plura adversa pertulit pro ecclesia Dei a schismaticis pseudo-pontificibus, & a schismatico imperatore. Vel sub eodem Alexandro, quo anno non liquet, cum epistola notis chronicis careat, vel forte etiam sub ejus antecessore Adriano IV. Al.. scilicet Albertus Balneensis ecclesiæ plebanus sequentem epistolam alterutri ipsorum scripsit, quam ex autographo archivi Balneensis, utpote & ad ipsam ecclesiam Balneensem, quæ Camaldulensis deinde evasit, & ad abbatias Triviensem & Vergaretanam spectantem inserimus; monentes Albertum archipresbyterum plebis sanctæ Mariæ de Balneo reperiri ad annum 1165. indictionem XIII. quo anno ipsi donantur terræ a quodam Grifo in tabulario ejusdem loci, in quo etiam ad annum 1182. indictionem XIV. legitur nomen Martini plebani plebis sanctæ Mariæ in Balneo, qui Alberto successerat. Eidem Alberto Adrianus IV. privilegium concesserat anno 1156. quod antecedenti tomo protulimus. Literæ sunt hujusmodi.

Piissimo in Christo patri ac domino Dei gratia totius ecclesiæ pontifici A.. Balnensis plebanus licet indignus Al.. omnem famulatus subjectionem.

Visis vestræ jussionis literis clementissime pater vestram Balneensem plebem, etsi miseram statim adivi. Nam ipsius miseræ plebis possessiones, & ducentarum familiarum decimas, mortuorumque oblationes, & cuncta, quæ sunt jus plebis, abbas sancti Angeli de Vergareto injuste & violenter detinet, & excommunicatum in quamdam ecclesiam plebis reducens ecclesiæ sacerdoti præcepit, ut hominibus decimas plebi non dantibus pœnitentiam daret, alioquin de ecclesia expelleretur. Et me Missam in plebe dicente, quidam suus monachus ex sua & comitis parte præcepit, ut sibi darentur decimæ. Similiter duodecim capellas, decimas, oblationes, & ea quæ sunt jus plebis, sententia papæ Innocentii beatæ memoriæ plebi redditas, abbas Triviensis nequiter retinet, retinendo quasdam alias plebis decimas, quas a proceribus emit. Et proceres eodem modo decimas plebi auferunt. Bobiensis vero ecclesia tres ipsius vestræ plebis capellas a laicis datas injuste tenet, & ipsius ecclesiæ episcopus me invito quamdam vestræ plebis ecclesiam consecuit. Nam beatæ memoriæ papa Paschalis instituens ordinem & regulam in plebem tenere, injunxit in ecclesiasticis ordinationibus tantum de Romana provincia catholicum habere episcopum. Ecclesiæ namque ipsius plebis fere cunctæ sunt ad nequam laicorum voluntatem. Nam decimas & oblationes, & ea, quæ sunt juris plebis & ecclesiarum, minime ausus sum quærere. Idcirco supradictis præcognitis ex Dei & vestra parte cuncta unicuique repetii, tamen a nemine sum exauditus. Quia vero cum ordine beati Fridiani & regula beati Augustini, tum ipsius paupertate domus in vestra ecclesia detineor, ideo ante vestram majestatem, quam utinam videam, venire nequivi. Vestram igitur modis omnibus deprecor sanctitatem, ut Dei amore Balneensem ecclesiam ab omni monachorum peste, omniumque clericorum ac laicorum jugo evidenter liberetis, & sub beati Petri & vestri munimine privilegium dando in perpetuum teneatis, & nullam ecclesiam vel hospitale infra Balneensem plebem facere monachos, seu clericos vel laicos facere sinatis, & quæstum juris plebis reddere, & nos quiete manere faciatis. Nam ordo & regula minime ibi potest teneri, nisi vestra fortitudine teneatur & necessaria habeantur.

Aliud

ALIUD etiam tempore sui pontificatus privilegium indulsit idem Alexander monasterio Berardingorum, ut fidem facit Urbanus III. in altero eidem monasterio concesso anno 1186. Ipsi similiter potiusquam Alexandro IV. tribuendum est diploma *datum Anagnie* XIII. *kal. februarii*, sed sine anni nota, quo plebanis, capellanis aliisque clericis circumpositis monasterio nostro de Puteolis urbis Lucensis mandavit, ne ullo modo imposterum impedirent, quominus ii, qui voluerint apud dictum cœnobium monasticam vestem recipere vel inibi sepeliri, si sui compotes in eodem loco sepulturam elegerint, voluntatis suæ privarentur executione, salva tamen canonica justitia in parte testamenti illarum ecclesiarum, a quibus corpora assumerentur. Quandoquidem nonnulli ipsorum parochianos suos non permittebant ad monasterium deferri, nisi illuc vivi deportarentur. Quod quidem tamquam iniquum & detestabile, ac ecclesiasticæ honestati penitus inimicum declaravit & damnavit.

ANN. CHR. 1181.

XXII. Alia ejusdem Alexandri privilegia notis chronicis carentia.

ALEXANDRO itaque die XXX. augusti hujus anni defuncto suffectus fuit Lucius III. antea Ubaldus episcopus Ostiensis & Velitrensis, Lucensis patria, coronatus Velitris prima septembris dominica. „ Is quarto „ kalendas octobris hujus anni in eadem urbe consistens manu Alberti „ S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii Johanni abbati divi Petri ad „ Vincula, quod est in agro Ravennate & ejus successoribus in perpe„ tum, quæcumque bona possidebant, confirmavit. Ad hæc Innocentii, „ Eugenii & Alexandri Romanorum pontificum, qui cœnobium illud, „ nullo medio, subjici Romanæ ecclesiæ voluerant, privilegia rata ha„ buit, ad hujusque immunitatis significationem denarios monetæ Pa„ piensis duodecim Romano pontifici numerari quotannis voluit. Quam „ item Johannes dux eidem cœnobio immunitatem dederat, & tabulis „ publicis testatus fuerat, eam esse firmam jussit. In demortui abbatis „ locum is sufficeretur, quem monachi saniorque pars ipsorum juxta Dei „ timorem & divi Benedicti, quam erant professi, regulam designassent, „ designatus ad Romanum pontificem, ut illi benediceretur, accederet. „ Servaretur tamen in omnibus diœcesanorum episcoporum jus, quo ju„ re uti consuessent in prædiis cœnobio traditis. Sanctum oleum ac „ chrysma, altarium ac basilicarum consecrationes a diœcesano episcopo, „ si catholicus is esset, neque a communione apostolicæ sedis abducere„ tur, acciperet; alioquin quocumque luberet, dum cum Romana eccle„ sia, sentiret, proficisceretur. In eorum sepeliri templo omnes possent, „ qui nullo interdicti aut anathematis vinculo essent obstricti, integro „ tamen earum sacrarum ædium jure, a quibus corpora assumerentur. „ Inter hujus templi bona a pontifice numerantur templum divi Petri „ Brittonoriensis, divi Sixti Cerviensis, divæ Mariæ Asignani, divi Blasii „ e Turricula, divi Stephani Argentani, divi Johannis e Meleto, divi „ Paterniani e Paduleda, divorum Johannis & Pauli e Vetreta, divi „ Aegidii e Calanco, divi Petri in Aquæductu, divi Marci evangelistæ „ e Barca. Multa ad hæc multis in locis pulcra fructuosaque prædia, „ quæ singillatim numerare nimis molestum esset. “ Hæc ex Rubeo [a] ad hunc annum; qui addit occasione hæreditatis Johannis ducis Ravennatis, qui obierat anno 1178. & litis inter Ubertinum Tebaldi & Petrum de Traversaria Faventinos & Foro-cornelienses in auxilium accitos ab Ubertino excursiones in agrum Ravennatem fecisse & oppidum divi Petri ad Vincula diruisse, oppidum autem Cortinæ incendio absumpsisse hoc anno.

XXIII. Lucius III. Rom. pont. Alexandro suffectus confirmat bona monast. S. Petri ad Vincula territorii Ravennatis.

a *Lib. VI. pag. 353.*

XXIV. Item monasteria S. Petri de Cerreto & S. Salvatoris de Florentia suscipit sub apostolica protectione.

LICET vero primis sui pontificatus mensibus ut plurimum in urbe

Ann. Chr. 1181. Velitrensi degerit Lucius, Romæ tamen erat VI. kalendas decembris hujus desinentis anni, qua die *indictione* XV. mutata mense septembri *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXI. *pontificatus vero domini Lucii pape* III. *anno primo per manum Alberti S. R. E. cardinalis & cancellarii* alterum privilegium concessit Mauro abbati monasterii sancti Petri de Cerreto in agro Volaterrano, ejus cœnobium sub tuitione sedis apostolicæ suscipiens, & ecclesiam insuper sancti Salvatoris de Fungeto, quæ erat monasterio Cerretano subjecta, ratum etiam habens jus decimæ agriculturæ, sicut a quadraginta annis inconcusse hactenus possederant monachi ejusdem loci, quamque voluit, ut ipsi non cogerentur ulli dare, nisi hospitali præfati monasterii. Subscribunt post Lucium undecim S. R. E. cardinales. Privilegium vero exscripsimus ex autographo tabularii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

Idem Romanus pontifex die antecedenti, hoc est *vigesima-quinta novembris* hujus anni *primo* sui *pontificatus anno* ex eadem Urbe manu ipsius Alberti, annuens precibus Ildebrandi prioris ecclesiæ sancti Salvatoris juxta Florentiam, ecclesiam ipsius, & locum, in quo monasterium situm erat, auctoritate apostolica confirmavit cum omnibus suis pertinentiis, & nominatim cum jure in ecclesias sancti Christophori & sancti Laurentii de Rosis, & cum decima bonorum ejusdem monasterii a quadraginta retro annis inconcusse percepta, itaut nulli nisi hospitali dicti monasterii & pauperibus dare decimam cogerentur. Statuit monasticum inibi ordinem perpetuo observari juxta regulam sancti Benedicti & constitutiones fratrum Camaldulensium. Cetera quoque privilegia dilargitus fuit, ut unumquemque scilicet ad conversionem suscipere valerent, ut celebrare divina tempore interdicti januis clausis possent, sepulturam liberam devotioni cujuslibet præberent, salva tamen canonica parochialis ecclesiæ justitia, nullusque monachorum quietem vel bona perturbaret, sed integra omnia ad fratrum prædictorum substentationem conservarentur, salva etiam sedis apostolicæ auctoritate & diœcesani canonico jure, & eremi Camaldulensis reverentia, cum subscriptione decem cardinalium. Privilegium extat in tabulario Fontis-boni, [a] cujus excerptum damus ex Baroncinio.

[a] §. *Privilegia n.* 42. *A.* 2. 22.

XXV. Gualfredus presb. Senensis dat ecclesiam S. Christinæ Vivensibus.

Vivente adhuc Alexandro III. hoc eodem *anno* M. C. LXXXI. *mense julio indictione* XIV. Gualfredus presbyter rector ecclesiæ sanctæ Christinæ in urbe Senarum tradiderat Deo & eremo sancti Benedicti de Vivo, ac priori eremi & monasterii Vivensis se, resque omnes suas, & insuper obtulerat præfatam ecclesiam cum sponsione curandi, ut ibidem monasterium erigeretur. Inter ceteros hujus sponsionis testes leguntur Cacciamonachus de l'Accattapane & Johannes Silimannus, quam sponsionem edimus ex archivo Rosæ Senarum. Eodem *anno ab annuntiatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo octuagesimo primo die tertio idus januarii indictione* XV. more nimirum Florentino, hoc est primis diebus sequentis anni, Gunteramus episcopus Senensis consensu suo approbavit, ut in terra ejusdem Johannis Silimanni designaretur, construeretur & fundaretur monasterium ad honorem Dei, & episcopatus Senensis, & monasterii sancti Benedicti de Vivo, concedens priori ejusdem cœnobii etiam capellam præfatam sanctæ Christinæ, quam anno præterito Gualfredus presbyter obtulerat, sequentibus conditionibus appositis, ut capellanus, qui ibidem fuerit, obediret episcopo Senensi, sicut hactenus obediverat presbyter Gualfredus, in baptismo, & in symbolo, & in processione, & fidelitatem faceret episcopo; tempore obitus alicujus, qui in eo loco sepulturam suam elegerit, si episcopus fuerit ibi vocatus, & dixerit Missam,

sam, haberet oblationes; & cum episcopus non adstiterit, sed canonici, & aliquis canonicorum Missam cantaverit, is haberet oblationem. Quæ se observaturos spoponderunt priori sancti Benedicti de Vivo & fratribus suis Silimannus & Gualfredus sub pœna centum librarum denariorum Senensium. Marcum eremi Vivensis priorem declarat charta hujus anni existens in tabulario Rosæ Senarum, quam produximus in [a] Appendice tomi primi horum Annalium. Adfuerunt testes hujus concessionis & promissionis prior sancti Vigilii, prior sancti Martini, & plures presbyteri, vicedomini & judices. Ex eodem tabulario Senensi exscripsimus postremo bullam Lucii III. qua eidem priori de Vivo præfatam ecclesiam, quam appellavit duplici titulo sancti Jacobi & sanctæ Christinæ, a Gunteramo Senense episcopo, ad interventum apostolicum, monasterio Vivensi collatam confirmavit. Data est bulla *Velitris secundo idus julii* anni sequentis, ad quam urbem denuo se receperat Lucius, quia Romanus senatus ipsum in pace Romæ degere non sinebat.

a T. I. col. 396

XXVI. Ecc. S. Salvatoris de Fracta data monasterio S. Mariæ ad Carceres.

GERARDUS Paduanus episcopus, admonitionibus & precibus Alexandri III. Romani pontificis, & petitionibus marchionum Estensium motus, Pistori priori sanctæ Mariæ ad Carceres tradidit hoc *anno* M. C. LXXXI. *indictione* XIV. *die* XIV. *exeunte junio* ecclesiam sancti Salvatoris extra Fractam de Tribus-comitatibus cum omnibus suis possessionibus, sub ea conditione, ut fratres, qui pro tempore forent in prædicta ecclesia, deberent recipere episcopum, & procurationes ejus nuntiis exsolvere, & consuetam reverentiam exhibere, & plebi de Casale respondere id, quod consueverunt pro capitulo solvere, & quod ecclesia sanctæ Mariæ ad Carceres deberet obstringi annuo censu, scilicet solidorum centum numerandorum in perpetuum episcopo Paduano pro dicta ecclesia sancti Salvatoris. Subscribunt post canonicos Patavinos marchiones Albertus, Bonificinus, & Albertus Bonifacii nepos.

XXVII. Chartæ Camaldulenses, Burgenses & Anglarienses.

PLACIDUS prior Camaldulensis die XV. decembris [b] hujus anni cum consensu septem eremitarum locavit & concessit Gerardo abbati sancti Michaelis de castro Brittorum ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani positam in civitate Bononiæ in loco, qui dicebatur Pons-ferri, ad hospitandum ibidem cum fratribus suis, & ad eam possidendam ad annos XL. eo pacto, ut bona dictæ ecclesiæ nec alienare, aut obligare, vel in alium transferre posset, reservans sibi successoribusque suis, cum Bononiam advenerint, libertatem ibidem morandi, visitandi, & standi quamdiu libuerit, & hoc fecit, quia caritatis intuitu receperat a præfato abbate libras ducentas monetæ Pisanæ. Actum in capitulo eremi Camaldulensis, manu Albertini de Arretio notarii. Attulimus ad annum 1074. veterem inscriptionem extantem in claustro monasterii sanctorum Cosmæ & Damiani de Bononia, in qua legitur Gerardum sancti Michaelis abbatem præfatum monasterium restaurasse; id factum fuerit a supranominato Gerardo, cujus memoria extat ab hoc, imo etiam ab anno antecedenti, in chartulario monialium sanctæ Christinæ de Bononia, ad annum 1229. & consequenter annus incarnationis M. VII. cœlatus in lapide emendandus erit, & sufficiendus annus M. CC. VII.

b §. *Locatio* 68. *A.* 2. 6.

In catalogo abbatum Burgi-sancti-Sepulchri, qui manibus teritur, post Francianum abbatem, de quo diximus ad annum 1163. ponitur Paganus abbas ad annum 1187. sed ex archivo canonicorum Castellanorum sub hoc anno legitur Philippus abbas, qui cuidam Castolo pignus dedit pro centum solidis de Luca, Bacutino notario. Reponendus ergo in serie abbatum Burgensium inter Francianum & Paganum Philippus.

ANN. CHR. 1181.

a Amisse 220. A. 1. 118.

„ Bartholus prior monasterii sancti Bartholomæi de Anglare concessit „ hoc anno [a] de allodio & proprietate dicti monasterii in beneficium feu„ di quamplurimis personis & earum hæredibus terrena ad domos ædifi„ candas in castellare de Anglari, quæ confessæ fuere totum castellare „ esse præfati cœnobii, & a carbonariis intus nullam personam habere „ jus proprietatis præter dictum monasterium, & promiserunt se fideles „ futuros cum filiis suis ejusdem monasterii, nec alienaturos aut transla„ turos dominium sine licentia dicti loci, & servitia præfati castri factu„ ros, atque annuatim candelam prima die post natalem vel resurrectio„ nem Domini daturos, & pro civitate Arretina promisit Rolandus pro„ curator statualem unam candelam in festo sancti Bartholomæi, quæ „ concordata fuere inter commune Arretii, & priorem ac homines An„ glarii. “ Hæc in excerptis tabularii Fontis-boni.

Ubaldus abbas monasterii sancti Savini in territorio Pisano cum consensu monachorum suorum venditionis paginam conscripsit hoc anno IV. idus martii indictione XIV. Is locum repleverat Martini abbatis, de quo ad annum 1170.

ANN. CHR. 1182.

LXXVIII. Raynaldus fit monachus Avellanensis.

b T. I. pag. 216.

c Ap. Bolland. die 9. Febr.

REVOCANDUS est ad hunc circiter annum recessus Raynaldi, futuri subinde sanctissimi episcopi Nucerini, in eremum Avellanensem. „ Natus is anno 1157. ut supputat Jacobillius [b], ex Napolione „ patre, qui titulo comitis dominabatur in Gaiphana & in Postiniano, „ quæ castra erant sita in territorio Nucerino, a teneris unguiculis pie„ tatem didicit, virtutesque excoluit; sed majoris perfectionis desiderio „ motus, relicta ampla suæ hæreditariæ possessionis portione Leonardo & „ Rodulpho fratribus, secessit prius in eremum prope terram Gualdi; „ inde Avellanensium monachorum nomine attractus sanctam eorum con„ versationem & habitum postulavit, iisque varia sua bona contulit, & „ præcipue eremum excitavit pro ipsis prope Fossatum castrum diœcesis Nu„ cerinæ cum ecclesia erecta in honorem sanctorum apostolorum Petri & Pau„ li, quæ ad hodiernam diem appellatur plebatus sancti Petri. “ Hæc Jacobillius. In bulla Innocentii papæ II. ad annum 1139. plura recensentur bona cum ecclesiis, quæ obtinebat monasterium Avellanense in comitatu Nucerino, & etiam in castris Gaiphanæ & Postiniani, quæ donationibus suis auxit circa hæc tempora factus monachus Raynaldus. Sed scriptorem ejus vitæ audiamus, qui putatur fuisse ipsius famulus; hic de Raynaldo ejusque familia sequentia tradit [c]: *Post maximas barbarorum incursiones pace a Deo imperio occidentali reddita, imperatores e Germania in Italiam profecti, incultas regiones comites inter, aliosque viros nobiles, qui eos sequebantur, distribuerunt. In his comitibus eminebant tres fratres, Lupus, Viccus, Eufredus ex ipsorum stirpe imperatorum prognati, quibus amplæ ditiones obtigerunt; Lupo circa Camerinum, a quo nobiles Alviani, Viscoli & Baroli suam originem habent; Eufredo circa Fulginium & supra Becanam, & hunc multi suæ familiæ agnoscunt; at montes vallesque inter Nuceriam & forum Flaminii obtinuit Viccus, e cujus posteris plurimi numerantur episcopi atque abbates, inter quos fuit beatus Raynaldus filius Neapoleonis, religiosus sacerdos, verus altissimi Dei servus & amicus, & tandem episcopus Nucerinus. Hic ergo vir sanctus, quamvis summa Vicci filiorum familia & nobilissima comitum Germaniæ stirpe natus splenderet, majorem tamen e vera sanctitate ac perfectione vitæ nobilitatem adeptus, a prima infantia sanctis moribus imbutus, crescebat Deo gratus & hominibus. Humanis dein & sacris literis eruditus, cum aliorum nobilium mo-*

re,

re, ob varias agrorum aliarumque rerum possessiones divitiis honoribusque frui posset, divino spiritu actus, calcato mundi fastu ac divitiis fallacibus spretis, sese in venerabile monasterium eremi sanctæ Crucis Fontis-avellanæ abdidit, uni Deo serviturus, cui jejuniis, orationibus piisque meditationibus exercitus adhærere constanter ac sincere cupiebat. Si juxta Jacobillium natus fuit Raynaldus anno 1157. vigesimum-quintum ætatis annum ad hæc tempora explebat; qua ætate maturus erat pro statu vitæ arripiendo. In Avellanensi porro solitudine triginta-sex annis vixerit, donec sexagenario major ad episcopatum Nucerinum anno 1218. raptus fuerit.

ANN. CHR. 1182.

XXIX. Arretini consules permittunt reædificationem castrorum Camaldulensium.

„ CUM maxima damna [a] Arretini milites intulissent castris Anglarii, Montis-aurei atque ceteris locis juris eremi Camaldulensis tum „ armis & depopulationibus, tum incendiis & eversionibus, Raynerius „ de Raynaldo & Isaac Ordelaffi consules civitatis Arretinæ, Mazolinus „ quoque camerarius & Joseph consul societatis de burgo sanctæ Mariæ „ pari consensu indulserunt Placido priori Camaldulensi ejusque fratribus, „ necnon hominibus Anglariensibus, & Montis-aurei, ut de novo construerent ecclesias & castra prædicta in locis, ubi antea fuerant, & sicut „ anteriori sacramento tenebantur, ita fidem suam obstrinxerunt & successorum suorum, se firmam semper validamque habituros dictam con„ cessionem, ædificiaque noviter constructa. “ *Actum apud plebem de Classe, manu Guilielmi notarii anno* M. C. LXXXII. *mense decembri indictione* XV. Hæc leguntur in excerptis Fontis-boni.

a Concessio A. 2. 3.

XXX. Uranenses monachi objurgati a Lucio III. quod abbatem sibi non eligerent.

NEGLIGEBANT Uranenses monachi in diœcesi Foro-popiliensi eligere sibi abbatem; suspensi idcirco a divinis officiis fuerant a Gerardo archiepiscopo Ravennate, auctoritate interveniente apostolica. Porro monachi indictam suspensionem non observaverant, nec satisfacere archiepiscopo curaverant pro contemptu sententiæ, sicut Romanus pontifex injunxerat. Demum ad iteratum apostolicum mandatum suffecerant sibi abbatem. Præcepit itaque ipsis hoc anno Lucius III. Romanus pontifex XV. *kal. junii* ex urbe Velitrense, ut quandoquidem ab immemorabili tempore omnes abbates præfati monasterii usque ad Placidum, qui ex abbate Uranense electus fuerat ante biennium Camaldulensis congregationis prior generalis, obedientiæ juramentum præstiterant archiepiscopis Ravennatibus, etiam ipse abbas electus eamdem obedientiam promitteret & servaret, non obstante privilegio personali, quod Placido abbati concesserat Alexander papa III. Insuper mandavit, ut monachi recognoscerent ab iisdem archiepiscopis omnia, quæ de jure Ravennatis ecclesiæ obtinebant. Quod si amicabiliter cum archiepiscopo convenire nequirent, asseruit se in mandatis dedisse Feretrano & Faventino episcopis, ac præposito Feretrano, ut justitiam facerent; quod Lucii mandatum ex tabulario archiepiscopii Ravennatis edimus. Videtur abbas Uranensis electus fuisse Ugo, qui in charta Pomposiana existente in tabulario monasterii sancti Benedicti de Ferraria ad annum 1187. appellatur *Hugo quondam abbas de Bretonorio*. Ipsum enim videbimus a Placido priore Camaldulensi depositum graduque privatum. In rerum harum confirmationem addit Rubeus [b], eumdem Romanum pontificem „ literis kalendis julii datis confirmasse, „ ut abbates Urani de more, cum ad ecclesiam Ravennatem spectent, ab „ archiepiscopis Ravennatibus certis precationibus expiarentur, illisque ab„ bates sollemne obsequium jurarent, “ deinde subdit: „ Fecit quoque „ Gerardus, archiepiscopus scilicet Ravennas, uti Ugo divæ Mariæ ab „ Urano ordinis Camaldulensis octavo kalendas octobris juraverit, se in „ fide illius omniumque posteriorum archiepiscoporum fore, nec ab illo„ rum

b Lib. VI. p. 354.

Ann. Chr. 1182.

„ rum unquam praescripto, nisi id religioni Camaldulensi adversaretur, „ discessurum, cum ipsum Uranense coenobium a Ravennate ecclesia ad „ quam spectat, fuerit vectigalibus ac praediis, quotquot habet, ditatum. „ Paulo post in gravem incidit morbum Gerardus; itaque quinto nonas „ octobris Caesenae in templo maximo divo Johanni-baptistae dicato, co- „ ram canonicis Caesenatibus & Guillielmo de Castello imperatoris legato „ multisque praeterea, Lanfrando Populiensis episcopus sacris peractis, „ quia etiam episcopus Caesenas, ejusque praepositus necessariis districti „ negotiis aberant, Gerardi archiepiscopi aegrotantis nomine Ugonem ab- „ batem Uranensem expiavit, virgaque & mitra insignivit. “

Die octava martii hujus anni privilegium idem Lucius III. concesse- rat Angelo abbati sancti Cassiani de Carisio, quo enumeravit omnia ejus- dem monasterii bona & ecclesias, cum subscriptione undecim cardinalium. *Datum .... per manum Alberti*, & VIII. *idus martii indictione* XV. *incar- nationis Dominice anno* M. C. LXXXI. more Florentino, *pontificatus vero* sui *anno* I. Extat autographum hujus privilegii in tabulario coenobii san- ctorum Bartholomaei & Pontiani de Luca, quod ad illustrationem Ca- risiani monasterii proferimus in Appendice.

Ex charta hujus *anni* M. C. LXXXII. *mense madii indictione* XV. nota nobis est altera Sophia a prima distinguenda, abbatissa parthenonis sancti Johannis-evangelistae de Prato-veteri.

Ann. Chr. 1183.

XXXI. Idem Classenses monachos constringit ad obedientiam archiep. Ravennatis.

Repetens Lucius III. Rom. pontifex beneficia, quae in monaste- rium Classense sancti Apollinaris contulerant ecclesia Ravennas & ejus archiepiscopi, scripsit hoc anno XIII. *kalendas aprilis* ex urbe Anagniae abbati & monachis Classensibus, mandans ut excepto, quod bonae memo- riae Gualterius quondam archiepiscopus Ravennas de praestanda fidelitate ipsis remiserat, in aliis, praesertim in promissione obedientiae, & inthro- nizatione sedis, in electione abbatum ejus successorum, archiepiscopo Ravennati & ejus ecclesiae obedientiam debitam & consuetam reverentiam impenderent. Quas literas ex tabulario marchionis Bonifacii Rangonii ad Appendicem integras remittimus.

XXXII. De litibus Pratalienfium cum Camaldu. lensibus.

Orta fuerat controversia inter eremum Camaldulensem & inter ab- batiam Pratalienfem quoad libertatem hujus abbatiae, quae licet unita fuisset a Hieronymo episcopo Arretino praesenti seculo eremo Camaldu- lensi, ac ejus disciplinam sequeretur, jus tamen sibi vindicabat exemptio- nis a congregatione Camaldulensi tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia. E contra eremitae tam vi largitionis ejusdem Hieronymi, quam robore bullae Hadriani IV. Romani pontificis, qui donationem epi- scopi ratam habuerat, eam subjectam ut cetera monasteria asserebant, praesertim quia, a die episcopalis largitionis, nomine eremi, & priorum ipsius sive praesidum congregationis, abbatia regebatur a praesulibus ibidem institutis a dictis prioribus. Sic de Rodulpho III. priore legitur in de- positionibus testium pro libertate eremi ad annum 1216. *quod retinebat dictum monasterium ad suam manum, & faciebat eum regi per quemdam Petrum abbatem*. Ugo abbas Pratalienfis legitur in tabulario Fontis-bo- ni [a] ad annum 1171. Post Ugonem Maurus prior sive abbas de Prata- lia [b] ad annum 1172. Placidus ad annum 1174. Ante triennium cum Rodulphus secunda vice electus fuisset prior Camaldulensis, creatus fuit abbas Pratalienfis Guilielmus, confirmatus subinde a Placido priore & Rodulphi successore. Ex archivo sanctae Mariae in Gradibus [c] Guilielmus abbas Prataliae anno 1182. quaedam recepit pro ecclesia sancti Clementis

Prata-

a §. *Donatio* 327. *A*. 2. 6.
b §. *Ibid*. 328. *A*. 2. 8.

c *Numm*. 82. 83.

Pratalienſi abbatiæ ſubjecta. Neſcimus, an initio hujus anni Martinus ut prior eremi Camaldulenſis, ſive ut major Guilielmum ex Pratalienſis monaſterii regimine tranſtulerit ad officium majoratus, quem vocabant, ejuſdem eremi, inde vero abbatem Berardingi cœnobii conſtituerit, ſed Amadeo epiſcopo Arretino reclamante, quod ſe inſcio a Pratalienſi abbatia amotus fuiſſet Guilielmus, & in locum ejus ſuffectus Rainerius, rurſus adminiſtrationem Pratalienſis abbatiæ receperit; an vero hæc contigerint tempore, quo idem Martinus, olim major, generalis præſes erat congregationis, poſt aliquot proinde annos; illud exploratum eſt Guilielmum vel prima vice ſui regiminis, vel reſtitutum ſecunda vice jugum cujuſcumque ſubjectionis detrectaſſe, atque paſſim diffudiſſe monaſterium ſuum Pratalienſe non teneri legibus Camaldulenſibus, & mordicus idipſum asſeruiſſe longiſſimo ſuæ adminiſtrationis tempore, quo multum negotii eremo & congregationi toti faceſſivit, ſed præcipue ad annum 1216. fretus potentia, & fultus ope Martini epiſcopi Arretini infenſioris eo tempore in Camaldulenſes. Præſenti anno amicabiliter res compoſita fuit, & in monumentis tabularii Fontis boni reperimus, quod cum die ſecunda martii auctoritate capituli monaſterii ſui teſtatus eſſet Guilielmus, „ „ quod ipſe & anteceſſores ſui, atque capitulum & membra ejus abba- „ tiæ fuere & ſunt libera ab omnibus ſervitiis, nec in aliquo tenentur, „ ſive ad viſitationem, ſive ad correctionem, neque ad imitationem aut „ receptionem, niſi caritative, neque ad confirmationem aut ad alia ali- „ qua, Martinus prior eremi Camaldulenſis & Rainaldus ſindicus vice „ capituli prædicti monaſterii confeſſi ſunt, & aſſeruere vera eſſe omnia „ & ſingula. Tunc abbas Guilielmus cum ejus ſindico Johanne vice ca- „ pituli & fratrum Pratalienſium adhærentes honeſtati præfati prioris & „ capituli Camaldulenſis, promiſerunt cum eis uniri tantum in pannis „ albis portandis, & in eodem officio faciendo, neque plura & alia fa- „ cere aut teneri, nec a præfato priore & capitulo Camaldulenſi exigi „ vel peti poſſe, & ſi quoquomodo quævis alia attentaverint, irritam & „ inanem pacti fuere futuram dictam promiſſionem, in quorum obſer- „ vantia pœnam invicem ſtatuerunt librarum quinquaginta auri puri. „ Actum in clauſtro Camaldulenſi, coram presbytero Pagano canonico „ plebis de Bujano, & Orlando de Partina, & Johanne de Valle &c. „ Ego Rainaldus aulæ imperialis notarius, ac domini venerabilis patris „ Amadei epiſcopi Aretini ſcriba. Ego frater Johannes ſacriſta, frater „ Rubertus, frater Bartholomæus, frater Nicolaus, frater Guido eremi „ Camaldulenſis;“ & conventio ſigillo Camaldulenſis eremi in confirmationem fuit munita, quod aſſeritur „ conſtare imagine calicis cum duabus columbis ab utraque parte in calice bibentibus, & literis circum- „ impreſſis dicentibus: *Sigillum ſancti Salvatoris Camalduli*.“ Die ſequenti prædicta fuere lecta & in conſpectum poſita Amadei Arretini epiſcopi in caſtro Biblenæ, qui partium precibus eadem confirmavit manu ejuſdem Rainaldi notarii.

ANN. CHR. 1183.

XXXIII. Inſignia eremi & congregationis Camald.

Hæc eſt antiquior memoria inſignis ſeu ſigilli Camaldulenſis eremi, de quo Fortunius [a] hæc habet: „ Ejus inventionem ex divina inſpira- „ tione hunc in modum perveniſſe majorum traditione proditum eſt. „ Supplicantibus enim & orantibus ad Deum in eremo eremitis hujus „ rei gratia (inſignis ſcilicet ſtatuendi, quod congregationem Camaldu- „ lenſem a ceteris diſtingueret) placuit divinæ bonitati rem non ſine „ magno myſterio in celebratione Miſſæ cuidam venerabili anachoritæ „ enuntiare. Itaque cum ſacerdos ſacroſancta ſumpta euchariſtia ante ſan- „ guinis

[a] P. I. pag. 143.

Ann. Chr. 1183.

„ guinis Christi perceptionem magna & incredibili mentis dulcedine repletus immensam domini nostri Jesu Christi Redemptoris mundi charitatem dilectionemque profundissime meditaretur &c. protinus in extasim rapitur, & quasi sancto parenti Romualdo Missarum sollemnia celebranti assisteret, geminas candidissimas columbas ad calicem sanguinis Christi bibituras accessisse visus est videre. Cum igitur absoluta re sacra, quid sibi accidisset, interrogatus patefecisset, patres re comperta veluti quodam cœlesti oraculo sapienter instructi, pro insigne religionis usurpare statuerunt. " Diffuit inde totus ad mysticas observationes consueto suo more Fortunius. Deinde subdit: „ Non desunt, qui rem ab insignibus familiæ Saxorum gentilium sancti patris Romualdi deductam pariter fuisse continuata quadam opinione dictitent, astruentes montem in calicem, & duos leones in geminas columbas occasione memoratæ visionis commutatos a patribus fuisse. Quæ quidem sententia mihi maximopere arridet, idemque cum superiore esse videtur ratione duplicati mysterii &c. "

Hæc Fortunius. Anno 1248. aliud sigillum *minus* dictum adhibebatur, quod imaginem referebat Salvatoris dexteram attollentis & in benedicentis formam, ad discrimen sigilli *majoris*, quod veterem imaginem retinebat. Ipso enim anno [a] die XXV. augusti Martinus prior Camaldulensis literis suis præcepit abbati Morronensi, ut Camaldulum accederet ad consulendum pro reformatione monasterii Berardingorum; pendebantque ex ipsis duo sigilla, quorum unum exhibebat duas aves in calice rostra tenentes cum literis circa sigillum dicentibus: *Sigillum sancti Salvatoris de Camaldulo*, & intus super capita dictarum avium literæ quædam *prioris Martini* nomen, & in pede calicis dignitatem *Majoris* exprimebant. Alterum vero insigne imaginem repræsentabat Salvatoris manum elevantis ad benedicendum cum literis similiter: *Sigillum sancti Salvatoris Camaldulensis*. Anno 1251. [b] Bene monachus de Rota tradidit in manus Placiti monachi de Paterno literas fratris M.. monachi Camaldulensis, quibus eidem Placito præcipiebatur, ut se conferret ad abbatem monasterii Uranensis. Signata erat epistola sigillo ceræ viridis cum figura calicis, unde duæ aves bibebant cum literis: *Sigillum sancti Salvatoris de Camaldulis prioris majoris*. Idem signum usurpabat Martinus prior Camaldulensis ad annum 1254. cum lemmate: F. M. *Peccator*. Gerardus prior Camaldulensis in literis electionis Nicolai monachi in priorem monasterii sancti Damiani de Bononia ad annum 1281. usus est sigillo, in quo sculpta erat crux cum vultu Domini nostri Jesu Christi, & cum literis: *Sigillum domni Gerardi prioris Camaldulensis*. Eodem tamen anno usurpavit sigillum calicis & columbarum cum imagine Salvatoris, & insuper in parvo sigillo figuram elephantis & imaginem unius monachi. Alterum signum exhibent chartæ ad annum 1347. in regesto Camaldulensi; calicem nimirum & aves in medio, quatuor autem stellas circum ellipsim sigilli. Quartum usurpabatur anno 1512. & præferebat tres monticulos loco stellæ super calicem. Quintum visitur ad annum 1526. quatuor stellas & sancti Spiritus figuram super calicem continens. Fuere aliqui priores, qui ab anno 1600. pro stella cometem posuere. Perseverat usus antiqui Camaldulensis insignis, calicis nimirum & columbarum in eo bibentium ad tempora nostra, adjecta stella pendula super calicem. In museo Morelliano Florentiæ, ut nos docet Cl. V. Dominicus Mannius, sigillum ovale habetur, in quo sola columba exhibetur, pedem super calicem tenens cum lemmate. SIGILLUM. VICARI. E. SANCTI. NICHOLAI. HEREMI. C. idest

[a] §. *Electio* 39. *A*. 3. 106.

[b] *Arch. S. Mar. in Grad. n.* 191.

sigillum

Sigillum vicarii ecclesie sancti Nicolai eremi Camaldulensis; ecclesiæ nimirum sancti Nicolai subjectæ eremo Camalduli. Ut in ordinibus equestribus servi gestant crucem dimidiatam T, ita ecclesiæ filiales & subjectæ insigne majoris ecclesiæ facile dimidiabant. In epistylio januæ ecclesiæ sancti Constantii prope Perusium visitur insigne duarum columbarum in calice bibentium, quod prostat in rotundo clypeo ad dexterum angulum januæ, sicut ad lævum in simili clypeo gryphus describitur, insigne urbis Perusinæ. Anaglyphum opus vetustatem redolet undecimi vel duodecimi seculi: ecclesiam hanc aliquando congregationi Camaldulensi unitam minime novimus, sicut exploratum est ipsam subjectam fuisse monasterio sancti Petri ejusdem urbis, cui hodiedum paret. Rectius itaque diceretur insigne Camaldulensium commune fuisse aliis etiam ecclesiis. Pariter in angulo faciei ecclesiæ sancti Stephani Veronensis urbis, quæ cathedralis vetus creditur, sculptas refert Blancolinius [a] duas aves e vase bibentes; ipsas tamen anseres potius quam columbas, & ex fonte potius quam ex calice bibentes existimat idem clarissimus monumentorum Veronensium collector. Hæc obiter de insigne Camaldulensi fusius forte quam par erat.

ANN. CHR. 1183.

a *Lib. I. pag.* 17.

XXXIV. Anecdota de Heliotto & de Amadeo epp. Arretinis.

QUOAD Amadeum Arretinum episcopum, qui conventionem inter Camaldulenses & Pratalienses firmavit, electus is fuerat Arretinus antistes hoc eodem anno die decima-sexta januarii in locum Gualandi, qui anno antecedenti postulatus episcopus post obitum Heliotti episcopi defuncti die sexta decembris anni 1181. episcopalem sarcinam deposuerat die vigesima-quinta decembris anni 1182. Hæc nobis constant ex responsionibus Guidonis Mazzolini canonici Arretini, qui testatus fuit se „ interfuisse funeri Heliotti episcopi, & manus dedisse, dum tumularetur, „ asseruitque fuisse terræ humatum in vigilia aut in festo sancti Nicolai, & tunc episcopatum Arretinum vacasse per annum & ultra, electumque deinde fuisse Amideum episcopum in die sancti Marcelli in „ mense januarii, cujus electioni ipse interfuit; ideo autem episcopatum „ tamdiu vacasse, quia Gualandus electus episcopatum dimisit prope nativitatem Domini, postquam stetisset sic electus per annum unum, quia „ nunquam accessit ad partes episcopatus Arretii. “ Eas responsiones nos habemus singulari comitate Cl. V. Hiacynthi Fossombronii patricii Arretini.

Quæ cum ita sint, corrigenda est charta Camaldulensis tabularii proferens nomen Heliotti episcopi Arretini ad annum 1184. Eo enim anno fato jam cesserat Heliottus, & referenda est ad annum 1180. vel 1181. quibus vivebant tum idem episcopus, tum Guilielmus abbas Prataliensis, cui [b] mense octobri dicitur Heliottus „ refutasse jus & actionem in terras & vineas de Cagio, Offiniano, Pezza & Ciaresciolo manu Rolandi notarii. “ Multoque magis emendandus Ughellius, qui obitum Heliotti refert ad annum 1188. Præter enim allata testimonia, & præter superiorem chartam a nobis productam ex archivo Fontis-boni, qua liquet hoc anno episcopum Arretinum fuisse Amadeum, aliam etiam nobis exhibet idem tabularium, qua Guilielmus abbas Pratalienis eremo Camaldulensi locationis libellum conscribit anno 1185. confirmatum eodem tempore ab Amadeo episcopo Arretino existente tunc in capitulo Camaldulensi.

b §. *Refutatio* 57. *A.* 2. 10.

c §. *Locatio A.* 2. 16.

Quandoquidem vero jejune admodum de Heliotto agit idem Ughellius, non injucundum lectoribus erit proferre ex tabulario canonicorum Arretinorum sequens monumentum, quod reperitur in examine facto cuidam Ildebrando de Arcena ab archidiacono Florentino, & a canonico

Ann. Chr. 1183.

Civitatis Castelli circa annum 1220. in quo aliqua de ipso Heliotto, de Camaldulensibus, & de Guidone Thusciæ comite habentur. Examen & responsiones sunt hujusmodi.

Ildebrandus de Arcena IV. *idus septembris representatus per camerarium episcopi Aretini procuratorem ejus, dicit, comitem Guidonem credentem thesaurum comitisse Adalete sororis sue fuisse & esse depositum apud Camaldulum, auferri fecisse omnes vaccas Camalduli, quas habebant in alpibus, & adduci eas fecisse in Casentinum. Item dicit se fuisse apud castrum de Biblena, cum venerunt duo monachi Camaldulenses, fortasse vicarius & vicecomes, ad episcopum* Eliottum, *qui erat apud castrum suum* (Civitellæ) *in palatio suo, & audivit eos dicentes: Nos venimus ad vos tamquam ad dominum. Comes Guido credens, quod nos habeamus thesaurum comitisse Adalete, fecit nobis auferri vaccas; rogamus vos, ut faciatis, ut ipse satisfaciat nobis de hac injuria, & tunc episcopum commisisse Valentino plebano de Biblena dicendo: Vade ad comitem Guidonem, quia non possum ei mittere meliorem nuntium quam te, quia diligit te, & roga eum ex parte mea, sicuti deberes rogare pro castro de Biblena, vel quantumcumque speciali mea re, quod ipse meo amore restituat Camaldulensibus vaccas, quas fecit auferri, & satisfaciat eis de injuria, quia ego faciam ei responderi, & fieri rationem, si quid voluerit petere adversus eos; & tunc plebanum ivisse, denique ipse teste vidente rediisse, & salutato episcopo ex parte comitis dixit se, quod comes Guido dixerat, quia quidquid deberet facere pro aliquo homine de mundo, faceret pro episcopo, & pro imperatore non magis faceret, quam pro ipso, unde volebat dictus comes esse cum ipso episcopo, & si Camaldulenses vellent ei satisfacere, ipse acquiesceret precibus ipsius episcopi, & si deberet alias reddere ipsas vaccas, redderet. Deinde affirmat aliquanto post episcopum in concione coram populo de Biblena dixisse, quod comes Guido bene responderat ei de facto vaccarum, ita quod referebat eis grates de ipso, & quod vaccas reddiderat* &c. *Item affirmat quod comes Guido tunc temporis habitabat apud Pupium in diecesi Aretina* &c.

XXXV. Vetat Lucius III. ne laici se ingerant electionibus præsulum Camald.

Die vigesima-quarta novembris hujus anni obtinuit Placidus prior Camaldulensis a Lucio III. Romano pontifice apostolicum rescriptum, datum Romæ apud sanctum Petrum, quo occasione quorumdam laicorum, qui erant patroni monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum, seseque ingerebant electionibus abbatum, non ipsis tantum, sed omnibus patronis monasteriorum vetavit, ne deinceps ullus laicus in negotiis ordinis vel in prælatorum ordinationibus jus aliquod sibi vindicaret, ut fusius legitur in ipsius brevi, quod autographum extat in tabulario Fontis-boni.

Ann. Chr. 1184.

XXXVI. Idem confirmat Placido priori omnia monasteria congregationis.

Anno præsenti amplissimo privilegio, quod exscripsimus ex archivo sancti Blasii de Fabriano, confirmavit Lucius III. monasteria omnia & bona, quæ parebant disciplinæ, & subjiciebantur dominio eremi Camaldulensis. *Datum* est ipsum Placido Camaldulensi priori ex urbe Bononia per manum Hugonis S. R. E. notarii *nonis julii indictione secunda incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXIII. *pontificatus vero domni Lucii pape* III. *anno* III. cum subscriptione decem S. R. E. cardinalium. Porro indictio secunda decurrebat hoc anno; quare emendandus est annus incarnationis M. C. LXXXIII. in M. C. LXXXIV. præsertim cum annus 1184. mense julio recte conjungeretur cum anno III. pontificatus Lucii, anno vero 1183. eo mense adhuc numeraretur annus secundus ipsius pontifica-

tificatus. Præterea bulla data est nonis julii ex urbe Bononia; anno autem antecedenti Lucius vel Velitris, aut in Latio moras trahebat. Scimus enim ex chronicis Bononiensibus hoc anno 1184. Lucium ex Latio Bononiam transiisse, & sequenti die post nonas, hoc est octava julii, ipsum intrasse Bononiam, & consecrasse ecclesiam sancti Petri-majoris. Ex charta autem nostra antevertendus est saltem uno die, nisi forte aliquot diebus, ipsius adventus in urbem Bononiensem. Pariter ex chronicis Mutinensibus novimus die XII. ejusdem mensis Romanum pontificem Lucium ex Bononia Mutinam se contulisse, ubi sequenti die consecrationis munus peregit in cathedrali ecclesia, & populo ejusdem urbis corpus sanctissimi episcopi Geminiani ostendit. Ex Mutina postremo liquet Veronam se recepisse, ubi colloquium habuit cum Friderico imperatore. Quare omnia bene componuntur, si in prælaudata Lucii bulla corrigatur annus incarnationis.

ANN. CHR. 1184.

XXXVII. De monasterio Nucerino vel Fulginate Landolinæ.

CETERUM Lucius in suprarelato diplomate enumeravit omnia monasteria, quæ leguntur in superiorum Romanorum pontificum privilegiis, sed insuper de novo recensuit in territorio Fulginate monasterium de Landuino, seu sancti Petri de Landolina, cujus primas origines dedimus ad annum 1095. Idem monasterium confirmatum fuit Camaldulensibus etiam post biennium ab Urbano III. anno scilicet 1185. more Florentino die quinta decima martii. Traditum ipsum fuerat, ut eodem anno 1095. diximus, a fundatoribus & a patronis cœnobii priori canonicæ cathedralis Fulginatis, ut sub ejus regimine & jure patronatus monachi ordinis sancti Benedicti alerentur. Confirmaverant eidem canonicæ præfatum jus Augustinus, Lotharius & Monaldus episcopi Nucerini, in quorum diœcesi ædificata erant tum castrum, tum monasterium Landolinæ; Anselmus quoque episcopus Fulginas simul & Nucerinus canonicis suis Fulginatibus donationem confirmaverat anno 1170. rursusque ratam habuerat anno 1174. privilegium scribens die XXVII. junii Berardo priori canonicæ sancti Feliciani Fulginatis urbis, cujus synopsim ad illustrationem prædicti monasterii damus. Enarrat itaque in eo Anselmus se tempore Octavianæ hæresis, schismatis nimirum ab Octaviano anti-papa conflati adversus Alexandrum III. fuisse humanissime exceptum in eodem monasterio, & de omnibus aptissime provisos tam ipsum, quam omnes, qui veniebant ad se, præcipue pro servitio Romanæ curiæ. Quapropter remunerari volens ea monasterii in se merita, ipsum Berardum constituit Landolinæ abbatem, & cum consensu Rainerii prioris canonicæ Nucerinæ confirmat & investituram renovat, sicut Augustinus Nucerinus episcopus concessit temporaliter, & sicut retentum fuit tempore episcoporum Augustini, Laterii (ipse est Lotharius) & Monaldi *in colle Rubertina & Corte, & infra loca Clivi pervenientia ad forcaturam a domo Vaccariorum & Talonge, & provenientia a comitatu Fulginensi & Nucerino, procedentia a Cornale de Vaccagne ad Poculum, pervenientia inter Actonisium & Sefredisteum ad Clivum primam sinaitam*, ut liquet ex integro privilegio, quod ex tabulario monasterii Saxi-vivi produxit in episcopis Fulginatibus [a] Ughellius. Eodem anno 1174. die XIII. aprilis altero privilegio, quod laudat Jacobillius in chronico Saxi-vivensi, Alexander III. ex urbe Anagnina confirmaverat Attoni abbati de Landolina monasterium præfatum cum terra & ecclesia Cuti; cum ecclesiis etiam sanctæ Helenæ, sanctæ Luciæ, sancti Christophori de Rubertina, sancti Pauli Collisgiovani, sancti Laurentii de Musino, sancti Hilarii & sancti Gregorii in Gaifana, jura in ecclesiam sancti Antimi de Bagnaria, decimas castri

[a] T. I. col. 696.

Ann. Chr. 1184. Annisi, Murtis & sancti Christophori de Corro Besice, quas ante sexaginta annos eidem monasterio contulerat Augustinus episcopus Nucerinus, & confirmaverat Anselmus Fulginas & Nucerinus antistes, excepto annuo censu persolvendo episcopatui Nucerino. Liberam pariter statuit sepulturam, sicut etiam tempore interdicti liberam sacrorum persolutionem, & obeunte abbate voluit electionem successoris fieri juxta monachorum vota, & juxta regulam sancti Benedicti. Dicendum est vel morte Attonis abbatis inter aprilem & julium mensem Anselmum episcopum Berardum jam priorem canonicæ abbatem monasterii Landolinæ constituisse, vel Berardum statuisse in abbatem regularem Attonem, sibique tantum retinuisse jus patronatus monasterii. Cum itaque cœnobium in eo statu versaretur, a veri specie non abludit voluntate prioris canonicæ sancti Feliciani, vel etiam Anselmi Fulginatis & Nucerini episcopi factum, ut eo evocarentur monachi Camaldulenses, qui juxta ipsorum instituta operam darent, quatenus major in cœnobium introduceretur reformatio; quandoquidem scimus etiam alterum haud longe positum sancti Benedicti de Gualdo monasterium in eodem Nucerino episcopatu proxime ad hæc tempora Camaldulensium disciplinam suscepisse, ut uberius dicemus ad annum 1187.

Ceterum monasterii sancti Petri de Landolina varia post hæc fuit fortuna. Anno 1189. idem Anselmus episcopus concessit ei cœnobio jura in ecclesiam sancti Laurentii Musciani diœcesis Nucerinæ. Anno 1195. Melior erat abbas monasterii, quo etiam anno Ugo episcopus Nucerinus priori Fulginati jus in prædictum monasterium roboravit. Annis 1209. & 1210. abbas erat Ægidius; anno 1240. Guilielmus per mortem Matthæi electus fuit abbas; anno 1252. præsidebat loco Petrus, qui visitationem suscepit Philippi prioris sancti Feliciani, & omnium bonorum catalogum confecit. Idipsum præstitum anno 1259. quo idem Petrus abbas agnovit præfatum Philippum dominum & rectorem dicti monasterii, spopónditque obedientiam, profitens tenere omnia ipsius *nomine*, & promittens canones & servitia, quæ præstiterant ejus antecessores Rainerius, Melior & Matthæus abbates Ghislerio, Guidoni, Rodulpho & Stelluto prioribus sancti Feliciani. Verisimiliter sub Rainerio abbateŚlelioris antecessore, & sub Ghislerio priore canonicæ Berardi successore facta fuit aggregatio monasterii Landolinæ eremo Camaldulensi. Demum cum anno 1312. castellum Landolinæ a militibus destructum fuisset, etiam monasterium sancti Petri insignes passum est jacturas & injurias. Quare cum admodum in spiritualibus & temporalibus collapsum esset, neque valerent abbas & monachi locum reparare, confugium habuere ad Philippum abbatem monasterii Saxi-vivi, ipsum orantes, ut monasterium Landolinæ cum omnibus membris & bonis suis reciperet in novam congregationem, pro qua re communiter supplices libellos obtulerunt Johanni XXII. qui brevi dato Avenione anno 1323. univit præfatum cœnobium cum cœnobio Saxi-vivense. Cardinalis Cajetanus Ursinus diaconus sancti Theodori, legatus ipsius pontificis, die nona aprilis anni 1326. abbatem Saxi-vivensem in possessionem misit, mandans, ut redditus sancti Petri de Landolina cederent in beneficium monasterii Saxi-vivi, ea tamen provisione adjecta, ut aliquot bona perdurarent in sustentationem prioris & monachorum, qui moram suam trahebant in Landolinense, ut ex altero ejusdem Cajetani privilegio die IV. maji anni 1327. constat. Restauratum fuit cœnobium a Saxi-vivensibus; sed cum denuo anno 1400. ob bella monasterium fuisset vastatum, & monachi loco cedere coacti essent, ac castri Landolinæ sola superesset arx, qua potitus fuit anno 1416. Nicolaus Trin-

cia Fulginii & Nuceriæ dominus, ex eo tempore vix vestigia superfuere monasterii de Landolina, quod per tria secula licet variis fortunis jactatum florens permanserat. Hæc maxima ex parte ex Jacobillio hausimus, cui ad manus fuere vetera instrumenta tabulariorum cathedralis Fulginatis & monasterii Saxi-vivensis.

Ann. Chr. 1184.

XXXVIII. De ceteris monasteriis, quæ de novo accesserant congregationi.

Cetera monasteria, quæ congregationi Camaldulensi confirmavit Lucius, quæque minime numerata sunt ab antecessoribus Romanis pontificibus, quippe quæ de novo obvenerant, sunt: Hospitale sanctæ Mariæ in Ragone vel Ravone Bononiensis diœcesis. Erectum ipsum fuerat, & datum eremo Camaldulensi anno 1177. In comitatu Æsino eremus Raynaldi & monasterium de Accole. Illa facile provenerat ex dono Raynaldi Æsini episcopi, qui per hæc tempora vivebat, seditque anno 1179. inter patres concilii Lateranensis, nomenque ex nomine suo eremo fecerat; istud vero erat in Massatiensium finibus, ubi pervetus castrum Accola dictum, in quo domini ejus castri & Fellonicæ sequenti seculo nominantur. In episcopatu Camerinensi monasterium de Pirella, appellatum etiam eremus de Aqua-Perella, vel monasterium sanctorum Matthæi & Pauli de Perellis; manualis ejusdem cœnobii erat ecclesia sancti Pantaleonis de Domo, & posteriori tempore unitum fuit ei monasterio alterum sancti Michaelis de Quadrigaria. In episcopatu Castellano monasterium sancti Petri de Planeto; de eo aliqua diximus ad annum 1163. Addimus hic loci Baroncinium in suo chronico Camaldulensi ejus fuisse sententiæ, ut monasterium ædificatum in alpibus Popani ex testamentariis tabulis Bernardini Sidoniæ ad annum 1104. aliud esse nequiverit, nisi monasterium de Planettolo, vel monasterium de Tiphio sub castro hujus nominis constitutum, & mille passibus distans. Ipsi non assentimur quoad monasterium de Tiphio, quod multis annis existebat ante obitum Bernardini. An vero fuerit monasterium de Planeto, animadvertit in alpibus Popani, quæ super castrum Capresium, seu ad Capreas, ut Lamius effert, sitæ sunt, & quatuor mille passibus circiter a sacro Alverniæ monte distant, aliam ecclesiam non reperiri, nisi sacellum divo Bartholomæo apostolo dicatum; quare Planetulanum proximum ex bonis Bernardini extructum putat. Nos in eam sententiam alibi inducti sumus, coaluisse ex hujus testatoris ultima voluntate monasterium Anglariense sub invocatione sancti Bartholomæi, de quo plura diximus, dicemusque in his Annalibus. Abbatiæ sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum nominatæ in Lucii diplomate donationis tabulas attulimus ad annum 1180. sicut de monasterio Urani locuti sumus ad annum 1175. Quæ omnia una cum recensitis a superioribus Romanis pontificibus tamquam corpus unum sub uno capite priore Camaldulensi, ad instar Paschalis II. debere perpetuis temporibus permanere determinavit Romanus pontifex Lucius III.

XXXIX. Confirmata bona monasterii S. Severi in Classe a Lucio III.

Adhuc in Latio consistens idem supremus antistes mense aprili Henricum abbatem sancti Severi de Classe urbis Ravennæ ejusque monasterium ditaverat amplo privilegio, quo recensuit omnia monasteria, ecclesias & bona præfati cœnobii. Ex his hæc sunt, quæ in veteribus privilegiis Conradi & Friderici imperatorum, Alexandri II. Romani pontificis, & Gualterii Ravennatis archiepiscopi expressa non fuere: Turris sancti Cypriani extra portam sancti Laurentii urbis Ravennæ. In comitatu Imolensi ecclesia de Butrio, ecclesia sancti Cassiani infra civitatem Faventinam, ecclesiam sancti Ægidii in Carpenella, & tertia pars ecclesiæ sanctæ Mariæ ipsius villæ cum ipsa villa, capella sancti Severi, capella sancti Martini, capella sancti Christophori, capella sancti Andreæ

in

ANN. CHR. 1184.

in Catignano, capella sancti Paterniani cum omnibus pertinentiis earum in episcopatu Foro-populiensi; ecclesia sancti Pauli de Casa-meruli in civitate Cæsenate. In episcopatu Ariminensi ecclesia sancti Stephani in Pereto, ecclesia sancti Martini in Luciano, quæ una cum aliis alibi illustratis præfato monasterio confirmavit, subscribentibus tredecim S. R. E. cardinalibus. Ratam etiam habuit constitutionem Friderici illustris Romanorum imperatoris de non alienandis possessionibus vel redditibus monasterii ab iis, qui nomine dicti monasterii tenebant. Lucii privilegium *datum est Verulis per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii* v. *kal. maji indictione secunda incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXIV. *pontificatus vero domni Lucii pape* III. *anno* III. quod ex autographo archivi Classensis sancti Apollinaris edimus in Appendice.

XL. Testamentum Alberti marchionis Estensis. Privilegium Lucii pro monast. S. Mariæ ad Carceres.

ALBERTUS marchio Estensis Opizonis marchionis frater testamentum condens hoc *anno millesimo centesimo octuagesimo quarto, decimo die intrante mense aprilis indictione secunda*, institutis hæredibus bonorum suorum filiabus suis Adelasia & Aureplase, quæ etiam sibi succederent, si altera earum obierit absque liberis, reliquit sanctæ Mariæ de Abbatia, hoc est monasterio & ecclesiæ Vangaticiensi, ubi humari voluit, runcos suos de Fracta locatos hominibus sancti Salvatoris & hominibus de Urbana. Alias autem terras legavit cœnobio sanctæ Mariæ de Carceribus, uti etiam ecclesiis sanctæ Trinitatis de Tribus-comitatibus, & sancti Cypriani, & hospitali sancti Johannis de Rhodigio, cui insuper pecuniam pro ædificiis prosequendis erogavit. Ex trecentis demum libris decrevit, ut centum expenderentur in exequendis suis parentalibus, centum pro ecclesiis, quarum prior de Villa haberet centum solidos, & centum impenderentur pro vestimentis pauperum. Uxori denique suæ reliquit, quæ habebat in Solecino, & Opizoni fratri, quæ habebat in castellis. Actum in Este. Quod testamentum produxit Muratorius in Antiquitatibus Estensibus [a] ad se transmissum a Canneto nostro. Præfato monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres præerat Livaldus prior, qui subrogatus fuerat in locum Pistoris electi episcopi Vicetini; ipsi ejusque cœnobio privilegium concessit hoc eodem anno Lucius III. apostolico munimine locum roborans cum recensione omnium ejus bonorum. Decrevit quoque, ut in parœcialibus ecclesiis liceret ipsi ejusque successoribus sacerdotes eligere, & diœcesano episcopo præsentare. *Datum Verone per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis* X. *kalendas januarii indictione* III. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXIV. *pontificatus vero domni Lucii pape* III. *anno* IV. Subscripserunt undecim S. R. E. cardinales, inter quos Conradus Sabinensis episcopus & Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopus. Ex exemplis monasterii Carcerum privilegium Lucii edidit Muratorius [b], sed sine cardinalium subscriptionibus, quæ leguntur in nostro exemplo. Ceterum emendandus Ughellius [c], qui Johanni episcopo Vicetino suffectum fuisse Pistorem asserit anno tantummodo 1185 cum in aliis monumentis ad hunc annum 1184. nominetur episcopus Vicetinus Pistor, quem Barbaranus electum asserit anno 1181. Male etiam idem Ughellius Carcerum abbatiam appellat ordinis Camaldulensis, quæ hoc tempore spectabat ad canonicos Portuenses, & nonnisi seculo XV. ad Camaldulenses pervenit.

a P. I. pag. 326.

b *Antiq. med. ævi T. V. col.* 266.

c T. *V. col.* 1146.

XLI. Literæ ejusdem Romani pont. pro monasterio de Fullina.

IN EADEM Veronensi urbe existens Romanus pontifex X. *kalendas septembris* scripsit episcopis Tarvisino, Cenetensi, Feltrensi & Bellunensi, ut quandoquidem audiverat monasterium Sanæ-vallis seu Fullinæ a magnatibus terræ multipliciter inquietari, dum ab ipso prædia & possessiones extorquebant, & imponebant exactiones ecclesiis, curarent ipsi magnates

gnates

gnates illos compescere, & præcipue Jeremiam quemdam, qui aliquot mansos violenter & illicite detinebat, mandans etiam, ut eos censura ecclesiastica ferirent, quatenus viri religiosi in monasterio habitantes de ipsorum episcoporum protectione gloriari valerent. Ann. Chr. 1184.

Eodem anno consules Tarvisii, Conradinus Lupi, Florius, Ingelerius, Odolricus & Rondinus pronunciarunt præfatam abbatiam Fulinæ non teneri ad solvendas decimas cuidam presbytero pro novalibus & pro amplis, quæ monasterium possidebat in territorio Stablutii, & ab iis Bernardum ejus cœnobii abbatem absolutum declararunt. Sed, quia Johannes prior sanctorum Quadraginta de Tarvisio judex delegatus post biennium ab Urbano III. monasterium Fullinæ ad easdem decimas teneri determinavit, idcirco Gerardus Bellunensis episcopus ab eodem Romano pontifice judex alter postea constitutus sententiam Johannis prioris infirmavit, declarans *anno* M. C. LXXXVI. *indictione* IV. *die veneris* XI. *exeunte junio* monachos albos non posse compelli ad dandas decimas de propriis laboribus, præsertim quia prædicta sententia Johannis Tarvisini prioris lata fuerat post monachorum appellationem. *Actum juxta Plavim ante tegetes hospitalis de Plavi*. Gerardus electus fuit Bellunensis episcopus anno 1183. Hospitale autem Plavis est ipsum, quod appellabatur monasterium hospitalis de Plavi, vulgo *Lovadina*.

Ad hunc eumdem annum pertinet alia Lucii III. bulla confirmantis bona monasterii sancti Galli de Mosini, de quo obiter aliqua diximus ad annum 1150 occasione cœnobii Fullinatis.

In regesto Instrumentorum cancellariæ episcopatus Urbevetani pagina 206. charta legitur sub hoc anno & mense februario, qua comites Bovazzani donarunt ecclesiæ sanctæ Mariæ, & sancti Sepulcri ordinis Camaldulensis quædam ipsorum bona & jura.

FRIDERICUS imperator commorans apud Castellaranum hoc *anno* M.C.LXXXV. *indictione tertia* II. *idus martii* Gerardo Ravennati archiepiscopo, Alexandro Liviensi, Leonardo Cæsenati & omnibus ecclesiæ Ravennatis episcopis suffraganeis, Willielmo pariter abbati sancti Apollinaris in Classe ceterisque abbatibus atque prælatis, & omnibus clericis tam in urbe Ravenna, quam in archiepiscopatu constitutis indulsit juxta id, quod concessum est a sacris canonibus, & a venerandis Romanorum principum legibus, ut ipsi, eorumque ecclesiæ & pia loca, universique ecclesiastici tam ejusdem urbis, quam archiepiscopatus Ravennatis, & in Romania atque Marchia, locisque ad ipsos pertinentibus habitantes gauderent iis privilegiis, plenaque fruerentur libertate, neque ad angarias vel perangarias, vel ad alia opera, nisi pia, cogerentur. De prædiis, quæ ii suis laboribus excolebant, nil solvere compellerentur pet aliquem, nec collectam, vel exactionem aut hospitationem præstarent, sed suis dominis dumtaxat subessent. Præfixit taxam fodri juxta variam personarum conditionem, statuitque pœnas violentis exactoribus, duodecim librarum scilicet marchionibus, civitatibus, magnisque castris, trium comitibus, duarum capitaneis, minimis castris & communitatibus, unius libræ valvasoribus, persolvendarum cameræ imperiali pro medietate, pro alia vero medietate personis superius nominatis & gravatis, quibusve privilegium concessit; cives demum, castellanos & rusticos quarta parte suorum mobilium mulctandos decrevit. Adjecit, ut præfati, quos hoc privilegio donavit, si causam haberent coram judicibus imperialibus, duodecim denarios tantum pro libra persolverent, & intra quadraginta dies eorum

Ann. Chr. 1185.
XLII.
Friderici I. imp. privilegium pro Ravennatis archiepiscopatus episcopis & abbatibus.

causæ

Ann. Chr. 1185.

causæ terminarentur. In ipsorum bonis, qui decesserint sine hæredibus & ab intestato, non fiscus, sed eorum agnati succederent; agnatis non existentibus fiscus. Privilegium, cui ex funiculo serico rubeo adhærebat sigillum plumbatum deperditum, edimus ex tabulario sanctæ Christinæ de Bononia. Porro putamus Fridericianum hocce præceptum confirmatorium esse alterius privilegii iisdem verbis concepti, quod ex Casarolæ loco Aximani territorii prædictis archiepiscopo, episcopis, & abbatibus datum anno 1177. ab eodem imperatore scribit Rubeus, præsertim cum in pagina nostra perseveret nomen Willielmi abbatis sancti Apollinaris, qui ante hunc annum obierat, locumque jam fecerat Berardo abbati. Ideo autem retinetur facile Willielmi nomen, quia primitus ipsi una cum ceteris Ravennatibus abbatibus concessum fuerat anno 1177. privilegium imperiale.

XLIII. Aliud ejusdem pro parthenone S. Petri de Luco.

Ex archivo autem parthenonis sancti Petri de Luco diploma alterum edimus ejusdem Friderici, qui interventu & rogatu dilecti principis & consanguinei sui Conradi Moguntini archiepiscopi dictum monasterium cum personis sub sua imperiali protectione recepit, bonaque confirmavit, castrum nempe de Luco cum curte tam in alpibus, quam in planis, aquæ-ductum fluminis Bussi, curtem de Larciano & quidquid possidebat in curtibus de Tiliano, sancti Johannis-majoris, de Miraldulo, de Pullitiano & de Grezano, partem Frassinetæ silvæ, & collis Mezzani, quidetiam quid habebat in Pratella, & silvam collis Muzzoli, partem rivi Gelati & castrum de Rio-frido, quidquid obtinebat in curte de Frena & in curte de Rio-cornoclario, item possessionem, quam Lucensibus sanctimonialibus Uguccio de Rena vivens obtulerat, & moriens judicaverat. Testes hujus privilegii fuere idem Conradus Moguntinus archiepiscopus in sedem suam restitutus anno 1177. quo in gratiam redierat imperatoris, Willelmus Astensis, Bonifacius Novariensis episcopi, Federicus præpositus sancti Thomæ in Argentina, Theobaldus comes de Lachesmund, Simon comes de Spannere & Enricus mariscallus. *Datum anno Dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo quinto, indictione tertia, imperante domino Federico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus* XXIII. *imperii vero* XXXI. *Datum apud Podium-Bonitii quarto nonas augusti;* ex quo privilegio confirmatur Fridericum æstivo tempore hujus anni in Thuscia moras traxisse. Ipsum edimus ex apographo tabularii ejusdem monasterii.

XLIV. Placitum pro Vivensibus contra comites de Sarthiano.

Vertebat lis inter Marcum priorem monasterii sancti Benedicti de Vivo & inter comitem Manentem de Sarthiano de quibusdam equis, bobus & pecudibus, quæ violenter ipse comes diripuerat ab ecclesia de Mojano; quindecim insuper libras abstulerat ab ecclesia sancti Petri in Campo, aliaque rapuerat juris eremi Vivensis. Insuper præfatus prior a dicto comite Manente repetebat possessiones de Biscaja, de castello Ceculo, de Piscis, de Castagno, & prædium sancti Fabiani aliaque latifundia. Titulum & instrumenta suarum acquisitionum produxit Marcus coram Bonifacio episcopo Novariensi & vicario constituto a Friderico imperatore ad justitias faciendas. Quare Otto Zondadarius Mediolanensis aulæ imperialis judex, consilio sociorum suorum, judicavit contra comitem Manentem, eumque adstrinxit ad complurium rerum restitutionem. Actum ante ecclesiam sanctæ Christinæ in episcopatu Senensi, quæ ante quadriennium, dono data fuerat monasterio Vivensi, ut inibi monasterium conderetur. Marci nomen legitur & ad annum 1181. in charta oblationis, quam attulimus [a] in dissertatione de Veteribus Conversis. Peponis tamen

[a] T. I. *Append. col.* 396.

tamen prioris nomen sub hoc eodem anno legitur in charta tabularii monasterii Rosæ Senarum, qui forte prior erat alterius monasterii Vivensi subjecti. Manens etiam comes distinguendus est ab alio Manente, qui facile fuit ejus avus, cujus donationem factam eidem monasterio ad Vivum protulimus sub anno 1116. Manentis comitis avi, ejusque testamenti fit mentio in bulla [a] Cœlestini III. ad annum 1191. data Theobaldo episcopo Clusino, in qua ipsi episcopo confirmantur inter cetera heremus de Vivo, curtis sanctæ Floræ de Noceto, & monasterium sancti Petri in Campo. Manentis vero nepotis sequenti anno 1192. [b] nomen reperitur inter testes privilegii Henrici VI. imperatoris ad Hugonem abbatem sancti Salvatoris de Insula; & anno 1196. in charta donationis ab ipso factæ monasterio sancti Petri in Campo ex tabulario Berardingorum. Integrum superius placitum extat in Appendice ex libro *delle coppe* cancellariæ Montis-politiani, ex quo transcripsit Hubertus Benvoglientius.

ANN. CHR. 1185.

a *Murat. Antiq. T. VI. col.* 421.

b *Ibid. T. V. col.* 970.

XLV. Paginæ ad varia monasteria spectantes.

DILECTA abbatissa monasterii sancti Petri de Luco, cum consilio monialium suarum & aliorum suorum fratrum, refutavit hoc anno, seu refutationem confirmavit hominibus de Riofrido & de Casanova, qui fuerunt olim de filiis & de servis Gotidii comitis, omnium onerum, dationum nimirum & albergariarum, itaut nullo tempore hæc ab iis petere aut tollere posset præfatum monasterium, nisi pro rege, marchione, civitate & *pro magno conquisito*, ut fecit olim Cuniza prima archimandritissa ejusdem asceterii. Promiserunt ex adverso prædicti homines fidelitatem eidem monasterio. Inter ceteros, qui chartam laudaverunt, legitur quidam Martinus, cui canere hæc placuit.

Qui Martinus, qui bene canit,
Ibi fuit & laudavit.
Tu Martine flos cantorum
Hic fuisti Luco, quorum
Mundus fulgebat prior
Cetus gaudet supernorum.

Ugizio filius comitis Simonis & Gicta comitissa mater ejus concesserunt hoc anno tertiam partem *zironis* & burgi castri Guallulæ monasterio sancti Victoris de Clusis, & Perfecto abbati ipsius, spondendo bona fide idem castrum, *zironem videlicet & burgum bene aptare, neque destruere, codire vel cavare, itaut Ugitio cum matre sua debeat tertiam ipsius partem, & monasterium sancti Victoris tertiam similiter partem facere de expensis pro servitio dicti castri*, ceteræ vero personæ promiserunt se non facturas prædam vel *assaltum*, & ædificaturas etiam ecclesiam sub cura cœnobii sancti Victoris, & oblaturas tertiam partem de mortuis. Insuper idem Ugizio ejusque mater spoponderunt seu concesserunt prædicto monasterio quartam partem silvæ de monte Guallæ, exceptis quinque modiis datis filiis comitis Martini; quam sponsionis paginam eruimus ex tabulario sancti Blasii de Fabriano.

Alberto abbati sancti Miniatis juxta Florentiam privilegium concessit Lucius III. enumerans omnia ejusdem monasterii bona. Subscribunt novem S. R. E. cardinales. *Datum Verone per manum Alberti .... martii indictione tertia incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXIV. *pontificatus vero* sui *anno* IV. Usurpatur annus Florentinus, nempe M. C. LXXXV. Romanus. Etiam indictio IV. non III. erat hoc anno. Extat hujusmodi privilegium in antiquo volumine chartarum servato in tabulario sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca.

Ann. Chr. 1185.

XLVI. Ubi sepulta uxor Friderici I. imperatoris?

Teste Ottone de sancto Blasio [a] anno Dominicae incarnationis M. C. LXXXV. quo Lucius papa III. vita decessit, obiit etiam Beatrix imperatrix uxor Friderici imperatoris, *& apud urbem Spiram regalibus exequiis, praesente Henrico rege filio suo, officiose sepelitur.* Quare nescimus, quid sibi velit Jacobillius [b], dum narrat Bertham uxorem imperatoris Friderici visitantem sacram Avellanensem eremum, cui etiam dona plurima contulit, infirmitate ibidem correptam obiisse in eodem loco circa annum Domini 1182. humatamque fuisse in tumulo sejuncto a claustro interiori monasterii, qui adhuc tumulus dicitur uxoris Friderici I. imperatoris. Errat nimirum Jacobillius tripliciter, & quoad nomen imperatricis, & quoad annum obitus, & quoad locum sepulcri, cum constet Fridericum anno 1157. repudiata Adheleida Beatricem filiam Reginboldi principis & comitis Burgundiae superduxisse, ex qua genuit Fridericum ducem Sueviae, Henricum VI. imperatorem, Cunradum ducem, Ottonem comitem Burgundiae, & Philippum regem, testimonio ejusdem historici Ottonis [c], ipsam vero decessisse hoc anno, & in Germania sepulcri honorem obtinuisse.

a In chronico cap. XXVII.

b P. III. pag. 346.

c Cap. X.

XLVII. Chartae Vangaticienses & Camaldulenses.


Sub Lucio III. litem habuit Isaac abbas Vangaticiensis cum praeposito ecclesiae sancti Georgii de Ganaceto Mutinensis dioecesis; ejus causae cognitionem ipse Romanus pontifex demandavit Theobaldo Ferrariensi episcopo, cujus etiam sententiam ratam habuit anno 1195. Coelestinus papa III. apud Muratorium [d]. Successit in regimine Vangaticiensis monasterii Milo, de quo monumenta habentur ad annum 1188. Isaaco abbati translato ad infulas Hadrienses.

d Antiq. T. V. col. 210.

Ex tabulario Fontis-boni „ Rainerius de Galbina & Juncta ejus uxor, „ Albertus & Matthaeus & Guilielminus eorum filii, qui proceres de „ Monte-acuto nominantur, refutaverunt hoc anno mense majo [e] Placido priori Camaldulensi ejusque successoribus omne jus & actionem, „ quam habebant, vel sperabant in podio Castellionis dicti Fatalbeco, „ vel in ejus curia ex concessione Jacobi quondam prioris monasterii sancti Bartholomaei de Anglari, & promiserunt pro se & pro haeredibus „ suis nunquam se ablaturos praefatum castrum Castellionis, sed potius „ ad recuperandum & retinendum adjuturos. Item nihil acquisituros sine „ licentia praefati prioris & ejus successorum in praedicto castro ejusque „ curia, & si quis ex ipsis hominibus quidquam abstulerit habitatoribus „ castri, infra triginta dies emendari se facturos sub poena centum marcharum argenti. Insuper dictus prior Placidus praecepit Alberto, Matthaeo & Guillelmino per sacramentum, quod ibidem praestiterunt, in „ quo agebatur de discordiis Castellionis, & promiserunt praecepta omnia „ observaturos, & curaturos, ut idem sacramentum praestarent filii eorum, cum pervenerint ad legitimam aetatem, sibique reservavit dictus „ prior potestatem, de voluntate & consensu fratrum Camaldulensium, „ augendi vel minuendi praedicta capitula per sacramentum. Actum in „ castro Castilionis manu Boni notarii. “

e Refutatio 58. A. 2. 15.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-QUARTUS.

Ab anno CHRISTI M. C. LXXXVI. *ad annum* M. C. XCI.

ANN. CHR. 1186.

I. Confirmatio privilegiorum parthenonis S. Petri de Luco facta ab Urbano III.



OBIERAT die vigesima-quinta novembris anni elapsi in urbe Veronensi Romanus pontifex Lucius III. ipsique communibus suffragiis subrogatus fuerat Ubertus Cribellus Mediolanensis archiepiscopus, qui nomen assumpserat Urbani III. Commorans novus pontifex reliquo mense decembri ejus anni, & etiam anno præsenti Veronæ privilegio suo communivit hoc anno asceterium sancti Petri de Luco in agro Mucellano, recensens omnia sanctimonialium earum bona & ecclesias, inter quas numeravit ecclesiam sanctæ Christinæ prope castrum Septem-fontium in territorio Bononiensi. Decrevit, ut ab episcopo dioecesano susciperent chrisma, oleum-sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, & ordinationes suorum clericorum, qui ad sacros ordines erunt promovendi. Ex hujusmodi Urbani decreto magis magisque illustratur usus monachorum commorantium apud cœnobia sanctimonialium, ipsisque subjectorum. Subscripserunt post Urbanum duodecim S.R.E. cardinales & ante omnes Curradus archiepiscopus Moguntinus. Scilicet is dejectus anno 1163. a suo archiepiscopatu a Friderico imperatore, qui Christianum cancellarium suum postea intrusit, cardinalis S. R. E. & episcopus Sabinensis interea electus fuerat ab Alexandro III. donec etiam fuit restitutus suæ ecclesiæ tempore fœderis & pacis inter Alexandrum & Fridericum. Privilegium Lucense datum est *Verone per manum Transmundi S. R. E. notarii* III. *idus martii indictione* V. *anno incarnationis Dominice millesimo centesimo octuagesimo quinto*, *pontificatus vero domni Urbani pape* III. *anno* I. Notæ chronicæ aliquantulum sunt vitiatæ. Annus enim primus Urbani III. est annus 1186. explicari tamen potest annus incarnationis 1185. de anno Veneto vel Florentino, qui perdurabat usque ad diem XXV. martii anni 1186. indictio nihilominus IV. non V. eo anno decurrebat.

II. De pluribus bullis Urbani III. hujus anni, in quibus emendanda indictio.

SED quid dicendum de pluribus aliis paginis & quidem autographis hujus

Ann. Chr. 1186. hujus anni, quarum tamen indictio falsa est & omnino emendanda ? In archivo Fontis-boni asservatur Urbani III. amplissimum privilegium concessum congregationi Camaldulensi & Placido ejus priori, *datum Verone die quintadecima martii anni* M. C. LXXXV. *pontificatus* sui *anno primo*. Alterum inter schedas nostras habemus, & quidem primigenium, erogatum in favorem monasterii sanctissimi Salvatoris Berardingorum, & *datum Verone per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii idus martii indictione* III. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXV. *pontificatus vero Urbani pape* III. *anno* I. Ex autographo pariter tabularii sancti Apollinaris in Classe tertium ejusdem Romani pontificis diploma edimus, *datum* similiter *Verone per manum* ejusdem *Alberti idus martii indictione* III. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXV. *pontificatus vero domini Urbani pape* III. *anno* I. Demum aliud proferimus autographum ex chartario marchionis Bonifacii de Rangonibus pro monasterio nostro sancti Damiani de Bononia *datum* pariter *Verone per manum Alberti* &c. X. *kalendas aprilis indictione* IV. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXV. *pontificatus vero domni Urbani pape* III. *anno* I. Nemo non videt adhiberi in his omnibus privilegiis annum Florentinum vel Venetum, sed indictio tertia in duobus ex iis nequit ullo modo componi cum anno 1186. Etiam in ceteris ejusdem Romani pontificis documentis ab

a T. I. col. 1261. Ughellio adductis annus Florentinus usurpatur ab Urbano [a]; in bulla scilicet, qua confirmavit omnia bona ecclesiæ Spoletanæ *anno* M. C. LXXXV.

b T. V. col. 806. III. *kal. martii*; & in literis [b], quibus rata habuit bona canonicorum Veronensium *anno* M. C. LXXXV. X. *kal. aprilis*. Literæ vero ejusdem Romani pontificis approbantis sententiam latam a compromissariis super lite inter canonicos Veronenses & inter fratres Templarios datæ X. *kal.*

c Ibidem. *octobris* pertinent ad annum Romanum 1186. Privilegium concessum

d T. V. col. 1248. monachis sancti Nicolai de litore Venetiarum [d] VIII. *idus januarii indictione* IV. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXVI. *pontificatus vero domni Urbani pape* III. *anno secundo*, & privilegium concessum ecclesiæ Tor-

e T. V. col. 1378. cellanæ [e] XVII. *kal. martii indictione* IV. *incarnationis* M. C. LXXXVI. *pontificatus anno secundo* pertinent ad annum sequentem Romanum 1187. Spectant vero, ad præsentem annum 1186. etiam monumenta sollemnis Missæ celebratæ ab eodem Romano pontifice Urbano Veronæ in æde san-

f T. V. col. 807. cti Petri in Arce signata [f] *anno* M. C. LXXXVI. *indictione* IV. XIV. *aprilis*, & XXIX. *junii*; sicut etiam ejusdem bulla confirmatoria privilegiorum

g T. V. col. 1131. patriarchæ Gradensis [g] XI. *kal. junii indictione* IV. *incarnationis anno* M. C. LXXXVI. *pontificatus anno* I. & documentum consecrationis ecclesiæ san-

h T. V. 807. cti Juliani de Lepida ab eodem factæ [h] *anno* M. C. LXXXVI. *die secunda novembris*. Privilegia autem Lucii III. protenduntur usque ad diem XXV. novembris anni 1185. qua obiit. Quæ omnia privilegia aliaque bene multa, quæ indicare possemus, ideo in medium adducimus, quia cunctæ Urbani III. literæ & apostolicæ bullæ, quæ annum 1185. præseferunt, spectant ad annum Romanum 1186. & pleraque, quæ signantur anno 1186. pertinent ad annum Romanum 1187. adeoque omnia signata iis annis ante diem XXV. martii debent explicari de anno Veneto vel Florentino, cum Lucius III. anno Romano 1185. usque ad diem XXV. novembris ecclesiæ præfuerit, & post eam tantum diem ejusdem anni auspicandus sit Urbani III. pontificatus. In pluribus tamen ex iis privilegiis & in nostris etiam, licet primigeniis & autographis, emendanda est indictio, quæ mensibus januario, februario & martio anni 1185. more Veneto & Florentino, & 1186. more Romano & communi, non III. sed

IV. de-

IV. decurrebat ; quare veri speciem habet notarios eodem modo , quo protendebant annum ad primos menses anni sequentis , protendisse etiam indictionem anni elapsi ad primos sequentis anni menses. Ann. Chr. 1186.

III. Idem Urbanus sub apostolica protectione recipit congregationem Camaldulensem & monasterium Berardingorum.

Nunc vero singillatim differendum de privilegiis nostris concessis præsenti anno 1186. ab eodem Romano pontifice Urbano III. *Die quintadecima martii* suscepit ecclesiam Camaldulensem sub apostolica protectione , præcepitque , ut congregationes & loca , quæ eremi Camaldulensis disciplinam & ordinem susceperant, & ipsi subjecta & unita erant , nullatenus dividerentur , quæ etiam propriis nominibus expressit , recensens more superiorum Romanorum pontificum ipsa monasteria & loca . Monasterium sancti Savini in agro Arretino appellatur in *Actina*, quod in aliis privilegiis & paginis dicitur *in Chio*. Exemplar hujus privilegii non exscripsimus, sed extat in tabulario [a] Camaldulensi.

a §. Privil. n. 43.

Eadem die Guilielmum abbatem sancti Salvatoris Berardingorum , qui Boni abbatis locum repleverat , ejusque cœnobium sanctæ sedis protectione communiit; ecclesiæ & loca monasterio præfato subjecta, quæque enumeravit, hæc sunt. Locus, in quo præfatum monasterium situm est, ecclesia sancti Martini juxta monasterium , ecclesia sanctæ Mariæ de Ripalta, sancti Bartholomæi de Sextano, sancti Laurentii de Quercitulo , sancti Pauli super fluvium Bumba , sancti Christophori de Giustrigono , sancti Blasii de Cortina, sancti Michaelis in Caspreno , sanctæ Luciæ de Casprenello , sancti Vigilii de civitate Senensi , sanctæ Christinæ in Luciniano-Berardingo, sancti Martini de Picis , sancti Blasii de Palliario , sanctorum Cosmæ & Damiani in Campis, sancti Johannis de Arena, ecclesia *sanctæ memoriæ* Alberti in monte Ilceto , & ecclesia in castro de Montirulo. De pluribus ex iis aliqua delibavimus in nostris Annalibus , & ex hac Urbani bulla liquido constat excitatam jam fuisse ante hunc annum ecclesiam in honorem beati Alberti eremitæ Senensis , cujus vitam protulimus tomo antecedenti.

IV. Monasterium pariter S. Apollinaris in Classe.

Ipsa die Berardum abbatem sancti Apollinaris in Classe ejusque cœnobium apostolico privilegio roboravit idem Romanus pontifex, enumeratis monasteriis , ecclesiis & bonis ejusdem loci juxta antecessorum pontificum Romanorum recensionem. Additur in civitate Pisauriensi monasterium sancti Decentii , quod in Eugenii III. privilegio anni 1153. dicitur suppositum fuisse disciplinæ eremi Camaldulensis , quodque propterea ante præsentem annum traditum fuerat reformandum Camaldulensibus sancti Apollinaris in Classe monachis. In urbe Ravennate obtinebat monasterium sancti Apollinaris ad hunc annum etiam ecclesias sanctæ Barbaræ & sanctæ Mariæ in Bononia , quæ ab archiepiscopis Ravennatibus dono datæ fuerant iisdem Classensibus cœnobitis. In Bononiensi vero comitatu jus habebant dicti monachi in ecclesiam sanctæ Mariæ in Cavalli cum terris, silvis, paludibus, & piscationibus ad eamdem ecclesiam pertinentibus. Confirmavit insuper, quidquid eidem monasterio obvenerat a domina Arachele, & ab hominibus Petri Azonis, & a Bennone Liuciæ & a Liuzo Ugonis Lucii, & fundum in loco qui dicebatur Palatiolo , quem reliquerat filia Manfredi Wicciardi , & Tombæ massam . Demum ratam habuit constitutionem Hildebrandi Crassi presbyteri cardinalis tituli XII. Apostolorum circa existentiam corporis sancti Apollinaris in basilica Classensi. Privilegium hocce edidit ante nos Fortunius, sed in multis vitiatum. Berardus abbas successerat Willielmo, & ante biennium nomen Berardi abbatis sancti Apollinaris , & Andreæ prioris claustri in Classe leguntur in tabulario ejusdem monasterii in quadam pagina refutationis ,

quam

Ann. Chr. 1186.

quam eidem cœnobio fecit domina Fides relicta Johannis ducis Ravennatis, qui obiit anno 1178. notario Dominico Ravennate *die* XXX. *junii* ejusdem anni *indictione secunda*.

V. Gerardo archiep. Ravennati concedit procurationes monasteriorum Bononiensium.

Postremo decimo *kalendas aprilis* Gerardo archiepiscopo Ravennati epistolam scripsit Urbanus circa procurationes, quas a monasteriis Bononiensibus exigebat idem archiepiscopus. Controversia scilicet vigebat a tempore pontificatus Lucii III. inter Gerardum Ravennatem & inter monachorum ac monialium cœnobia episcopatus Bononiensis circa easdem procurationes, quam dictus Romanus pontifex decidendam commiserat Henrico cardinali Albanensi episcopo. Postmodum abbas monasterii sancti Proculi de Bononia tamquam ceterorum monasteriorum procurator diutius litigavit pro exemptione, præter monasteria sancti Bartholomæi & sancti Damiani, quæ vel procurationes non renuebant, vel ab archiepiscopis exemptionis indultum obtinuerant. Verum nulla Romanorum vel Ravennatum archiepiscoporum privilegia abbas sancti Proculi in medium protulit, neque longam contrariam consuetudinem probavit; e contra archiepiscopus Ravennas id præstitum fuisse temporibus transactis ab iisdem monasteriis claris argumentis ostendit. Quare Lucius de consilio fratrum suorum condemnavit dicta monasteria Bononiensia ad procurationes præstandas archiepiscopis Ravennatibus. Lucii itaque sententiam confirmavit ejus successor Urbanus, & monasteria omnia, prædictis exceptis, iterum ea obligatione perstrinxit, subscribentibus duodecim S. R. E. cardinalibus ex eadem Veronensi urbe.

VI. Committit Conrado ep. Tarvisino fundationem parthenonis S. Christinæ.

Circa eadem tempora præfatus Urbanus Romanus pontifex testimonio Clementis III. ejus successoris preces suas interposuit apud Conradum episcopum Tarvisinum, ut sanctimonialibus ordinem Camaldulensem professis locum quemdam extra murum suæ civitatis concederet, in quo ad honorem Dei & in memoriam beatæ Christinæ monasterium construere possent. Ædificatum igitur fuit præsenti vel sequenti anno parthenon Camaldulensium virginum extra urbem Tarvisinam, in quarum ecclesia Conradus episcopus divina officia sæpius celebravit, & cui loco plurima contulit beneficia. Fortunius refert ædificationem hanc ad annum 1190. sed cum ipsa contigerit sub Urbano III. qui a mense novembris anni 1185. ad diem XIX. octobris anni 1187. pontificatum tenuit, etiam constructio monasterii Tarvisini illiganda est vel cum præsenti, vel cum sequenti anno. Narrat idem Fortunius [a] asceterium erectum fuisse „ jussu Placidi generalis ab Ariano monacho extra & prope urbem Tarvisii juxta fossatum Communis, in loco, cui vocabulum erat „ Boteniga, in superficie videlicet bonorum, quæ propterea donaverat sacræ eremo Ordelafus pius civis Tarvisinus. Qui quidem Arianus, crucem illic loci ac primum lapidem de licentia Conradi episcopi posuit „ die III. maji, manu Rolandi notarii. Illic autem Placidus generalis religiosas fœminas secundum habitum & instituta sacræ eremi instituit, „ quas possessionibus, quæ ad sacram eremum in ea regione pertinerent, „ honestissime ditavit, eisque Parisium, qui inter alios veram ac germanam monasticæ religionis effigiem expressam habebat, animarum patrem „ ac loci gubernatorem præfecit. “ Sed de sanctimonialibus Tarvisinis ac de Parisio cetera annis sequentibus, contenti assignare ad hunc circiter annum ædificationem Tarvisini parthenonis sanctæ Christinæ.

[a] *P. I. lib. II. cap. 20. p. 167.*

VII. Livaldo priori Carcerum confirmat jura monasterii sui.

Alio demum privilegio Livaldum priorem sanctæ Mariæ ad Carceres communivit Urbanus dato *Verone per manum Alberti* &c. VIII. *kal. decembris indictione* V. mutata ea fuerat mense septembri, *incarnationis Dominice*

minice anno M. C. LXXXVI. *pontificatus domni Urbani pape* III. *anno* I. quo ad normam similium Alexandri III. & Lucii III. enumeravit bona & confirmavit indulta ejus monasterii.

ANN. CHR. 1186.

VIII. Henricus VI. rex confirmat monasteria & bona Camaldulensibus, & specialiter monasterium de Quadrigaria.

HENRICUS coronatus rex Italiæ præsenti anno die VI. octobris suscepit sub sua regali protectione eremum Camaldulensem sancti Salvatoris & monasterium sancti Donati cum aliis Camaldulensi eremo seu disciplinæ subjectis, quorum aliqua nominavit, videlicet monasterium sancti Sepulcri, sancti Apollinaris in Classe, sancti Angeli juxta castrum Britti, sancti Savini prope Pisas & sancti Zenonis. Bona etiam peculiaria ac monasteria immediate subjecta eremo Camaldulensi confirmavit, scilicet monasterium sancti Bartholomæi de Anglari cum ecclesiis & villis suis, castrum de Montorio, castrum de Trecciano, & quidquid juris ipsa habebat in castrum de Caprese, & omnia, quæ fuerant Bernardini Sidoniæ, & Quintavallis donata olim Camaldulensi eremo. Item villam de Montione, de Mojona, & quidquid obtinebat in villa de Monte, in castro Partinæ, in castro Soci, in Condolese, in Camprena, in Camenza, & in curtibus & in castris de Tulliano, de Lorenzano, in curte Luponis, in villa Cajolo, de quibus voluit prædictos Camaldulenses colligere posse & exigere imperiale fodrum. Pariter facultatem fecit ædificandi aquæductus ad utilitatem molendinorum in villa de Viario, sanctæ Crucis de Montione, in Curte, in Lorenzano, in flumine Arni, & sub castello Biblenæ, in eodem fluvio Arni, & in flumine Arclani. Demum decrevit, ut habitatores prædictorum locorum, qui sub regimine Camaldulensium degebant, nullatenus cogerentur ire ad placitum, nisi ante papam vel imperatorem, sed ipsi & eorum bona in libertate omni tempore manerent, & qui molestiam eis intulerint vel *assaltum*, aut violaverint prædictam suam concessionem, mille librarum mulcta punirentur, quarum medietas cameræ, & altera habitatoribus prædictis esset solvenda. Hujus privilegii exemplum confectum a quatuor notariis Florentiæ anno 1322. extat [a] in tabulario Fontis-boni juxta indicem Baroncinii, in quo tamen emendandus est annus imperii ejusdem Henrici; quod *Datum* dicitur Bononiæ *manu Rodulphi protonotarii anno* M. C. LXXXVI. *die* VI. *octobris anno imperii Henrici quinto, regni* XVIII. Licet enim recte annus Henrici regni XVIII. cum anno præsenti illigetur, sumpta epocha ab anno 1169. quo Fridericus ejus pater ipsum diebus festis pentecostes agnosci fecit in regem Germaniæ & Italiæ, annus tamen præsens non erat imperii V. immo nondum imperator coronatus fuerat, cum imperialem coronam dumtaxat acceperit anno 1191. post mortem ejusdem parentis sui Friderici, tantumque erat primus ejus regni seu coronationis in regem Italiæ annus. Quare in codice membranaceo monasterii sancti Michaelis Pisarum, ex quo in Appendice subscriptiones hujus diplomatis edimus, ommittitur annus imperii Henrici, retento tantum anno XVIII. regni. Subscribunt Henriciano præcepto Gerardus archiepiscopus Ravennas, Johannes Bononiensis episcopus, Willelmus Astensis, Henricus episcopus de sancto Cassiano, hoc est Imolensis, & post alios comites Johannes Bononiensis potestas. Desideratur nomen Johannis in chronico Bononiensi edito a Cl. V. Lucio Dolleonio Bellunensi ex bibliotheca Lolliniana, in quo nomina potestatum & rectorum civitatis Bononiæ incipiunt dumtaxat ab anno M. C. LXXXVIII.

a. *Privilegia n.* 44. *A.* 2. 23.

In urbe autem Æsina erat idem rex mense decembri, ex quo loco *tertio nonas* ejus *mensis indictione* V. aliud præceptum dedit pro monasterio nostro seu ecclesia sancti Michaelis sita in loco appellato Quadriga-

ria

ANN. CHR. 1186.

ria in comitatu Camerinensi cum suis habitatoribus inibi Deo servientibus, largiens, ut in flumine Æsino possent molendina construere cum clausis ex utraque fluminis ripa, & præcipiens mandati sui observationem sub pœna triginta librarum auri puri pro medietate persolvenda cameræ suæ, pro alia vero cœnobitis præfatæ ecclesiæ. Pendet ex funiculo serico violacei coloris regium sigillum ex cera subnigra interius, exterius alba confectum, cum literis: HENRICUS ROMANORUM REX. quod ex autographo olim asservato apud Grandium in Appendice edimus.

Ante hos menses, nimirum *octavo kalendas junii*, *anno regni* ejus XVII. cum esset in obsidione Urbis-veteris, concessit idem rex privilegium eremo Fontis-avellanæ, cui confirmavit omnia loca, & vetera indulta; ut ex schedis Romualdi Blanci addiscimus.

IX. Placidi prioris Camaldulensis definitio inter monasterium de Luco & inter plebanum S. Johannis-majoris.

PARTHENON sancti Petri de Luco in agro Mucellano, præter ecclesiam monasterio adjunctam, & præter aliam sub titulo sancti Bartholomæi, duas insuper jure patronatus ecclesias obtinebat sub invocatione sancti Georgii & sancti Nicolai, ad quarum ecclesiarum cultum abbatissæ ejusdem loci presbyteros seculares destinabant, qui conversi monasterii appellabantur. Lites subinde occasione horum presbyterorum oriebantur inter abbatissas, & inter plebanos sancti Johannis-majoris, in quorum plebe sitæ erant hæ ecclesiæ, qui etiam aliquoties divina officia presbyteris Lucensis asceterii interdicebant. Sed cum controversia præsertim recruduisset hoc anno inter Dilectam abbatissam & inter Blasium plebanum, ad examen vocati fuere plures testes, qui deposuerunt per quadraginta & amplius annos monasterium Lucense fuisse patronum earum ecclesiarum, & presbyteros ibidem constitutos subjectos fuisse abbatissæ, non plebano. Ut tamen litibus præcluderetur de cetero aditus, ambo compromiserunt in Placidum priorem generalem Camaldulensem, qui ascitis sibi in judicio consiliariis domno Stephano, & Petro legis-perito, & magistro Faventio, sententiam tulit, ut abbatissa de Luco liberam facultatem haberet eligendi & instituendi presbyteros præfatarum ecclesiarum, quoscumque voluerit; ii tamen sic instituti se ad plebanum deberent conferre, qui eis committeret populum ad regendum, ipsi autem promitterent obedientiam pro debita & consueta plebis & populi cura, & pro spiritualibus. Cui sententiæ tam abbatissa, quam plebanus subscripsere XIV. *die maji* hujus anni *indictione* IV.

X. Conventio ejusdem cum canonicis S. Margaritæ de Tosina.

ALIA similiter secuta est conventio hoc ipso anno inter eumdem Placidum priorem & inter clerum monasterii seu canonicæ, vel ecclesiæ sanctæ Margaritæ de Tosina Fesulanæ diœcesis, quam verbis chartæ a nobis exscriptæ ex tabulariis sancti Romualdi de Urbe & sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia proferimus.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Cum constaret, priorem Camaldulensium retro per multa tempora habuisse auctoritatem instituendi prioris in ecclesia beate Marghbarite de Tosina, placuit tandem universo clero ipsius ecclesie, necnon & conversis, atque familiaribus ipsius domus simul, itemque omnibus patronis ejusdem loci, atque omni populo committere totam ecclesiam cum universis pertinentiis suis, atque possessionibus domno Placido Dei gratia priori Camaldulensium, ejusque successoribus in perpetuum regendam, atque disponendam, atque ordinandam, in omnibus scilicet, ut institueret ibi abbatem, & monachos, & de cetero monasterium haberetur ex congregatione Camaldolensium, & eorum religione, & regula, & consuetudine muniretur. Et sic per omnia vestigia Camaldolensium sequeretur, salvo videlicet, atque reservato tamen jure patrona-

tus

tus omnibus patronis, & quando abbas introduceretur, abbas debeat sublimari atque intronizari presentibus communibus consulibus Panzanensium accersitis. Alioquin si consules non sint, vel interesse non poterunt, de unaquaque tamen eorum domo debeat vocari unus. Et si quis eorum interesse noluerit, vel non poterit, presentibus illis, qui adfuerint, nihilominus abbas instituatur, eis laudantibus atque confirmantibus, & ab omnibus postea honoretur, atque in veneratione habeatur. Hæc acta sunt in ecclesia sancte Margarite de Tosina, in presentia cleri, & familiarium, & conversorum & patronorum populi, omnibus exultantibus atque gaudentibus. Et ita firmum in perpetuum pro remedio animarum suarum, pro se suisque heredibus & successoribus unionem promittentibus. Anno millesimo centesimo octuagesimo sexto tertio nonas julii indictione IV. *feliciter.*

ANN. CHR. 1186.

XI. Sentententia Bonifacii ep. Novariensis contra patronos hospitalis S. Frigdiani Pisarum.

DOMINI de domo Azzonis, sive Assi Marignani nobiles Pisani jus sibi asserebant [a] in electionem hospitalariorum monasterii sanctorum Martini & Frigdiani de Pisis; quare postremum hospitalarium electum a priore Camaldulensi Placido violenter expulerant, locoque dimoverant. Appellavit hac super re ipse Placidus, cui subjectum erat dictum hospitale, ad apostolicam sedem, fretus etiam pontificio recenti rescripto, quod acceperat a Lucio III. anno 1183. quo inhibebatur laicis, ne se ingererent electionibus præsulum ceterorumque officialium. Nova instantia motus Lucius delegaverat Ubaldum archiepiscopum Pisanum ad causam cognoscendam, qui [b] ad examen vocatis testibus compertum habuit a quadraginta & eo amplius annis præfatum hospitale fuisse possessum & rectum ab hospitalariis eo missis & præpositis a prioribus Camaldulensibus; proinde die vigesima-quinta augusti anni præcedentis pronuntiaverat Gualandum & Ugolinum & ceteros de domo Azzonis teneri restituere eidem Placido priori pro hospitali recipienti quasdam domos & terras, quas per vim rapuerant, & permittere, ut libere ipse prior eligeret hospitalarios, vocatis dumtaxat duobus aut tribus ex dicta domo, coram quibus ad electionem ipse prior Camaldulensis procederet; manu Ildebrandi notarii. A sententia archiepiscopi appellarunt præfati domini; quare [c] die vigesima-tertia julii hujus anni Bonifacius Novariensis episcopus vicarius curiæ pro tribunali sedens, auditis allegationibus Placidi prioris ex una parte, & Ugolini de Erro & Canneti & Gualandini ejusque nepotum, Crivilegii & Bonaccursii, ejusque fratris Bernardini, & Friderici, fratrisque ejus & aliorum de eadem Azzonis domo ex altera, confirmavit, calculoque suo auxit sententiam Ubaldi archiepiscopi, esse nimirum prædictum hospitale restituendum cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus ad ipsum pertinentibus, & cum iis, quæ a prænominatis viris fuerant occupata, priori Camaldulensi, sententiam signante Johanne Martini Philippi notario. Ubaldus electus fuerat Pisanus archiepiscopus anno 1174. per obitum Villani archiepiscopi, qui decesserat eo anno quarto nonas augusti, ut adnotatur in veteri kalendario monasterii nostri sancti Zenonis Pisarum; Bonifacium autem Novariensem episcopum vidimus & videbimus aliis placitis adstitisse ad justitias faciendas pro imperatore. Autographæ paginæ harum sententiarum extant in tabulario Fontis-boni.

a §. *Amissæ* 228. *A.* 181.

b §. *Testificatio* 1. *A.* 2. 17.

c §. *Sententia* 1. *A.* 2. 18

Perfecto abbati sancti Victoris de Clusis hoc anno Martinus comes donavit tertiam partem podii Conchæ, ut legitur in libro rubro signato litera B. in quo continetur statutum Fabriani scriptum seculo decimo-quinto.

ANN. CHR. 1187.

XII. Gregorii VIII. bulla Saxoni abb. Agnanienfi.

URBANUS III. optimus Romanus pontifex immature raptus deceſſerat die XIX. octobris anni elapſi, & in ipſius locum ſuffectus fuerat Albertus cardinalis presbyter tituli ſancti Laurentii in Lucina, olim S. R. E. cancellarius, nomenque ſibi impoſuerat Gregorii VIII. Sed ſi brevis fuit ejus anteceſſoris pontificatus, breviſſimus fuit ille Gregorii, quippe qui nec duos menſes regimen catholicæ eccleſiæ tenuit, ereptus ex hac vita die XVII. decembris. Tempore ſui pontificatus Burgum-ſancti-Sepulcri ſuppoſuit legationi Spoletanæ, in qua jus dicebat hoc anno epiſcopus Placentinus, ut eruitur ex charta juramenti a Burgenſibus præſtiti ſub die XVIII. maji. Unica ante obitum die, XVII. nimirum kalendas januarii cum Piſis eſſet, ad quam urbem ſe receperat, ut Piſanos & Januenſes contra infideles ſanctorum locorum invaſores armaret, privilegium conceſſit Saxoni abbati & conventui ſanctæ Mariæ de Agnano in territorio Arretino, confirmans ipſis auctoritate apoſtolica eccleſiam ſanctæ Chriſtinæ ad Clanas cum omnibus pertinentiis ſuis, *vobis*, inquit, *& monaſterio veſtro conceſſam a bone memorie Hel.. quondam Aretino epiſcopo, ſicut eam rationabiliter & pacifice poſſidetis*. Viſitur locus ſigilli plumbei deperditi; ipſumque privilegium edimus ex autographo tabularii ſancti Romualdi de Urbe. Alibi obſervavimus nomine *Hel.. quondam epiſcopi Aretini* venire Heliottum, qui ante ſex annos, poſtquam cathedram Arretinam tenuerat per octennium, obierat anno 1181. non autem venire Helempertum II. epiſcopum fictitium, quem volunt ſediſſe deſinente ſeculo præterito; quare etiam ex charta noſtra Agnanienſi corrigendus eſt Ughellius, qui Heliottum ad annum 1188. ſuperfuiſſe nullo monumento ſcribit; conſtat enim ex ipſa ante præſentem annum fato eumdem ceſſiſſe.

XIII. Clemens III. confirmat monaſteria & jura Camaldulenſibus.

POSTERA die, qua præfatum privilegium ſignavit, obiit Gregorius VIII. Obſervat Muratorius [a] Sigonium, Panvinium, Baronium alioſque putare ſedem Romanam poſt ejus mortem vacaſſe viginti diebus, & menſe dumtaxat januario anni ſequentis electum fuiſſe Gregorii ſucceſſorem; verum auctoritate chronicorum Piſanorum demonſtrat ipſe XIV. kalendas ejuſdem menſis hoc eſt XIX. decembris cardinalem Paulum Præneſtinum epiſcopum in eccleſia majori Piſana pontificem ſummum fuiſſe electum, *levatum ab hoſpitio ſancti Pauli de Ripa Arni, & largiente Domino Clementem* III. *vocatum eſſe*. Muratorii ſententiam, immo fidem chronicorum Piſanorum, atque proinde electionem Clementis III. menſe decembri ſecutam confirmat alterum privilegium noſtrum conceſſum ab eodem Romano pontifice Placido priori Camaldulenſi, & datum *Piſis per manum Moyſis Lateranenſis canonici* X. *kal. januarii indictione* VI. mutata menſe ſeptembri, *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXVII. *pontificatus vero domni Clementis pape* III. *anno* I. Inhærens in ipſo Clemens veſtigiis Paſchalis, Eugenii, Anaſtaſii, Adriani & Alexandri anteceſſorum ſuorum congregationem Camaldulenſem approbavit, cenſum inſtituens monaſteriorum, quæ eo temporis congregationem efformabant; & confirmans ultimo loco monaſterium de Urano, *vobis*, ſubdit, *& conventui veſtro datum, ſalvo jure Ravennatis eccleſie, ad exemplar jamdicti predeceſſoris noſtri Alexandri*. Voluit, ut nulli epiſcoporum fas eſſet aliquod monaſterium, abſque prioris conniventia vel apoſtolicæ ſedis licentia, excommunicare, vel a divinis officiis impedire. Pariter, ut nullus extorquere præſumeret decimas terrarum monachorum Camaldulenſium, quæ diſtribui valerent hoſpitalibus eorum in uſum pauperum ſecundum antiquam conſuetudinem ipſorum. Poſt Clementem octo S. R. E. cardinales ſubſcripſerunt privilegio, quod ex autographo ſancti Blaſii de Fabriano edimus

in

[a] *Annal. T. VII. p.* 59.

Ann. Chr. 1187.

in Appendice; ad quam etiam remittimus paginam census persoluti hoc anno Johanni Bono notario Ravennati a monachis Uranensibus pro bonis, quæ præfatum monasterium obtinebat de jure Ravennatis ecclesiæ. Videatur mandatum Lucii III. de quo egimus anno 1182. qui præceperat hujusmodi census persolutionem. Ex hac pagina etiam illustratur topographia castri Cesubei seu Brittonoriensis, in quo ædificata erat abbatia Uranensis.

XIV. Immunitatem eremo Camald. concedit Henricus rex.

Fulginii existens [a] die XXVIII. januarii hujus anni Henricus VI. Italiæ rex, pro remedio animæ suæ & parentum suorum, monasterium & fratres eremi Camaldulensis sancti Salvatoris immunes a nuntiorum suorum gravaminibus esse mandavit, confirmavitque donationem fodri de curte Soci, & de hominibus ejusdem, ac de septem & decem familiis hominum de Mojona, una cum angariis & albergariis debitis suis nuntiis, & voluit, ut ab iisdem hominibus pro prædictis plenius servitium ad sustentationem suam acciperent. Insuper statuit, ut ab aliis hominibus & bonis præfatæ eremi nullus nuntius suus de comitatu Arretino ultra consuetum fodrum exactiones vel angarias exigere præsumeret; si autem is indiguerit hospitari, cum duodecim vel decem tantum equitaturis sine gravamine hospitaretur, nullamque pensionem pro hospitiis imponeret. Idipsum ratum iterum habuit [b] die V. maji apud Podium-bonitii, dilargitus insuper priori Camaldulensi facultatem constituendi & removendi in castris & villis suis, sicut hactenus consuevit, gastaldiones & vicecomites. Demum die XVI. augusti [c] ex urbe Imolensi regia auctoritate confirmavit conventionem inter priorem Camaldulensem statutam, & inter Rainerium de Galbina, ejusque filios Albertum, Matthæum & Guilielminum super administratione castri & curtis Anglaris, decrevitque a nullo immutandam, & si dictus Rainerius & ejus filii eamdem imposterum confregerint, censendam esse conventionem solutam etiam ex parte prioris & eremi.

a §. *Privilegia* n. 46. A. 2. 29.

b §. *Amissæ.* n. 229. A. 242

c §. *Privilegia* n. 45. A. 2. 28.

XV. Investitura castri Anglariensis facta a Placido priore Camald.

Mense siquidem junio Placidus prior Camaldulensis, ut legitur [d] in excerptis Baroncinii, de voluntate Martini prioris eremi Camaldulensis & aliorum eremitarum, ac multorum abbatum congregatorum Camalduli, quorum nomina exprimuntur, dedit & concessit in feudum Alberto & Matthæo & Guillielmino filiis Rainerii de Galbina & eorum hæredibus masculis legitimis in perpetuum, vicecomitatum in castro Anglaris & in curte ejus, & *medietatem locationum & dislocationum de mobilibus tantum, & dislocata cito relocare*; item *medietatem placitorum, & offensionum, & de bannis a duobus solidis infra, & medietatem summæ excedentis duos solidos*; item concessit *aream in prædicto castro, & locum ad domum & turrim ædificandam libellario nomine pro pensione unius statualis candelæ, quarum ædificium communibus expensis*, videlicet prædicti prioris & dominorum de Galbina, *fiat*. In prædictis vero retinuit Placidus pro eremo Camaldulensi *dominium & possessionem castri & curiæ, & ecclesiarum & castellorum, & villanorum, & hominum existentium in dicto castro, & prohibuit prædicto domino de Galbina acquisitiones quascumque, sine sua licentia in prædicto castro & curia*. Item *prohibuit dividere vicecomitatum vel in alium transferre; pro quo feudo promiserunt præfati domini fidelitatem facere eremo Camaldulensi & priori Anglariensi. Si vero dicti domini & eorum hæredes sine hæredibus decesserint, tunc præfatum feudum ad eremum revertatur. Actum Fonte-bono manu Alberti notarii.*

d §. *Investitura* n. 16. A. 2. 27.

Sub eodem Placido, ut eruitur ex testimoniis productis anno 1216. in causa libertatis eremi, orta fuit contentio, an filii Ubertini essent patro-

Ann. Chr. 1187.

ni eremi Camaldulensis? In medium allata fuere vetera instrumenta, & inter cetera instrumentum, in quo continebatur, *quod Maldulus dederat proprii & sui juris locum, in quo est heremus Camaldulensis Romualdo.* Post varias interrogationes testibus factas decretum fuit, prædictam eremum & locum Fontis-boni esse allodium & jus proprium Camaldulensium, qui nulli suberant, *nec tenebantur respondere de aliquo jure, nisi soli domino pape.*

XVI. De Petro Acotanto eremita Camald. & de monast. S. Theonisti de Longiano.

Obiit circa hunc annum præstantissimus & religiosissimus vir Petrus Acotantus patricius & senator Venetus, qui miraculorum gloria illustris divinos retulit honores in ecclesia sancti Basilii Venetiarum, ubi sacrum ejus corpus humatum fuit. Refert auctor anonymus, qui historiam scripsit insulæ sancti Nicolai de Mendicolis ejusdem urbis, in qua ortum habuit idem Petrus, quamque ms. servat amplissimus patricius itidem Venetus Petrus Gradonico, Petrum Acotantum fratrem habuisse homonymum, qui spretis mundanis dignitatibus & illecebris secessit in sacram eremi Camaldulensis solitudinem, ubi sanctis operibus clarus vitam mortalem cum immortali commutavit, æmulus in monastica vita fratris, qui seculari habitu æternam sibi promeruit gloriam. Cujusdam Petri eremitæ aliqua monumenta supersunt per hæc tempora in tabulario eremi Camaldulensis, an Veneti? incertum; Petri autem senatoris ejus fratris vita habetur apud alterum eruditissimum senatorem Flaminium Cornelium in ecclesiis Venetis decade prima [a].

a *Pag.* 94.

Antiquior mentio monasterii sancti Theonisti de castro Longiano in territorio Ariminensi, quod seculo sequenti cœnobio sancti Apollinaris in Classe & congregationi Camaldulensi erat subjectum, in quadam instrumentorum compilatione cathedralis Ariminensis anno 1258. confecta reperitur sub præsenti anno 1187. qua Johannes abbas monasterii sancti Theonisti refutationem fecit canonicæ Ariminensi aliquot terrarum in fundo Quarantulæ plebatus sancti Petri in Computo. Plurima bona in castro Longiani obtinebat monasterium Classense, quæ confirmata vidimus anno 1164. a Friderico I. imperatore.

Ann. Chr. 1188.

XVII. Clemens III. apostolicam protectionem concedit monasterio S. Michaelis de Aretio.

Clemens III. Romanus pontifex adhuc commorans in urbe Pisana *idibus januarii indictione* VI. *incarnationis Dominice anno* M.C.LXXXVIII. *pontificatus vero* sui *anno primo*, per manum Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii, privilegium impertitus est priori canonicæ seu monasterii sancti Michaelis siti in suburbio Arretinæ civitatis ejusque fratribus, quo ad exemplar felicis memoriæ Anastasii IV. sub beati Petri apostolica protectione monasterium præfatum excepit, enumerans ipsius bona, & fines parœciæ describens, ac jura ejus ecclesiæ confirmans, cum subscriptione octo S. R. E. cardinalium, quod edimus ex archivo monasterii sanctæ Mariæ in Gradibus. Prior sancti Michaelis ad annum 1182. erat Gregorius, qui eo anno una cum Placido priore generali, & cum consensu abbatis de Silva-munda vicarii, & presbyterorum Guidonis & Henrici commorantium apud prædictam sancti Michaelis ecclesiam locationem fecerat molendini in flumine Castro, Guilielmo notario [b]. In testificationibus productis anno 1216. pro libertate eremi hæc referuntur, quæ faciunt ad historiam ejusdem loci. Rainerius itaque, qui eo anno 1216. prior erat hujus ecclesiæ, interrogatus de suo monasterio dixit, quod *vidit ibi stare presbyterum Johannem conversum Camaldulensem pro capellano ipsius ecclesiæ, cujus tempore vidit ad ipsam ecclesiam venire Ildebrandum priorem Camaldulensem, & Rodulphum cum eo, & vidit di-*

b §. *Amissæ* 221. *A.* 101.

ctum

ctum presbyterum portare pannos albos , sicut conversum Camaldulensem , confessumque esse, quod fuerat factus conversus tempore prioris Camaldulensis Gregorii, & promisisse obedientiam priori Ildebrando in præsentia Theodorici prioris sancti Petri picculi , & Boni conversi ipsius ecclesiæ , qui morabatur prior sancti Michaelis pro priore Camaldulensi. Post biennium Johannem monachum sancti Viriani positum fuisse ab eodem Ildebrando in sede ecclesiæ prædictæ sancti Michaelis, ut esset prior , sed stetisse sex mensibus, & non plus, & post eumdem vidisse fieri priorem Gregorium , qui primo stabat Camalduli. Alter testis adhibitus Bulgarinus affirmavit *Gregorium positum fuisse priorem sancti Michaelis a priore Camaldulensi , antequam castrum sanctæ Floræ fuisset destructum.* Huic itaque Gregorio , qui adhuc erat prior canonicæ seu monasterii sancti Michaelis, concessum fuit superius apostolicum privilegium. — ANN. CHR. 1188.

Ante duos dies idem Romanus pontifex alterum dilargitus fuerat Hugoni abbati sancti Michaelis de Orticaria congregationis Pulsanensis , recensitis ecclesiis & bonis dicti monasterii, quod exscripsimus ex tabulario ejusdem cœnobii, quod appellatur *Discalceatorum* in urbe Pisana.

Tertium *die decima sexta* ejusdem mensis *januarii indictione* VI. per manum præfati Moysis ex ipsa urbe Pisana concessit abbati sancti Cassiani de Carisio , quod proferimus ex tabulario sanctorum Bartholomæi & Pontiani de Luca, quo ipsius monasterium apostolica tutela donavit, censumque egit ecclesiarum , bonorum , decimarum quoque , quas obtinebat in episcopatibus Lucano, Pisano & Volaterrano , quasque ei loco concesserant olim , nempe seculo elapso , Johannes Lucensis , Azo Pisanus & Gunfredus Volaterranus episcopi.

XVIII. Confirmat idem Rom. pont. bona monasterii S. Benedicti de Gualdo.

INTEREA optimus pontifex sollicitus erat pro pace obtinenda a Senatu Romano. *Profert* Muratorius instrumentum concordiæ firmatæ die ultima maji hujus anni , qua Romano pontifici omnia regalia restituuntur ; nihilominus observat ipsum ante eam diem Romanam urbem fuisse ingressum , ibidemque fuisse XVI. kalendas junii, immo tertio idus martii. Publici juris facimus etiam nos privilegium datum ex Laterano per manum fratris Moysis, qui hac vice se S. R. E. subdiaconum nominat , *secundo nonas maji indictione* VI. *incarnationis Dominice anno* M. C. LXXXVIII. *pontificatus* sui *anno* I. concessum Senobaldo abbati monasterii sancti Benedicti de Waldo ejusque cœnobio, *in quo beati Benedicti regula*, ait, *& institutio Camaldulensium fratrum dignoscitur reperiri.* Hæ porro erant ecclesiæ subjectæ eidem monasterio, quarum titulos nominavit , & jura confirmavit: Locus ipse, in quo præfatum monasterium situm est cum plebe, ecclesia sancti Martini de Collis, ecclesia sancti Nicolai de Capriano , ecclesia sancti Christophori de Bantiara , jus in ecclesiam de castello de Valle , ecclesia sancti Laurentii de Saxosp.. , ecclesia sanctæ Mariæ de Fricco, ecclesia sancti Johannis de Castellano , ecclesia sanctæ Mariæ de Umbracia, ecclesia sancti Nicolai de Vultule , ecclesia sancti Savini de Serra, ecclesia sancti Angeli de Fabrica , ecclesia sancti Angeli de Flea , jus in ecclesiam sanctæ Mariæ de Nascano , ecclesia sancti Angeli de Terra-sicca , jus in ecclesiam sancti Cassiani de Palatiolo , ecclesia sancti Martini de valle Vejeria , jus in ecclesiam sancti Georgii de Corneto , ecclesia sancti Laurentii de Colle-bassani , ecclesia sancti Petri de Collebassani , ecclesia sancti Petri de Crucicle , ecclesia sancti Paterniani de Corrutone, ecclesia sancti Gregorii de Serra-radica, ecclesia sancti Johannis de Serra-pila, ecclesia sancti Victorini juxta Nebulam , ecclesia sancti Pauli de Cavalalx.., ecclesia sancti Petri de Rocca-contrada, ecclesia sancti

Ann. Chr. 1188.

ᵭi Petri de Monte-boddo, ecclesia sancti Stephani de la Calcinaria cum omnibus pertinentiis supradictarum ecclesiarum. Subscripserunt sexdecim S. R. E. cardinales. Privilegium autem edimus ex archivo Armanno Eugubii, ex quo ipsum transcripsit Sartius noster.

XIX. Approbat sententiam prioris Camald. pro sanctimonialibus S. Hilarii de Alphiano.

Eadem die præfatus pontifex abbatissæ & sororibus asceterii sancti Hilarii in loco Alphiano in diœcesi Fesulana literas scripsit, quibus intellexisse se ait ex quodam antiquo instrumento sibi exhibito, quod cum inter eas & inter præpositum ecclesiæ Florentinæ super quibusdam decimis quæstio verteretur, causaque commissa fuisset ab Urbano antecessore suo prioribus Camaldulensi & sanctorum Apostolorum urbis Florentiæ, ipsi rem definierant ad monasterii & ecclesiæ earum favorem; quam proinde delegatorum judicum decisionem confirmavit, & apostolico munimine roboravit. Refertur hæc decisionis confirmatio a Lamio in Deliciis eruditorum anni 1737. pag. 225.

Nicolaus monachus & œconomus cœnobii sancti Gregorii de Urbe, Anastasius presbyter & præpositus sanctæ Fortunatæ de Sutrio cum aliis monachis locarunt hoc anno Raimundo presbytero, Zacheo & Aloesi, eorumque successoribus lepræ morbo laborantibus terras aliquot juris ecclesiæ sanctæ Fortunatæ sitas ante ecclesiam sancti Laurentii extra portam Sutrinæ civitatis, ut illic hospitale vel ecclesia construeretur pro curandis leprosis; cum pacto, ut ab ecclesia sanctæ Fortunatæ & ab ejus pastoribus ibidem habitantes sacramenta in morte & vita susciperent, & quando leprosi ibidem non curarentur, ut ecclesia reverteretur ad jus ecclesiæ sanctæ Fortunatæ; quam locationis paginam ex codice Gregoriano proferimus.

XX. Alexandri ep. Foro-liviensis compositio inter archiep. Ravennatem, & Camaldulenses.

Removerat Placidus præses congregationis Camaldulensis abbatem Uranensem, suoque gradu dejecerat, inconsulto archiepiscopo Ravennate Gerardo. Movit ea de causa controversiam Placido archiepiscopus, id absque facultate sua attentandum inficiatus; cumque simul non convenirent, de communi utriusque partis voluntate res delata fuit ad Alexandrum Foro-liviensem episcopum, qui erat tunc ecclesiæ Ravennatis primicerius simul, & totius archiepiscopatus vicarius, eo vel maxime tempore constitutus a Gerardo archiepiscopo, quo hic expeditionem in Terram-sanctam una cum Cruce-signatis meditabatur, quam perfecit hoc eodem anno. Remotio abbatis Uranensis contigit saltem anno antecedenti, cum sub eo anno inter testes in quadam Pomposiani monasterii charta legatur *Hugo quondam abbas de Brettonorio*. Alexander itaque episcopus hoc anno mense augusto controversiam terminavit, statuens ut liceret in perpetuum priori Camaldulensi, absque contradictione archiepiscopi Ravennatis, ordinare & deponere abbates Uranenses eadem libertate, qua utebatur in ceteris monasteriis, ea tamen conditione, ut abbas de novo electus infra quindecim dies jurare teneretur fidelitatem archiepiscopo. Charta compositionis Arardo notario extat [a] in tabulario Fontis-boni.

Postremum est hoc monumentum Placidi prioris, qui teste Homodeo converso interrogato in causa libertatis eremi Camaldulensis deposuit, Placidum obiisse, humatumque fuisse in ecclesia Urani, cujus olim fuerat abbas, & in quo monasterio moras trahebat per id temporis, occasione præfatæ controversiæ. Re enim vera anno sequenti mense junio [b] in iisdem chartis Camaldulensibus nomen legitur Martini prioris, & mense decembri ejusdem anni alia pagina reperitur [c] venditionis domus juxta ecclesiam sancti Blasii de Pratali, factæ eidem Martino priori manu Cypriani notarii. Concordant hæc etiam cum iis, quæ leguntur in deposi-

tione

a §. *Amissæ*. 232. *A*. 195.

b *Ibidem*.

c §. *Emptio*. 218. *A*. 2. 75.

tione testium excepta anno 1216. in causa pro eadem libertate Camaldulensium, inter quos Jaolus conversus asseruit Martinum fuisse priorem *annis sexdecim*. Quare cum certum sit Guidonem Martini successorem electum fuisse anno 1205. electio Martini referenda est ad annum 1189. vel ad finem antecedentis. Charta proinde in tabulario Fontis-boni signata nomine Placidi prioris ad annum 1191. qua Gerardo abbati sancti Michaelis de castro Brittorum locationis titulo concessit ecclesiam sanctorum Cosmæ & Damiani de Bononia, emendanda erit, & alteri anno assignanda, nisi pro firmando obitu Placidi ad annum 1191. dicamus testes errasse in assignandis annis regiminis Martini prioris, ipsumque non tamquam præsidem generalem, sed tamquam priorem seu majorem eremi superiores emptionis libellos conscripsisse anno 1189. quo titulo effertur etiam in paginis anni antecedentis. In necrologio monasterii Vangaticiensis refertur obitus Placidi venerabilis prioris Camaldulensis IX. kalendas septembris.

ANN. CHR. 1188.

Tempore administrationis Placidi sequens constitutionum portio edita fuit, & adjecta veteribus constitutionibus, seu consuetudinibus Camaldulensibus ante seculum traditis a Rodulpho. Hanc portionem, utpote brevem, hic subjicimus.

XXI. Constitutiones Camaldulenses sub Placido priore.

CONSTAT *equidem trigesimo-tertio & quinquagesimo-tertio capitulis regulæ sancti Benedicti nullum monachorum* aliquod proprium posse habere, vel quidquam suum ducere, aut aliquid quamvis exiguum vel magnum sine superioris licentia dare, vel accipere debere; *sunt enim successores illorum, de quibus dicitur:* Erat illis cor unum, & anima una, & erant eis omnia communia, & dividebatur unicuique, prout opus erat. *Qui etiam dicunt Jesu Christo*: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. *Idem ostendit etiam beatus Augustinus dicens*: Cum hujus nostræ congregationis fratres non solum facultatibus, sed voluntatibus propriis in ipsa ordinis susceptione renuntiaverint, & per promissam obedientiam se penitus aliorum potestati & imperio in Christo & pro Christo subdiderint, certum est eos nihil habere, possidere, dare vel posse accipere sine superioris licentia *quod si propinquus, vel amicus vel quilibet fratri cuiquam aliquid offerre voluerit, primo quidem insinuetur priori, & sic suscipiatur, si ipse mandaverit; denique nil fiat aliud, nisi quod priori placuerit. Et iterum*: Quicumque autem in tantum progressus fuerit malum, ut occulte ab aliquo literas vel quælibet munuscula accipiat, si hoc ultra confitetur, parcatur ei, & oretur pro eo. Si autem deprehenditur atque convincitur, secundum arbitrium presbyteri vel præpositi gravius emendetur; „ *Et item*: " Sit vobis anima una & cor unum in Domino, & non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia & distribuatur unicuique vestrum a præposito vestro. *Item sanctus Basilius dicit*: Dare vel accipere non est omnium, sed illius solius, cui commissum est istud officium. *Consequens est ergo, ut & vel qui suis filiis aliqua necessitudine ad se pertinentibus in monasterio constitutis, vel quilibet vestem, vel aliud aliquid attulerit, inter necessaria monasterii deputandum sit, non occulte accipiatur, sed sit in potestate abbatis, ut in re communi redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur. Quod si aliquis rem collatam sibi celaverit, furti judicio condemnetur. Nos itaque Placidus eremi Camaldulensis prior, & Martinus ejusdem eremi sola dignatione provisor, cum consensu seniorum nostrorum, tantorum doctorum auctoritatibus sufsulti, ex parte Dei omnipotentis & beatæ virginis Mariæ atque sancti Benedicti & reliquorum Sanctorum, præcipimus, ac sub excommunicationis & male*

male

ANN. CHR. 1188.

maledictionis pœna firmissime statuimus, ne quis monachorum in prædicta eremo, & de prædicta eremo contra quælibet prædictorum capitulorum venire præsumat. Quisquis quoque hujus statuti temerator, sive transgressor deprehensus fuerit, indubitanter sciat se cum dedecore dejiciendum.

Statuimus quoque, & inviolabiliter firmamus, ut nullus prædictæ eremi eremitarum absque Majoris licentia per se ipsum vel per aliquem ejusdem eremi ministrorum, idest per sacristam, cellerarium, portarium, coquum vel bajulum, cuiquam omnino loqui præsumat, exceptis prædictis ministris, quibus suas necessitates liceat eis, cum expedit, exponere. Et exceptis tertia & quinta feria, in quibus cantata Sexta vel Nona liceat fratri alloqui fratrem, vel fratres breviter & honeste in porticu ecclesiæ vel in capitulum, & nusquam alibi, nec alicui alii, quamvis fuerit abbas de conventu nostro, vel monachus de Fonte-bono, sine prædicta loquatur licentia, nisi tantum hoc, cum oportere videtur, non audeo loqui tibi vel vobis sine licentia. Ait enim beatus Benedictus capitulo quinquagesimo tertio: Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur. *Et sanctus Basilius*: Nec vir ad virum accedere utcumque sine causa ex arbitrio suo vel potestate debet, sed cum omni observatione, probante eo, qui præest, idest ut vel prosit quis ei, quem vidit, vel proficiat ex eo. *Item silentium mortificationem significat; silentium enim, sicut dicit propheta*: Cultus justitiæ est, *quia ubi silentium non est, ibi nulla justitia est. Interrogavit abbas Moyses fratrem Zachariam tempore quando moriebatur, dicens*: Quid vides? & ille dixit ei. Nihil melius quam tacere, pater. Qui dixit ei: Verum est, fili tace. *Petrus, quoque* [a] *Damianus ait*: Eremitæ officium est, jejunio, silentioque quiescere; *unde non frustra reperitur ab antiquis hujus vitæ institutoribus dictum*: Sede in cella tua, & retine linguam tuam, & ventrem & salvus eris. *Item beato Antonio referente, abbas Arsenius oravit dicens*: Domine dirige me ad salutem, & venit ei vox dicens: Arseni, fuge homines, tace, quiesce & salvus eris. *Dixit abbas Sisoys*: Crede, crede, quia ecce triginta annos habeo, quod non deprecor Dominum propter peccatum meum, sed orans dico: Domine Jesu Christe, protege me a lingua mea, & usque nunc per singulos dies corruo per ipsam & delinquo. Etenim peregrinatio nostra in hoc est ut teneat homo os suum; si non tenueris os tuum, quocumque perrexeris, non eris peregrinus. *Si quis ergo contra hoc statutum agere præsumpserit, gravi corrigatur disciplina. Si autem in vitio permanserit, post trinam correptionem cum dedecore dejiciatur.*

[a] Opusc. XV. cap. 5.

Si quis vero fratrem quemlibet aliquid prædictorum capitulorum transgredi deprehenderit, nisi Majori procuraverit intimare, simili pœnæ cum reo subjaceat. Nullus autem prædictorum ministrorum aliquem repræsentet alicui eremitarum sine Majoris jussione vel permissione, alioquin in capitulo egregie scuticetur; absente tamen Majore sacrista in hujusmodi habeat vicem, tunc etiam quilibet prædictorum officiorum graduum, absentibus superioribus, habeant facultatem.

Hæc sunt, quæ præcipimus observari in eremo Camaldulensi, videlicet ut caritatem habeant fratres ad invicem, & ita serviatur infirmis, & ita visitentur, ut in istius loci consuetudine continetur. Præcipimus etiam de silentio, ut non loquantur fratres istius loci, nisi in illis locis & horis & temporibus, & cum illis personis, quibus prædicta consuetudo concedit. Præcipimus quoque, quod nullus fratrum istius loci intret cellam alterius, nisi cum licentia domni prioris, si fuerit hic; si non fuerit, cum licentia Majoris; si Major non fuerit, cum licentia sacristæ; si sacrista non fuerit

cum

ANN. CHR. 1188.

cum licentia alterius, qui fuerit major, & nisi frater ille, qui visitatus fuerit, esset infirmus. Si autem aliquis prædicta non observaverit, postea in capitulo corripiatur, & ille, qui tenuerit capitulum, teneatur sub pœna excommunicationis delinquenti injungere, ut recipiat disciplinam. Si autem prævaricator recipere noluerit, excommunicetur statim, & segregetur a consortio fratrum.

XXII. Mortuo Placido eligitur prior Camald. Martinus.

MORTUO Placido Martinus, qui Major erat eremi, vel prior, aut vicarius, seu etiam idem, qui in supra relatis constitutionibus appellatur provisor, præsertim cum in constitutionibus Rodulphi prioris anni 1080. [a] *provisor eremi* is dicatur, *qui loco prioris constituitur*, literas dedit abbatibus & prioribus congregationis Camaldulensis, ut Camaldulum se conferrent pro electione novi prioris. Subrogatus fuit in Placidi locum idem Martinus; neque abs re erit hic loci ex examine testium in causa sæpedicta libertatis formam consuetam electionis prioris Camaldulensis addiscere, quæ est hujusmodi: *Mortuo priore Camaldulense convocantur fratres Camaldulensis ordinis tam abbates, quam priores de diœcesi Aretina, & aliis episcopatibus, & eis apud eremum congregatis constituunt duos, qui vota singulorum examinant, & unus ex eis de voluntate alterius electionem pronuntiat hoc modo:* „ Ad honorem Dei & beatæ Mariæ, & beati Ro„mualdi, & omnium Sanctorum, & domini papæ & totius conventus „Camaldulensis eligo talem in priorem." *Facta electione prædicti domni Martini, ductus fuit in ecclesiam eremi, cantando* Te Deum laudamus *a fratribus Camaldulensibus, a quibus positus fuit in sede in dicta ecclesia; deinde vero expleto hymno, & facta oratione ante altare, duxerunt eum ipsi fratres in capitulum, & statim promiserunt ei obedientiam abbates & priores & alii, qui erant ibi; & officiales repræsentaverunt ei claves, & ipse concessit, quibus voluit, & statim cœpit administrare tam in temporalibus, quam in spiritualibus, ut prior* &c. Consecratum ipsum Martinum fuisse sacerdotem ab Amadeo episcopo Arretino legitur in allegationibus anni 1217. [b] confectis in eadem libertatis eremi Camaldulensis causa.

a *Cap.* XXX.

b §. *Jura n.* I

XXIII. Conventio inter monasteria S. Michaelis & S. Pauli ad ripam Arni Pisarum.

ZACHARIÆ abbati sancti Michaelis in burgo Pisarum successerat Guido, nominatus primum in charta venditionis anni 1186. Hoc anno, Guidonis abbatis nomine ipsiusque monasterii, Burgus syndicus & conversus inquisivit Gratianum abbatem monasterii sancti Pauli de ripa Arni, an vellet defendere terram positam in loco Barbaricino, quam Philippus abbas ejus antecessor dederat olim in permutationem Ildebrando abbati sancti Michaelis. *Anno millesimo centesimo octuagesimo nono*, more Pisano, *tertio nonas julii indictione sexta*. Distinguendus est Gratianus, qui erat abbas præsenti anno & anno etiam 1191. ex alia charta apud Grandium nostrum [c], ab altero Gratiano itidem abbate ejusdem monasterii & nepote Eugenii III. quem Alexander pp. III. anno 1163. e monasterio abstractum, ut scribit idem Grandius [d], primo scriptoris & cancellarii apostolici & S.R.E. subdiaconi munere decoraverat, ac legatum in Angliam miserat ad Henricum regem, cui fortiter restiterat in causa sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis, mox Romam redeuntem atque ipsius sancti Thomæ encomiis celebratum anno 1178. diaconum cardinalem sanctorum Cosmæ & Damiani constituerat. Philippus abbas ejusdem cœnobii ante utrumque Gratianum statuendus est, ut cum tempore Ildebrandi abbatis sancti Michaelis ejus abbatialis dignitas componi valeat. Monasterium sancti Pauli de ripa Arni spectabat ad congregationem Vallumbrosanam.

c *De Pandectis pag.* 233.

d *Ibid. pag.* 236.

XXIV. Bona in emphyteusim data abbati S. Petri ad Vincula a Gerardo archiep. Ravennate.

ALTER abbas sancti Petri ad Vincula in territorio Ravennate erat Johannes, de quo etiam ad annum 1181. cui ad ducentos annos conscri-

ANN. CHR. 1188.

psit hoc anno *undecimo mensis augusti indictione sexta* Gerardus Ravennas archiepiscopus libellum emphyteusis de lacu Zugnolo, cujus fines erant *portus Priacus & Callese usque ad canale Pidimano, canale Venetias percurrens, canale Mortisi, Logare & fundus Anbrosius, cum terris & piscationibus, qui erat situs ultra Padum in plebe sancti Venantii*. Libellum edimus ex tabulario marchionis Bonifacii Rangoni, sicut ex tabulis Fontis-boni [a] novimus hoc eodem anno die XXVIII. aprilis præfatum archiepiscopum Gerardum „ alio emphyteusis libello locasse Matthæo priori ere„ mi-novæ de Camaldulo ad annos LX. septem tornaturias terræ positas „ in fundo Begonzoli in pleberio sancti Martini in Rubicono territorio „ Cæsenate cum terris campis &c. cui a primo latere est Rubicone, a „ secundo Petrus de Turri, a tertio Bartholus de Malabranca, a quarto „ via, pro pensione mediæ libræ ceræ præstandæ mense martio. Manu „ Ubaldi notarii Ravennatis. Actum in palatio archiepiscopi. “

a *Locatio 67. A. 2. 30.*

XXV. Ædificatio castri Serravallis in agro Arretino. Aliqua de Insulano monasterio.

AMADEUS episcopus Arretinus [b] & Guilielmus abbas Pratalıæ & Joseph de Marciano, consentientibus hujus fratre Lotherio, & Petro filio quondam Bernardi, convenerunt hoc anno mense novembri, ut ipse Amadeus episcopus ædificare deberet castrum, quod Serravalle dicitur, in loco appellato Incisa vel Ancisa, & in proprietate ecclesiæ sancti Donati, castrum vero & homines, qui in eo degerent, ad jus episcopii pertinerent, & præfati abbas Guilielmus & Joseph deberent homines, quos tenent in villa Tocli, dare ad habitandum dictum castrum, construendum, *infortiandum* & custodiendum ad voluntatem præfati episcopi, & si contigerit illud comburi vel destrui, tenerentur ad reædificationem & munimen ipsius pro eodem episcopio; ipse vero episcopus promisit homines castri defensurum, neque castrum alteri concessurum, vel ad feudum daturum, aut vicecomites in eo positurum, sed ad manum suam ipsum retenturum, & prædicto abbati ejusque successoribus ecclesiam ipsius castri, quæ erat de allodio ecclesiæ sancti Donati, libere concessurum, sicut abbatia Pratalienſis obtinebat in villa de Tocli; præterea domum concessit eidem abbati ædificandam in ipso castro; quarum rerum observationem spopondit episcopus pœna sibi imposita sexaginta marcarum argenti. Actum in claustro Pratalienſi manu Cypriani notarii. In supplici libello oblato Innocentio III. a Camaldulensibus anno 1216. pro libertate eremi legitur, quod cum ædificaretur castrum de Serravalle, vicedominus episcopi Arretini, qui pro custodia morabatur in eodem castro, mittitabat frequenter nuntios Camaldulum, ut victualia reciperent pro operariis. In castro de Serravalle ecclesiam obtinebat abbatia Pratalienſis sub titulo sanctæ Mariæ & sancti Nicolai, quam cum approbatione plebani de Partina conferebat abbas ejusdem monasterii. In aliis testificationibus anni 1217. habetur de eodem Amadeo ipsum in concione, quam habuit, dum consecrationis munus impenderet ecclesiæ Leprosorum, præcepisse comiti Guidoni aliisque, ne damnum vel offensam ullam inferrent Camaldulensibus. Dedicasse pariter una cum Rainerio Castellano episcopo ecclesiam eremi de Fleri territorii Cortonensis.

b *Promissio 66. A. 2, 32.*

Marchisen [c] filius quondam Saffolini de Crucidulo titulo testamenti hoc anno *die secunda aprilis* cupiens monasticam agere vitam, remisit Viviano abbati monasterii sanctæ Mariæ de Insula, & sub protectione Placidi prioris Camaldulensis, decimas de Rivo-filci, quæ a dicto monasterio antea solvebantur presbytero sancti Hilarii de Crucidulo, pluraque latifundia legavit. Die sequenti Drudus alter ejus frater alias terras obtulit, addens, quod si suadente diabolo exierit e conventu Camaldulensi,

c §. *Testamentum. A. 2. 31.*

lensi, monasterium tamen Insulanum sibi vindicaret præfatas terras; manu Bruni notarii. Actum coram Johanne Faventino episcopo & canonicis ejus in dicta sancti Hilarii de Crucidulo ecclesia die secunda & tertia aprilis. Post eam diem idem Johannes Faventinus episcopus una cum Gerardo archiepiscopo Ravennate hoc ipso anno Cruce-signatorum seu Venetorum exercitui pro acquisitione Terræ-sanctæ se adjunxit. Ann. Chr. 1188.

XXVI. Quis Bonus ep. Senensis per hæc tempora?

In ms. epistola ad Grandium nostrum non dissentit Ubertus Benvoglientius Bonum, qui ad hæc usque tempora abbas fuerat monasterii sancti Salvatoris Berardingorum, hoc anno electum fuisse episcopum Senensem in locum Gunterami vel Gunteroni, de quo loquuti sumus ad annum 1181. Id saltem meliori jure affirmari potest, quam admitti debeat opinio Ughellii [a], qui Bonum episcopum Senensem unum fuisse scribit ex primis monachis, qui sancti Galgani cœnobium ordinis Cisterciensis incoluerunt, virum doctum & sanctimonia vitæ præclarum, qui invitus a Clemente III. Romano pontifice episcopus Senensis declaratus fuerit. Ut enim animadvertit idem Benvoglientius, anno 1188. vel 1189. locum, ubi pœnitentiam egit sanctus Galganus, nondum incolebant monachi Cistercienses, quorum memoria ante annum 1191. non superest, quo anno Henricus VI. [b] *monachos sancti Galgani a Claravalle in Thusciam venientes* sub sua protectione suscepit; eodem modo eos recepit anno 1196. eadem tamen verba repetuntur ad annum 1208. Pariter Ildebrandus episcopus Volaterranus tutelam suam exhibens anno 1208. monasterio sancti Galgani, hanc se exhibere asserit *intuitu eorum monachorum, qui ibidem secundum regulam beati Benedicti, & secundum institutionem & formam ordinis Claravallensium Deo sunt servituri*; eorumque monachorum viventem *priorem Bonum* nominat, qui tamquam regens eam familiam memoratur etiam in *privilegiis* anterioribus Henrici imperatoris. Quare Bonus Cisterciensis & prior sancti Galgani non potuit esse Bonus episcopus Senensis, cujus monumenta habentur ad annum 1189. quo abbatiam sanctæ Mustiolæ de Turribus obtinuit, & tempore Lucii abbatis ejusdem monasterii cum aliis episcopis interfuit consecrationi illius ecclesiæ, quæ refecta fuerat, quique etiam temporibus Clementis III. bullam obtinuit, qua idem Romanus pontifex protectionem suscepit omnium bonorum Senensis ecclesiæ. Ipsius quoque Boni episcopi epistolam ad Ottonem IV. Romanorum regem laudat idem Benvoglientius, quæ omnia demonstrant Bonum Senensem episcopum alium fuisse a Bono priore sancti Galgani. Quare alia in elucubratione, hoc est in additionibus ad Italiam sacram Ughellii existimat laudatus Benvoglientius Bonum episcopum Senensem ad eam dignitatem assumptum fuisse ex canonico cathedralis ecclesiæ, eumdemque putat, de quo mentio fit in libello ejusdem ecclesiæ his verbis: *Obiit presbyter Guido canonicus, pro cujus anima promisit magister Bonus, qui postea fuit episcopus Senarum, annuatim dare undecim solidos*. Quam postremam Benvoglientii opinionem plausibiliorem arbitramur, eo vel maxime, quod sedes Senensis vacaverit præsenti dumtaxat anno; Bonus autem noster desierit esse abbas Berardingorum anno 1186. quo anno Guilielmi abbatis ejus successoris nomen legitur in paginis tabularii ejusdem monasterii. Quare verba illa adjecta in libro signato M. numero 106. inter ceteros chartarii Operæ cathedralis Senensis ab imperito recentiore auctore: *Anno Domini .... obiit Bonus Senensis episcopus & monachus sancti Salvatoris Berardingorum*, non sunt magni facienda, præsertim si ibi intelligatur Bonus abbas. Præterea in testificationibus pro libertate eremi ad annum 1216. legimus *priorem Placidum cum esset Pisis pro eli-*

[a] *T. III. col.* 552.

[b] *Ap. Ughell. T. I. col.* 443.

Ann. Chr. 1188.

gendo abbate sancti Zenonis, cujus abbas mortuus fuerat, misisse pro Bono abbate Berardingorum, & fecisse eum abbatem ipsius monasterii sancti Zenonis. Non ergo Bonus ex abbate Berardingorum electus fuit episcopus Senensis. Ad summum potuerit eligi in episcopum alius, qui Boni nomine fuerit monachus, non abbas ejusdem monasterii.

Ceterum in locum Boni abbatis Berardingorum ante diem quintam-decimam martii anni 1186. electus fuit Guilielmus. Id constat quoad tempus ex Urbani III. diplomate pro ea abbatia, quod ad eumdem annum retulimus. Distinguendus est Guilielmus abbas Berardingorum a Guilielmo abbate Pratalensi, qui etiam ipse ad parum temporis electus fuit abbas illius monasterii; hic enim rediit ad suam Pratalensem abbatiam, illius vero monumenta in tabulario ejusdem cœnobii supersunt ad triginta saltem annos. Quo vero tempore Pratalensis abbas ad Berardingorum regimen assumptus fuerit, iterum incertum. Ante annum 1183. supervivebat Bonus, post annum 1186. constanter perseverat nomen alterius Guilielmi. Forte post Bonum Guilielmus Pratalensis translatus fuit ad abbatiam Berardingorum, sed brevi dimotus locum fecit alteri Guilielmo; in qua hypothesi Martinus prior Camaldulensis, qui ipsum de uno regimine ad aliud regimen transtulit, non prior generalis, sed prior tantum fuit eremi Camaldulensis eo tempore, quo ista contigerunt.

Ann. Chr. 1189.
XXVII.
Obitus Bogumili eremitæ olim archiep. Gnesnensis.

DUODECIMUS recurrebat annus, quo Bogumilus in suam Dobrowensem solitudinem se receperat, si sequi velimus hypothesim de abdicatione sedis Gnesnensis facta anno 1177. alioquin si triennium tantum ipsi in archiepiscopatu tribuamus, & dignitate se abdicasse dicamus anno 1170. ad annum 1182. referenda erit pretiosa Bogumili mors, cum ex Demalevicio duodecennium supervixerit suæ abdicationi. Abraham Bzovius [a] in Annalibus asserit historicos Poloniæ referre mortem sancti Bogumili ex archiepiscopo Gnesnensi eremitæ Camaldulensis sanctitate & miraculis clarissimi ad annum 1187. Sed plures Poloni historici, ut vidimus, ne verbum quidem faciunt de Bogumilo archiepiscopo Gnesnensi. „ Ita, [b] inquit Demalevicius, cum in asperioribus exercitationibus eremitarum & austeriore disciplina Romualdinæ observantiæ per „ annos duodecim, postquam archiepiscopatum Gnesnensem abdicavit, „ vitam traduxisset, & finem jam illius imminere levi febricula tentatus „ cognovisset, vocatis sociis, qui in ejusdem solitudinis vicinis habitabant „ tuguriolis, pauca de cœlestium bonorum divitiis brevi labore ac patientia comparandis præfatus, ac eos ad constantiam in studiis & occupationibus vitæ solitariæ adhortatus, ad extremum se agonem oratione ac crebris suspiriis disponebat, rite sacramentis munitus, beatissimæ Mariæ virgini Deiparæ, in cujus venerationem propensiore semper voluntate ferebatur, sancto Adalberto & Stanislao, necnon quinque martyribus eremitis finem vitæ suæ religiose commendando, quo „ jam instante vidit gloriosam Dei genitricem Mariam frequenti angelorum cœtu stipatam cum puero Jesu inter manus matris hærente ad „ præmia se regni cœlestis invitantem, regni Poloniæ, quorum opem imploraverat, assistentibus titularibus. Atque sic in his verbis: Jesu fili „ Dei & virginis Mariæ esto susceptor animæ meæ, præsentem vitam „ cum æterna commutavit; cujus anima in specie columbæ candidæ visa „ est in cœlum penetrasse IV. nonas junii anno Christi millesimo centesimo octuagesimo-secundo. " Papebrochius vitam Bogumili affert ad „ diem X. junii. Quare credimus errorem typographicum irrepsisse in

a T. XIII. pag. 977.

b Pag. 234.

vitam

vitam a Demalevicio editam, & loco IV. nonas junii legendum IV. idus junii, præsertim cum alibi, ut mox videbimus, Demalevicius diem decimam junii sollemnem fuisse Polonis afferat ob visitationem corporis sancti archiepiscopi, quæ ea die fiebat. Extremum sepulturæ honorem accepit Bogumilus in ecclesia Dobrowensi sanctissimæ Trinitatis [a], „ in qua „ vivens ante & post archiepiscopatum Gnesnensem laboraverat, cujus „ viri sanctitatem plurimis Deus miraculis honorare dignatus est; nam „ statim ab ejus obitu secreto quodam divini Spiritus impulsu ad visitandum „ illius sepulcrum maxima populi multitudo, ope ipsis ac meritis in variis „ necessitatibus, calamitatibus, angustiis, variisque morbis auxilium & „ solatium a Deo perceptura confluxit, qui concursus hominum in tanta „ frequentia solet continuari usque ad præsens pro X. junii, ut gravissimorum „ senatorum testimonio, qui præsentem turbam conspexerunt, „ ad octo millia personarum, decem quandoque numerum pervenisse cen„ seretur. Ex quibus plurimi narrabant numquam se sine aliquo solatio, „ & mentis refocillatione a sepulcro Sancti recessisse. “

ANN. CHR. 1189.

a Pag. 236.

XXVIII. Ejus miracula & propagatur cultus.

„ CUM autem, prosequitur Demalevicius, sepulturæ locus in dies plu„ ribus claresceret miraculis, Fulco archiepiscopus Gnesnensis successor ab „ eo quintus, qui temporibus Alexandri IV. vixit (decessit nimirum an„ no 1258. post viginti-septem annos administrationis ejusdem ecclesiæ) „ ossa illius levavit, & ad partem ecclesiæ meridionalem altiore sepulcro „ condidit, sculpta imagine pontificis cum episcopalibus insignibus super „ addita. Præter votivas tabellas, cerea donaria, & fulcra claudorum „ in utroque templi pariete suspensa plurimam pecuniam ad tumbam „ Sancti offerebat populus, quæ trifariam quotannis solebat distribui or„ dinatione archiepiscoporum, pars una in sustentationem parochi, alio„ rumque ministrorum cedebat; altera pro fabrica ecclesiæ collegiatæ U„ niejoviensis, in cujus archidiaconatu sita est parochialis Dobrowensis, „ convertebatur; tertia pro templo in honorem Sancti exædificando re„ servabatur. Cera postquam usui ecclesiæ per annum suffecisset, reliqua „ vendebatur, & cumulo pecuniæ reservatæ aggregabatur. Plurima Deus „ ad locum ejus sepulturæ ad laudem & gloriam nominis sui, honorem San„ cti, & utilitatem consolationemque populorum ad opem ipsius implo„ randam confluentium miracula solet operari, quorum hic unum & al„ terum venit retexendum. “

Primum, quod ex [b] Martino Baronio clerico Jaroslaviense narrat idem Demalevicius, est hujusmodi. „ Quodam tempore pius erga sanctum „ Bogumilum vir Stanislaus Vach civis Colensis currum panno nimis „ oneratum sex trahentibus equis ducebat, dumque prope villam Dobro„ wo, ubi corpus sancti archiepiscopi quiescit, pergeret, unus equorum „ pressus onere occubuit; cui postquam illico fecit detrahi corium, mu„ neris loco illud ecclesiæ Dobrowensis sacerdotibus obtulit, petens, ut „ sanitatem reliquorum sancto Bogumilo commendarent; ipse interim fle„ xis ad sepulcrum ejus genibus Dei protectionem incœpto itinere per „ merita sancti præsulis diligenter implorabat. Dum finita oratione digre„ ditur ab ecclesia, equus ille (mirum dictu) ad fores templi adstitit „ hinniens, quem dominus actis Deo pro tanto beneficio gratiis lætus re„ cepit, junxit currui, viam feliciter prosecutus est, mirabilia Dei ope„ ra meritis sancti Bogumili sibi præstita, omnibus per omnem viam „ prædicans. Sacerdotes, ut tanti miraculi perennaret memoria, pellem „ sibi donatam foribus ecclesiæ affigi curarunt anno Domini millesimo „ trecentesimo nonagesimo-sexto. Vidi ego sepulcrum Sancti visitans an-

b Pag. 35.

„ no

Ann. Chr. 1189.

„ no Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo-quarto corium hoc „ nucerini coloris foribus ecclesiæ affixum, quod populus equos & alia „ jumenta patrocinio sancti Bogumili commendans scindere usitatum ha„ bebat, animantibus in medelam propinans. Nulla jam ad præsens co„ rii cernuntur vestigia in medicinam jumentorum distracti. Durat ha„ ctenus vicinorum populorum ea devotio, ut quoties ad visitandum se„ pulcrum Sancti conveniant, toties equos & boves circa ecclesiam du„ cant, precibus Sancti a contagione pestilenti & morbis aliis servatum „ iri suas animantes confisi. “

a Pag. 247.

Alterum miraculum narrat Demalevicius [a]. „ Per annos quadringen„ tos septuaginta & octo pagus Dobrowo in favillam & cineres trina „ vice conversus nullum periculum ecclesiæ sanctissimæ Trinitatis a viro „ Dei de plantis abiegnis exstructæ flammis undique coopertus attulit, ut „ nullum adustionis vel fumi vicinos parietes denigrantis appareat vesti„ gium, quod eo mirabilius evenit, quo propinquiores rusticanæ casæ in „ templum in medio pagi situm undequaque incendiorum fomenta ja„ ctarent. “

Superior prodigiosa equi suscitatio & increbrescentia ope sancti Bogumili miracula, quæ diligenter connotari jusserat, movere archiepiscopum Gnesnensem, postulante præsertim metropolitano senatu, Vincentium Cotum, ut in ejus honorem ecclesiam de latere cocto ex oblationibus ad illius tumbam fieri solitis cum omnium prælatorum & canonicorum unanimi assensu ædificare studeret. Electus fuit Vincentius metropolitanæ sedis Gnesnensis archiepiscopus anno 1437. evasitque S. R. E. cardinalis. Is anno 1443. sequenti decreto ita oblationes ad tumulum sancti Bogumili in ecclesia Dobrowensi dispsosuit [b].

b Ap. Demalev. Series &c. pag. 111.

Reverendissimus in Christo pater & dominus Vincentius archiepiscopus cum præfatis dominis de capitulo Gnesnensi superius, habitis tractatibus mutuis inter se, super offertorio Dobrowo talem ordinationem fecerunt: Ut plebanus recipiat offertorium in toto de altariis, & alias oblationes. Quantum autem de offertorio, quod offertur ad tumbam sancti Bogumili, ibidem in Dobrowo præfatus dominus præpositus cum supradictis dominis vult & ordinat, quod medietas dicti offertorii, quod offertur ad tumbam fiat ad murum, ad quam medietatem recipiendam & conservandam constituit honorabilem Albertum plebanum in Turek, medietatem autem residuam plebanus domnus Ostha & successores sui recipiant pro suis usibus, & pro sustentatione ministrorum ecclesiæ convertant dicti offertorii de eadem tumba sancti Bogumili. Cera vero, quæ offertur ibidem in ecclesia Dobrowo pro divini cultus administratione per plebanum & vicarios, de eadem cera præfatus dominus Albertus plebanus in Turek teneatur remanere ceram pro luminibus ad divina celebranda, quantum sufficeret decenter. Residuam vero ceram si extat seu extabit, ipse dominus Albertus tenebitur vendere, & pecuniam cum aliis pecuniis, quas accipiet, videlicet medietatem de tumba, fideliter conservabit & congregabit, & congregata Domino prosperante incipiet murare ecclesiam in Dobrowo de consilio dominorum prædictorum. Signa autem, quæ fiunt ad meritum ejusdem Sancti, idem dominus plebanus in Turek fideliter & diligenter conscribat, & ad sua protocolla reponat.

Actum in generali capitulo post festum sancti Adalberti penultima mensis aprilis die mercurii, anno Domini M. CCCC. XXXXIII. *præsentibus dominis P.. de Grandis præposito, Johanne decano, Johanne archidiacono, Johanne cantore, Andrea scholastico, Johanne Forman custode, Johanne cancellario,*

Ja-

Jaroslao, Johanne de Rudzica, N.. Glebocki, Mathia Drya, Andrea Jaczkowski, Lascario, Stanislao Bielawski, Johanne de Briestowo Lutkone, Johanne Falonis, magistro Thoma Strzampinski, Nicolao de Niewiess, Jacobo de Dambno, & Jerando prælatis & canonicis ad sonum magnæ campanæ congregatis.

ANN. CHR. 1189.

„ Quam deinde Vincentii archiepiscopi ordinationem successor ab ipso „ secundus Johannes Sprowski, ita consentiente collegio immutavit post „ annos XIX. anno Domini 1462. ut sexaginta marcæ pro fabrica ec„ clesiæ Gnesnensis, triginta pro ecclesia in Uniejow per ignem assum„ pta, & residuæ viginti pro structura ecclesiæ in Dobrowo converte„ rentur. “

„ Albertus autem Baranowski alter archiepiscopus electus anno 1608. „ & Bogumili patrocinio sanitati restitutus, liberales in eam cogitationem „ perficiendam sumptus adornaverat. Laurentius Gembicki Baranowsko „ suffectus anno 1616. negotium dederat Uniejowiensi gubernatori coa„ cervandi lapides ceteraque necessaria. Mathias denique Lubienski ele„ ctus anno 1641. per gnaros architecturæ magistros idoneum locum tem„ plo struendo emensus, lateres & calcem convexerat, sed ejus pia vota „ mors irrita esse jussit. “

Quoad reliquias & venerationem corporis sancti Bogumili extat testimonium Vincentii de Seve J. V. D. & archidiaconi ecclesiæ Gnesnensis, qui in visitatione ecclesiæ Dobrowensis anno Christi 1608. peracta hæc habet apud eumdem Demalevicium [a]: *Reliquiæ sancti Bogumili, qui in dicta ecclesia quondam sepultus fuit, & pro Sancto habetur, servantur in sacrario ejusdem ecclesiæ in quodam scriniolo. Ex sepulcro dicti Sancti tempore Jacobi Uchanski archiepiscopi* (electi anno 1562.) *quædam fuerunt accepta, ut annulus pontificalis cum pretioso Saphiro, tabula aurea cum certa inscriptione, & alia quæ supradictus dominus archiepiscopus accepit, & ecclesiæ non restituit.*

a Pag. 113.

Extant hujusmodi orationes in Missis consuetæ dici & adscriptæ in missali Romano in honorem sancti hujus sub nomine beati Theophili, cum in Polonico idiomate nomen Bogumili significet Theophilum, sive diligentem Deum.

Exaudi quæsumus Domine populum tuum tota mente tibi subjectum, & beati confessoris tui atque pontificis Theophili supplicatione custodi, ut corde & corpore protectus, quæ pie credit, juste petita accipiat. Per Dominum nostrum &c.

Suscipe Domine preces & munera, quæ, ut tuo digna sint conspectui, sancti confessoris tui atque pontificis Theophili precibus adjuvemur. Per Dominum.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beato confessore tuo atque pontifice Theophilo intercedente, beneficia sumamus. Per Dominum.

Martinus Baronius [b] aliam affert sub nomine beati Bogumili.

b Pag. 36.

Deus, qui beatum Bogumilum confessorem atque pontificem tuum ad æternæ beatitudinis præmia sublimasti, concede propitius, ut cujus merita veneramur in terris, intercessionis ejus auxilio apud tuam misericordiam muniamur in cœlis. Per Christum Dominum nostrum amen.

Ossa beati Bogumili Mathias Lubienski archiepiscopus Gnesnensis stanneo scriniolo inclusit, & publicæ venerationi sollemniter in maximo populi concursu exposuit, inferrique nomen ejus catalogo Sanctorum, ecclesiæ decreto & sedis apostolicæ oraculo, diligenter laboravit, sacro collegio

Ann. Chr. 1189. gio sedis metropolitanæ pios conatus ipsius alacriter promovente; cujus rei provincia data fuit Matthæo Judicki archidiacono Pomeraniæ in ecclesia Uladislaviensi, & canonico Gnesnensi sequenti mandato.

Nos prælati & canonici almæ ecclesiæ metropolitanæ Gnesnensis perillustri & admodum reverendo domino Matthæo Johanni Judicki J. V. D. archidiacono Pomeraniæ in ecclesia Uladislaviensi protonotario apostolico salutem cum Dei benedictione.

A trecentis annis & ultra maximopere desideratum fuit a prælatis canonicis, totoque venerabili capitulo almæ metropolitanæ Gnesnensis ecclesiæ antecessoribus & fratribus nostris desideratissimis, prout ex actis capitularibus constat, ut sancto Dei viro Bogumilo ex decano in archiepiscopum Gnesnensem electo, propter ipsius vitæ innocentiam, modestiam & alias innumeras virtutes ab universa ecclesia catholica decernantur honores, & nobis sæpius in capitulis generalibus super hac materia deliberantibus præcipue cordi fuit, ut causa Beatificationis & Canonizationis ejusdem servi Dei promoveatur, & ad debitum finem divino aspirante auxilio perducatur. Cumque coram illustrissimo principe & reverendissimo domino archiepiscopo Gnesnensi loci ordinario nostro, antequam ad ulteriora in dicta causa procedi possit, debeat adimpleri forma decretorum sacræ & generalis congregationis sancti Officii in materia cultus & venerationis, ac super eorum observatione fieri processus, & pronunciari per eumdem ordinarium fuisse paritum dictis decretis. Quibus peractis juxta formam eorumdem decretorum & sacrorum canonum, & sacri concilii Tridentini procedi poterit ad ulteriora in conficiendis processibus super virtutibus, sanctitate & miraculis ad effectum illos transmittendi ad sacram rituum congregationem; ideo confisi de tua prudentia, diligentia & experientia, tenore præsentium, auctoritate nostra plenaria te constituimus procuratorem generalem & specialem in dicta causa, ita ut generalitas specialitati non deroget, nec e contra, ad comparendum in judicio & extra, nomine totius venerabilis capituli nostri, coram illustrissimo & reverendissimo domino archiepiscopo Gnesnensi, & coram quocumque alio tribunali, & instandum ut conficiatur primò loco dictus processus super observantia dictorum decretorum sacræ congregationis sancti Officii, & deinde aliis super virtute, sanctitate & miraculis, servata forma dictorum decretorum, sacrorumque canonum, & sacri concilii Tridentini, & ad eumdem effectum producendum jura & articulos, inducendum testes, illosque jurare faciendum, & examinandum, & faciendum in præmissis & circa præmissa omnia, quæcumque fuerint necessaria vel opportuna usque ad complementum dictorum processuum, quibus peractis procurandum de ipsis fieri transumptum, & clausum & sigillatum transmitti ad dictam sacram rituum congregationem; necnon generaliter ad faciendum, gerendum, exercendum & exequendum omnia præmissa & quæcumque alia, etsi magis speciale mandatum & specialissimum requirerent, cum libera administratione & facultate præstandi quodcumque juramentum in animum ipsius constituentis licitum & honestum, ac etiam cum facultate substituendi unum vel plures procuratores in solidum ad faciendum omnia præmissa, & cum omnibus prædictis facultatibus. Promittentes quicquid per te procuratorem seu per procuratores a te substituendum seu substituendos factum fuerit, illud totum habere ratum & gratum. In quarum fidem has præsentes nostri sigilli soliti impressione munitas manu præsidentis universalis capituli firmavimus.

Gnesnæ in capitulo generali Gnesnensi sancti Adalberti IV. *die mensis maji anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo-septimo.*

Ab eo anno ad annum 1662. sancti Bogumili memoria, quæ circumscribe-

ſcribebatur Poloniarum finibus, ad Indias uſque cultum & venerationem obtinuit; & Philippus Stanislaus Nicopolitanus & Dobrogiorum, necnon Provadiorum ad litus Euxini Ponti epiſcopus Scytharum apoſtolus appellatus, ut nos docet idem Demalevicius in epiſtola nuncupatoria ſuæ ſancti Bogumili vitæ ad præfatum Matthæum-Johannem Judicki, in honorem ſanctiſſimi archiepiſcopi altare erexit, plurimoſque Chriſto lucratus milites, baptiſmi & confirmationis charactere inſignivit patrocinio ſancti Bogumili devotos. Si quæ nobis ex Polonia tranſmittentur ampliora monumenta propagationis cultus ejuſdem ſancti archiepiſcopi, ſuis locis in medium proferemus.

ANN. CHR. 1189.

XXIX. Moniales S. Chriſtinæ Tarviſii prohibitæ ædificare monaſterium novum intra urbem.

MONIALES ſanctæ Chriſtinæ, quæ ſedem ſuam fixerant extra urbem Tarviſinam, defuncta ipſarum prima abbatiſſa, & in eadem eccleſia humata (ignoramus qua de cauſa) veterem eccleſiam hoc anno deſtruxerunt, & abbatiſſa exhumata eam intra muros civitatis tumularunt, erigentes in loco minus idoneo novam eccleſiam, & epiſcopi diœceſani Tarviſini conſenſu minime petito, *neque adtendentes*, ut ait Clemens III. Rom. pont. *quod nullus ſine epiſcopi & canonicorum licentia, ſalvis Romane eccleſie privilegiis, valet in aliena parochia eccleſiam fabricare*. Ea de cauſa *die ſabbati* II. *exeunte februario indictione* VII. hoc eodem anno Warnerius Tarviſinæ eccleſiæ canonicus nomine ſuo & aliorum canonicorum interdixit præfatis ſanctimonialibus ex parte Domni apoſtolici, hoc eſt Clementis III. & ex parte Gothefredi Aquilejenſis patriarchæ, & Conradi Tarviſini epiſcopi, ne de cetero divina officia celebrare deberent in territorio Tarviſini epiſcopatus, nec ibi, ubi venerant, divina peragere, videlicet in terra, quam receperant a Moſcardino medico non longe a Sili flumine, quod vocabatur Cagnanum, nec aliquo modo eccleſiæ ædificationem proſequerentur, ipſarumque abbatiſſam, quam ibidem depoſuerant, deportarent, ubi primitus tumulata fuerat. Literas inhibitorias hac ſuper re confectas a Warnerio canonico ſuſcepere moniales, ſed eas ſibi legi renuerunt. Quare canonici Tarviſini apoſtolicam ſedem poſtularunt, & Clemens III. XV. *die aprilis pontificatus* ſui *anno* II. ex Laterano commiſit Piſtori, qui ex priore monaſterii ſanctæ Mariæ ad Carceres tunc erat epiſcopus Vicetinus, per apoſtolica ſcripta, quatenus ſollicitus veritatem inquireret, & auctoritate apoſtolica, quæ præſumpta fuerant, emendaret. Evocatæ itaque fuere circa medietatem menſis julii moniales ad jus dicendum coram Vicetino epiſcopo, quæ procuratorem ſuum inſtituere quemdam Martinum. Inter moniales Tarviſinas potiſſimum nominantur Sophia & Juditha. Sanctimonialis Sophia nomine reperitur abbatiſſa ejuſdem parthenonis ad annum 1214. Aliquot hujus cauſæ chartæ leguntur in tabulario canonicorum Tarviſinorum, quas produximus in Appendice ad vitam ſancti Pariſii, rurſuſque edimus ad Appendicem hujus tomi ad facti illuſtrationem. Quis autem finis fuerit hujus cauſæ, ex paginis ignoratur; ſed moniales recentem intra muros urbis locum dereliquerunt, novumque ſibi aſceterium condidere extra & prope muros urbis ſecus flumen Butinicæ, quod incolere perſeverarunt uſque ad dimidium ſeculi XIV., quo tempore novam ſibi habitationem, ſolo æquata veteri, intra mœnia urbis conſtituere in loco, quem etiam modo incolunt.

XXX. Clemens III. dat reformandum Avellanenſibus monaſterium S. Victoris.

IDEM Romanus pontifex XVI. *die martii pontificatus* ſui *anno* II. ex Laterano bullam conceſſit priori Fontis-avellanæ, qua ipſi ejuſque fratribus dedit liberam diſpoſitionem & ordinationem monaſterii ſancti Victoris cum pertinentiis ſuis, quod ad ipſos ſpectabat, quodque in ſpiritua-

Ann. Chr. 1189.

libus & temporalibus erat tunc temporis valde deformatum, salva sedis apostolicæ auctoritate & canonica justitia diœcesani episcopi. Ubi-nam foret monasterium hocce nos latet, cum in Innocentiano anni 1139. & in Honoriano anni 1218. privilegiis inter monasteria Font-avellanensi subjecta, nullum recenseatur sancti Victoris monasterium, nisi forte fuerit illud sancti Victoris de Clusis in comitatu Camerinensi, de quo frequentissime egimus in his Annalibus, haud multum distans ab eremo Fontis-avellanæ, quod per hos dies susceperit reformationem monachorum Avellanensium. Perfectus erat adhuc cœnobii hujus sancti Victoris de Clusis abbas.

XXXI. Consecratio ecclesiæ S. Mariæ ad Carceres.

Consecrata fuit hoc anno & dotata ecclesia sanctæ Mariæ de Carceribus per Gothefredum Aquilejensem patriarcham, Gerardum Paduanum, Pistorem Vicetinum & Gerardum Bellunensem episcopos, ut addiscimus ex sequenti monumento, quod ex veteri ejusdem monasterii regesto existente apud patritios Venetos viros Carminatos publici juris primum fecit Muratorius in antiquitatibus Estensibus [a].

a Par. I. pag. 356.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno a nativitate ejusdem millesimo centesimo octuagesimo IX. *die lune, qui fuit* V. *exeunte mense martii indictione* VII. *apud sanctam Mariam de Carcere. Cum consecratio ejusdem ecclesie beate Marie de Carcere per domnum Gotefredum Aquilegensem patriarcham, & per Gerardum Paduanum episcopum, & per Pistorem Vicentinum episcopum, & per Gerardum Bellunensem episcopum facta fuisset, & cum predictus patriarcha literaliter sapienter predicasset, & post eum predictus Gerardus Paduanus episcopus maternaliter ejus predicationem explanasset, & populum ibi stantem admonuisset, adessent cum eis presbyter Inrigatius canonicus Paduanus, & domnus Vitalianus Paduanus archidiaconus, Ubertinus de Marostica & Zanbonus canonici Paduani, Balduinus archipresbyter sancti Fidentii, Henricus Estensis archipresbyter, Johannes presbyter de Barbarano, Gandulfus presbyter de Montagnana & multi alii sacerdotes & clerici. In primis domnus Gotefredus Aquilejensis patriarcha donationem fecit jam dicte ecclesie sancte Marie de Carcere omni anno, donec vixerit, decem librarum Venete monete, & domnus Gerardus Paduanus episcopus donationem irrevocabilem fecit eidem ecclesie totam decimationem omnium novalium de Baone, tam que nunc sunt, quam que pro temporibus fuerint, tam in terra, quam in palude, & hanc donationem habeat semper predicta ecclesia, & suam voluntatem, & utilitatem ministeriales illius loci in perpetuum faciant. Et domnus Pistor Vicentinus episcopus donationem fecit inrevocabilem eidem ecclesie ad habendum in perpetuum quinquaginta libras olei, vel tot olivas, unde tantum oleum possit haberi. Et domnus episcopus Bellunensis donavit eidem ecclesie in vita sua duos caseos tales, quod una equitatura sit exinde honerata. Et marchio Opizo donavit eidem ecclesie pro anima sua mansum unum, ubi sibi utilem & congruum visum fuerit; & ipsemet marchio una cum communi de Este donavit ei in perpetuum pasculum & capulum in pertinentia de Este, & de Gazolo & de Vigizolo. Et Lambertus, & Odo de Menegelva omnem donationem fecerunt inrevocabilem eidem ecclesie per proprium petiam unam terre aratorie, que est juxta villam Gazoli, & juxta vites Johannis de Adeleita, ab utroque latere viam sancte Marie, & preceperunt, ut dicta ecclesia sit in tenutam & per proprium possideat. Hec omnia fuerunt predicto loco. Testes Bonifacius Bonizonis, & Carllaxarius de Este, Cavorcius & Conetus Montis scilici, Gnanfus Padue, Girardus & Albertus de Roca, Brianus de Montagnana, Benzo & Inrigetus de Urbana fuerunt ibi testes & multi alii.*

Ego

> ANN. CHR. 1189.

Ego Gerardus sacri palatii & domini Frederici imperatoris notarius omnibus predictis interfui, & jussu predictorum donatorum omnia predicta scripsi.

In parvo tamen necrologio ejusdem monasterii consecratio ecclesiæ ponitur sub die XXVII. mensis februarii.

> XXXII. Chartæ Bononienses, Camaldulenses & Decianenses.

POST Adelasiam abbatissam parthenonis sanctæ Christinæ de Septem-fontibus in territorio Bononiensi, cujus mentionem fecimus ad annum 1156. quæque legitur in chartis etiam anni 1158. Scholasticæ abbatissæ nomen apparet ab anno 1163. XII. kalendas februarii usque ad annum 1180. Hoc postremo anno mense septembri nomen apponitur Mariæ abbatissæ. Rursus reperitur Scholastica eadem vel alia IX. kalendas augusti anni 1181. usque ad XVII. kalendas aprilis anni 1184. Mense octobri anni 1184. Euphrosyna, dicta etiam Frigina & Fresonia, abbatissa legitur usque ad annum 1201. XIII. kalendas junii. Huic postremæ abbatissæ Gerardus Ghisella electus Bononiensis antistes anno præcedenti in locum Jacobi episcopi, hoc anno confirmavit omnia bona ejus monasterii, quidquid comes Ubaldus & ejus uxor Julitta cœnobio dedere, quidquid obtinebat asceterium de jure Bononiensis ecclesiæ in curiis Ultiani, Monterligi, Septem-fontium, Clagnani, Medicinæ & castri de Britis. Insuper omnia, quæ ecclesiæ sanctæ Christinæ largita fuerat Beatrix comitissa. Sepulturam quoque loci liberam decrevit. Autographum privilegium edimus ex tabulario sanctæ Christinæ de Bononia, ex quo adhuc pendet funiculus sericus.

Ex indicibus Fontis-boni elaboratis a Baroncinio habemus [a] hoc anno XV. julii Henricum VI. Italiæ regem regia auctoritate indulsisse fratribus sancti Salvatoris in eremo Camaldulensi, ut nullus infra unum milliare a superiori eorum ecclesia, quæ in eremo sita est, aut ab inferiori monasterio, nimirum Fontis-boni, munitionem erigere, aut villam cujuscumque quantitatis auderet ædificare de novo sub pœna librarum decem auri. Datum apud Agennovum. In excerptis autem monasterii Decianensis ab eodem Baroncinio confectis legimus hoc eodem anno Bono abbati Decianensi a quodam Conclese oblatas fuisse terras pro peccatis suis, qui pro launechid accepit orationes fratrum; Rainerium autem Castellanum episcopum ob hanc oblationem condonasse eidem Conclesi carcerem, qui eidem propter peccata sua injunctus fuerat.

> a S. Amissæ 235 A. 242.

> XXXIII. De prioribus Avellanensibus hujus temporis.

THEOBALDI sive Thebaldi prioris eremi Avellanensis nomen in chartis ejusdem loci legitur usque ad annum 1181. Quare alterum ejusdem nominis credimus a Theobaldo priore, episcopo inde Eugubino, qui etiam privatam vitam ad plures annos agens demum ad Jaderensem archiepiscopalem sedem translatus est ab Alexandro III. anno 1177. ut vidimus. Theobaldo II. in prioratu Avellanensi suffectus fuit Philippus, cujus nomine paginæ notantur ab anno 1181. ad annum 1186. Sub hoc præsenti anno 1189. prior dicti loci erat Marcus, cujus nomen perseverat usque ad annum 1195. mense junio, quo anno, succedente sibi in prioratu Alberico, electus fuit episcopus Eugubinus, ut docte probat Sartius noster contra Ughellium, qui Marcum ad Eugubinas infulas vocatum anno 1193. scribit. De Marco Eugubino episcopo alius erit dicendi locus, sicut etiam videantur ea, quæ ad annum 1168. attulimus de Johanne per hæc eadem tempora Avellanense priore.

Ex archivo monasterii Rosæ Senarum habemus venditionem factam hoc anno Berthæ abbatissæ sanctæ Mariæ de Toma, assentiente priore eremi ad Vivum. Actum apud Montem-lucinum manu Angeli quondam Jacobi notarii. Jacobus autem abbas sancti Severi in Classe, & Henrici successor legitur in charta emphyteutica monasterii sancti Apollinaris in Classe, sub die V. martii.

Ann. Chr. 1190.

XXXIV. Obitus Theobaldi archiep. Jaderensis.

a Pag. 141.

PERVENIT ad hæc summum tempora Theobaldus Jaderensis archiepiscopus; refert enim Lucius [a] chartam scriptam præsenti *anno Dominice incarnationis* M. C. LXXXX. *mense junii*, *die sanctorum Johannis & Pauli*, *indictione* VIII. *Jadere*, *temporibus domini nostri Bele Dei gratia invictissimi regis Hungarie*, *Dalmatie*, *Croatie*, *Rame*, *necnon Calatie*, *& Petri Jadertine sedis venerabilis archielecti*, qui Theobaldi locum repleverat. Porro toto regiminis Theobaldi tempore viguit Jaderensium discordia, qui obedientiam & subjectionem detrectabant exhibere patriarchæ Gradensi contra mandata Alexandri III. Lucii III. & successorum Romanorum pontificum; quæ eousque processit, ut a Venetis etiam ducibus Aurio Maripetro, & Henrico Dandulo requisiti, quod præsulem suum Gradensi patriarchæ obedientiam præstare permitterent, exequi renuerint, rebelles jam quater effecti, urbemque suam protectioni Belæ regis III. Hungariæ subdentes. Quæ demum discordia sopita fuit temporibus Innocentii III. Venetis denuo Jaderam subjugantibus.

Miratur Sartius scriptorum complurium bonam fidem, qui Theobaldum archiepiscopum Jaderensem Beati immo & Sancti titulo ornatum volunt; quorum aliqui sanctum ejus corpus in cathedrali Eugubina ecclesia, cujus fuerat episcopus ante translationem ad Jaderensem, religiose adservari subdunt, atque ut annum ipsius emortualem assignant eum fere, quem Ughellius adstruit, nempe 1170. ita & ejus obitum in diem vigesimam februarii conjiciunt. Inter quos totus est Jacobillius in extollenda ipsius sanctitate, quam non ex alio fonte haurit, nisi quod Theobaldus scriptis tradiderit vitam sancti Ubaldi antecessoris sui. Quibus reponit Sartius nullum Theobaldo cultum Eugubii adhiberi, nullam ipsius corporis memoriam extare, nullas tabulas, nullum monumentum, nullumque idoneum auctorem occurrere ad ejus sanctitatem comprobandam; idque unum verissime posse de Theobaldo dici, dignum ipsum judicatum fuisse a sancto Ubaldo, qui ei in episcopatu succederet; cur enim tam sæpe affirmasset Ubaldus eum recturum esse ecclesiam Eugubinam, nisi tali eum munere dignissimum putaret? Quæ omnia asserit Sartius, etiamsi in dubium revocaret aliquis, an unquam Theobaldus ex Eugubina ad Jaderensem ecclesiam fuerit evocatus. Si vero solidæ sint conjecturæ de ipsius translatione ab una ad alteram ecclesiam, honorem sepulcri profecto in hac postrema ecclesia obtinuit. Anne, qui Theobaldo sanctitatis laudem tribuunt, ipsum confundunt cum Theobaldo seu Theudaldo altero episcopo Eugubino, quem pariter faciunt Avellanensem monachum, quique vixit seculo antecedenti temporibus sancti Petri Damiani? Sed æque incertum est, an huic sanctitatis elogium sit concedendum.

XXXV. Et Johannis abb. Galeatensis.

DECESSIT pariter hoc anno Johannes abbas monasterii sancti Hilari de Galeata, de quo hæc leguntur in necrologio ejusdem loci: *Idus septembris obiit Johannes venerabilis abbas hujus loci. Millesimo* C. *nonagesimo*. Indoctus monachus scriptor hujus partis necrologii hos versiculos in laudem Johannis subjunxit.

Abbas hic primus Galiate non bene scimus,
Tam dominus dicit se hierarchis quamque benignus,
Scribere dextra nequit bona, que pater ille peregit.
Virgilius, nec Homerus, Tullius atque Aesopus
Phrygiorum primus, Demosthenes talis habetur.
Ut brevius dicam, mortalis, nullaque lingua.
Plus utinam tempus dominum Galeata preesset.

Quem

Quem genuit dominum tenuit, nequitque ....
Cunctisque potentibus ....
....

ANN. CHR. 1190.

Porro patet quam inepte dubitaverit scriptor, an Johannes fuerit primus Galeatensis abbas, cujus loci & abbatum monumenta ad seculum octavum supersunt. Successit Johanni Suavizzus, de quo ad annum 1194.

XXXVI. Moniales S. Christinæ extra urbem Tarvisii monasterium condunt. De Parisio monacho.

PROHIBITÆ moniales Tarvisinæ prosequi ædificationem novi asceterii intra urbem, aliud hoc anno extra mœnia construxerunt sub titulo & invocatione ejusdem sanctæ Christinæ in campo, quem ipsis dono dedit *anno* M. C. XC. *die* V. *februarii*, manu Noe notarii, Johannes Ordelaffus, qui pro utilitate animæ suæ locum obtulit eremo Camaldulensi, ut extructioni parthenonis inserviret, alias proprietas loci devolveretur denuo ad donatorem suosque hæredes. Conradus postea episcopus Tarvisinus die III. martii monacho Camaldulensi Ariano copiam fecit tamquam eremi procuratori ædificium construendi, concessitque primarium lapidem pro fundatione ecclesiæ, ut colligitur ex chartis tabularii Fontis-boni, manu Rollandi notarii, ex quibus emendatur Fortunii narratio. Johannis Ordelaffi meminit Bonifacius [a] in historia Tarvisina, asserens ipsum unum fuisse ex iis Tarvisii civibus, qui anno 1183. tractatum habuere de expellendo Eccellino a Romano ab urbe Tarvisina. In vita sancti Parisii egimus de primis sanctimonialibus hujus asceterii, quas verisimiliter putavimus deductas ab homonymo Bononiensi seu Septem-fontium monasterio sanctæ Christinæ; sicut etiam egimus de Parisio, quem eadem veri specie ante hunc annum, & *statim* ac deducta fuit sacrarum virginum colonia, nempe anno 1186. misit Placidus generalis prior Tarvisium ad ipsarum regimen. Cum enim centum & sexdecim annos ætatis æquaverit Parisius, anno autem 1151. in lucem venerit & anno 1267. obierit, & cum alia ex parte Nicolaus Malerbius abbas Camaldulensis antiquior scriptor, qui de Parisio egerit, octuaginta ei annos tribuerit in officio confessarii earumdem monialium, id declarat ipsum anno 1186. vel 1187. non anno præsenti missum fuisse Tarvisium. Eamdem ætatem & durationem in officio Parisio tribuit Bonifacius [b] in historia Tarvisina. Idipsum confirmant duæ veteres lapideæ inscriptiones, altera aureis characteribus in ipsius ecclesia existens, altera locata in xysto asceterii ejusdem Sancti in urbe Tarvisina, quarum prima hæc habet:

[a] *Pag.* 135.

[b] *Pag.* 225.

BEATI. PARISII. MONACHI. ORDINIS. CAMALDVLENSIS. QVI. LXXX. ANNIS. HOC. MONASTERIVM. OPTIME. REXIT. VIXITQVE. ANNIS C. XVI. ATQVE. ANNO. SALVTIS. M. CC. LXVII. DIE. IVNII. XI. SPIRAVIT IN. DOMINO. SANCTISSIMVM. AC. CLARVM. MIRACVLIS. CORPVS HAC. IN ARCA. QVIESCIT.

altera vero:

B. PARISIVS. CAPPELLANVS. CLAR. MVLTIS. MIRACVLIS. TEMPORE DOMINI. ALBERTI. EPISCOPI. TARVISINI. REXIT. HOC. MONASTERIVM PER. LXXX. ANNORVM. CVRSVM. VITAE. EIVS. ANNI. FVERE. C. XVI. ANNO. SAL. M. CC. LXVII. XI. IVNII. OBDORMIVIT. IN. DOMINO QVIESCIT. ETIAM. CORPORE.

De Parisio, dum Bononiensis sanctorum Cosmæ & Damiani, vel etiam sancti

Ann. Chr. 1190.

ſancti Michaelis de caſtro Brittorum monaſteriorum eſſet accola, hæc leguntur in rythmo confecto, ut dicitur, anno 1347. die III. octobris a Galgano Braggia Bononienſe ordinis fratrum ſanctæ Mariæ de Ulmareto, tempore quo urbs Bononienſis peſtis flagellum pertimeſcens preces ad Deum, ad beatam Virginem, Sanctoſque tutelares fundebat pro excidio deprecando.

Age, ac tu nos protege cohors ſancta Camalduli,
PARISIE *dico, cœnobita magne, virginumque*
Ductor inclyte, apud quem nos tuis ac iiſdem
Commendatos facimus concinne Pſalmo
Exaratis precibus, quibus cum viveres adhuc
Rogatum voluiſti Deum, ex Te, tuiſque ut pelleret
Ærumnas forte noſtris longe minores.

Tributur in hoc rythmo Pariſio compoſitio pſalmi, ſtatuiturque tempore ipſius incolatus Bononienſis flagellum peſtis deſæviiſſe. Verum hæc doctiorum conſenſu fabulis ſunt accenſenda, & integer rythmus commentum eſt noſtri ſeculi. Extat etiam in necrologio parthenonis ſanctæ Chriſtinæ de Bononia ipſius effatum, niſi ſit, ut ſuſpicamur, aliud commentum poſterioris ætatis: *Qui vult eligi, non eligitur a Domino, ipſe enim ait: ego elegi vos &c., quare ambitu peccat, qui de ſe præſumens nititur eligi, & Dominus per Samuelem David elegit, quem contempſerat vel neglexerat Iſai pater ſuus, quia viæ meæ non ſunt ſicut viæ veſtræ, dicit Dominus. Væ ergo eligi nitentibus* &c.

XXXVII. Chartæ ad varia monaſteria ſpectantes.

TERTIUS abbas monaſterii ſanctæ Mariæ Vallis-umbroſæ conſenſu monachorum ſuorum tradidit hoc *anno* M. C. XC. *tertio nonas maji indictione* VIII. Ildebrando priori cœnobii ſancti Salvatoris de Camaldulo Florentino ſiti prope Arni fluvium permutationis nomine aliquot terras, ſpondens ſe permutationem præfatam obſervaturum *ſub obtentu Domni apoſtolici, & domini imperatoris, & regis Enrigi, & poteſtatis Florentie*. Subſcripſerunt poſt Tertium abbatem, Hieronymus abbas ſanctæ Trinitatis de Florentia (huic extat apud Ughellium Lucii papæ III. diploma datum anno 1183.), & Martinus abbas Pergamenſis, hoc eſt monaſterii Bergomenſis de Aſtino, aliique Vallumbroſani monachi, quam paginam edimus ex tabulario ſanctæ Mariæ Angelorum de Florentia.

„ Placidus [a] abbas Inſulanus, & patroni eccleſiæ ſancti Paterniani de
„ Ferraciano, interpoſitione Martini prioris Camaldulenſis, convenerunt,
„ ut præfatus abbas deberet ordinare & deſtituere monachos & conver-
„ ſos in dicta eccleſia ſancti Paterniani, & illi de Ferraciano in futurum
„ annuatim tenerentur prædicto abbati & ejus ſucceſſoribus aut eorum
„ nunciis præſtare tres albergarias cum duabus perſonis, & nihil amplius
„ ex debito annuatim dare; abbas autem dare quatuor ſtaria frumenti
„ vel octo ſalis ad libitum ipſorum de Ferraciano; manu Arardi no-
„ tarii. “

In charta Fullinatis monaſterii [b] ad hunc annum mentio fit filiorum Gabrielis de Camino, qui filius erat Vecellonis primi hujus nominis, quique ante præſentem annum ſupremum jam diem obierat, ut ex aliis chartis tum ejus monaſterii, tum Tarviſinis ſit exploratum. Nominatur ipſe Gabriel inter teſtes in diplomate Friderici I. imperatoris pro monaſterio Carcerum ad annum 1177.

a §. Promiſſio 67. A. 2. 2.

b Num. 89.

OBIE-

OBIERAT die decima junii anni elapsi aquis præfocatus in Oriente Fridericus imperator, dum expeditionem Jerosolymitanam tentabat; quare diplomata reliqui ejus anni & sequentium solius Henrici regis nomine signantur. Clemens pariter III. Romanus pontifex die XXVIII. martii hujus anni vitam cum morte commutans locum fecerat Hiacyntho Bobonis cardinali octuagenario majori, qui nomen assumpserat Cœlestini III. Is apud sanctum Petrum præsenti *anno pontificatus* sui *primo kalendis julii* priori Camaldulensi Martino confirmavit jus parœciale, quod ecclesia sanctæ Margaritæ de Tosina per quadraginta annos tenuerat inconcusse, ratas quoque habens donationes seu concessiones, quas patroni vel alii fideles juste fecerant, decimas etiam & alia jura ejusdem ecclesiæ. Quæ bulla extat in tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, ex qua pendet sigillum plumbeum cum literis: *Celestinus papa* III. — ANN. CHR. 1191. XXXVIII. CœlestinusIII. confirmat jus parœciale S. Margaritæ de Tosina Camaldulensibus.

In altera bulla, qua idem Cœlestinus roboravit hoc anno Theobaldo episcopo Clusino ejus ecclesiæ bona & jura, inter cetera suscepit sub protectione apostolica eremum de Vivo, monasterium sancti Petri in Campo, plebem & curtem sanctæ Floræ de Noceto. Extat ipsa in Antiquitatibus medii ævi Muratorii [a].

EX archivo autem capitulari Lucensi aliam in Appendice proferimus, qua idem Romanus pontifex III. *nonas decembris pontificatus* sui *anno primo* abbati majoris monasterii Florentini dedit in mandatis, ut curaret bona alienata & distracta monasterii de Puteolis Camaldulensis ordinis Lucanæ diœcesis revocare. *Bulla* data est Neapoli. Facile Cœlestinus III. Neapolim se contulit circa finem hujus anni, ut regnum Siciliæ Tancredo regi firmaret contra jura prætensa ab Henrico VI. rege. Nisi potius hæc bulla pertineat ad Cœlestinum. V. & ad annum 1294. quo hic postremus mense decembri erat Neapoli, & ubi post paucos dies pontificatus Romani onus deposuit, cum deperditum sit sigillum plumbeum. Pertinet vero ad hæc tempora facultas concessa ab Henrico comite Piscienſi abbati ejusdem cœnobii Puteolensis claudendi viam quamdam, quæ ducebat ad molendinum ejusdem abbatiæ, sub pœna viginti marcarum argenti contravenientibus, quarum medietas abbatiæ, altera curiæ Pisciæ solveretur, ut testatur Puccinellius in memoriis Piscienſibus, [b] qui etiam describens ecclesias ejusdem Piscienſis oppidi sive urbis, ad ecclesiam seu confratriam sanctæ Mariæ Magdalenæ narrat [c] veterem traditionem esse fuisse eo loci abbatiam ordinis sancti Benedicti, sive hospitium abbatiæ sancti Petri de Puteolis, & monachos locum deserentes ibidem reliquisse imaginem Crucifixi ex cedro compactam, erga quam maximam urbs servabat ejus scriptoris tempore venerationem. Scribit etiam Sebastianus Donatus pereruditus sacerdos Lucensis in libris Diptychorum, quos edidit, anno 1747. in cœmeterio abbatiæ Puteolensis in agro Lucano repertam fuisse alteram ex metallo imaginem Redemptoris nostri, qui quatuor clavis affixus visitur cruci gemmatæ, & gestat coronam radiatam in capite, super quod manus extenta porrigitur. Albertum abbatem dicti monasterii ad annum M.C.XCIII. *sexto-decimo kalendas decembris indictione undecima* profert nobis pagina tabularii cœnobii sancti Pontiani ejusdem urbis. — XXXIX. De monasterio S. Petri de Puteolis Lucæ.

EODEM demum anno Cœlestinus sub suo & apostolicæ sedis munimine recepit monasterium sancti Donati de Polpiano Avellanensi cœnobio subjectum, & Rainerium ipsius abbatem. Nominantur in bulla castra & ecclesiæ, in quæ jus obtinebat idem monasterium; castra nimirum Collis-Palumbi, sancti Angeli, sancti Marcelli, Jonicum, Gagianum, Piscinale, Majolum & Majolettum; ecclesiæ autem sancti Feliciani & sancti Bartholomæi — XL. Confirmata bona monasterii S. Donati de Polpiano Avellanensibus a Cœlestino III.

[a] T.VI.col.421.
[b] Pag. 329.
[c] Pag. 344.

ANN. CHR. 1191.

lomæi in Petrorio, sancti Salvatoris in monte Bencio, sancti Salvatoris in monte Eugubino, sanctæ Mariæ in Valle, sanctæ Mariæ in Passinis, sancti Justi in Palviculo, sanctæ Crucis in Rusuola, sancti Leonardi, sanctæ Orbicæ, sanctæ Mariæ-novæ, sancti Johannis de Orsiniano, sancti Angeli in Perla, sancti Johannis de Valle Appona, sancti Angeli in colle Molinaro &c. Anno 1163. Fridericus in suo imperiali diplomate præter has ecclesias nominaverat ecclesiam sancti Christophori in Simoncello, dimidiam ecclesiam sancti Andreæ in Calcinario, sancti Victoris & sancti Andreæ in civitate Eugubina. In territorio ejusdem urbis ecclesias sancti Christophori, sancti Martini, & sancti Johannis, & tertiam partem ecclesiæ sanctæ Mariæ in Fossis, ecclesiam sanctæ Mariæ in Persalsis, castrum collis Palumbi in Vaccaria, ecclesias sancti Martini & sancti Paterniani, castrum Jonicum cum duabus partibus castri Turris cum ecclesiis & pertinentiis suis. In Valle ecclesiam sanctæ Mariæ in monte Urbino, ecclesias sancti Johannis, sancti Simonis, & sancti Petri. In castellis sancti Petri, ecclesiam sancti Simonis & dimidiam partem ecclesiæ sancti Salvatoris. In Collechia castrum Piscinali cum sua curte & cum bonis in territoriis Fanensi & Monte-feretrano existentibus; item quartam partem montis Majoli. In comitatu Nucerino ecclesiam sanctæ Crucis, medietatem plebis Compresseti, ecclesiam sancti Christophori de colle Tacconis. De his diximus ad annum 1131. In comitatu Camerino ecclesiam sancti Donati. In Pethis ecclesiam sanctæ Mariæ ad Saxum. Monasterium sancti Donati demum seculo XIV. datum fuit incolendum monachis congregationis Montis-oliveti. Videatur Secundus Lancellottus [a] in historia ejusdem congregationis ad monasterium sancti Petri de Eugubio, & Jacobillius [b] in Sanctis Umbriæ, ex quibus hæc decerpsimus.

a *Pag.* 307.

b *T. III. pag.* 312.

XLI.
Chartæ investiturarum factarum a Camaldulensibus.

MENSE martio [c] hujus anni „ Martinus præses generalis congregatio„ nis Camaldulensis cum consensu Martii prioris eremitarum & aliorum „ fratrum de Fonte-bono concessit vicecomitatum castri *Anglarii* & ejus „ curiæ Guidoni Monaldi, & Gulielmino de Roti, & Monaldo de Cor„ liano & Rolando filio quondam Ildebrandini. Item filiis Rainerii de „ Monte-acuto & filiis Martoli & Ingolo. Item comitibus de Monte-do„ lio filiis Guidonis. Item filiis Bernardini de Teuzo de Monte-hercule „ & nepotibus ac pronepotibus ejus, quartam singulis scilicet partem vi„ cecomitatus, pro quo ipsi promiserunt Martino & successoribus ejus, „ atque priori de Anglari fidelitatem & defensionem bonorum; sese in„ super obstrinxerunt nihil empturos in præfato castro sine prioris licen„ tia, & vicecomitatum non divisuros, sed unum ex ipsis annualiter præ„ ficiendum ad administrationem, neque translaturos ad alium, sed si aliquis „ ipsorum decesserit sine hæredibus, partem illius reversuram ad eremum.

c §. *Invalidæ* 22. *A.* 2. 1.


„ Die XI. februarii [d] ejusdem M. XCI. sed rectius anni sequentis, usur„ pato anno Florentino, Henricus VI. rex confirmavit ex urbe Bononia, „ ratasque habuit hujusmodi conventiones, statuens, ut si quis eas infre„ gerit, mulctaretur pœna quinque librarum auri, præter pœnam in in„ strumento comminatam.

d §. *Ibid.* 23. *A.* 2. 2.

„ Mense autem novembri hujus anni [e] Matthæus & Guillelminus fra„ tres filii Rainerii de Galbina refutarunt pro se & pro fratre eorum Al„ berto absente, eidem Martino priori jus, quod habebant, vel spera„ bant habere in castrum Anglaris ejusque curtem pro vicecomitatu, „ quem Placidus prior Camaldulensis eisdem concesserat anno 1187. pro „ qua refutatione & renunciatione receperunt a præfato priore Martino „ libras quingentas; manu Boni notarii. “ Hæc exscripsimus ex summariis Fontis-boni confectis a Baroncinio.

e §. *Renuntiatio* 60. *A.* 2. 5.

AN-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-QUINTUS.

Ab anno CHRISTI M. C. XCII. *ad annum* M. CC.



CŒLESTINUS III. Romanus pontifex ex archivo Fontis-boni [a], petentibus Petro cardinale diacono sanctæ Mariæ in Via-lata aliisque patronis monasterii sanctæ Jucundæ de Obacula, quod erat prope castrum sancti Miniatis, vulgo appellatum *al Tedesco*, literis suis mandavit hoc *anno die* VI. *junii pontificatus sui secundo* Martino priori Camaldulensi & Rustico præposito urbis Senarum (archipresbyter appellatur ad annum 1194. in controversia, quam habuit cum rectore hospitalis Senarum) ut accedentes ambo ad dictum monasterium, amotis sanctimonialibus in illo residentibus, monachos Camaldulensis instituti auctoritate apostolica inducerent, & si quas ibi remansisse moniales contigerit, præcepit, ut in locis congruis collocarent. *Datum Rome apud sanctum Petrum anno secundo.* „ Rusticus itaque die vigesima-secunda junii hujus an„ni tamquam alter ex delegatis pontificis cum consensu & voluntate „ Soffredi diaconi cardinalis sanctæ Mariæ in Via-lata, & aliorum patro„norum ejusdem monasterii, videlicet Rainonis quondam Henrigi, & „ Vacchari quondam Soffredi, & Palti quondam Fralmi dedit, & con„cessit atque investivit Martinum priorem Camaldulensem pro ipsa ere„mo recipientem de præfato monasterio ejusque rebus omnibus & pos„sessionibus suis, ut ordinet & disponat juxta consuetudinem Camaldu„lensem, ut regatur & tractetur per fratres Camaldulenses; quod mo„nasterium nimia relaxatione muliebris sexus per abbatissas & moniales „ ad defectum honestatis, religionis, & tam spiritualium, quam tempo„ralium bonorum dissolutionem devenerat; quam concessionem sequenti „ mense julio die vigesima-sexta Rainaldus quondam Fralmi unus ex pa„tronis veniens ad præfatum monasterium ratam habuit & confirmavit; „ manu Clerici notarii; " ut legitur in excerptis [b] Baroncinii. Rursus „ ex tabulario Fontis-boni [c] *die vigesima-quarta augusti* Cœlestinus scribens abbati & fratribus ibidem institutis confirmavit reformationem fa-

ANN. CHR. 1192.

I. Monasterium S. Jucundæ de Obacula datur reformandum Camaldulensibus.

a §. *Brevia* 3. *A.* 2. 8.

b §. *Investitura* 17. *A.* 2. 10.
c §. *Brevia A.* 2. 11.

Ann. Chr. 1192.

ctam loci per monachos Camaldulenses exactis monialibus, quarum dissolutione maximam in spiritualibus & temporalibus diminutionem passus fuerat, & ipsius mandato sollicite peractam a Rustico Senensi præposito approbavit institutionem, scriptique sui patrocinio communivit. *Datum Laterani anno secundo*. *Tertio autem kalendas aprilis* anni sequentis ex chartulario capitulari Lucensi, literis datis episcopo Lucano, capitulo ejusdem ecclesiæ, & priori Camaldulensi significavit se ex translatione monialium, & ex introductione Camaldulensiumo, ac ex permutat ordine in ecclesia sanctæ Jucundæ nullo modo intellexisse ecclesiam Lucanam quamlibet pati debere sui juris vel honoris diminutionem, prohibens iccirco priori Camaldulensi, ne quomodolibet auferret jus, quod in ecclesiam præfatam competebat episcopo vel canonicis Lucanis, sed eis conservaret illibata & inconcussa omnia. Et ne ulla suboriretur discordia, renovavit literas eidem episcopo ejusque canonicis, ut quam hactenus actionem in dictam ecclesiam obtinuerant, irrefragabiliter de cetero tenerent. *Datum Rome anno secundo*; scilicet ea ipsa die trigesima martii, seu III. kalendas aprilis anni sequentis complebat Cœlestinus secundum sui pontificatus annum. Confirmata fuit exemplo Cœlestini III. hujus monasterii reformatio facta per Camaldulenses ab Innocentio III. *anno* M. C. XCVIII. *die* XII. *decembris anno pontificatus* sui *primo*. Petrus S. R. E. cardinalis patronus monasterii sanctæ Jucundæ idem est ac Soffredus, ut perspicue in chartis Camaldulensibus effertur, patria Pisanus, & clarus per hæc tempora ob varias legationes in Orientem ipsi demandatas; non vero Petrus Capuanus, qui hoc eodem anno a Cœlestino III. cardinalis creatus eamdem diaconiam sanctæ Mariæ in Via-lata obtinuit post translationem ejusdem Soffredi ad alium titulum. Non enim ad Petrum Capuanum, sed ad Soffredum jus pertinere poterat in monasterium Pisanæ patriæ suæ vicinum; episcopus autem Lucensis erat Guilielmus de domo Roffredi. Aliqua deinceps de monasterio sanctæ Jucundæ, vulgo *santa Gonda*, proferemus monumenta. Quoad appellationem monasterii sanctæ Jucundæ *de Obacula*, reperimus in elencho reddituum ecclesiarum Lucanæ civitatis & diœcesis per Ubaldum plebanum de Lammari, Manuelem priorem de Tassignano, Rodulphum priorem sancti Johannis in Capite-burgi, Ildebrandum monachum sancti Georgii, & presbyterum Junctam capellanunn sanctæ Mariæ curtis Rolandinghæ confecto anno M. CC. LX. ex auctoritate papæ Alexandri IV. & Henrici episcopi Lucani, nominatam in plebatu de Fabrica post monasterium sanctæ Jucundæ ecclesiam sancti Andreæ *de Bacula*, qui propterea locus nomen dabat etiam monasterio sanctæ Jucundæ *in Obacula*.

II. Ædificatio eremi Buldronensis prope Florentiam.

Ad ejusdem Cœlestini pontificatus initia narrat Fortunius ædificationem eremi Buldronis in Florentino territorio, sed male refert ad Placidi præsidis generalis tempora, qui jam quatuor ante annos obierat. Historiam hujusmodi ædificationis ex ipso addiscimus, quæ est hujusmodi. „ Per ea tempora ædificata est eremus Buldronis extra Florentiam ad „ tertium lapidem ad radices montis Maurelli in loco, qui dicitur Ri„ vus-de-casa. Ejus exordia, uti ex traditione accepimus, & ex quodam „ apostolico diplomate collegimus, hæc fuerunt. Buldro quidam vir no„ bilis Gallus religionis ac voti causa Romam ad limina sanctorum apo„ stolorum cum uxore veniens sacras quasdam secum deferebat reliquias. „ Is cum Florentiam appropinquasset in loco, ubi cœnobium visitur, „ imaginem Christi Crucifixi, quæ secus viam in quodam parvo sacello „ honeste depicta erat, & ad ejus pedes sanctus Johannes evangelista, ac

„ sancta

„ sancta Maria Magdalena Domini funera lugebant, adoraturus & ora- Ann. Chr. 1192.
„ turus nonnihil constitit. Mox vero iter prosequi volens, repente se „ omnino immobilem factum esse cognovit. Itaque novitate rei, uti in „ repentinis casibus evenire solet, supra quam quisquam existimare pos- „ set, exterritus, judicioque conscientiæ exagitatus, se injuriam sacris „ Dei reliquiis tamdiu fecisse, quamdiu illas apud se habuisset (quod „ nefas sit a prophanis attrectari, & ex dispositione sanctorum concilio- „ rum ac canonum ne a religiosis quidem de loco ad locum impune mo- „ veri permittitur) se illic loci eas relinquere statuit. Porro locus ad „ cœnobium sancti Salvatoris Camalduli pertinebat. Cum enim sub ejus „ ædificatione sacra eremus nonnullis possessionibus prope Florentiam do- „ nata fuisset, beatus Rodulphus prior eas novo cœnobio in familiæ usus „ adjudicaverat. Tunc ergo Buldro Dei misericordia pristinæ redditus li- „ bertati ad Ildebrandum præpositum ac monachos Camaldulenses diver- „ tit, captusque loci ac congregationis veneratione, necnon sacræ eremi „ fama impulsus in sacrum montem adequitavit, ubi & eremitam age- „ re omnino disposuit. Cum vero conjugii lege id ex voto minime as- „ sequi posse videret, Florentiam ad uxorem reversus, recto itinere Ro- „ mam perrexit, votumque, pro quo in Italiam venerat, summa pie- „ tate exsolvit, ad pedesque domini papæ veniens, ut ædem sacram ibi „ sancto Johanni evangelistæ erigere sibi liceret, impetravit. *Datum Ro-* „ *mæ* XV. *kalendas aprilis anno* I. “ Quod quidem privilegium minime vidimus, sed pertinet ad præsentem annum, quo ea die martii adhuc perseverabat primus Cœlestini III. annus. Fallitur tamen Fortunius, dum sub regimine Rodulphi prioris Camaldulensis enuntiat ædificationem Camalduli Florentini, quod ædificatum fuit pluribus annis post ejus excessum tempore Martini prioris ipsius successoris sub finem elapsi, vel initiis præsentis seculi. Ildebrandum priorem hujus monasterii Florentini vidimus ad annos 1181. & 1187. & 1190. „ Reversus ergo Buldro, se- „ quitur Fortunius, cum uxore Florentiam, quidquid pecuniarum se- „ cum ex Gallia detulerat, in manibus Placidi prioris Camaldulensis po- „ suit. Dum vero delubrum ad memoratum sacellum erigitur, Buldronis „ conjux ex hominum vita demigravit. Buldro ergo inibi eremita factus „ ex suo nomine nomen loco venerabili sic reliquit, ut instituta ibidem „ post quinquaginta annos sacrarum virginum congregatio ad nostram us- „ que ætatem illud retineat. Porro Buldronis eremi delubrum sancto Jo- „ hanni evangelistæ dicatum est, tum ob pristinam loci religionem, tum „ etiam quasi ex quodam vaticinio futuræ sanctimonialium stationis *&c.* “ Hæc ne vera sint, an Fortunius ex incerta traditione hauserit, nos latet. Ex tabulario Fontis-boni scimus „ mense octobri anni sequentis die „ XXVIII. quemdam Buldronum Gherardini & Solapillam uxorem ipsius „ donasse Martino priori Camaldulensi aliquot domos & terras positas in „ pleberio sancti Stephani in Pane, & in parœcia sanctæ Mariæ de Lec- „ cio *alle Lepriccine*; manu Johannis Gallitti notarii; “ quæ erant prope locum, ubi ædificata fuit postea Buldronensis eremus. Divinare nolumus, an Buldronus donator fuerit idem ac Gallus ille nobilis, cujus insignem in eremo conversionem, & ab ipso factam mirabilem monasterii fundationem prædicat idem Fortunius. Inverisimile videtur peregrinum Gallum domos & terras possedisse prope Florentiam; has tamen emere potuit, donoque dare eremo. Exploratum illud quoque est eremum seu monasterium super terras & domos ipsas ædificatum fuisse his temporibus, nomenque ex donatoris nomine impositum eremi Buldronis, nam

 post

Ann. Chr. 1192.

post sex annos Innocentius III. inter loca subjecta eremo Camaldulensi in urbe Florentina vel in ejus territorio recenset eremum Buldronis. De Buldronensibus sanctimonialibus seculo sequenti dicemus, cum, ut mox ex Fortunio innuimus, primis quinquaginta annis eremus seu monasterium domicilium fuerit virorum eremitarum vel monachorum, in quorum locum introjerunt sanctimoniales.

III. CœlestinusIII. Amadeo ep. Arretino vetat, ne divexet Camaldulenses.

Demum die octava junii hujus anni mandavit idem Romanus pontifex Cœlestinus [a] episcopo Arretino Amadeo, qui occasione jurium paratæ, synodi & capituli ab antecessoribus ipsius ex quibusdam ecclesiis Camaldulensibus reservatorum, sacerdotes eorumdem fratrum & conversos gravibus exactionibus & excommunicationibus inquietaverat & subjecerat, prædictis reservatis haud contentus, mandavit nimirum auctoritate apostolica, ne ulterius eos molestare vel excommunicare, aut eorum ecclesias diris devovere præsumeret, quia specialiter Camaldulensia loca ad Romanam ecclesiam pertinebant, neque eorumdem fratrum injurias absque animadversione inultas relinquere deliberaverat. *Datum apud sanctum Petrum anno secundo.*

a §. *Brevia* 4. *A.* 2. 9.

Berardus Anconitanus episcopus finem fecit [b] hoc anno die secunda septembris Paulo monacho Camaldulensi recipienti pro eremo Camaldulensi & pro monasterio sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum litium omnium & controversiarum ortarum occasione rerum, quas episcopus existimabat ad jus spectare ecclesiæ suæ; manu Pellegrini notarii. Plura siquidem bona & ecclesias possidebat monasterium sanctæ Helenæ in episcopatu Anconitano, ut videbimus anno 1199.

b §. *Amissæ* 246. *A.* 195.

Martinum abbatem sancti Petri de Rotis & Guidonem priorem cœnobii sanctæ Mariæ de Paterno, quod erat subjectum Rotensi, exhibet nobis charta [c] hujus anni ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus de Arretio. Ildebrandum pariter ex priore sancti Quirici de Rosis abbatem Rotensem, & Benedictum regimen ejus cœnobii tenuisse tempore Martini prioris Camaldulensis legimus in chartis Fontis-boni. Die autem vigesima-secunda aprilis ex archivo monasterii Rosæ Senarum bona hospitalis Pagani donata fuere eremo ad Vivum a Sinibaldo de Castellina.

c *Num.* 89.

Ann. Chr. 1193.

IV. Præcepta facta Anglariensibus a Martino priore Camaldulensi.

Martinus prior Camaldulensis ad honorem Dei & invictissimi imperatoris Henrici, & Henrici de Lutrio dynastæ & Thusciæ legati hæc sub hoc anno Anglariensibus præcepit, sive iis, qui potestatis titulo gaudebant in eodem castro. *Ego frater Martinus prior Camalduli precipio vobis in perpetuum nomine juramenti, quo mihi & meis successoribus tenemini, ut bona fide sine omni fraude ab hinc usque annum regatis castrum Anglarense cum suo districtu tam in personis, quam in possessionibus & omnibus bonis ad honorem Dei & Camaldulensis heremi & omnium personarum dicti castri & ejus curie tam clericorum vel ecclesiarum, & constituta subscripta neque odio, neque amore, neque pretio, neque timore servare contemnatis, quecumque querela sive a persona ecclesiastica, sive alia de castro Anglarensi vel ejus curie vobis fuerit per libellum infra* XXX. *dies, nisi manifestum impedimentum interveniat, denuntiabitur, vel per convenientiam, vel per justitiam. Omnis persona in castrum Anglarense sit secura & salva, nisi sit publicus latro vel bannitus. Si quis percusserit aliquem vel aliquam manu vel baculo, ita quod non fecerit sanguinem, si manu* V. *solidos, si baculo* X. *componat; si vero sanguinem fecerit* XX. *Quamcumque causam denuntiabitis per justitiam non ultra* XII. *denarios pro libra ab una parte, &* XII. *ab alia accipietis. Si vero per*

con-

convenientiam post datum libellum , *non ultra* VI. *Si vero per convenientiam ante datum libellum, nihil accipietis. Quemcumque bannum de consilio communis vel statutorum consiliatorum posueritis* , *tolletis neque reddetis. De muro Frontonis castri unum pedem ad tabulam infra vestrum regimen fieri facietis. Quicquid aquisieritis de bannis vel judiciis sive convenientiis, vel quocumque modo ratione regiminis bona fide sine omni fraude tertiam partem dabitis prioratui Anglaris* , *& tertiam Communi* , *tertiam vero partem pro vestro retinebitis salario. Quicumque noluerit jurare, sicut ceteri Anglarenses juraverunt* , *non permittetis eum habitare in castro vel ejus curte, domumque si habet in castro vel ejus curte, destrui facietis.*

ANN. CHR. 1193.

Ego frater Martinus prior Camaldulensis precipio vobis omnibus Anglarensibus tam de castro , *quam de curte nomine sacramenti* , *quo mihi & meis successoribus tenemini, ut bona fide sine omni fraude observetis omnia precepta nomine juramenti vobis facta a rectoribus vestris per me constitutis, & si quis eis resistet, quominus ea, que nomine juramenti ei precepi observare, possint adimplere. Omnes eos bona fide pro posse adjuvetis* , *neque amore, neque odio vel ratione pretermittetis. Et quodcumque consilium vobis petitur bona fide sine omni fraude, quam melius ad honorem & utilitatem terre & Camaldulensis heremi noveritis* , *detis* , *precipio etiam eodem modo vobis nomine juramenti, ut non sitis in dicto vel facto vel consilio studiose, per quod Camaldulensis heremus hanc terram vel aliqua sua jura vel rationes possit amittere, & semper fideles & subjecti sitis heremo Camaldulensi.*

Ego Bonus notarius domni Martini prioris Camaldulensis, qui in presentia & testimonio Rolandi olim Loterii, Bassamontis, & Guidonis ejusdem filii mihi precepit, hoc scriptum in publicam formam redegi.

Quicumque bannos fregerit , *vel servitium castri non exhibuerit* , *ut ei a consule vel consulibus impositum fuerit* , *videlicet de muro & de datiis & de guaitis, & ..... guaitis ... & ci.... si hec omnia non fecerit,.... consulum vel consulis, vel bannum non solverit de rebus suis mobilibus vel immobilibus* , *dabo pig...... per scripturam* , *& ipsum creditorem vel creditores semper manutenebo & defendam* , *& querimoniam de ipsis creditoribus scienter non recipiam pro ipsis pignoribus* , *nec ad rationem dictum creditorem vel creditores non cogam* &c.

Henricus de Lutrio confundendus non est cum Henrico Fasso nominato in tabulario Fontis-boni sub annis 1196. & 1212. tamquam legato imperialis aulæ in urbibus Arretina & Castellana . Sed alius est , cujus mentio fit in præcepto Ottonis IV. monasterio sancti Salvatoris de Monte-acuto concesso anno 1210. quo confirmat ipsi monasterio donationes *comitisse Odoline & comitis Rancherii de Blandirneco factas tempore Henrici* VI. *imp. & in quarum possessionem idem imperator Henricus prefatum monasterium miserat per nuntium suum Henricum de Lutria.*

V. Cœlestinus Balneensem ecclesiam sub protectione apostolica suscipit.

COELESTINUS Augustino archipresbytero Balneensi adinstar Innocentii II. Adriani IV. & Alexandri III. confirmavit bona & jura suæ ecclesiæ, subscribentibus viginti S. R. E. cardinalibus. *Datum* est privilegium *Laterani per manum Ægidii sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis* VIII. *kal. augusti indictione* XI. *incarnationis Dominice anno* M. C. XCIII. *pontificatus vero domini Celestini pape* III. *anno* III. quod ex autographo dicti monasterii Balneensis edimus. Idem ex Laterano per manus ejusdem *nono kalendas maji indictione* XI. hujus anni *pontificatus tertio* apostolicam protectionem dilargitus fuit monasterio sancti Savini in Montione extra Pisanam urbem, & Bono abbati ejus cœnobii; quod privile-

Ann. Chr. 1193.

vilegium ad annum 1323. proferemus insertum alteri Johannis XXII. qui tum Alexandrinum anni 1175. tum hoc præsentis anni ratum habuit, & innovavit eidem monasterio.

Edimus etiam paginam Johannis abbatis monasterii sancti Gregorii ad clivum Scauri, qui cum consensu monachorum suorum die prima mensis julii locavit castrum de Guido, reservata sibi & cœnobio suo ecclesia sanctæ Mariæ ipsius castri, regenda per clericum vel per monachum sui monasterii a se propositum.

De sententia lata hoc anno a judicibus Pisani communis ad favorem monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum contra priorem monasterii sancti Pauli de Horto ejusdem urbis pro aquæductu purgando, consulatur Grandius [a], qui ipsam refert in Appendice monumentorum ad epistolam de Pandectis.

a *Pag.* 238.

Ann. Chr. 1194.

VI. Idem enumerat & confirmat bona monasterii Agnaniensis.

Cœlestinus III. Romanus pontifex *anno* sui *pontificatus tertio*, *die vigesima-sexta martii* amplum privilegium dilargitus fuit Gregorio abbati & fratribus monasterii sanctæ Mariæ de Agnano territorii Arretini, quo sub apostolica beati Petri protectione suscepit Agnaniense cœnobium, enumeratis insuper locis & ecclesiis omnibus ipsi subjectis; videlicet monasterio sanctæ Mariæ in Graticiata juxta civitatem Arretinam, ecclesia sancti Blasii in ipsa civitate, monasterio sancti Gaudentii, ecclesia sancti Quirici in Viccione cum hospitali ejusdem loci, ecclesia sancti Michaelis in Caphajora, ecclesia sancti Michaelis in Tuntiniano, ecclesia sancti Stephani de Crovole, ecclesia sanctæ Cæciliæ de Ferrata cum ipsarum pertinentiis, curtibus de Vertighe & de sancto Lotherio, jure in castrum de Pergine, molendino in flumine Arni juxta pontem de Valle, & alio in flumine Ambræ de Ponte, alio quoque in flumine Elsæ & Senzale, ecclesia sancti Christophori de Vertighe in villa & castro Montis-sancti-sabini, & omnibus possessionibus, quas habebat in plano Arretii; ecclesia sancti Ansani de Caprajola, ecclesia sancti Martini de Barbazano, ecclesia sanctæ Margaritæ de Castilione, ecclesia sancti Michaelis de Montealto, ecclesia sanctæ Mariæ de Bivignano, & capella sanctæ Christinæ. Indulsit Agnaniensibus decimas novalium & animalium, atque possessa a quadraginta retro annis. Facultatem fecit celebrandi Divina clausis januis in publico urbis interdicto; liberam concessit sepulturæ electionem tum in eo monasterio, tum in illis sanctæ Mariæ in Graticiata & sancti Gaudentii, salvo jure parœciali. Subscripserunt XXI. S. R. E. cardinales. Datum fuit privilegium Laterani per manu Ægidii S. R. E. cardinalis, quod extat in tabulario Fontis boni [b], juxta uberrimos Baroncinii indices. Saxoni abbati successerat Gregorius.

b §. *Privilegia* 47. *A.* 2. 14.

VII. Altera ipsius bulla pro monachis Puteolensibus.

Nonis *aprilis pontificatus anno quarto*, quem auspicaverat sub finem antecedentis mensis, confirmavit idem Romanus pontifex monasterio sancti Petri de Puteolis Lucanæ diœcesis indultum, ut eos, qui corpora sua in ipsorum monachorum ecclesia sepelire deliberaverint, tumulare valerent, nisi forte petentes excommunicati forent vel interdicti, salva justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumerentur. Permisit etiam, ut liceret iisdem monachis clericos liberos & absolutos a seculo fugientes ad conversionem in suum monasterium recipere, & sine alicujus contradictione ipsos retinere. *Die* autem XXVII. *mensis martii* anni sequentis, qua adhuc perdurabat quartus sui pontificatus annus, archipresbytero & primicerio Lucensibus & canonicis scripsit se abbati & monachis sancti Petri de Puteolis liberam sepulturam in eorum ecclesia indulsis-

Ann. Chr. 1194.

indulsisse, juxta quod est moris ecclesiastici. Præcepit proinde ipsis canonicis, ne contra hujusmodi concessionem ecclesiam monachorum infestarent, neque etiam permitterent alios ipsis esse infestos. Abbas ejusdem loci ex tabulario archiepiscopali Lucensi erat anno præterito M. C. XCIII. *decimo-sexto kalendas februarii indictione undecima* Albertus nominatus in charta locationis ab ipso fratrum suorum consilio facta.

VIII. Willelmus archiep. Ravennas confirmat ecclesias monasterio S. Petri ad Vincula.

WILLELMUS Ravennatis ecclesiæ archiepiscopus, qui subrogatus fuerat in locum Gerardi antistitis defuncti in expeditione Hierosolymitana, Assaloni abbati monasterii sancti Petri ad Vincula territorii Ravennatis, & Johannis successori, ejusque monasterio ad quinquaginta annos confirmavit omnia bona, quæ de jure Ravennatis ecclesiæ possidebat. Inter ea nominantur ecclesia sancti Petri in Sari posita in plebe sanctæ Mariæ in Aquæ-ductu, & ecclesia sancti Victoris in Fossola ædificata in civitate Ravennæ, *anno millesimo centesimo nonagesimo quarto* XIV. *mensis martii indictione* XII. Ravenno Ravennate tabellione. Quam confirmationis paginam ex tabulario archiepiscopali Ravennæ exscripsimus; ut ex illo monasterii Classensis alteram ejusdem archiepiscopi donationem proferimus factam *mense junio* hujus anni Andreæ abbati sancti Apollinaris de Classe, qua ipsius monasterio obtulit ecclesiam sanctæ Mariæ in Virtute sitam in civitate Ravennæ in platea majore in regione sancti Salvatoris, cum omnibus spiritualibus & temporalibus ipsius ecclesiæ, domibus, hortis *&c.* Intuitu pietatis donavit Willelmus omne jus & actionem in ipsam Classensibus, *& quia debetis*, subdit, *facere predictam ecclesiam officiari*. Voluit tamen, ut sacerdos, qui in ipsa ecclesia fuerit, tempore suæ electionis sisteretur coram archiepiscopo, qui eum inibi institueret, & ab electo reciperet debitam reverentiam, ut facere solebant alii sacerdotes. Interfuerunt prædictæ donationi aliquot Ravennatis ecclesiæ cleri cantores. Rubeus [a] ad annum 1185. scribit eam ecclesiam dedisse nomen uni ex regionibus Ravennæ. Andreæ abbatis monasterii sancti Apollinaris in Classe mentio fit etiam in charta Fontis-boni ad annum sequentem. Suffectus fuerat in locum Berardi. Anno vero 1196. [b] abbas Classensis erat Johannes, qui quædam latifundia in territorio Bononiensi emit nomine Martini præsidis generalis pro eremo Camaldulensi, ex eodem Fontis-boni tabulario.

a *Lib. VI. pag.* 357.

b §. *Emptio.* 222. *A.* 2. 34.

IX. Turbæ in monasterio Silvæmundano.

TURBÆ erant in monasterio sancti Salvatoris de Silva-munda territorii Arretini occasione Griffi abbatis, qui licet ab officio & a monasterio remotus auctoritate Martini prioris Camaldulensis, adhuc se gerebat pro abbate. Griffus facile erat ex descendentibus Griffi nobilis viri, qui primus fuerat ejus monasterii fundator, ut diximus ad annum 999. Novimus ex testificationibus anni 1216. pro libertate eremi Camaldulensis factis a Rainerio priore sancti Michaelis Arretii quemdam Johannem circa annum 1170. fuisse abbatem ejusdem cœnobii; immo idem Johannes & abbas simul erat Silvæ-mundanus, & vicarius Camaldulensis ad annum 1182. ex pagina tabularii sanctæ Mariæ in Gradibus. Ante hunc Johannem Bonus institutus fuerat loci ejusdem abbas ab Ildebrando priore Camaldulensi post annum 1167. Tempore hujus Boni tres monachi dumtaxat degebant in monasterio Silvæ-mundano, & unus capellanus, *sed bene triginta conversi*. Post Bonum & Johannem electus fuit abbas Griffus, qui peractis aliquot regiminis annis ab administratione dejectus a Martino priore, ad monasterium sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia fuit destinatus, sed Griffus noluit illuc ire, & rediit ad abbatiam Silvæ-mundæ, *cepitque tenere abbatiam contra voluntatem prioris Camaldulensis.*

Ann. Chr. 1194.

dulensis. Aderat tunc temporis Arretii apud veterem ecclesiam cathedralem extra civitatem Bernardus cardinalis apostolicæ sedis legatus; coram eo, & præsente Amadeo episcopo Arretino contra Griffum pseudo-abbatem causam dixit Martinus; cardinalis ratam habuit remotionem Griffi factam a Martino. Quare vacante abbatia Silvæ-mundana [a] „ hoc anno „ mense julio B.. plebanus de Soccana & Raynaldus de Raffena & Saltus arbitri constituti decreverunt, ut patroni & familiares de Silva-munda peterent a Martino in abbatem quem vellent, excepto Griffo, sine „ tamen ullo præjudicio prioris Camaldulensis, & quod idem Griffus ceterique familiares jurarent obedientiam dicto priori. Item decreverunt, „ quod abbas Silvæ-mundæ haberet subjectam monasterio suo ecclesiam „ sancti Petri-minoris de Arretio, sicut fuit a sui institutione; prior tamen Camaldulensis perciperet ex ea ecclesia servitia solita, quæ, electo abbate, si prior voluerit, definirentur ab iisdem arbitris, sed interim administrator & major in dicta ecclesia esset Rainerius, qui erat „ ejus ecclesiæ prior. Actum in claustro dictæ ecclesiæ, manu Boni notarii. " Anno antecedenti mense novembri [b] idem Rainerius sententiam obtinuerat a Rolando judice ordinario & assessore Gualgani potestatis Arretii, qua ipsi suoque cœnobio restituta fuere aliquot bona illegitime locata ab eodem Silvæ-mundano abbate Griffo, tempore quo abbatia privatus fuerat. Post Griffum electus fuit abbas Silvæ-mundanus Ubertus, post Ubertum Benedictus sepultus apud sanctum Angelum de Prato, post Benedictum Rainerius, & post Rainerium Johannes, qui etiam mortuus jam fuerat anno 1216. quo hæc, quæ diximus, deponebat supralaudatus testis Rainerius prior sancti Michaelis. Bernardus ex canonico regulari diaconus cardinalis sanctæ Mariæ-novæ a Clemente III. creatus, deinde a Cœlestino III. presbyter electus sancti Petri ad Vincula sub titulo Eudoxiæ, apostolica legatione per hæc tempora fungebatur in Thuscia.

a §. *Sententia* 4. *A.* 2. 16.

b *Ibidem* 3. *A.* 2. 13.

X. De monast. S. Hilari de Galeata, & de Suavizo abbate.

Monasterii sancti Hilari de Galeata origines dedimus ad annum 1039. ecclesiæ autem ejusdem loci consecrationem retulimus ad annum 1180. sub Johanne abbate. Ipsi Johanni suffectus fuerat Suavizus, qui præsenti anno, vice & ex persona Alburgæ filiæ Liuzi, quæ potestatem ipsi fecerat, dedit Andreæ monacho recipienti jussione Ugonis abbatis sancti Benedicti in Alpe, & confirmavit decimas de Vatho, ita ut nullus rector ecclesiæ sanctæ Marinæ in eodem loco Vatho jura sibi usurparet super eas decimas. Chartam hanc edimus ex autographo tabularii canonicorum sancti Laurentii de Florentia, scriptam *anno* M. C. XCIV. *indictione* XII. *tempore Celestini pape & Henrici imperatoris die* VIII. *mensis martii in claustro sancti Ilari*. Super faciem archipresbyteralis ecclesiæ sancti Petri de Bosco Galeatæ, quæ subjecta erat eidem monasterio sancti Hilari, hæc leguntur: *Hoc opus est actum post partum Virginis factum anno milleno centeno quarto cum nonageno indictione duodecima, tempore Celestini pape* III. *& Enrici imperatoris & Suavizi sancti Yllari abbatis, & eodem anno terremotus magni fuerunt in partibus istis*. Sub Suavizo itaque perfectum fuit ædificium exterius vel frons ecclesiæ sancti Petri ante annos quatuordecim consecratæ. Quoad terræmotus legimus apud Rubeum, & in chronico veteri civitatis Ravennæ edito in Spicilegio historiæ Ravennatis apud Muratorium [c] tomo II. scriptorum rerum Italicarum, eos contigisse in Galeata anno 1279. sed pluries flagellum istud & ante & post eum annum potuit renovari. Anno 1279. *pene submersum fuit monasterium sancti Hilari*, ut ibidem refertur. Sub anno 1196. in ejus-

c *Pag.* 579.

ejusdem monasterii veteri necrologio habetur ad III. nonas maji: *Obiit Petrus archipresbyter de Galiada frater noster anno Domini* M. C. XCVI. ANN. CHR. 1194.

Juxta indices locupletissimos Baroncinii Henricus VI. imperator Pisis existens [a] præcepit nuntiis suis in Italia & rectoribus civitatum & consulibus, qui pro tempore fuerint, quod privilegia a se & ab antecessoribus suis eremo Camaldulensi indulta neque ipsi violarent, neque violari per alios permitterent. *Datum* XX. *junii*. Muratorius in Annalibus [b] scribit Henricum imperatorem prope medietatem julii hujus anni Pisas se contulisse, ut a populo ejus urbis certum navium numerum obtineret pro invadendo regno Siciliæ. Ex charta Camaldulensi constat ipsum antecedenti mense jam Pisas accessisse.

a §. *Amissæ* 251. *A.* 242.

b T. *VII. pag.* 83.

Die martis decimo exeunte junio, anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quarto indictione XII. Azo marchio de Este in possessionem misit Livaldum priorem monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres unius mansi jacentis in curia Vighizoli, quem promiserat Obizo ecclesiæ dicti loci die consecrationis ejusdem, de qua egimus anno 1189. & quem in testamentariis tabulis suis jusserat, ut dono daretur. Actum in Dolone de Este in palatio. Obierat itaque marchio Obizo ante eam diem hujus anni. Chartam edidit ex archivo Estensi Muratorius [c] in Antiquitatibus medii ævi.

c T. *V. col.* 264

Florebat tempore Wilielmi archiepiscopi Ravennatis, quem superius nominavimus, Lazarus prior monasterii sancti Severi in Classe, qui insuper erat vicarius ejusdem antistitis; is hoc anno [d] leges & statuta condidit pro hominibus castri Montis-bogdi, qui erant subjecti archiepiscopatui Ravennati, quæ conduntur in tabulario ejusdem ecclesiæ; initio vero seculi sequentis idem Lazarus abbatis officio fungebatur in eodem monasterio sancti Severi.

d *Caps. I.* 3810.

ANN. CHR 1195.

XI. Præcepta Henrici VI. imp. pro monast. S. Hippolyti de Faventia & Cantiniani.

HENRICUS VI. imperator, qui se insuper Siciliæ regem nominat, quod regnum causa Constantiæ uxoris suæ filiæ olim Rogerii Siciliæ regis ad coronam suam anno antecedenti adjunxerat, monasterium sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia ex congregatione Camaldulensi, abbatem & monachos dicti loci sub sua imperiali protectione recepit cum omnibus ecclesiis & bonis, liberum faciens a fodro, albergariis, angariis & perangariis. Voluit ut nullus absque consensu abbatis prælibati loci auderet emere, vel in permutationem, emphyteusim, commendationem, vel guardiam recipere, vel pignoris titulo sibi aliquid vindicare; decrevit etiam, ut nullius momenti essent usus vel statuta Faventinæ civitatis, quæ legibus imperialibus forent contraria. Subscripserunt Faventino privilegio Willelmus Ravennas archiepiscopus, Angelus Tarentinus archiepiscopus, Bernardus Faventinus episcopus, Marquardus imperialis aulæ seneschallus & marchio Anconæ ac dux Ravennæ, aliique. Conradus autem imperialis aulæ cancellarius vice Adolfi Coloniensis archiepiscopi totius Italiæ archicancellarii præceptum imperiale recognovit. *Datum apud Faventiam* XIII. *kal. junii per manum Alberti imperialis aule protonotarii. Acta sunt hec anno Dominice incarnationis* M. C. XCV. *indictione* XIII. *regnante domino Henrico Romanorum imperatore victoriosissimo semper augusto & rege Italie anno regni ejus in Theotonia* XXV. *in Sicilia* I. Scilicet pugnans Henricus cum Tancredo, qui post mortem Guilielmi II. Siciliæ rex electus fuerat, ipsum devicerat, novamque epocham sui regni Siciliæ instituerat.

Idem Henricus imperator circa hoc tempus ad suam imperialem tutelam

Ann. Chr. 1195.

lam admisit monasterium sancti Salvatoris de Cantiniano positum in dioecesi Lucensi, *libertatem ipsi tribuens & statutum condens*; de qua re fidem facit alter Romanus imperator Otto IV. in privilegio concesso anno 1209. congregationi Camaldulensi & Guidoni priori generali. Libertas nimirum tributa facultas erat concessa priori Camaldulensi eligendi in eo monasterio abbatem. Videantur, quae proferimus ad annum 1206.

XII. Philippi ducis Thusciae diploma pro Avellanensibus.

Philippus dux Thusciae alter filius Friderici Œnobarbi imperatoris, & frater Henrici imperatoris praesenti *anno* M. C. XCV. *indictione* XIII. *anno vero* ejus *ducatus primo*, *kalendis julii in obsidione Perusii*, recepit monasterium Fontis-avellanae sub sua protectione, mandans ipsum frui debere iis libertatibus & privilegiis, quibus locupletatum fuerat a patre suo Friderico anno M. C. LXXVII. Leguntur inter subscribentes privilegio Petrus praefectus Urbi, Ildibrandinus comes, & Manens comes, uterque profecto comes Senensis, ille de Asciano, hic de Sarthiano, nominati a nobis alibi in his Annalibus; Armannus de Catena seneschallus, Raynaldus de Castellione, Ugolinus Latini, Wido de Cisterna, aliique complures. Petri praefecti Urbi, & Ildibrandini comitis juramenta praestita post triennium Innocentio III. inaugurato Romano pontifici extant apud Baluzium [a] in collectione epistolarum ejusdem Innocentii. Ad diem XXXI. julii hujus anni, hoc est post mensem, diploma ejusdem Philippi cum similibus titulis legitur [b] apud Margarinium in bullario Casinensi; receperat nimirum hoc anno ab Henrico fratre imperatore ducatum Thusciae, & bona comitissae Mathildae. Novimus insuper ex charta nostra ipsum mense julio obsedisse Perusinam urbem, quae facile ipsius regimen detrectabat. Praeceptum edimus ex apographo confecto a Blanco notario *anno* sequenti M. C. XCVI. *tertio die intrante aprilis indictione* XIV. quod reperimus inter schedas monasterii Avellanensis collectas a Romualdo Blanco Camaldulensi monacho.

a T. I. pag. 329. 330.

b T. II. Const. CCXVIII.

XIII. Berardi canonici Arretini definitio pro monast. S. Benedicti de Arretio.

Demandaverat Coelestinus III. summus pontifex Berardo Arretinae ecclesiae canonico decisionem cujusdam causae, quae vertebat inter Sophiam abbatissam Prati-veteris, & inter presbyteros Arretinos. Appellaverat scilicet Sophia apud apostolicam sedem, conquerens ordinationem & dispositionem ecclesiae sancti Hilari & hospitalis adjuncti sublatam & subtractam fuisse monasterio sancti Benedicti Arretinae urbis, quod erat subjectum suo parthenoni Prati-veteris. Quare inhaerens Berardus vestigiis Hieronymi episcopi olim Arretini, ad examen etiam vocatis testimoniis clericorum, laicorum & mulierum, pronuntiavit hoc anno ordinationem & dispositionem praefatam pertinere ad ecclesiam sancti Benedicti obedientialem Prati-veteris, decernens donationem Hieronymi episcopi inconcusse observandam, laicos & clericos refractarios excommunicationis & aliarum poenarum vinculo innodans. Data fuit sententia apud ecclesiam sancti Philippi *anno Domini* M. C. XCV. *octavo idus decembris domino Carolo imperante anno imperii ejus* IV. *indictione* XIII. Chronicae omnes notae quadrant praesenti anno; indictio, tempora Coelestini, annus imperii Henrici quartus; qui tamen melius mense decembri foret imperii V. nisi in charta adhibeatur annus Pisanus, hoc est annus 1194. more Romano, mutata indictione mense septembri. Animadversione dignum est usurpatum nomen Caroli pro Henrici, qui imperabat. An-ne Henricus VI. praeterea vocabatur Carolus, ut vidimus etiam Henricum V. aliud tulisse Caroli nomen? Sed in omnibus fere praeceptis imperialibus uterque Henricus tam V. quam VI. nunquam nomine Caroli indigitantur, semper vero illo Hen-

Henrici. Sententiam præfatam edimus ex autographo tabularii parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri. ANN. CHR. 1195.

COMMISIT insuper idem Romanus pontifex *ex Laterano die vigesima martii pontificatus* sui *anno quarto* per apostolica scripta Anselmo Fulginatensi episcopo, ut quandoquidem prior Camaldulensis apud se conquestus fuerat, quod monachi & abbas monasterii sancti Silvestri de Hispello eidem priori obedientiam denegabant, quam ipsorum antecessores hucusque præstiterant præteritis prioribus, compelleret dictos monachos & abbatem per ecclesiasticam censuram ad obedientiam & ad reverentiam debitam exhibendam. An Hugolinus futurus deinde cardinalis & episcopus Ostiensis, postremo Romanus pontifex sub nomine Gregorii IX. abbas hoc anno esset hujus monasterii, ad examen revocabitur sub anno 1227. Monachi tamen sancti Silvestri de Monte-subasio per hæc proxime tempora magna cum observantia regulæ vivebant, virtutum ornamentis florebant, & exemplum bene vivendi laicis præbebant. Præter enim testimonia, quæ extant ejusdem Gregorii IX. Romani pontificis, refert in ms. historia Hispellensi apud Papebrochium in Actis Sanctorum [a] Faustus Gentilis Donnola J. C. Hispellas, quam composuit italico idiomate anno 1621. „ Andream de Cacciolis Hispellatem, qui anno antecedenti in „ lucem venit, a prima juventute cœpisse mundum contemnere, seque „ totum Deo tradere, exercendo varia opera misericordiæ, hospitium „ peregrinis, male indutis pauperibus vestes, necessitatem aliam quamcumque petentibus auxilium præbendo, magnoque cum fervore vacan„ do orationi. Frequens autem ille erat apud monachos Camaldulenses „ magna cum observantia degentes in monasterio sancti Silvestri montis „ Subassi, e regione & supra collem Lupicinum Hispellensis territorii ca„ stellum distante ad duo passuum millia, & per sanctum Romualdum „ olim fundato. " Quare ex allata Cœlestini delegatione inferri nequit Subasianos reformatione indiguisse, sed politicam tantum in aliquibus rebus reverentiam & subjectionem priori Camaldulensi detrectasse, ut etiam detrectasse vidimus aliquos ipsorum monachorum ad annum 1157. sub Adriano IV. Ceterum de Andrea Hispellate, inde Minorita, alibi se offeret dicendi occasio, sicuti etiam de monasterio Subasiano, cum initia ordinis Minoritici exponemus, ac de eodem Ugolino, inde Gregorio IX. verba faciemus.

XIV. Committit Cœlestinus monachis Subasianis obedientiam priori Camald.

[a] T. I. Junii pag. 366.

EX autographo existente olim penes Antonium-mariam Biscionium compositionis paginam exscripsimus pro monasterio sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum, circa quod lites exortæ fuerant annis antecedentibus inter episcopos Camerinenses & inter priores Camaldulenses ac abbates ejusdem loci. Aliam & quidem autographam paginam ejusdem compositionis vidimus in tabulario nostro sancti Blasii de Fabriano, cum qua primam contulimus; quæque est hujusmodi.

XV. Compositio inter Actonem ep. Camerinensem & inter monasteria Marchiæ.

In nomine Domini. Anno Domini M. C. *nonagesimo* V. *indictione* XIV. *& die mensis julii, & papa Celestino in apostolica sede sedente, regnante Rigo imperatore. Breve recordationis, qualiter compositum est inter dominum episcopum Actonem Camerinensium, & donnum Martinum priorem Camaldulensem una cum Nicolao abbate sancte Helene ejusque fratribus de querimonia inter eos vertente super monasterio sancte Helene, videlicet quod abbas eligatur de conventu sancte Helene de conventu Camaldulensium, confirmandus, benedicendus Camerinensi episcopo presentetur, & promittat ei hobedientiam & reverentiam, sicut alii abbates Camerinensis ecclesie sine sacramento; & si acciderit, quod prior velit removere abbatem, literis vel*

Ann. Chr. 1195.

nuntio denuntiet episcopo; episcopus tamen non contradicat, ita quod ille, qui movetur, prius satisfaciat episcopo, si in aliquo teneretur. Quod si non faciet, successor ejus eodem modo teneatur, & ea promittat, sicut predecessor, interdicta episcopi omnia observet, sicut generalia decreta precipiunt, & si crediderit injuste a se interdictos, observet tamen, donec prior vel abbas representet se episcopo, & ostendat legitime se injuste fore interdictos. Adjutoria faciat episcopo sicut alia monasteria pro modo facultatum, admonitiones, salutationes, correctiones ab episcopo recipiat, hospitalitates pro episcopo recipiat. Et ego predictus Acto Camerinensis episcopus de consensu Raini archidiaconi, & Rainaldi canonaci & Morici queto & renuntio omnem litem & querimoniam, quam faciebant nobis Camaldulenses de monasterio sancte Helene. Hec omnia promissa sunt ab utraque parte pro se suisque successoribus sub pena C. *marcarum puri argenti, & pena soluta predicta firma teneantur. Hoc totum actum est concordante domino Jordano Humanensi episcopo, qui ad causam predictam a domno apostolico fuerat delegatus, & ejus auctoritate, quod factum est in ecclesia sancte Helene, in presentia Ugolini Filippi de Recanato assessoris predicti episcopi, abbatis Sassonis Valle-focine, abbatis Ubaldi de Rotis, Nicolai episcopi, donni Mauri prioris de Eremita, donni Vitalis prioris de Serra, donni Pauli prioris Aque de Perellis, donni Magalotti, donni Deus-te-salvet de Recanato, & aliorum plurium rogatorum testium.*

Ego Ugolinus notarius de castro Casavolle manu mea scripsi.

In hac tamen compositionis pagina mutanda est indictio, quæ erat XIII. vel ipsa pertinet ad annum sequentem. Nicolaus episcopus, cui ecclesiæ præesset, divinare nequimus. Jordanum Humanatensem videbimus etiam post biennium. Abbatia Vallis-focinæ erat prope vallem sancti Clementis; utramque sancti Clementis, & Vallis-focinæ abbatiam prolixe illustrat in suis episcopis Camerinensibus, quorum seriem quamprimum in publicum summo labore & diligentia conquisitam prolaturus est, amicissimus noster Piranus canonicus Turcius. Ubaldus erat abbas post Martinum monasterii sancti Petri de Rotis in diœcesi Arretina; ceteri autem nominati priorum officio fungebantur in monasteriis & eremis Camaldulensibus jam notis territorii Camerinensis.

XVI. Cœlestinus prohibet unionem monast. Aceretani cum eremo Gamugnensi.

Prior eremi sancti Barnabæ de Gamugno in territorio Faventino subjecerat suam eremum monasterio sancti Johannis-baptistæ de Acereta, quod in eodem episcopatu erat fundatum, confirmationemque hujus unionis obtinuerat, ut videtur, a Willelmo archiepiscopo Ravennate. Verum quia id actum fuerat inconsulto Bernardo episcopo Faventino, qui erat diœcesanus, Cœlestinus III. eidem episcopo literas dedit, quibus hujusmodi unionem infirmandi fecit facultatem. Refert ipsas Romani pontificis literas Tonduccius, quæ sunt hujusmodi [a].

[a] Pag. 230.

Celestinus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bernardo Faventino episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Sicut unire episcopatus, atque potestati subjicere aliene ad summum pontificem pertinere dinoscitur, ita episcoporum interest & ecclesiarum sue diecesis unio & subjectio earumdem. Cum itaque, sicut nobis innotuit, prior Gamundiensis monasterium suum, quod est in tua diecesi, & de tuo debet ordinari consensu, monasterio de Acereta, tuo assensu minime requisito, subjecerit, sive univerit, fraternitati tue presenti pagina indulgemus, & quod fecit super hoc, te inconsulto, tibi liceat auctoritate apostolica, sicut justum fuerit, infirmare, non obstante assensu vel confirmatione, quam metropolitanus interposuisset, cum in diecesi sui suffraganei absque ipsius assensu non debeat ali-

aliquid hujusmodi contra constitutiones canonicas attentare. Nos quoque decernimus id, prout dictum est, irritandum. Statuentes &c. *Si quis* &c. *Datum Laterani* III. *nonas januarii pontificatus nostri anno quarto.* Ann. Chr. 1195.

Vidimus ad annum 1060. eremum Gamugnensem, & monasterium Aceretanum ante aliquot annos jam fundata & excitata a sancto Petro Damiani eo fœderationis vinculo fuisse colligata, ut si quando eremitæ Gamugnenses infirmarentur, monachi Aceretani deberent eos suscipere *ad refocillandum & substentandum usque ad sanitatem cum licentia prioris, & vicissim deberent Gamugnenses monachos Aceretanos cum licentia abbatis admittere;* de cetero bona distincte possiderent, quæ etiam idem sanctus fundator enumerat. Itaque non tantum contra legem canonicam unionem præfatam tentaverat prior Gamugnensis, sed etiam contra mentem sancti viri fundatoris, qui priorem in eremo, abbatem in monasterio statuerat juxta beati Romualdi consuetudinem, ut proximæ monasteriis essent eremi, & proxima eremis monasteria. Credimus unionem hanc infirmasse Bernardum Faventinum episcopum, cum post hos annos tam monasterium Aceretanum proprium haberet abbatem, quam eremus Gamugnensis proprios haberet priores.

XVII. Chartæ eremi de Fajolo & San-victorianæ.

Drudi prioris eremi novæ de Fajolo nomen legitur sub hoc anno in charta venditionis, qua Guido de Donessa terras eidem tradidit positas in Valle-bona. *Anno incarnationis Domini millesimo nonagesimo quinto tempore Celestini pape & Henrici imperatoris die intrante mense septembri indictione* XIII. *in Valle bona.* Sed in hac pagina, quam autographam exscripsimus ex tabulario Fontis-boni, desideratur τὸ *centesimo*, ut clare indicant ceteræ chronicæ notæ temporum Cœlestini & Henrici, & indictionis, quæ respondent huic anno. Aliam ex archivo sancti Blasii edimus, qua hoc eodem anno Maria filia Guazonis donavit omnia bona sua in Rosenga, in valle de Majano, & in Larciano monasterio sancti Victoris & Gualfredo abbati. Gualfredus nominatur etiam in charta anni antecedentis, una cum Maino priore aliisque monachis & clericis suis; immo & in charta anni 1192. apud Philippum Montani in sua tertia epistola [a] sub anagrammatico nomine Nintomæ, qua Rainerius, Raynaldus & Matthæus filii Actoli comitis Martini renuntiarunt omne jus, quod sibi asserebant adversus ecclesiam sancti Victoris, & adversus homines castri Conchæ; Successerat Gualfredus Perfecto abbati. Subjungimus aliam refutationis paginam scriptam a Lotherio & a filio ejus Saxxo, qua eidem abbati tribuerunt portionem suam ecclesiæ sanctæ Mariæ inter Saxa, ubi vel tunc erat, vel paulo post fundatum fuit asceterium pro sanctimonialibus subjectis præfato San-victoriano monasterio.

a *Pag.* 169.

XVIII. Construitur ecclesia eremi de Burellis.

„ Dedit hoc anno die decima decembris Gerardus [b] episcopus Bono„ niensis Martino priori Camaldulensi lapidem primarium ad ecclesiam „ construendam & eremum ædificandam in loco dicto silva de Burellis „ ad honorem sanctissimi Salvatoris, beatæ Mariæ & aliorum Sanctorum „ cum omni jure & actione &c. Homabene notario, “ ut addiscimus ex indicibus Baroncinii. „ Johannes siquidem, & Petrus de Milanco ac Gi„ bertus Carrarius nobiles cives Bononienses, ut ait Fortunius [c], hoc „ anno agrum ac nemus vulgo de Burellis nominatum liberali donatione „ eremo Camaldulensi tradiderant, ut inibi eremus secundum ejus insti„ tuta construeretur. Quam operam Placidus generalis suffragante Gerar„ do episcopo Bononiensi, qui primarii lapidis positionem concessit x. de„ cembris, diligenter navavit, locumque sancto Salvatori, ac beatæ Ma„ riæ sacrandum curavit. „ Sed ante multos annos obierat Placidus, &

b *Amissæ* 256. *A.* 194.

c *P. I. Lib. II. pag.* 176.

Marti-

Ann. Chr. 1195.

Martino ejus successori facta fuit donatio, ut ex superiori excerpto constat. Supradictæ præterea donationes leguntur in chartis tabularii Fontisboni, & quidem Gilberti de Carrariis sub die xx. junii hujus [a] anni, qui terras in præfato nemore donavit Bono & Johanni recipientibus pro Martino priore Camaldulensi, reservante sibi Gilberto jurepatronatus. Actum Bononiæ manu Bologneti notarii. Die quarta [b] septembris Madius de Ghinzello donavit, quidquid in dicta silva obtinebat, Gerardo abbati sancti Archangeli de Castro Brittorum pro Martino priore Camaldulensi. Eadem die Albertus [c] Sine-ratione eidem abbati vendidit partem suam terræ in eodem nemore. Similiter Henrighettus de Superbo manu Benigni notarii ad eremum construendam in honorem sanctæ Mariæ. Die septima ejusdem mensis Petrus de Melanzo & Pildericus donarunt pariter suam portionem, quam ibidem possidebant, manu ejusdem notarii. Aliæ terrarum & bonorum largitiones in eodem territorii Bononiensis loco leguntur in dicto chartulario anno sequenti, sed frequentissimæ annis posterioribus. Putat idem Fortunius [d] eremum de Burellis in nobilissimum cœnobium sancti Michaelis Montis-olivetani versam; sed insigniter fallitur, cum silva Burellorum in eo loco esset, ubi consurgebat eremus & ecclesia deinceps dicta sanctæ Mariæ de Camaldulino, ut liquido effertur in chartis donationum. Porro eremus & ecclesia de Camaldulino Bononiensi tribus milliaribus aberat ab urbe Bononiæ extra portam sancti Stephani, monasterium autem sancti Michaelis parum abest ab eadem urbe extra portam sancti Mammæ. Primas tamen donationes & origines hujus eremi attulimus ad annum 1179. quo Petrus de Melanzoli terras obtulit pro ecclesia & eremo sancti Salvatoris Bononiensis, quem etiam eumdem putamus, qui Petrus de Milanco nominatur sub hoc anno, quo demum perfecta fuit ecclesiæ & eremi constructio, vel auctum ecclesiæ ædificium.

a *Amissæ* 345. *A.* 2. 22.

b *Ibidem* 346. *A.* 2. 24.

c *Emptio* 221. *A.* 2. 23.

d *Ad calcem I. partis.*

XIX. Origines monasterii Patavini S. Benedicti.

Illustranda est ad hunc annum origo alterius insignis monasterii in urbe Patavina, quod titulum obtinuit sancti Benedicti, cujusque constructionis initia scriptores omnes, & præsertim auctor chronici Patavini editi a Muratorio, ex MS. codice bibliothecæ Estensis, sub Pagano de Turre potestate Paduæ referunt. Ipsius fundator fuit beatus Jordanus Forzateus ex nobilissima familia Patavina, qui post omnem navatam operam pro constructione cœnobii virorum, & adnexi parthenonis ejusdem nominis pro sacris virginibus, ecclesiam etiam miræ pulcritudinis condidit, quæ Divinis utriusque monasterii officiis communiter inserviret. Monasterium sancti Benedicti caput & princeps fuit congregationis monachorum peculiaris, quæ plura possidebat cœnobia in urbe & in territorio Patavino; Vestibus albis induebantur, quare etiam appellata fuit congregatio monachorum alborum, ad imitationem facile Camaldulensium, qui initiis seculi sequentis iis vestibus utebantur in proximis monasteriis Vangaticiensi, Veronensi, Vicetino, & Veneto sancti Michaelis de Muriano. De ipsa congregatione verba primum fecimus ad annum 1162. ibique recensuimus varia cœnobia, quæ disciplinam, ritus, consuetudines & constitutiones receperunt monasterii sancti Benedicti. Ipsorum origines notiores, vel uniones monasterio principi suis annis afferemus, eorum præcipue, quæ fluxu temporis Camaldulensia evasere. Ipsum sancti Benedicti cœnobium appellatum postea *Novellum* monachorum, & ipsum vetus sanctimonialium, post Jordani obitum & tempore facile divisionis & tumultus inter monachos & moniales, statim scilicet post medietatem seculi sequentis reformanda fuere tradita eremo Camaldulensi, inde monasterium virorum subjectum fuit regimini abbatis Vangaticiensis, nunc vero post varias vi-

ces,

ces, pluresque commendatarios abbates a monachis pariter albis congregationis Montis-oliveti incolitur. Quæ superius diximus, non ita accipienda sunt, perinde ac præsenti anno Jordanus utrumque monasterium & ecclesiam condiderit, & monachos ac moniales hoc anno instituerit; utrumque enim & utraque institutio perfectionem suam accepere sequentibus dumtaxat annis. Ann. Chr. 1195.

Interim aliqua de Jordano cœnobii fundatore ex chartis præsertim nostris, quas afferemus suis annis, delibabimus. Et præter epistolam septuagesimam-sextam Innocentii III. ex editione Bosqueti, in qua appellatur *opere & sermone potens*, ex qua etiam scimus ipsum anno 1211. electum episcopum Ferrariensem magna animi demissione episcopatum recusasse, & præter aliam numero CLX. libri III. qua idem pontifex copiam fecit episcopo Tarvisino alienandi de possessionibus minus utilibus sui episcopatus, cum consilio Jordani prioris, in omnibus paginis prior & minister, nunquam vero abbas monasterii sancti Benedicti appellatur. Anno 1214. delegatus fuit ab eodem Romano pontifice judex in causa inter monasterium sancti Firmi de Verona & inter monasterium sanctæ Mariæ de Follina; unus ex testibus fuit coram Jordano episcopo Patavino anno 1218. impositionis primarii lapidis in extructione cujusdam ecclesiæ in capite pontis sancti Lucæ Patavinæ urbis, & anno 1219. alterius ecclesiæ Porciliensis extra urbem; eodem anno suscepit consiliis & institutis regendam Beatricem Estensem sanctimonialem Salarolensem, inde Gemulensem. Ante hunc annum sententiam dixit pro Polensi episcopo. Anno 1227. ab Ailice comitissa Estensi partem sui juris de domo in Cornaleda accepit; anno 1228. coram ipso Jordanus episcopus investivit Matthæum monachum de Vantio de prioratu sanctæ Margaritæ de Agna recens erecto; anno 1229. adstitit compromisso inter Compagnum priorem Porciliensem & Johannem rectorem ecclesiæ sancti Thomæ de Arena; ipso anno testis interfuit privilegio immunitatis a potestate & a consilio Patavino concessæ monasterio sanctæ Mariæ de Virginibus Venetiarum. Annis 1230. & 1232. molendinorum receptionem pro suo cœnobio habuit a Jacobino Faleroto. Anno 1233. nominatur in sententia Johannis Vicetini ordinis Prædicatorum inter commune Tarvisii & dominos de Camino, & in laudo pacis stabilitæ ab eodem Johanne inter cives Veronenses Gibellinos & Guelfos, & ante hunc annum in causa inter Marcum Michaelem episcopum Castellanum, & inter patriarcham Gradensem super variis articulis. Etiam ad annum 1234. ad diem VI. augusti in chartis Patavinis appellatur prior sancti Benedicti: & in paginis [a] tabularii nostri sancti Michaelis de Muriano ad diem trigesimam maji ejus anni. Anno 1239. non legitur inter ceteros, qui in monasterium sanctæ Mariæ de Porcilia convenerunt ad generale capitulum congregationis celebrandum, quia a biennio exulabat ab urbe Patavina ob tyrannidem Eccellini de Romano, qui ipsum intruserat in castellum sancti Zenonis. Cetera de Jordano, ejusque exilio, sanctitate & obitu legi commode possunt penes scriptores ipsius vitæ, & pressius aliqua etiam a nobis suis annis in medium proferentur.

[a] *Capf.* 34. 33.

ISAACO ex abbate Vangaticiensi promoto ad infulas ecclesiæ Adriensis successor datus fuerat ante annum 1188. Milo abbas, cujus nomen legitur eo anno in chartis Vangaticiensibus. Milo autem locum fecerat ante hunc annum Alicho, qui anno præsenti privilegium apostolicum impetravit a Cœlestino papa III. datum Laterani per manum Centii sanctæ Luciæ in Orthea diaconi cardinalis & domini papæ camerarii VI. *kalendas julii indictione deci-*

Ann. Chr. 1196.

Isaac abb. Vangaticiensis factus ep. Adriensis.

Ann. Chr. 1196.

decima-quarta incarnationis Dominice anno M. C. XCVI. *pontificatus* vero *domini Celestini anno* VI. Ipsum jam editum a Bronzerio [a] & a Silvestrio [b] iterum edimus ex veteri apographo Vangaticiensi. Quod autem Isaac episcopatum Adriensem obtinuerit, licet in serie eorum episcoporum non recenseatur ab Ughellio, perspectum habemus ex instrumento, quod ex cancellaria ducali Veneta extraxit idem Silvestrius [c]. Ex eo liquet Isaac episcopum Adriensem *anno* M. C. XCV. *indictione* XIII. *die quinto exeunte mense decembris* investituram fecisse ad feudum Azoni marchioni Estensi de castro Adriani & de pluribus decimis, secundum quod sui antecessores olim tenuerunt & possederunt a dicto episcopatu Adriensi. Videatur etiam cessio nonnullarum decimarum facta eidem episcopo ab eodem Azone pro permutatione ipsius castri apud Muratorium in Antiquitatibus medii ævi [d]. Quare inter Gabrielem & Petrum III. episcopos Adrienses locandus est Isaac hujus nominis II. distinguendus ab Isaac I. qui ante seculum præfatam ecclesiam regebat. Prima Petri III. Isaac II. successoris memoria habetur ad annum 1207. apud Coletum [e] in additionibus ad episcopos Adrienses, nisi inter Isaac & Petrum alius episcopus medius fuerit. Vivebat tamen Isaac etiam anno 1198. & nominatur in sententia arbitrorum circa regalia jurisdictionemque ejusdem castri Adriani inter commune dicti castri & inter Azonem marchionem Estensem apud eumdem Muratorium [f].

a *Pag.* 183.
b *Pag.* 67.
c *Pag.* 162.
d T. *III. col.* 209.
e T. X. *Ital. sacr. col.* 198.
f *T. II. col.* 85.

Gualfredo abbati monasterii sancti Victoris de Clusis hoc *anno millesimo centesimo nonagesimo sexto*, *Henrico imperatore regnante rex Cicilie*, *mense octobri indictione decimaquarta* Albricus filius Rainaldi donavit terras in comitatu Camerinensi in curia Forse, in curia roccæ filiorum Gisonis, in curia Zingae, & in Varano ex tabulario cœnobii sanctæ Catharinæ de Fabriano.

XXI. Concordia inter monast. Aceretanum & commune Ravennæ.

Reperimus in chartulario archiepiscopatus Ravennatis *anno* M. C. XCVI. *die septimo mensis .... indictione .... decima*, nempe *quartadecima* Wilielmum archiepiscopum Ravennatem & Ugonem abbatem monasterii sancti Johannis-baptistæ de Acereta territorii Faventini ex una parte, ex altera vero Petrum Traversariam potestatem Ravennæ ad concordiam simul venisse, ut abbas Aceretanus liberaret ecclesiam sancti Georgii a jure monasterii sanctorum Gratii & Mercurialis de Ravenna, refutando in manus archiepiscopi actionem omnem, quam habebat in præfatam ecclesiam, & partem possessionum, quam juxta ipsam obtinebat, scilicet a fossato civitatis usque ad Padorenum, retentis tamen sibi & dicto sancti Mercurialis monasterio omnibus aliis latifundiis & juribus, quæ olim fuerunt monasterii seu ecclesiæ sancti Georgii. Spopondit itaque, fidemque suam obligavit abbas Aceretanus sub pœna decem librarum auri; archiepiscopus vero promisit una cum choro Ravennatis ecclesiæ se defensurum præfatas possessiones; demum Petrus de Traversaria potestas nomine urbis Ravennatis se obstrinxit ad reædificationem ecclesiæ sancti Georgii, & ad justam permutationem de possessionibus sitis juxta eam ecclesiam. Quæ omnia acta dicuntur, ut *dicta sancti Georgii ecclesia de novo construatur*, *& persone beato martyri Georgio deservientes instituantur*, *per quas Divina officia celebrentur*. Rubeus [g] laudat tabulas anni 1188. in quibus legitur Farulfus cœnobiorum divi Georgii & divi Mercurialis abbas, cui canonici cardinales Ravennates idibus sextilibus ejus anni concesserunt cœnobium divorum Philippi & Jacobi in ipsa urbe Ravenna constitutum.

g *Lib. VI. pag.* 359.

In sententia hujus anni lata ab Ildebrando episcopo Volaterrano circa contro-

Ann. Chr. 1196.

controversiam, quæ vertebat inter Lambertum præpositum sancti Geminiani, & inter presbyterum Johannem plebanum de Cellulis super quadam ecclesia posita extra portam castri sancti Geminiani in burgo Cellulensi, & ædificata in honorem sancti Matthæi, designata vero a proximo Ildebrandi prædecessore Hugone Volaterrano episcopo, quam sententiam in appendice monumentorum ad epistolam de Pandectis publici juris fecit Grandius ex tabulario monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, inter ceteros testes adfuit abbas monasterii Adelmi, quod in eodem Volaterrano episcopatu situm erat, de quo cœnobio aliqua primum diximus anno 1060. & dicturi sumus seculo sequenti.

XXII. Constructio monast. Bononiensis S. Mariæ in Bethleem.

ÆDIFICATA fuit [a] præsenti anno mense octobri a Netto & a Ghislina uxore olim Albertini de Petrisano civibus Bononiensibus ecclesia sanctæ Mariæ de Bethleem una cum adjuncto parthenone, ut inservire posset pro usu sacrarum rerum, & pro domicilio sanctimonialium, quæ subessent eremo Camaldulensi, & sequerentur vestigia monialium sanctæ Christinæ de Tarvisio, itaut utraque domus tam Tarvisina, quam Bononiensis forent communes ad invicem, & in utroque tamquam in proprio sanctimoniales possent monasterio commorari, manu Guilielmi notarii. Situm erat hoc parthenon in territorio Bononiensi in curia Villæ-novæ, loco, qui appellabatur Trivium de Materatula. Anno 1212. universitas & collegium ecclesiæ sanctæ Mariæ de Billieme nominantur in charta [b] monasterii sanctæ Christinæ de Bononia. De ipso parthenone iterum ad annum 1214.

a *Amissæ* 258. *A.* 196.

b C. 33.

XXIII. Consecratio ecc. SS. Hipp. & Laurentii de Faventia.

BERNARDUS episcopus Faventinus ecclesiam sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia hoc anno dedicavit; die autem prima aprilis ipse & Joachim præpositus canonicorum cum consensu ceterorum promiserunt Martino priori Camaldulensi & Mainecto abbati dicti monasterii se occasione hujus consecrationis non imminuturos vel ablaturos jus aut honorem eremi Camaldulensis & dicti monasterii sub pœna dimidiæ libræ auri [c], manu Beneveniensis notarii. Similem sponsionem faciebant alii episcopi, quando evocabantur ad consecrationem basilicarum vel altarium a monachis. Videatur insigne exemplum apud Muratorium [d] Almeradi episcopi Draconariensis, qui seculo præterito professus fuit, nihil libertati monasterii Tremitensis velle se detractum iri, quod eam ecclesiam ipse consecravit. Refert consecrationem ecclesiæ sanctorum Hippolyti & Laurentii & Tonduccius; electus postea fuit ipse Bernardus in episcopum Papiensem anno 1198. octavo kalendas julii, cujus electionis instrumentum produxit Campius [e] in historia ecclesiastica Placentiæ.

c §. *Promissio* 68. *A.* 2. 31.

d *T. V. col.* 1037.

e *T. II. pag.* 376.

Henrici Fassi legati imperialis in Thuscia sententia pro eremo Camaldulensi, qua monachos Camaldulenses induxit in possessionem aliquorum bonorum, & ecclesiæ sancti Angeli pleberii sancti Martini, extat ad hunc annum in eodem tabulario Fontis-boni [f]. Jacobum priorem monasterii sancti Bartholomæi de Anglario exhibet alia charta ejusdem archivi [g].

f §. *Sententiæ* 5. *A.* 2. 38.

g §. *Amissæ* 257.

Ann. Chr. 1197.

XXIV. Altera sollemnis consecratio ecc. Avellanensis.

SOLLEMNI ritu consecrata fuit præsenti anno die trigesima-prima mensis augusti ecclesia sanctæ Crucis Fontis-avellanæ a Gentili legato ecclesiæ Romanæ, tredecim episcopis præsentibus, ut addiscimus ex sequenti monumento apposito ad calcem pervetusti codicis membranacei, qui lectionarium antiquum continet ad usum olim ejusdem monasterii.

Anno Dominice incarnationis M. C. XCVII. *pridie kalendas septembris tempore domini Celestini pape* III. *& gloriosissimi Henrici Romanorum impe-*

Ann. Chr. 1197.

ratoris anno eorum VII. *consecrata est ecclesia sancte Crucis Fontis Avellane, presente domino Gentili venerabili sancte Romane ecclesie legato, a domino Rainerio Castellano, & Viviano Perusino, Ugone Urbinati, Alodoro Callensi, Munaldo Fanensi, Nicolao Forosimphroniensi, Jordano Humanato, Attone Camerinensi, Grunaldesco Hesino, Vidone Asisinati, Marcho Eugubino & Ugone Nucerino venerabilibus episcopis, Henrico & Senogaliensi electo assistente.*

Altare majus consecratum est in honorem sancte & individue Trinitatis & sancte Crucis & beate Marie semper virginis, & sancti Andree apostoli, & sancti Stephani protomartyris, & sancti Laurentii levite & martyris, & omnium Sanctorum. In eodem reliquie condite sunt de filis vestimenti sancte Marie, & de manna sepulcri sancti Johannis evangeliste, & reliquie sanctorum martyrum Stephani pape, & Vincentii episcopi, & Eleutherii, & Pontiani episcoporum martyrum, & Gregorii episcopi & martyris, & sanctorum Crisanti & Darie, Primi & Feliciani, Maximi & Archelai, Benigni, Bonifacii, Nerei & Archilei, & Aquile & Priscille, & quadraginta martyrum, Agnelli abbatis, & Petri, & aliorum plurimorum Sanctorum. Et additum est de lacte & capillis sancte Dei genitricis, & de ligno Crucis.

Altare, quod est a dextra parte, est consecratum ad honorem sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & sancti Johannis evangeliste, & sancti Martini episcopi & confessoris, & sancte Cecilie virginis & martyris.

Altare, quod est a sinistra parte, est consecratum ad honorem sancte Trinitatis, sancti Jacobi majoris, & sancti Bartholomei, & beati Barnabe apostoli, & sancti Ubaldi episcopi & confessoris, & sanctarum virginum Agnetis & Lucie. Et hic sunt de reliquiis sancti Andree, & sancti Cataldi.

Altare, quod in confessione est medium, consecratum est in honorem sancte Marie, & sancti Michaelis, & sancti Johannis Baptiste, quod altare istas continet reliquias, præter antiquas, quas in medio reperimus reliquias, sancti Laurentii martyris, item sancti Felicis pape, item sancte Lucie, item XL. *martyrum, item sancti Johannis Baptiste pulveris, item sancti Felicis confessoris in Pincis. Antique iste sunt, sancti Antonii martyris, sancti Stephani pape & martyris, sancti Alexandri pape & martyris, sancti Agnelli abbatis Neapolitani, sancti Eleutherii episcopi & martyris, de sanguine sancti Bonifacii martyris, de lapide sepulcri Domini.*

Altare dextrum confessionis consecratum est in honorem sancti Thome martyris & sancti Blasii, & sancti Georgii, & sancti Claudii, in quo reliquie continentur sancti Thome martyris, de ligno Crucis Domini, de ligno, quod Dominus propria manu plantavit, item XL. *martyrum, & aliorum plurimorum.*

Altare sinistrum confessionis consecratum est in honorem sancti Augustini, sancti Matthei apostoli, sancti Nicolai & sancti Benedicti, sanctorum Mariani & Jacobi, & Migdii, in quo reliquie continentur sancti Augustini, de manna sancti Sepulcri sancti Nicolai, sanctorum martyrum Stephani & Urbani pape, & de sancti Benedicti ossibus. Laus sit tibi Christe, quoniam explicit liber iste. Deo gratias, amen.

XXV. Emendantur Ughellii & Jacobillii errores quoad hujusmodi consecrationem.

Ope hujus monumenti plures emendantur in Italia sacra Ughellii errores. Julium cardinalem consecrasse ecclesiam Avellanensem ipse scribit, cum ea consecrata fuerit a tredecim finitimarum ecclesiarum episcopis, præsente non Julio, sed Gentili venerabili S. R. E. legato. Vidimus alibi non semper legatos Romanæ ecclesiæ fuisse etiam cardinales, quare nil

nil mirum, si inter purpuratos hujus temporis patres non reperiatur nomen Gentilis. De Rainerio Castellano seu Tiphernate episcopo plura digessimus ad annum 1163. idem episcopus circa hæc tempora consecravit una cum Amadeo Arretino antistite ecclesiam & eremum Camaldulensem de Fleri in Cortonensi territorio. De Viviano Perusino, & Ugone Urbinate episcopis nihil est quod dicamus. Alodorus Calliensis ipse est, quem Alodericum Ughellius vocat, abbatem olim monasterii sancti Geruntii; typographi autem errore factum fuerit, ut in ejus elogio apud eumdem Ughellium scriptum fuerit ipsum consecrationem sanctæ Crucis Fontis-avellanæ sua præsentia condecorasse anno 1211. nec multo post superstitem fuisse. Munaldum Fanensem & Nicolaum Foro-sempronienlem recte agnovit Ughellius. Jordanum Humanatensem videbimus ad annum 1199. superfuisse. Actonis autem Camerinensis, de quo præter consecrationem hujus ecclesiæ nihil refert, monumentum attulimus ad annum 1195. qui etiam memoratur ad annum 1192. in libro rubeo signato B. statuti Fabriani ad paginam c. XLII. Grimaldum vocat Ughellius episcopum Æsinum, qui Grunaldescus dicitur in nostro monumento; ipsum monachum Avellanensem facit Jacobillius; ita & Tutonem appellat episcopum Assisinatem, qui in pagina nostra nominatur Vido. Marcum Eugubinum monachum sancti Benedicti de Avellana sedem episcopalem obtinuisse anno 1193. scribit; sed jam Sartius noster [a] & monasterium Avellanense nunquam titulum gessisse sancti Benedicti, sed sanctæ Crucis a sua origine, & Marcum anno dumtaxat 1195. inter mensem junium & inter diem vigesimam-quintam julii ad eam cathedram evectum demonstravit. Ugo episcopus Nucerinus erat ob dimissionem hujus ecclesiæ factam ab Anselmo Fulginate simul & Nucerino episcopo. Demum discimus ex allato monumento præsenti anno electum fuisse in Senogalliensis ecclesiæ episcopum Henricum, quam rem ignoravit Ughellius, errore pariter typographorum scribens ipsum interfuisse consecrationi ecclesiæ Avellanensis anno 1163.

Præter Ughellium corrigendus est Jacobillius [b], qui ecclesiam Avellanensem dedicatam fuisse asserit a cardinale Guidone Pare Gallo monacho Cisterciensi, Marchiæ & Lombardiæ legato & episcopo Prænestino. Sed & Amianus in memoriis historicis urbis Fanensis loquens de Monaldo episcopo Fanensi in plures falsas ratiocinationes gravioresque errores incidit, dum scribit Monaldum anno 1197. adstitisse consecrationi ecclesiæ sanctæ Crucis de Avellana, quæ ædificata fuit, inquit, a cardinale Guido Parte monacho Gallo Cisterciensi, si præstanda sit, subdit, fides Jacobillio, dum Ughellius ædificationem tribuit Julio cardinali, & Compagnonius in sua Regia Picena legatum Guidonem non memorat, neque Ciacconius in vitis Cardinalium de cardinale Guidone mentionem ingerit. Missis factis hujusmodi erroribus consecratio tribuenda est una cum ceteris episcopis Gentili legato sanctæ Romanæ ecclesiæ.

Prior Avellanensis cœnobii tempore, quo dedicata fuit præfata ecclesia a dictis episcopis, erat Albericus, qui anno 1195. in locum Marci fuerat electus. Alberici prioris nomen legitur in sequenti pagina, quam in suo de episcopis Eugubinis opere protulit Sartius [c]. *In nomine Domini nostri Jesu Christi a nativitate ejusdem anno mill. cent.* LXXXXVII. *tempore Celestini pape & Henrici imperatoris die* IV. *exeuntis mensis martii indictione* XV. *Foro-cinischi. Pagina refutationis & renuntiationis, quam facio ego Tedaldus filius Viviani de Pepo vobis donno Alberico priori sancte Crucis Fontisavellane ..... refuto & renuntio quidquid habeo vel habui*

Ann. Chr. 1197.

a *De episc. Eugub. pag.* 127.

b T. *III. pag.* 347.

a *Pag.* 140.

bui ego vel alii pro me in colle Silveſtri poſitum in curte Vallis ree &c. Alberici prioris nomen perſeverat in chartis Avellanenſibus uſque ad annum 1201. anno enim ſequenti 1202. nomen apparet Nicolai prioris. Johannes tamen, de quo multa diximus ad annum 1168. prior & ipſe dicitur eccleſiæ ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ ad annum 1192. & dictum videbimus ad annum 1199. & conjicimus ipſum fuiſſe quaſi priorem generalem congregationis Avellanenſis.

XXVI. Chartæ Vangaticienſes, Bononienſes & S. Victoris.

Azo marchio Eſtenſis in poſſeſſionem miſit hoc anno Livaldum priorem ſanctæ Mariæ ad Carceres paſculi in curia Palſi. *Die* autem v. *exeunte menſe junio*, præſentibus Piſtore Vicetino epiſcopo, Gerardo præpoſito, aliiſque, ipſe marchio inveſtituram fecit eidem Livaldo omnium poſſeſſionum ad Eſtenſem domum pertinentium, quas eccleſia ſanctæ Mariæ ad Carceres tunc temporis, forte minus juſte, obtinebat, ad hoc, *ut predictus prior & ejus fratres eorumque ſucceſſores, Deo dante, perpetuo debeant in hoſpitum receptione & infirmorum cura uberioribus eleemoſynis, ſicut prius bene & laudabiliter faciebant, attentius vigilare. Actum in ſolario hoſpitum ſancte Marie ad Carceres.* Chartas edidit Muratorius [a] in Antiquitatibus medii ævi ſibi a Canneto noſtro traditas.

a T. III. col. 595.

Gerardus abbas ſancti Michaelis de caſtro Brittorum cum voluntate Martini priori, nempe Camaldulenſis generalis præſidis, & Jacobi vicarii ſeu majoris eremi, & Ruſtici monachi, ſubſcribentibus etiam monachis & converſis ſui cœnobii, obſtrinxit fidem ſuam Euphroſinæ abbatiſſæ parthenonis ſanctæ Chriſtinæ de Septem-fontibus, quod nunquam moleſtiam ingeret vel infirmabit permutationem, factam de communi conſenſu, eccleſiæ ſancti Andreæ in Baſiliano, quam monaſterium ſancti Michaelis tradiderat parthenoni ſanctæ Chriſtinæ pro eccleſia ſancti Johannis de Fontana, quam viciſſim parthenon ſanctæ Chriſtinæ tradiderat cœnobio ſancti Michaelis, juxta ſententiam latam a Lupicino ſacri palatii judice & poteſtate Medicinæ. Compoſitionis & conventionis paginam damus ex tabulario ſanctimonialium ſanctæ Chriſtinæ de Bononia, confectam *anno Domini milleſimo centeſimo nonageſimo ſeptimo* III. *nonas decembris mortuo Enrico imperatore indictione* XV. Scilicet obierat die 28. ſeptembris hujus anni Henricus VI. imperator. Ante ejus obitum, *anni ſunt* M. C. XCVII. *Henrico imperatore & rex Cicilie regnante menſe junius indictione* VX. nempe *quinta-decima*, in charta autographa tabularii ſancti Blaſii de Fabriano Perfectus II. hujus nominis legitur Gualfredi abbatis ſancti Victoris ſucceſſor, qui recepit loco pignoris terras & vineas. Inter latifundiorum latera nominantur eccleſia ſancti Vincentii, foſſatum canonicæ, ſtrictum Zigiæ, ſerra Gallulæ, eccleſia ſancti Martini.

XXVII. De ecc. S. Mariæ de Arzilla in Fanenſi diœceſi, & de inſtitutione canonicorum ordinis S. Marci.

An eccleſia ſanctæ Mariæ-novæ Fanenſis, quam confirmatam videbimus anno 1237. abbati & conventui monaſterii ſancti Apollinaris in Claſſe Camaldulenſis ordinis, ut loquitur Gregorius IX. in diplomate Claſſenſibus monachis eo anno conceſſo, eadem ſit cum eccleſia ſanctæ Mariæ de Arzilla, in qua hoc anno ordo canonicus erat inſtitutus, & beati Auguſtini regula obſervabatur, incompertum eſt, licet ſubdubitemus diverſam potius fuiſſe, & quidem eccleſiam ſanctæ Mariæ-novæ in urbe extitiſſe, eccleſiam autem ſanctæ Mariæ in Arzilla fuiſſe in diœceſi. Quidquid ſit, Berardum Arzillenſem priorem ejuſque fratres ex apographo Claſſenſis cœnobii hoc anno IV. *idus ſeptembris ex Laterano per manum Cencii ſancte Lucie in Orthea diaconi cardinalis & camerarii*, Cœleſtinus III. Romanus pontifex, undecim S. R. E. cardinalibus ſubſcribentibus, ſub beati Petri protectione ſuſcepit, recenſens eorum eccleſiæ bona; lo-

cum

cum nimirum, in quo præfata ecclesia sita est, quam nobilis vir Valterus comes Fanensis provida deliberatione construxit, & ei subscriptas possessiones concessit, nempe hospitale, quod est prope ecclesiam dictam, capellam sancti Jacobi cum hospitali, constructam propriis expensis ab eodem comite, domum in civitate Fanensi cum novem hortis, vineam in plano burgi, omnes vineas, quæ fuerunt de dote Adjutæ. In Malliano vineas, quas idem comes acquisivit ab Hugone duce, campum in loco paludis, alium juxta litus maris, aliosque, quos enumerat. Valterus comes Fanensis ex familia Walteresca nominatur ad annum 1185.[a] ab Amiano in memoriis Fanensibus.

ANN. CHR. 1197.

„ Hoc anno mense augusto[b] Rainerius, facile comes de Corneto, donavit pro remedio animæ suæ Jacobo priori ecclesiæ sancti Johannis-baptistæ inter ambas Paras ejusque successoribus omnia, quæ habebat „ & tenebat a serra, quæ continetur supra Vieza ad montem Justi, & „ a serra de Valbona ad montem Hocri de patrimonio; manu Bonafide notarii; " ut legitur in excerptis Fontis-boni confectis a Baroncinio.

a *P. I. pag.* 158.

b *Amissæ* 350. *A.* 2. 40.

Referenda est ad hunc annum constructio & positio primarii lapidis ecclesiæ sancti Marci in Mantuana urbe, cui primum per quatuor fere secula inserviere canonici regulares, qui ejusdem sancti evangelistæ patrocinium & nomen sibi adsciscentes, dicti propterea canonici ordinis sancti Marci, aliorum canonicorum Portuensium Ravennæ nomen & instituta suscepere; postremis vero seculis, anno scilicet 1584. a Guilielmo Gonzaga duce Mantuæ post canonicos vocati Camaldulenses monachi ad hanc diem divinis officiis & ministeriis sedulo insistentes serviunt. Ipsius canonicæ domus & ecclesiæ hæc fuerunt ex monumentis existentibus in tabulario ejusdem loci primordia. Quidam presbyter Albertus, qui morabatur in capella monasterii sancti Andreæ ejusdem urbis tamquam frater beneficiatus ipsius cœnobii, ea lege in eodem loco residebat, ut se neque obtulisset, neque habitu monastico indui sivisset, neque professionem aut obedientiam abbati fecisset, sed libere posset ire ad quemlibet locum regularem vel irregularem cum omnibus suis libris pro sui voluntate, abbate inconsulto, sicut convenerat mutuo contractu facto inter illum & abbatem. Aderant cum Alberto Daniottus & Bogajolus, aliique fratres, aderant & Alberga, Romagna, aliæque sorores, liberi & liberæ, neque per conversionem adstricti vel adstrictæ alicui domui; cupiebant tamen locum novum construere, ubi Deo servire valerent. His ergo viris & mulieribus, sed præsertim Alberto, ad hoc ut instrueret fratres religiose vivere, & hortaretur fideles bene facere, ac loco noviter per ipsum ædificando *anno* M. C. XCVI. *indictione* XIV. *currente die lune* IX. *mensis aprilis exeunte*, hoc est anno antecedenti, Jacobus de Antelmo, consentientibus uxore sua Berta, & Acerbo de Ripalta fratre Bertæ, ac nepote Viderisio in ecclesia sanctæ Mariæ matris Domini dono dedit quasdam vineas in Monticellis apud Tascam de Lodoyco, ut supra ipsas ædificaretur ecclesia ad honorem Dei & sanctæ Mariæ virginis & sancti Marci evangelistæ, quodcumque patronatus jus remittendo. Domafollis autem alter benefactor associavit se prædictæ virorum congregationi, simulque ambo se contulerunt ad Henricum electum episcopum Mantuanum in præsentia canonicorum ejusdem ecclesiæ *anno* M. C. XCVI. *indictione* XV. *die jovis mensis januarii penultimo* (usurpatur hic annus Venetus vel Florentinus, qui stilo communi erat M. C. XCVII.) & petierunt humiliter, ut sibi concedere dignaretur primum lapidem ad ecclesiam ædificandam, apud quam viverent fratres & sorores secundum statuta apostolorum & sancti

Ann. Chr. 1197.

sancti Augustini, stabiliter determinando, ut hæc domus esset caput per se, & non subdita alteri ecclesiæ, nisi Mantuano episcopo, cui fratres quotannis solvere deberent pro canone libram unam ceræ in festo sancti Martini, de cetero libera foret a quacumque exactione; fratres de gremio suo eligerent sibi prælatum confirmandum ab episcopo Mantuano, cui per manum & osculum sine juramento obedientiæ honor exhiberetur, ad ipsum quoque spectaret canonica correctio; iidem fratres sacrorum ordinum beneficium obtinerent ab eodem episcopo Mantuano, sin vero ipse ordinationem non celebraret, possent cum ejus licentia quemcumque adire episcopum; prior demum eligeret sibi in præpositum, quem mallet. Tunc Henricus Mantuanus electus assentientibus suis canonicis concessit primarium lapidem, petitamque ecclesiæ libertatem donavit. Longo autem sui regiminis tempore optime de ea familia meritus fuit; & *anno* M. CC. XXIII. *die* IX. *exeunte majo indictione* XI. decrevit, ut domus a se ædificata super terras ecclesiæ sancti Marci post sui ipsius decessum pertineret ad eamdem ecclesiam & non ad episcopatum Mantuanum.

Anno sequenti M. C. XCVIII. *die veneris nono exeunte julio*, præsente & suadente eodem episcopo Henrico, Stephanus Sturbiadi Mantuæ potestas in publico consilio urbis Mantuæ tradidit & indulsit prædictæ ecclesiæ sancti Marci ad petitionem ejusdem presbyteri Alberti ejusque confratrum plenissimam libertatem & exemptionem ab omnibus exactionibus & oneribus, liberans tam personas, quam res a quocumque gravamine per consilium aut urbem imponendo.

Innocentius III. *anno* M. CC. VI. *pontificatus* sui *nono* XV. *kalendas februarii* confirmavit ex Urbe eidem Alberto presbytero & magistro regulam canonicam, quam didicerat & susceperat a fratribus sanctæ Mariæ de Portu, approbatam olim per Paschalem II. Rom. pont. excepta aliqua mutatione ratione victus, vestitus, silentii & modi jacendi. Inseritur bullæ pontificiæ ordo vivendi eorumdem canonicorum sancti Marci, quem Deo spondebant, quique per extensum una cum privilegio Innocentii, & cum ceteris tum superioribus, tum inferius illustrandis paginis reperitur ad calcem Appendicis hujus voluminis. Correxit aliquantulum in quibusdam eam regulam Honorius III. & rursus moderatus est Gregorius IX. die prima septembris pontificatus sui anno quinto, quæ integra legitur in novissima Bullarii Romani editione [a].

a T. III. pag. 268.

Eodem pariter anno apostolicum indultum concessit idem Romanus pontifex Innocentius ipsis fratribus de Pœnitentia sancti Marci Mantuæ, quos appellat fratres *Calendatios* ecclesiæ sancti Marci, ne possent cogi per potestatem & commune Mantuæ ad deferendum arma, vel ad militandum in exercitu, vel ad recipienda publica officia civitatis, vel demum ad solvendas collectas, & impositiones, ipsos omnino ab iis oneribus immunes decernens *secundo kalendas junii* ex urbe Perusii.

Honorius quoque III. ex Laterano *anno secundo* sui *pontificatus secundo nonas aprilis*, hoc est anno M. CC. XVIII. confirmavit donationem loci factam a Jacobo cum Berta uxore, & libertatem concessam ab Henrico Mantuano episcopo. Quo etiam anno ante paucos dies, hoc est IV. *kalendas aprilis* eisdem priori & canonicis scribens, ratam habuerat donationem ecclesiæ sancti Cataldi, quam Henricus episcopus supposuerat ecclesiæ sancti Marci. Quoad ecclesiam sancti Cataldi ejusque institutionem legitur in tabulario ipsius monasterii Sigifredum Mantuanum episcopum *anno* M. C. LXXXVIII. *indictione* VII. *die jovis* V. *intrante mense octobris* ex canonica & porticu sancti Petri de Mantua confirmasse cum locum fratri-

fratribus & sororibus hospitalis sancti Cataldi, qui ipsum ad hospitalitatem exhibendam ædificaverant, ab omni eos exactione liberos declarando. Inter ceteros, qui subscribunt post Sigifredum episcopum, legitur Burso Mantuanus canonicus domini papæ subdiaconus; inter eos vero, qui adfuerunt, Petrus monachus sancti Rufini. Idem Honorius ex Reate *idibus augusti pontificatus* sui *anno* x. privilegio suo communivit iisdem canonicis domum sanctæ Mariæ de Vincareto Foro-popiliensis diœcesis; sed de hac canonica domo seu monasterio ad annum 1226.

Ann. Chr. 1197.

Duodecimo kalendas junii pontificatus sui *anno primo* Gregorius IX. facultatem fecit celebrandi tempore interdicti. Idem privilegium approbavit Gregorius X. *decimo-sexto kalendas decembris pontificatus* sui *anno primo*. *Anno* M. CC. LII. *indictione* x. rata habita fuit sub Thoma de Ponzonis Mantuæ potestate a consilio ejusdem urbis exemptio concessa olim sub potestate Stephano Sturbiado.

Alexander IV. *decimo-tertio kalendas junii anno secundo* sui *pontificatus* eos exemit a solutione decimarum facienda Gregorio de Monte-longo electo patriarchæ Aquilejensi, & commissa Castellano episcopo, tum propter damna bellorum ipsis fratribus illata, tum propter inundationes aquarum, tum demum quia fratres, qui in aliis domibus habitabant, fugere coacti a facie Eccellini de Romano ad canonicam sancti Marci se receperant. *Quinto kalendas aprilis pontificatus anno secundo* Nicolaus papa IV. canonicos sancti Marci ipsorumque monasteria absolvit a jurisdictione ordinariorum.

Floruit hæc congregatio per quatuor fere secula tum monasteriorum, tum virorum frequentia celebris. Hæc porro monasteria sub eo ordine recensebantur. Primum, quod caput fuit ordinis, erat illud sancti Marci de Mantua, tum sanctorum Johannis & Viti in burgo, sancti Georgii suburbii Mantuæ; sanctæ Trinitatis de Mutina, sanctæ Pelagiæ de Cremona, sanctorum Petri & Marcellini de Bononia, sancti Spiritus monialium de Verona separatum ab ordine anno 1354. per Omnibonum abbatem sanctæ Mariæ in Organo; monasterium Religionis-veteris de Parma, sancti Thomæ in Berico virorum & mulierum de Vicetia, sancti Bartholomæi in Posterula ejusdem urbis, sancti Eusebii de Serafico, & sanctæ Mariæ de Fontana Vicetinæ diœcesis, sancti Antonii de Coneglano, sanctæ Perpetuæ de Faventia, sancti Leonardi de Monte-donico Veronæ unitum anno 1236. congregationi ipsorum canonicorum, sancti Francisci, sanctæ Mariæ de castro Ferino Veronensis diœcesis, sanctæ Mariæ de Paneinsacco, Omnium-sanctorum de Valdagno, Duodecim Apostolorum de Cremona, sanctæ Mariæ de Gredario Mantuæ, sanctæ Mariæ Virginum de Venetiis sanctimonialium, sancti Apollinaris de Gambara, sanctæ Mariæ Scardavillæ de Meldula, sanctæ Mariæ de Vincareto, sancti Petri, sancti Pauli de Cæsena, sancti Johannis in Siliceto de Foro-livio, sanctæ Mariæ de Succursu Terræ-arsæ Patavinæ diœcesis, sanctæ Mariæ Sarmatiæ de Capitello ejusdem diœcesis, sancti Cataldi de Armanorio Mantuanæ diœcesis & sancti Spiritus ejusdem urbis. Martinus episcopus Mantuanus *anno* M. CC. LII. *indictione decima* XI. *kalendas septembris domini Innocentii pape* IV. *anno* x. facultatem fecit canonicis sancti Marci transferendi se ad locum sancti Matthæi in Miliareto extra urbem Mantuanam in ipsorum fundo propter breve & arctum pristini loci spatium; sed primam habitationem incolere perseverarunt. Raymundus patriarcha Aquilejensis *anno* M. CC. LXXXIV. *indictione* XII. *die* V. *intrante junio* ex Utino quadraginta annos concessit indulgentiæ visitantibus ecclesiam sancti Mar-

Ann. Chr. 1197.

ci die festo ipsius & alios quadraginta die octava. Hanc confirmavit Ludovicus Scarampus cardinalis & patriarcha Aquilejensis anno M. CCCC. LV. Paganus itidem patriarcha Aquilejensis ex Placentia XII. *kalendas januarii anni* M. CCC. XXII. *indictione* V. triginta dierum indulgentiam dilargitus est iis, qui interessent prædicationibus fratrum ordinis sancti Marci, alias concedens fratribus & sororibus ejusdem ordinis. Michael Sola episcopus Bosanensis de licentia vicarii capitularis ecclesiæ Mantuanæ consecravit altare, quod erat in parte dextera ecclesiæ sancti Marci, quodque erat locus sororum ejusdem monasterii, sub invocatione beatæ Mariæ Magdalenæ, dilargitus indulgentias die dedicationis ejusdem altaris, quæ fuit XIV. *intrante majo die jovis anni* M. CC. LXXXVI. *indictione* XIV. Exierunt moniales ex hoc loco anno 1508. decreto pontificio, liberumque altare reliquerunt canonicis sancti Marci. Demum Bonifacius Corphiniensis episcopus, Raphael Nebbiensis, Vincentius Maranensis, Vitalis Amasenus, Angelus Acciensis episcopi omnibus, qui visitarent ecclesiam sanctæ Mariæ Magdalenæ juxta civitatem Mantuæ, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxarunt *die* XX. *novembris anni* M. CCC. XXXII. *pontificatus domini Johannis pape* XXII. *anno* XVII. Hæc pro notitia canonicorum ordinis sancti Marci, quorum plura monasteria una demum cum ipsorum principe sub variis annis ad Camaldulensium reformationem transierunt. Sed de iis suis locis.

Ann. Chr. 1198. XXVIII. Innocentius III. pp. Camaldulensem congregationem sub apostolica protectione suscipit.

Defuncto Cœlestino III. Romano pontifice die octava januarii hujus anni vel melius septima, cum *quidam cardinalium se contulissent ad Septasolium monasterii Clivi-scauri, ut liberius & securius ibi possent de successoris electione tractare, Lotarius cardinalis diaconus sanctorum Sergii & Bacchi cum quibusdam aliis apud basilicam Constantianam voluit decessoris exequiis interesse. Quibus honorifice celebratis ipse cum illis ad præfatum locum accessit, & ipsa die* VIII. *januarii electus fuit Romanus pontifex*, ut habet auctor vitæ ipsius a Stephano Baluzio editus, deinde a Muratorio inter scriptores rerum Italicarum; assumptoque nomine Innocentii III. die vigesima-secunda februarii consecrationis munus accepit. Amplissimum is privilegium indulsit paucis a consecratione sua mensibus, scilicet *tertio nonas maji indictione prima incarnationis Dominice anno* M. C. XCVIII. *pontificatus* sui *anno primo* Martino priori Camaldulensi ejusque congregationi, quo enumerantur monasteria omnia, quæ tunc congregationem constituebant, & eremi Camaldulensis disciplinæ parebant. Quæ de novo recensentur sunt: In episcopatu Florentino eremus Buldronis; in episcopatu Lucano monasterium sanctæ Jucundæ; in episcopatu Auximano monasterium sanctæ Mariæ in Serra, quod potius erat in episcopatu Æsino, cum prope castrum Massaccii exsurgeret; in episcopatu Anconitano ecclesia sanctæ Luciæ; in episcopatu Pisauriense monasterium sancti Vincentii, sed facile legendum sancti Decentii; in Tarvisino episcopatu monasterium sanctæ Christinæ; in episcopatu Castellano plebs sanctæ Mariæ in Soara. An tamen in ipsam plebem dominatum aliquando exercuerint Camaldulenses, non constare ex chartis Fontis-boni asserit in chronico Baroncinius. De ipsa plebe aliqua dicentur seculo sequenti. Demum recensuit Innocentius in episcopatu Bononiensi eremum Bononiensem, nempe de Burellis. Præter alia indulta enuntiata in anterioribus apostolicis bullis, hæc speciatim in Innocentiana leguntur: *Quicumque pro obsequio servorum Dei in eremo Camaldulensi degentium ad aliquas partes perrexerint tam in eundo, quam in redeundo, seu etiam stando a nul-*

lo

lo penitus molestentur. Statuit insuper, ut decimas laborum nullus ab ipsis exigere vel extorquere præsumeret, sed liberam, auctoritate apostolica, facultatem fecit eas distribuendi hospitalibus monasteriorum Camaldulensium in usus pauperum secundum antiquam eorum consuetudinem. Indulsit, ut in congregationis prælatis instituendis & amovendis sine contradictione fas priori Camaldulensi esset ea servare, quæ ab ejus antecessoribus obtenta fuere. Ratas demum habuit libertates, immunitates, necnon antiquas & rationabiles consuetudines eorum monasteriis concessas & hactenus observatas, easque futuris temporibus illibatas manere sancivit. Subscriptione privilegium firmarunt post Innocentium tresdecim S. R. E. cardinales, & *datum* est *Rome apud sanctum Petrum per manum Rainaldi domini pape notarii, cancellarii vicem agentis*, quod edimus ex autographo tabularii capituli Lucensis.

ANN. CHR. 1198.

XXIX. Idem commendat Ugoni ep. Nucerino monasterium de Gualdo.

IDEM Romanus pontifex die antecedenti ex Laterano scripserat Ugoni episcopo Nucerino, & commiserat ipsi restaurationem & reformationem in spiritualibus & temporalibus monasterii sancti Benedicti de Gualdo Nucerinæ diœcesis, quod jam vidimus sub Clemente III. professum fuisse disciplinam eremi Camaldulensis, quodque tunc a vicinis molestias patiebatur, facultatem ipsi episcopo faciens corrigendi, quæ emendationem mererentur, & opportuna statuendi, ita tamen ut ex hac delegatione libertati ipsius monasterii nullum detrimentum generaretur; quæ commissio reperitur inter Decretales epistolas ejusdem Romani pontificis [a] veteris editionis, & etiam inter collectas [b] a Stephano Baluzio. Scilicet monachi Gualdenses ferre non valentes gravamina & injurias, quæ ipsis a proximis possessoribus ingerebantur, ab apostolica sede suppliciter expostulaverant, ut fas sibi esset transferre ad loca tutiora monasterium & habitationem suam, quam licentiam Innocentius ipsis concesserat peculiari bulla, quæ etiam ipsa legitur inter veteres epistolas [c], & pariter inter Baluzianas [d].

a *Pag.* 397.
b *Pag.* 366. *T. I.*
c *Pag.* 40.
d *Pag.* 35. *T. I.*
e *SS. Umbr. T. I. pag.* 7.

Putat Jacobillius [e] ea occasione monachos Gualdenses sancti Benedicti se recepisse Romam in cœnobium sancti Pancratii; verum etiam paulo ante finem sequentis seculi adhuc perseverabat monasterium sancti Benedicti, & monachi cum abbate eum locum incolebant, ut colligitur ex vita beati Angeli eremitæ Gualdensis, quam in medium proferemus; quare potius transtulerint Gualdenses monasterium ad locum parum remotum a primo, in quo degebant, sed in ipso oppido Gualdi, ut vidimus seculo præterito monachos Silvæ mundanos licentiam obtinuisse a Leone IX. confirmatam postea ab Innocentio II. & seculo præsenti monachos sancti Savini extra Pisarum urbem ex Cerasiolo in Montionem cœnobia sua transtulisse. Re enim vera idem Jacobillius tomo III. pag. 302. id præstitum asserit a Gualdensibus & a Gerardo eorum abbate circa annum dumtaxat 1251. quo deserentes vetus incoluerunt novum positum & ædificatum in ipsa terra Gualdi.

XXX. Decianensis monasterii ecclesias recenset & confirmat.

DECIANENSIS monasterii in territorio Castellano, cujus origines dedimus ad annum 1133. abbas erat hoc anno Nicolaus, cui *die tertia maji pontificatus* sui *anno primo* Innocentius privilegium indulsit, suscipiens sub apostolica protectione ipsius monasterium, & statuens, ut ordo monasticus secundum Deum & constitutiones Camaldulenses ibidem observaretur, confirmans pariter quascumque possessiones, quæ præfatum monasterium possidebat; videlicet locum, in quo monasterium situm est, plebem sancti Cassiani, ecclesiam sancti Petri, ecclesiam sancti Pauli de Rione, ecclesiam de Agilone, ecclesias de Castro de Collalto, jus in ec-

Ann. Chr. 1198.

clesiam de Pappiano, ecclesiam de Tramoscano cum ipso castro, ecclesias de Planora, & sancti Bartholomæi de Popani, quidquid habebat in plebatu sancti Cassiani; plebem sancti Stephani juxta Tiberim, curtem ibidem; quidquid obtinebat in curtibus Belmontis de Petra-nigra, & in Mignano & in tota valle Sintiliani, & in Petra-longa; jus in ecclesiam sancti Georgii, & in ecclesiam de Sintiliano, & in toto plebatu sancti Stephani; ecclesiam de Terenzalla, & sancti Blasii prope ipsam, & sancti Thomæ de Arretio; jura in ecclesias sancti Laurentii, & Montis-acuti, & Case-novule, item hospitale de Caboe, & quidquid habebat in plebatu de Speline; ecclesiam de Vulterana, & curtem ibidem cum molendinis & domnicatis; quidquid possidebat in plebatu de Soara, ecclesiam sancti Silvestri de Anglari, & quidquid obtinebat in ipsa curte, ecclesiam de Corzano, & quidquid erat juris sui in plebatu Micciano; jus in ecclesiam de Biturita cum iis, quæ ibidem habebat, & alpes de Popani. Statuit præterea, quod nullus præsumeret exigere de cultis & animalium nutrimentis. Confirmavit immunitates, libertates & antiquas consuetudines præfati monasterii. *Datum Rome apud sanctum Petrum manu Raynaldi notarii cancellarii vicem agentis* cum subscriptione sex S. R. E. cardinalium, cujus privilegii synopsim habemus [a] ex copiosissimis indicibus Baroncinii.

XXXI. Mandat collectas fieri pro recuperatione Terræ-sanctæ.

Decimo-*tertio kalendas decembris* scripsit idem Romanus pontifex archiepiscopo Pisano & episcopo Urbinati, Martino priori eremi Camaldulensis, necnon priori canonicæ sancti Frigdiani Lucensis urbis circa erogationem pecuniarum pro locis sacris de manu infidelium eruendis. Dederat nimirum ipsis in mandatis alia sua epistola, ut ab episcopis, monasteriis & ecclesiis pecunias colligerent pro subventione Orientalis provinciæ, seu sacrorum locorum Palestinæ, quæ invasa fuerant a Saracenis. Post collectam pecuniam mandaverat, ut eam ad se Romam transmitterent; verum id nimiis occupationibus pressus scripserat, eaque dumtaxat fuerat ejus mens, ut quanta foret collecta pecunia sibi manifestaretur. Clarius ergo mense novembri iisdem scripsit, ut pecuniam collectam & congregatam in Terræ-sanctæ subsidium per diœcesanos episcopos & per duos fratres, unum militiæ Templi, alterum Hierosolymitani hospitalis, ab ipsis una cum episcopis deputatos facerent militibus & Cruce-signatis, non ad superfluitatem, sed ad necessitatem pro stipendiis ministrari. Quod vero residuum foret, converteretur in alias necessitates terræ Hierosolymitanæ. Quam ferventissime ad subventionem & recuperationem Terræ-sanctæ aspiraret Innocentius, videndus cardinalis de Aragonia in ipsius vita apud Muratorium [b]. Superiorem autem epistolam edidit Baluzius [c] post veterem editionem.

Demum die duodecima decembris confirmavit ex Laterano Camaldulensibus speciali bulla monasterium sanctæ Jucundæ de Obacula, ut legitur in archivo Fontis-boni [d].

XXXII. Hospitale pro mulieribus in urbe Pisana ædificatum. De Villana fundatrice.

Hoc *anno millesimo centesimo nonagesimo nono*, more Pisano, *indictione prima septimo-decimo kalendas julii* Bernardus quondam Ildebrandi Pittini filius, & Villana ejus uxor & filia quondam Orsici donaverunt Uguccioni Camaldulensi monacho recipienti pro Martino priore Camaldulensi, & pro ecclesia & monasterio sancti Salvatoris Camaldulensis eremi terras & domos positas Pisis prope ecclesiam sancti Laurentii de Rivolta, & prope alia loca, & Uguccio nomine ejusdem Martini promisit ædificaturum se ibidem hospitale ad opus pauperum mulierum, quod vocetur hospitale mulierum, in quo dicta Villana uxor prefati Bernardi debeat morari, & habere victum & vestitum, & necessaria convenienter secundum consuetudi-

a §. *Privilegia num.* 48. *A.* 2. 44.

b T. *III. pag.* 503.

c T. *I. pag.* 241.

d §. *Brevia* 7. *A.* 1. 47.

tudinem Camaldulensis conventus; spopondit etiam se recepturum prædictum Bernardum in conversum vel monachum, prout ipse elegerit, quando sibi placuerit. *Actum Pisis fori porte prope ecclesiam sancti Michaelis*, præsentibus donno Ubaldo hospitalario hospitalis sancti Frigdiani, & donno Alberto monacho sancti Michaelis. *Ego Mattheus de sancto Isidoro de porta maris domini Henrici Romanorum imperatoris judex ordinarius atque notarius* &c. Edidit ex archivo sui monasterii sancti Michaelis Pisarum donationem & sponsionem hanc abbas noster [a] Grandius in appendice monumentorum ad epistolam de Pandectis, & in notis huic monumento subjectis profitetur se nescire, an hæc Villana eadem sit censenda cum venerabili Villana, cujus in vita sanctæ Gherardeschæ Pisanæ viduæ & conversæ nostræ ad numerum 68. apud Papebrochium in actis Sanctorum sub die XXIX. maji fit mentio, ubi etiam recitat in commentario prævio numero III. notam marginalem codici adscriptam, in quo vita ejusdem beatæ Gherardeschæ continebatur, scilicet: *Nota, quod hæc Villana mirarum virtutum femina, de qua hic fit mentio, fuerit avia Johannis de Cinquinis patris fratrum Bartholomæi, Jacobi & Francisci Cinquinorum fratrum Prædicatorum;* quare etiam ex notitia communicata Papebrochio a Francisco-maria Ceffinio equite, quod Bartholomæus de Cinquinis in ordine Prædicatorum floruerit ad annum 1333. concludit idem celebris Actuum Sanctorum editor beatam Gherardescham ad annum 1240. pervenisse, quo illi coæva Villana potuerit vivere. Sed de Gherardescha alibi, ubi etiam ad rectiores calculos tempora Gherardeschæ exigemus. An vero Villana memorata in superiori documento eadem sit cum beata Villana Gherardeschæ cognita, in incertum etiam nos post Grandium relinquimus; non enim clare liquet ex vita Gherardeschæ, an Villana affuerit vivens coram ipsa, an vero ei apparuerit post obitum. Hæc enim in ipso capite habentur, quæ utroque modo possunt explicari. *Cum enim Villana oraret ante quamdam imaginem, quæsivit Gherardescha, quænam esset mulier orans, ab astantibus. Responderuntque illæ dicentes: Mulier ista est domna Villana, quæ orat pro civitate Pisana. Statimque descendentibus illis de oratorio, accessit ibi multitudo apostolorum, patriarcharum, & angelorum habentes cereos accensos in manibus. Iterum autem quæsivit ab eis Sancta; quare habent candelas in manibus? & responso accepto, quod venerant causa processionis fiendæ, quoniam exaudita erat oratio præfatæ Villanæ, vidit beatum Johannem evangelistam celebrare Missam in ecclesia illa; & post hæc iverunt omnes cum eis & Sancto, cum hymnis & luminaribus in vitam æternam, offerentes cereos ad pedes Dominæ nostræ. Tunc Sancta vidit ibi damnam Villanam, & accepit signum a quodam, qui dixit ei: Ecce signum do tibi, ut credas omnia, quæ vidisti. Ab hodie in die tertio domna Villana cum tribus candelis, ut ardeant in festo annuntiationis beatæ Mariæ Virginis, veniet ad domum tuam; factumque est ita.* Præsenti anno ad minus Villana, cujus fit mentio in prælaudato instrumento, viginti annos ætatis habebat. Gherardescha superrerat ad annum 1269. Eo anno Villana fuisset nonagenaria. Potuit autem factum hocce contingere, decem, viginti & etiam triginta annis ante postrema tempora Gherardeschæ. Illud unum monemus, ex superiore pagina certum exemplum peti jugalium conversorum, qui vivebant juxta consuetudines Camaldulenses; quam etiam ex eodem tabulario in Appendice recudimus.

Oriebantur de facili his temporibus controversiæ occasione sepulturæ corporum defunctorum, qui dum viverent, in ecclesiis monasticis sepeliri testamentariis tabulis suis decernebant. Mense aprili hujus anni [b] mota fuit

ANN. CHR. 1198.

a *Pag.* 246.

b *Sententia* 6. *A.* 2. 43.

Ann. Chr. 1198. fuit lis a presbytero capellano de Cesa contra priorem monasterii sancti Quirici de Fojano Arretinæ diœcesis, causa cujusdam mulieris defunctæ in domo spectante ad capellam Cesæ, sed quæ tumuli locum habebat in ecclesia sancti Quirici, ac in ultima sua voluntate declaraverat velle se ibidem sepeliri. Auditis itaque utriusque partis allegationibus, Johannes archipresbyter plebis sanctæ Mariæ de Arretio delegatus ab episcopo Amadeo, in præsentia ejusdem antistitis, definivit corpus mulieris tumulandum in præfata ecclesia sancti Quirici, manu Boni notarii.

XXXIII. Charta monasterii S. Mariæ ad Carceres.

Refutante Bartholomæo de Villa Azoni marchioni Estensi decimam in plebatu Vighizzoli, & refutante eodem Azone præfatam decimam in manu Gerardi Paduani episcopi, idem Gerardus investituram fecit dictæ decimæ Livaldo priori monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres. Eodem tempore Livaldus jure concambii investivit Gerardum episcopum, Gerardus autem Azonem marchionem, Azo postremo Bartholomæum ad feudum de tota terra & possessionibus, quæ ecclesia de Carceribus habebat in plebatu Villæ. *Actum in palatio sancte Marie ad Carceres*. Chartam produxit Muratorius in Antiquitatibus medii ævi [a].

[a] *T. III. col. 216.*

Ann. Chr. 1199.

XXXIV. Innocentius eremum Camaldulensem privilegio communit.

Innocentius III. Romanus pontifex VI. *idus martii pontificatus* sui *anno secundo* ex Laterano literas concessit hoc anno Martino priori Camaldulensi, qua eremum & ecclesias ad ipsam spectantes vetavit, ne ullus præsumeret de cetero molestare super iis bonis, quæ per annos quadraginta haud interrupte & legitime Camaldulenses possederant, paterna sollicitudine providens, ne jura ipsorum impedirentur. Extat hæc epistola apud Baluzium [b] post veterem editionem in collectione literarum ejusdem Romani antistitis.

[b] *T. I. pag. 340.*

XXXV. Idem confirmat bona monasterii S. Helenæ ad flumen Æsinum.

Idem XIII. *kal. aprilis indictione secunda incarnationis Dominice anno* M. C. XCVIII. *pontificatus vero sui anno secundo ex Laterano per manum Rainaldi domini pape notarii cancellarii vicem agentis* privilegium dilargitus fuit Nicolao abbati monasterii sanctæ Helenæ de Æsino flumine, quo confirmavit & numeravit ejusdem cœnobii bona, quæ hujusmodi sunt: Locus ipse, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesia sancti Ansovini, ecclesia sanctæ Mariæ de Montemorano, podium Castellionis, ecclesia sancti Petri de Antiqua, ecclesia sanctæ Mariæ de Panoda cum ipso castro, ecclesia sanctæ Agathæ de Fossa-ceca, villa de Serra Madii de Urso, ecclesia de Cumali-grosso, ecclesia sanctæ Crucis de Sturci, ecclesia sancti Christophori, ecclesia sancti Angeli de Castello-actonis, ecclesia sancti Johannis de Rosorio cum hominibus & possessionibus, ecclesia sancti Paterniani, ecclesia sanctæ Mariæ de Monticello-etati, ecclesia sanctæ Crucis de Bracalia, ecclesia sancti Angeli de Coriano, medietas castri Antichiæ, ecclesia sancti Martini de Granita, ecclesia sanctæ Mariæ de Lacu, ecclesia sancti Marci, ecclesia sanctæ Mariæ de Alvareto, homines & possessiones in Massaccio, ecclesia sancti Mauritii, ecclesia sancti Angeli super Heremitam, ecclesia sancti Angeli de Cambrorano, possessiones in castro Podii Cupræ cum hominibus, ecclesia sanctæ Mariæ de Caranico, ecclesia sancti Ægidii, silva Maceratæ, medietas castri Sissiani, jus in ecclesiam sancti Fabiani ejusdem castri, villa Vallis-ecclesiæ, ecclesia sancti Petri de Carpeneto, ecclesia sancti Renuntii cum ipso podio, quarta pars castri de Sassone, possessiones, quæ dicuntur Actonis monachi, cum molendinis de Camporis, molendina in rota sancti Paterniani, campus sanctæ Helenæ cum molis, possessiones de Riccis, quæ sunt in castro Forcluse & Meragi; palatium in civitate

vitate Æsina; jus in ecclesias sancti Stephani de Ruvigliano, facile Rubelliano, in ecclesiam sancti Sixti, plebis sancti Eleutherii, sancti Stephani juxta ipsam plebem, & sancti Michaelis de Jugo; item in ecclesias de curte Laccule, sancti Donati, sancti Martini de Altavilla, in canonicam sancti Angeli de Pinu, sancti Christophori de castro Forcluse, sancti Johannis Ficamarule, sancti Laurentii de Merago, sancti Petri de Rosorio, sancti Michaelis de ipso castro, sanctæ Mariæ de Monte-bamposo & Frondelloso &c. Subscripserunt viginti S. R. E. cardinales privilegio, quod edimus ex authentico anni 1340. existente in archivo sancti Romualdi de Urbe. ANN. CHR. 1199.

XXXVI. Rainerio ep. Fesulano mandat, ut proceres de Galbina molestos eremo Camald. compescat.

PARITER *nono kalendas octobris pontificatus* sui *anno secundo* Fesulano episcopo scribens idem Romanus pontifex significavit conquestos fuisse apud apostolicam sedem Camaldulenses, quod prætextu cujusdam chartæ factæ se nescientibus ab eorum priore, filii Rainerii de Galbina castrum Castellionis cum ejus curia sibi vindicassent, & Camaldulensem eremum gravare non desinerent. Se quidem olim cognitionem hujusmodi causæ demandasse Arretino episcopo, sed hunc suspectum de studio pro Camaldulensibus recusatum fuisse judicem ab iisdem proceribus. Potestatem quoque Arretinorum proposuisse judicium hocce ad se pertinere; demum Camaldulenses ad apostolicam sedem provocasse. Quapropter eidem Fesulano episcopo mandavit Innocentius, ut causam decideret cogendo partes per ecclesiasticam censuram. Hæc delegatio legitur inter epistolas decretales ejusdem Romani pontificis, & etiam inter collectas a Baluzio [a], post veterem editionem. In excerptis vero Baroncinii [b] legitur „ die XXI. novembris hujus anni Raynerium episcopum Fesulanum literis domini Innocentii papæ III. datis die XXIII. septembris delegatum apostolicum „ judicem ad cognitionem causæ vertentis inter eremitas Camaldulenses „ & inter filios Rainerii de Galbina, Albertum scilicet, Matthæum & „ Gullielminum, super castro & curia Castellionis, quorum possessionem „ prætextu cujusdam chartæ sibi a priore Camaldulensi, nescientibus ipsis eremitis, factæ sibi vindicabant, a qua causa nuper commissa episcopo Arretino, sub excusatione messium colligendarum, se subtraxerant iidem proceres & appellationem interposuerant, commisisse per „ censuram, & compulisse, ut ii ad præsentiam suam apud castrum Campi-leonis venirent, tribusque citationibus elapsis renuentes venire apostolica auctoritate excommunicasse, & ab ecclesia eliminasse, atque totam eorum ditionem interdicto ecclesiastico supposuisse, lata sententia „ coram pluribus testibus. “ Charta facta a priore Camaldulensi Placido filiis Rainerii de Galbina allata a nobis fuit ad annum 1187.

[a] T. I. pag. 457.
[b] §. *Invalidæ* 24. *A.* 2. 4.

XXXVII. Idem episcopus concordiam statuit inter priorem Camald. & monast. Agnani.

IDEM episcopus Fesulanus Raynerius tam delegatione ejusdem Romani pontificis, quam vi compromissi in se facti a Martino priore Camaldulensi ex una parte, & a Johanne abbate monasterii sanctæ Mariæ de Agnano dioecesis Arretinæ ex altera, consensu etiam Amadei episcopi Arretini, & fratrum Camaldulensium & Agnaniensium, necnon patronorum ejusdem monasterii, Berlingerii scilicet, Alberti, Farolfi & Ubertini, in causa subjectionis dicti cœnobii eremo Camaldulensi, pronuntiavit *abbatem de Agnano teneri in die sancti Romualdi personaliter accedere ad concilium Camaldulense; si legitime impeditus fuerit, debere mittere honestiorem ex fratribus suis, nisi prior Camaldulensis terminum concilii mutaverit; teneri deferre habitum album, sequi ordinem, officium, orationes, inscriptiones & cetera Camaldulensis congregationis instituta; priorem Camaldulensem recipere cum incenso & aqua benedicta in suo monasterio locisque sibi subjectis, susci-*

Ann. Chr. 1199.

suscipere fratres Camaldulenses, sicut ipse & monachi ejus debent recipi in omnibus locis congregationis; abbates electos Agnanienses intra mensem teneri super altare per librum & stolam promittere obedientiam sub pœna officii & ordinis, & quinquaginta marcarum argenti, sed liberam esse institutionem & destitutionem abbatum dicti loci, in quibus sese intromittere nullatenus deberet prior Camaldulensis. Actum in ecclesia sancti Gregorii, manu Melioris notarii. Johannes abbas Agnaniensis in locum suffectus fuerat Gregorii, de quo ad annum 1194. Fretus ipse potentia, opibus & ampla ditione sui cœnobii jugum subjectionis detrectabat. Sed alias insequentibus temporibus concertationes abbatum hujus monasterii cum prioribus Camaldulensibus suis locis afferemus.

XXXVIII. Controversia inter ep. Humanatensem & abbatiam Valle castrensem.

Controversia altera vigebat inter episcopum Humanatensem, & inter monasterium Vallis-castri quoad ecclesiam sancti Johannis Camurani, quæ ædificata erat in monte de Bucco. Lis delata fuerat ad Johannem sancti Pauli (nempe de sancto Paulo, tituli sanctæ Priscæ, & quem faciunt de nobilissima Columnensium familia) apostolicæ sedis cardinalem & Marchiæ legatum, causa appellationis, quam notaverat presbyter Adam clericus Transmundi abbatis Vallis-castri contra Sanguignum Humanatensem episcopum electum, qui pluries in anno hospitium apud ipsam petebat, decimas, synodum, mortuorum testamenta, reverentiam & obedientiam episcopalem ab ea ecclesia & ab iis, qui ipsi inserviebant, repetentem. Delegata fuerat post hæc causæ cognitio ad archidiaconum & ad archipresbyterum Anconitanæ ecclesiæ, sed cum nondum apud ipsos incœpta fuisset causa, utraque pars compromisit in presbyterum Gotium clericum dicti electi Camuranensem, qui composuit inter partes controversiam cum promissione tam episcopi una cum suis canonicis, quam Transmundi abbatis, ut legitur in charta, quam ex authentico tabularii sancti Blasii de Fabriano integram producimus in Appendice. Sanguignum episcopum Humanatensem ignoravit Ughellius, qui cum electus præsenti anno appelletur, successor datus fuit Jordano, quem ante biennium vidimus interfuisse consecrationi ecclesiæ Avellanensis. Transmundi abbatis Valle-castrensis nomen legitur etiam in charta anni 1196.

Eidem monasterio Valle-castrensi suberat, vel certe Victoriano, nunc vero subest cœnobio nostro sancti Blasii de Fabriano, ecclesia sancti Stephani de Colcelli, cujus ecclesiæ præpositum Petrum legimus in charta donationis ipsi factæ hoc anno a Rainaldo filio Berti.

XXXIX. Lazarus abb. S. Apollinaris-novi de Ravenna arbiter inter monachos S. Severi & inter canonicos Portuenses. De Aldebrando canonico.

Lazarus abbas monasterii sancti Apollinaris-novi de Ravenna arbiter electus a Munaldo priore canonicæ sanctæ Mariæ in Portu, & ab Uberto abbate monasterii sancti Severi in Classe controversiam definivit ortam inter utrumque locum hoc anno circa bona, quæ ad canonicam Portuensem, & circa ea, quæ ad monasterium sancti Severi pertinebant. Nominatur in hoc arbitrio *portus Gaj Cæsaris, qui modo vulgariter dicitur portus ganearum*. Ubertus erat abbas sancti Severi, qui successerat Jacobo. Subscribunt definitioni post Munaldum priorem septem canonici Portuenses, quorum postremus Aldebrandus canonicus & subdiaconus. Anne ex hoc monumento expiscari potest ætas sancti Aldebrandi prius canonici Portuensis, inde præpositi Ariminensis, & postremo episcopi Foro-semproniensis, quem aliqui, ut Ughellius, post Monaldum & post annum 1224. episcopatum obtinuisse ejus ecclesiæ scribunt? Papebrochius [a] e contra Cæsaris Clementinii vestigia secutus ætatem sancti Aldebrandi ad finem seculi XI. statuit, ipsumque existimat sedisse inter Fulcoinum ab anno 1076. & inter Gualfridum, cujus memoria extat ad annum

1140.

a *Act. SS. T. I. pag.* 158.

1140. consecratumque fuisse forte a Gregorio VII. Romano pontifice. Fulcoinum vidimus episcopum Foro-sempronienſem perveniſſe ad annum 1086. adhærentem eo anno partibus Guiberti antipapæ, adeoque supervixiſſe Gregorio VII. Præterea canonicorum Portuenſium institutum assignandum eſt ad annum 1114. quo confirmata Petri Honeſti regula fuit a Paschale II. Videtur itaque non potuiſſe Aldebrandus eſſe episcopus Foro-sempronienſis desinente ſeculo XI. & prius fuiſſe canonicus in cœnobio ſanctæ Mariæ in Portu Ravennæ, inde præpoſitus Ariminenſis, præſertim cum fere centenarius obierit in episcopatu. Quare credibilius eſt Aldebrandum fuiſſe electum episcopum Foro-sempronienſem tantummodo poſt Nicolaum, qui anno 1197. unus fuit ex iis episcopis, qui interfuerunt consecrationi eccleſiæ ſanctæ Crucis Fontis-avellanæ, & ante Ubertinellum, qui episcopus ejus urbis erat anno 1217. & ante Monaldum appellatum episcopum electum anno 1219. Poſt hunc itaque annum 1199. quo erat adhuc canonicus Portuenſis, ad breve tempus præpoſituram Ariminenſem obtinuerit, inde episcopatum Foro-sempronienſem ad plures annos. Poſt Aldebrandi obitum *Fanenſis populus vicit civitatem Foro-sempronienſem, & pro despectu asportaverunt duas campanas de eccleſia ſancti Aldobrandi, & poſitæ in campanili Fanenſi non pulſabant*, ut habetur in vita ejuſdem ſancti. Hæc depopulatio urbis Foro-sempronienſis facta a Fanenſibus contigit circa eumdem annum 1217. & ſub episcopatu Ubertinelli, ut teſtis, quoad tempus, eſt Honorius III. Romanus pontifex in bulla excommunicationis Fanenſium anno ſequenti 1218. apud Amianum [a]. Ante episcopatum, cum præpoſitus Ariminenſis eſſet Aldebrandus, populo prædicabat, *quod tunc non erant ordines Mendicantium*. Hæc quidem præcisam Aldebrandi ætatem non indicant, ſed declarant ſaltem paulo poſt ejus ævum excitatos fuiſſe hujuſmodi ordines. Ceterum confuſa eſt apud Ughellium ad hæc tempora ſeries episcoporum Foro-sempronienſium, & conſulatur Amianus tum loco laudato, tum etiam in hiſtoriæ Fanenſis parte prima ad annos 1218. & 1219.

ANN. CHR. 1199.

a *App. T. II. pag.* XXVII.

BONINSEGNA poteſtas Arretinæ urbis hoc anno [b] die XXIV. novembris, habito conſilio Guidonis militis tunc camerarii prædictæ civitatis, & aliorum conſiliariorum omnium conſenſu, pro amore Dei & reverentia ſanctorum martyrum Laurentini & Pergentini, remiſit in perpetuum presbytero Johanni rectori ejuſdem eccleſiæ omne datium & collectam exigendam a communi Arretii, recipiendo eccleſiam, rectores, & bona ipſius ſub protectione ejuſdem communis, manu Omneboni notarii. Ubertus rector ejus eccleſiæ legitur ad annum 1160. [c] in excerptis Baroncinii. Rainerius capellanus ad annum 1191. [d] Seculi ſequentis initiis hæc eccleſia data fuit Camaldulenſibus, qui monaſterium ſub titulo prioratus prope ipſam ædificarunt.

XL. Chartæ ad varia monaſteria pertinentes.

b *§. Amiſſæ* 265. *A.* 208.

c *Ibidem* 202.

d *Ibidem* 244.

Azo Eſtenſis marchio pro permutatione domus in Atheſte poſitæ, quam Livaldus prior ſanctæ Mariæ ad Carceres dederat eidem marchioni, & etiam in remiſſionem peccatorum ſuorum, & præclaræ memoriæ marchionis Obizonis inveſtivit eumdem Livaldum de tota terra dicta Vallis-Zambonini, cum penſione etiam unius libræ olei, quod ardere deberet ante altare beatæ Mariæ eccleſiæ de Carceribus. Paginam datæ poſſeſſionis edidit Muratorius in Antiquitatibus medii ævi [e].

De mandato Innocentii III. Romani pontificis Gerardus episcopus Bononienſis confirmavit hoc anno [f] electionem factam Johannis a monachis in abbatem ſancti Adalberti in inſula Perei, cujus nomen in paginis Claſ-

e *T. III. col.* 161.

f *Arch. archiep. Ravenn. J.* 4196.

ſen-

Ann. Chr. 1199.

sensibus & archiepiscopatus Ravennatis ac tabularii sancti Vitalis Ravennæ legitur etiam sub annis 1202. 1206. 1207. 1219.

In antiquis statutis Reipublicæ Pisanæ, quorum membranaceum vetustum exemplum adservatur in collegii Sapientiæ Pisanæ bibliotheca, ad librum IV. & caput 72. sub hoc anno sequens statutum adnotatur pro tuitione loci sancti Savini, cujus tituli monasterium insigne tertio ab urbe Pisana lapide extabat: *Et per reverentiam beati sancti Savini, & honorantiam loci volumus nos supradicti potestates & capitaneus, quod cum pulsarent ibi ad Sturinum homines pleberii sancti Laurentii de curtibus & illius contratæ, possint, & eis liceat trahere & ire ad ipsum locum sancti Savini, & ibi stare per defensionem dicti loci, & inde redire cum quibuscumque armis, absque aliqua pœna & banno de ipsa tractione & de ipsis armis. Hæc statuta fuerant tempore domini comitis Ugolini de Donoratico sextæ partis regni Kalaritani, & domini Ugolini vicecomitis judicis Gallurensis ejusdem regni Kalaritani tertiæ partis domini, Pisanorum Dei gratia & Pisani districtus potestatum & capitaneorum ac gubernatorum.* In chronicis Pisanis nomen Ugolini & Gerardi comitum de Donoratico, & dominorum tertiæ partis regni Kalaritani legitur ad annum 1259. qui forte fuere nepotes Ugolini potestatis hujus anni. Quoad castrum autem Morronæ Ubaldus archiepiscopus Pisanus mandavit hoc anno consulibus ejusdem castri, ne aliquid ullo tempore tentarent contra honorem suum vel archiepiscopatus Pisani, neque inciderent ligna de Montanino & de Aquisiana absque licentia archiepiscopi. Præceptum edidit Muratorius in Antiquitatibus medii ævi [a].

a T. II. col. 1183.

XLI. Traditiones factæ ab Avellanensibus communi Fabriani.

Præsenti *anno* M. C. *nonagesimo nono* v. *idus februarii indictione* II. Johannes ecclesiæ sanctæ Crucis Fontis-avellanæ prior, præsentibus & volentibus domno Johanne præposito ecclesiæ sanctæ Mariæ Vallis-meragi, & domno Raynaldo, & domno Transemundo ejusdem ecclesiæ monachis dedit atque concessit in perpetuum Vizzoni & Ballono consulibus Fabriani nomine totius universitatis castri Fabriani recipientibus omnes homines, quos habebant ecclesia sanctæ Crucis, & ecclesia Vallis-meragi a Sentino usque ad castrum Fabriani, nomina quorum hæc sunt *&c.* Actum in ecclesia sancti Venantii de Fabriano *&c.* Ego Fabianus notarius *&c.* Hæc discimus ex Sartio [b], qui ea habuit ex codice membranaceo [c] archivi secreti Fabriani. Raynaldus & Transemundus ex monachis Avellanensibus postea transierunt, ille ad infulas Nucerinas, hic ad Senogallienses. Ecclesia parœcialis sanctæ Mariæ de Valle-mergo, vel Merago, dicta etiam Monticellorum in curia castri Gengæ districtus Fabriani pertinebat seculo XV. ad monachos congregationis sancti Silvestri.

b *Cupra Mont. pag.* 96.

c *Lib. Rosso pag.* 120.

Obiit hoc anno memorabilissima sui temporis mulier, & ut ait Brunatius [d], multiplex opum & maritorum, quorum sex subsecutive habuit, Speronella Patavina ex nobilissima Tanselgardorum familia, quæ in suis testamentariis tabulis confectis [e] præsenti *anno* M. C. XCIX. *indictione* II. *decimo intrante junio*, reliquit hospitali de Portu-sicco de Venetiis libras XX. monasterio sancti Erasmi libras X. sancti Servilii libras X. sancti Clementis libras X. sanctæ Mariæ de Caritate libras X. sanctorum Blasii & Cataldi solidos centum, monasterio sanctæ Crucis de Venetiis libras X. sancti Secundi libras X. sanctæ Mariæ de Mandria solidos X. & parthenoni nostro sanctæ Christinæ de Tarvisio libras X. Rogavit tabulas Albertinus Nicolai notarius sacri palatii.

d *De Re Num. mar. pag.* 37.

e *Ap. eumd. MS. collect. pag.* 1432.

Spe-

SPECTANT ad hunc circiter annum donationes Constantini judicis Arborensis & Annæ ejus uxoris factæ monasterio sanctæ Mariæ de Bonarcanto Sardiniæ insulæ, quod subjectum erat abbatiæ sancti Zenonis Pisarum. Donationes scriptæ sunt lingua partim Latina, partim veteri Sarda, ex quibus intelligimus Constantinum & Annam consilio Arborensis archiepiscopi Homodei tradidisse monasterium præfatum disciplinæ & regimini abbatis sancti Zenonis, qui omni tempore mittere deberet de monachis suis, qui regerent illud & ordinarent, & per manus illius statueretur præpositus, quem ipse elegerit, de voluntate tamen regum Arborensium. Hæc videtur potius confirmatio, quam prima traditio hujus monasterii Bonarcanti abbatiæ sancti Zenonis, quam tomo præcedenti vidimus factam sub Villano archiepiscopo Pisano. Donavit idem Constantinus monasterio Bonarcanti ecclesiam sanctæ Victoriæ de Monte-sancto, ecclesiam sancti Augustini de Austis, ecclesiam sancti Petri de Vidoni, ecclesiam sanctæ Mariæ de Boele, ecclesiam sancti Seregi de Suri, ecclesiam sanctæ Victoriæ de Serla, ecclesiam sancti Georgii de Calcaria, ecclesiam sancti Simeonis de Vesala, ecclesiam sancti Petri de Mille-picinu, ecclesiam sanctæ Coronæ de Vivora, & ecclesiam sanctæ Barbaræ cum turre. Nominantur in hac donationis charta plura loca & castra, & flumina, quæ topographiam Sardiniæ illustrant. De ecclesia sancti Petri de Mille-picinu dicitur ipsam ædificatam fuisse a domina Focode, quæ fuit regina de Logu, & uxor judicis Comitæ de Salanis; Petrum autem judicem Arborensem confirmasse donationem dominæ Focodæ. Sed cum Petrus judex Arborensis reperiatur apud Muratorium [a] vixisse ad tempora Gregorii papæ IX. ad annum 1237. cui etiam promisit solutionem census pro judicatu Arborensi, & in nostris chartis ad annum 1236. dicendum est hanc Petri judicis confirmationem additam fuisse posteriori tempore præfatæ chartæ, quam in Appendice edimus ex apographo Abrahamii canonici Pisani.

ANN. CHR. 1200

XLII. Donationes regum Sardorum monasterio S. Mariæ de Bonarcanto.

Refertur ad eadem tempora altera charta Bernardi archiepiscopi Arborensis confirmantis easdem ecclesias abbati sancti Zenonis Pisarum. Data ipsa legitur *anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo indictione quartadecima* XIII. *kalendas novembris*; sed juxta indictionem diploma archiepiscopale pertinet vel ad annum 1196. vel ad 1211. quibus decurrebat indictio XIV. præsertim cum circa hunc annum Homodeus esset archiepiscopus Arborensis, & propterea Bernardus vel præcesserit, vel locum obtinuerit archiepiscopatus post Homodeum. Illud etiam non incongrue diceretur Bernardum & Homodeum unum fuisse archiepiscopum Arborensem, qui duplex nomen gestaret, cum in superiore Constantini donatione nominetur Homodeus archiepiscopus Arborensis, sed in subscriptione reperiatur Bernardus Arborensis archiepiscopus. Bernardus itaque archiepiscopus Philippo abbati sancti Zenonis Pisarum, & alteri priori monasterii Sardi sancti Zenonis a Bonarcanto confirmavit ecclesiam sanctæ Mariæ de Bonarcanto, monasterium sancti Zenonis ibidem positum, ecclesiam sancti Georgii de Calcaria, ceterasque superius nominatas, *quas*, inquit, *vobis & ecclesiæ vestræ concedimus & confirmamus; licet*, subdit, *eas tanto tempore quiete & pacifice possideatis, cujus non extat memoria*; adjiciens jus decimarum, oblationum, primitiarum, sepulturæ, pœnitentiarum *&c.* excepta administratione sollemni baptismi non habenda, nisi in ecclesia sancti Augustini de Austis. Vetat insuper, ne aliquis in parœciis dictarum ecclesiarum, nisi de ipsorum licentia, sub excommunicationis pœna quiret oratorium vel ecclesiam fabricare. *Datum Pisis in ballatorio domus claustri ecclesiæ sanctæ Vivianæ*, præsente Bernardo monacho san-

a *Antiq. medii ævi T. VI.*

Ann. Chr. 1200.

cti Zenonis, ipso Bernardo archiepiscopo subscribente, & Bonalbergio Ventrilio notario chartam roborante. Adjecit archiepiscopus ad calcem paginæ fratres sancti Zenonis habere potestatem eligendi sibi præpositum in monasterio Bonarcanti, cum hac tamen reservatione, ut prior electus agnosceret judicem Constantinum ejusque successores pro patronis dicti cœnobii, sicut præpositus eligeretur de voluntate & consensu ejus suorumque successorum. De aliis confirmationibus regum Arborensium agemus ad annum 1237. ad quem melius quam ad præsentem annum credimus chartas ceteras esse referendas.

XLIII. Chartæ Bononienses & Pisanæ.

Judex communis Bononiensis ex delegatione Rolandi Rubei potestatis Bononiæ sententiam tulit hoc anno de causa, quæ vertebat inter Rodulphinum sindicum universitatis sive cœnobii sancti Michaelis de castro Brittorum, & inter quemdam Justinianum ejusque filios, qui dicebantur ædificia erexisse in possessione præfati monasterii posita juxta flumen Idicis. Judex sententiam tulit pro monasterio, cujus abbas erat Gerardus. *Actum in Saragoza sub porticu dicti judicis, qui dicitur Prior, anno Domini* M. CC. *tertio idus martii indictione* III. In chronico Bononiensi ex Lolliniana bibliotheca deprompto a V. cl. Lucio Dolleonio ad hunc annum fit mentio ejusdem Rolandi de Rubeis de Parma potestatis Bononiæ.

Cum ecclesia sancti Laurentii de Rivolta subjecta monasterio sancti Michaelis de Burgo Pisarum expensis parochianorum ejusdem ecclesiæ & aliorum benefactorum ædificaretur, sive ampliaretur majori murorum circuitu propter frequentiam & multitudinem populi ejusdem ecclesiæ; & cum Guido abbas sancti Michaelis insuper elegisset ejusdem parœciæ operarios quosdam ad ædificium faciendum, ne aliquando controversia oriretur super jure patronatus ejusdem ecclesiæ causa novi ædificii, operarii & parœciani præfati pro toto populo protestati fuere coram dicto abbate se successoresque suos nullum jus sibi vindicaturos in præfatam ecclesiam, asserentes se *ædificium facere Dei amore. Anno incarnationis* M. CC. *indictione tertia* III. *nonas martii.*

XLIV. Commissio facta ab Innocentio III. cognitionis cujusdam causæ matrimonialis.

Legitur in Decretalibus constitutionibus Innocentii III. eumdem Romanum pontificem commisisse præsenti anno quamdam matrimonialem causam cognoscendam priori sanctæ Mariæ ad Carceres, & L.. canonico sanctæ Mariæ de Mandria, commissam olim abbati de Calven. & archipresbytero Paduano. Abbas de Calven. facile est abbas de Carraria. Prioratus autem de Mandria juxta Patavium erat hospitale, non tamen subjectum Hierosolymitano, ut ex altera charta ad annum 1203. liquet. Livaldus vero prior erat sanctæ Mariæ ad Carceres, sicut canonicus Mandriensis, cui commissa fuit causa, Luscus ex alia charta hujus temporis. Utrumque monasterium tam Carcerum, quam de Mandria initio seculi XV. traditum fuit a Gregorio XII. Rom. pont. monasterio nostro sancti Michaelis de Muriano. De cœnobio Mandriensi agemus eo tempore.

XLV. Initia monasterii Camalduli Foro-liviensis.

Auliverius filius quondam Melotti donavit Martino priori Camaldulensi ejusque eremo terras in loco dicto Casale in plebe sancti Martini territorii Foro-liviensis, cum ea conditione, ut super eas ædificaretur ecclesia. Hæc sunt initia monasterii Foro-liviensis sanctæ Mariæ de Casale, sive Camalduli Foro-liviensis, de quo & de multis concordiis secutis cum episcopis Foro-liviensibus & cum abbatibus sancti Mercurialis aliqua dicemus initiis seculi novi.

Philippo priori monasterii sancti Bartholomæi Anglarii in autographo archivi Fontis-boni donatio facta legitur sub hoc anno a Bertha de Valle-caprese, & ab Adalasia ejus filia, quæ donarunt omnia bona sua præ-

fato

fato monasterio; Philippus e contra ea ipsa bona prædictis mulieribus redonavit libellario nomine cum censu unius statualis candelæ. Ad pia loca redibant hæc bona post obitum donatorum, qui interea dum vivebant, iis fruebantur, sub aliqua levi statuta pensione.

ANN. CHR. 1200.

XLVI. Agnanienses subjecti Camaldulensibus. Tempus episcopatus Eugubini Marci prioris Avellanensis.

JOHANNES abbas monasterii sanctæ Mariæ de Agnano in territorio Arretino [a] morem gerere volens sententiæ latæ anno antecedenti a Raynerio episcopo Fesulano, stans in ecclesia sancti Michaelis Arretii osculatus est librum & stolam, quæ gerebat Martinus prior Camaldulensis, eademque accepit de ipsius manibus, & super altare dictæ ecclesiæ obtulit, sine tamen præjudicio ejusdem sollemnitatis & functionis, quam tam ipse, quam ejus successores facere tenentur apud Camaldulum juxta sententiam ejusdem Fesulani episcopi. Actum in præsentia domini Gregorii Arretini præpositi & aliorum quamplurium, manu Alberti notarii.

a §. *Promissio.* 69. *A.* 3. 8.

Ad hunc annum pervenisse Marcum ex priore Avellanensi Eugubinum episcopum haud spernendis rationibus demonstrat [b] Sartius. Cum enim obierit die XXVI. januarii, ut ad eam diem adnotatur in necrologio Avellanensi: *Obiit domnus Marcus episcopus Eugubinus monachus nostræ congregationis*; & cum gravem habuerit controversiam cum Raynerio abbate sancti Petri Eugubii, ob quam Innocentium III. Romanum pontificem Perusii degentem adiit, ut sua auctoritate quæstioni finem imponeret, quod postea fecit iis literis, quæ decretalium libro V. tit. XXXIII. de Privileg. cap. *Cum olim.* & inter ejus pontificis epistolas pag. 416. edit. Venet. anni 1577. referuntur, id præstari nequivit a Marco anno 1198. qui fuit primus annus pontificatus Innocentii; nam cum Innocentius die XXII. februarii consecrationis munus acceperit, Perusium se conferre non potuit Marcus, nisi post eam diem; immo cum Albertus electus fuerit episcopus Eugubinus anno 1200. & aliunde argumenta non habeantur, quibus probetur Albertum non fuisse immediatum Marci successorem, ad diem XXVI. januarii ejusdem anni 1200. referendus est Marci obitus.

b *De episc. Eugubinis pag.* 128.

XLVII. De monasterio Mantignani.

IN actis autographis pro Johanne episcopo Florentino contra abbatissam de Mantignano exaratis anno M. CC. XI. in curia Raynerii episcopi Fesulani, coram ipso Fesulano episcopo & coram Henrico præposito Pratensi, habemus hoc anno M. CC. Martham abbatissam ejus parthenonis fuisse confirmatam a Martino priore Camalduli-majoris, sicut ad annum M. CC. XI. Justinam, quæ Marthæ successit, eamdem confirmationem accepisse ab abbate monasterii Septimi, & a priore majoris Camalduli, qui tunc erat Guido. Scilicet Florentinus episcopus Johannes eo postremo anno affirmabat jurisdictionem sibi competere in electionibus abbatissarum de Mantignano, productique fuere testes, qui plura deposuerunt, quibus tum ejusdem monasterii, tum episcoporum Florentinorum historia illustratur. Ex his intelligitur *Gothifredum episcopum deposuisse abbatissam Ciliam*. Episcopus Florentinus fuit Gothifredus ab anno 1113. ad annum circiter 1143. *Bertam abbatissam combusisse privilegia sui monasterii, publicamque famam esse idem monasterium esse exemptum, Guallam cardinalem habuisse libras quatuor; nec episcopum Florentinum defendisse monasterium tamquam sibi suppositum, & abstulisse illis officium*. Hæc contigisse potuerunt sub Athone vel sub Ambrosio episcopis Florentinis. *Mortua Berta plebanum de Septimo & capellanos ac viros meliores ad ejus exsequias convenisse & ad electionem alterius, & contradicente plebano de Septimo electam fuisse Julittinam in abbatissam confirmatam a Gualterio abbate de Spugna & ab abbate de Martire. Privilegium autem Gualterii abbatis visum fuisse a magistro Gualterotto, qui modo est episcopus*. Nul-

Ann. Chr. 1200.

lum per hæc tempora episcopum Gualterotti nomen habentem agnovit Ughellius. *Bernardum episcopum Florentinum cantasse missam in exsequiis cujusdam defuncti, & Rainerium Fesulanum episcopum, qui tunc erat archidiaconus Florentinus, cantasse epistolam. Julittinæ successisse Martham, confirmatam a priore Camaldulensi. Marthæ autem Justinam electam eo anno* M. CC. XI. *Rainerium episcopum Fesulanum ivisse ad monasterium de Mantignano, ut componeret inter abbatissam Julittinam, & episcopum Florentinum Petrum.* Petrus Bernardo successit anno 1189. Bernardus autem Zenobio anno 1182. Zenobius vero Julio, qui successerat Ambrosio anno 1158. quique etiam Julius *venit ad monasterium de Mantignano, ubi duæ moniales ipsi promiserunt obedientiam.* Lata fuit tamen sententia ad favorem episcopi Florentini Johannis cum ea declaratione, quod Mantignani monasterium non gauderet exemptione. Vetus Mantignani monasterium suppressum fuit ab Eugenio IV. Romano pontifice, qui erexit abbatiam in hospitale pro quatuor alendis pauperibus feminis, quas gubernaret femina vel conversa ad nutum abbatissæ sanctæ Apolloniæ de Florentia, quæ ipsas provideret, & insuper eligeret duos presbyteros, qui ecclesiæ inservirent. Hæc non inutiliter a nobis afferuntur tum ad historiam monasterii veteris de Mantignano, tum ad illam parthenonis sanctæ Apolloniæ de Florentia, cui illud unitum fuit, quod postremum seculo XIV. erectum semper retinuit a sui institutione usque ad hodiernam diem sub regula sancti Benedicti vestes albas.

XLVIII. De beatis Antonio Perusino & Johanne Tiphernate.

FLORUISSE ad hæc tempora beatum Antonium patria Perusinum & beatum Johannem Tiphernatem seu Civita-castellanensem in monasterio præsertim Vallis-castri aliisque congregationis nostræ cœnobiis, & magno orationis & contemplationis exercitio, pœnitentiæ & voluntariæ macerationis exemplo fulsisse, sancteque obiisse auctor est Grandius. De iis nihil præterea scimus. Eorum nomina scripta sunt in catalogis veteribus nostris, aguntque de ipsis auctores omnes nostri nudo fere nomine contenti.

XLIX. Bononiensis, Galeatensis & Burgensis monastriorum monumenta.

AD PERFECTIONEM redacta ecclesia sanctissimi Salvatoris & sanctæ Mariæ in silva de Burellis territorii Bononiensis, quæ postea appellata fuit Camaldulum Bononiense, sollemni ritu consecrata fuit hoc anno M. CC. *quartodecimo kalendas julii indictione tertia* a Gerardo episcopo Bononiense, interventu canonicorum, presbyterorum aliorumque nobilium virorum, ut testatur pagina donationis, scripta ea ipsa die a Blanco de Baxacomatre, qui Martino majori priori & eremitis dicti loci terras donavit in dotem ipsius ecclesiæ. Sic enim legendum existimamus, non *anno millesimo ducentesimo quartodecimo, kalendas julii*, cum eo anno indictio foret secunda. Gerardus pariter episcopus Bononiensis annum 1213. non excessit. Martinus vero prior, seu major eremi Camaldulensis de Bononia ad hunc annum 1200. effertur in aliis paginis ad eamdem eremum spectantibus.

Suavizzo abbati monasterii sancti Hilari de Galeata suffectus fuerat Benedictus, „ qui, teste Rubeo [a], hoc anno decimo kalendas decembris, „ monachis suis adsentientibus, cum esset Cerviæ, præsente Alberto ejus„ dem urbis episcopo, confirmavit Wilielmo archiepiscopo Ravennati ju„ re emphyteotico dimidiam partem juris, dominatus ac vectigalis, quæ „ habebantur in castro Civitellæ, ejusque curte, in monte Veclo, in „ fossa Luparia, in Collina, in Pato, in monte Rovereto, in Fasale, in „ Porticello, in monte Leo, in Metteleno, in sancto Martino in ceteris„ que omnibus, quæ ..... Brittonorii olim habebat ab ecclesia sancti Hi„ lari. " Pagina servatur adhuc in chartulario archiepiscopatus Ravennatis capsula I. numero 4579.

a Lib. VI. pag. 367.

Hie-

Hieronymus Gherardus in MSS. monumentis Burgensibus asserit anno præsenti M.CC. abbatem Burgi-sancti-Sepulcri obtinuisse ab Innocentio III. Romano pontifice jus deferendi mitram & baculum pastoralem; anno postea 1215. interfuisse concilio generali Lateranensi. De donationibus ab ipso abbate factis sancto Francisco novi ordinis institutori, quem concionantem voluit in sua abbatiali ecclesia, alibi dicemus. Ad annum 1203. abbas ejus monasterii erat Petrus, qui testis interfuit promissionibus factis a Philippo Sueviæ duce, ut Romani pontificis Innocentii III. gratiam aucuparetur subdolis suis artibus pro adipiscendo imperio. Ann. Chr. 1200.

L. Vita B. Mariæ Pisanæ seu de Pugnano. De monasterio Pisano S. Annæ.

Contigit circa hunc annum recessus in solitudinem beatæ Mariæ monialis sancti Pauli de Pugnano, quæ dicta fuit communiter Maria Pisana, vel a Kinsica, cujus vitam ex veteri codice monasterii sanctæ Annæ Pisarum conscripsit Grandius noster; typis inde Venetis anno 1736. edidit Franciscus Rainerius Clarius. Prima tamen, quæ ex antiquo codice vitam beatæ Mariæ in vernaculum sermonem transtulit, fuit anno 1619. Ursula Pagni Pisana sanctimonialis ejusdem asceterii sanctæ Annæ. Putat idem Grandius monasterium Pugnanense sub directione fuisse circa hæc tempora monachorum Camaldulensium sancti Savini: illud nobis exploratum est tempore Guidonis abbatis hujus monasterii, scilicet anno 1115. cœnobium sancti Savini terras obtinuisse prope castellum Pugnani. Assentiri tamen Grandio nequimus, qui arbitratur Mariam ad cœlestem sponsum transiisse hoc anno. Cum enim, ut mox videbimus, in puellari esset ætate Maria constituta tempore beatæ Bonæ feminæ similiter Pisanæ, & Bona ad Deum evolaverit anno 1207. post puellarem autem ætatem Maria matrimonio prius juncta fuerit, inde marito consentiente monasterium petierit, videtur hoc postremum contingere potuisse ultimis tantummodo annis vitæ beatæ Bonæ. Nos quandoquidem & de ipsa Bona, & de beata Villana aliqua, sed præsertim de beata Gherardescha in his Annalibus multa sumus dicturi, vitam etiam beatæ Mariæ de Pugnano monialis seu oblatæ monasterii sancti Savini ex ipso Grandio uno conspectu subjicimus, quæ per compendium est hujusmodi: „ Nata est Maria Pisis in vicinia sancti Martini in Kinsica optimis parentibus; pater „ mercaturam exercens in mari vi procellæ submersus cum aliis periit. „ Remansit Maria cum matre & fratre parvo; non diu post mater graviter infirmatur, illi Maria inserviit in omnibus necessitatibus multa „ cum devotione & magna humilitate, familiariter usa est beata Bona „ virgine Pisana tunc vivente plena Spiritu-sancto, cum qua ecclesiam „ sancti Martini sæpius invisebat; præviderat autem beata Bona in Spiritu, puellam hanc magnam Jesu-Christi famulam evasuram, & sibi „ sociam in æterna gloria futuram, unde ipsam tenero amore prosequebatur. Interim crevit matris ægritudo, quæ ipsam vita privavit. Sola „ igitur Maria remansit cum fratre parvulo, cujus curam velut mater „ gerebat usque ad juvenilem ætatem; interea jugiter se Deo commendans, ut quoniam mater & pater illam dereliquerant, Dominus ipsam „ assumeret, ejusque salutis curam haberet, inspirans ipsi, quem statum „ posset eligere, consanguinei autem ejus pudicitiæ consulentes multis rationibus & precibus ad conjugium hortati sunt; itaque Dei voluntati „ cedens virum tam divitiis, quam optimis sanctisque moribus sibi non „ imparem copulavit, quocum perhumaniter fideliter ac caste vixit, qui „ sollicite suis ipse manibus laborabant die ac nocte, scientes scriptum esse: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi „ erit. Interea vir gravi infirmitate torquetur; Maria ingenti caritate &

„ humili-

Ann. Chr. 1200.

„ humilitate ipsi assidue inserviebat, & admonebat Deo gratias ageret, „ quod boni patris officium in ejus castigatione & purgatione compleret; „ itaque hortabatur in pœnam peccatorum suorum patienter infirmitatem „ sufferret. Sane virtus hujus servæ Dei multarum virginum merita ex- „ cessit, nam magni intellectus, sed paucorum verborum fuit, & veluti „ Sol mundo reluxit, domum & patriam suam miris virtutibus illustrans. „ Quia tamen Dominus mortificat & vivificat, post multas beatæ Mariæ „ lacrymas, post inenarrabiles labores & angustias, quas vix lingua ex- „ plicare possumus, ob infirmitates viri exantlatas vir sanatus est; ipsa „ vero ut apis argumentosa Christo deservire cupiens, cordis sui deside- „ rium viro manifestavit, se nimirum optare ob amorem Christi & ad „ salutem animarum suarum, ut simul deinceps caste viverent. Assensum „ vir præbuit a Deo inspiratus; ipsa gratias Deo egit pro dono hoc im- „ petrato, & suam ac viri puritatem Domino commendavit, seque de- „ inceps penitus Deo addixit dicens: Mihi adhærere Deo bonum est, „ ponere in Domino Deo meo spem meam. Itaque mundi delicias despi- „ ciens, cilicio carnem domabat, honestis vestibus illud cælans, ac Deum „ gemitibus ac lacrymis exorabat; & non diebus neque noctibus a collo- „ quiis divinis & oratione cessabat, quotidianis jejuniis & abstinentiis a „ carnibus perpetuas vigilias & orationes adjungebat; nudis tabulis ligneis „ pro lecto utens. Interea vir suus ob remissionem peccatorum suorum „ sepulcrum Christi visitare constituit, aliaque Palæstinæ loca. Hunc Ma- „ ria de omnibus necessariis providit, & post ejus discessum quotidie in „ Dei servitio ferventior visitabat infirmos, illisque veluti patri & matri „ inserviebat, ac necessaria subministrabat, pauperes & debiles recreabat, „ nudos induebat, viduas, pupillos, orphanos adjuvabat, peregrinos hos- „ pitio excipiebat, deque suarum manuum labore altarium ornamenta & „ linea utensilia pro Missæ sacrificio compingebat. Denique aliorum mi- „ serias velut suas reputabat, eaque caritate & humilitate proximum „ amabat, ut omnes illi benedicerent, ab omnibus summo honore sum- „ misque laudibus extolleretur. Interea maritus citius quam putabat, re- „ vertitur, quem Maria omni caritatis officio recepit, sed timens, ne „ de proposito suo excidisset, suæ castitatis jacturam verebatur, & se „ Deo commendabat anxie dicens: Fiat cor meum & corpus meum im- „ maculatum Domine, ut non confundar. Vespere autem facto sic Je- „ sum orabat: Domine Jesu Christe clementissime rex virginum, amator „ castitatis & seminator casti consilii, ne permittas corpus meum & ani- „ mam fædari, ut fides mea non immutetur. Tum maritum interroga- „ bat; cur tam cito reversus esset, nec in sacris locis visitandis diutius „ moram traxisset? Ille autem videns ipsam suæ castitati timentem: ne „ timeas, inquit, nam secus aliter quam ut sponsus vivere intendo, jam „ votum castitatis emisi, nec molestus ero, sed auxilium feram, ut Deo „ magis adhærere possis pro beneplacito tuo. Quod audiens beata Maria „ gavisa est, & Deo gratias egit, ac maritum in proposito confirmavit, „ cum quo jejuniis, vigiliis, orationibus aliisque pœnitentiis in melius „ proficere studebat; sicque impletum est, quod Paulus ait: Salvabitur „ vir infidelis per mulierem fidelem.

„ Post longam vero conversationem tam sanctæ vitæ cum marito in „ propria domo peractæ volens ad culmen perfectionis pervenire juxta „ mandatum Domini: Si vis perfectus esse, vade & vende &c. omnia „ bona sua in tres partes divisit, unam monasterio sancti Savini, in quo „ conversi habitum ejus maritus suscepit, secundam monasterio sancti

„ Pauli

„ Pauli de Pugnano, tertiam pauperibus, & post commendatum abbati „ virum suum, ad sancti Pauli monasterium prædictum progressa, se beatæ virgini Mariæ, divo Paulo ac beato Benedicto obtulit, in oratione „ persistens, usquedum domnus Marinus monachus sancti Savini sacerdos „ & confessarius fidelissimus præfati monasterii advenit, ac Missam de beata Virgine cantans, inter Missarum sollemnia comam totondit beatæ „ Mariæ, & habitu seculari exutam, tunica monastica, cuculla & cilicio induit, ac velum capiti imposuit, & sanctissima Eucharistia refectam finita Missa ad suam cellam adduxit, quam ab eodem benedictam gaudens introivit velut hortum amœnissimum, in qua se reclusit „ liberius in via Domini progrediens, omnibus assidua vigiliis, jejuniis, „ disciplinis asperisque ciliciis, æstate atque hyeme super nudam carnem „ positis, in nuda tabula sine cervicali requiescens, cum gravissimo somno adigeretur, quem parvissimum sumebat, continuum in quadragesima silentium tenebat, panem non manducabat, neque vinum bibebat, solis leguminibus & aqua contenta die noctuque manibus laborabat, ut haberet quod ecclesiis, sacerdotibus & pauperibus largiretur, „ semper in corde suo pacem Christi, misericordiam, pietatem, amorem „ & caritatem tenebat, spiritualibus laudibus & divinis orationibus intenta, spiritum prophetiæ adepta futura prædicebat, cogitationes secretas manifestabat, peccatores & pios homines internoscebat, nec merita „ & bona opera ipsorum illam latebant. Beatæ virginis, angelorum & „ apostolorum visitatione & consolatione dignata diem mortis suæ multo „ ante prænovit; tandem in gravem infirmitatem incidens die quarta decembris ancilla Christi in oratione spiritum Deo reddidit anno „ M. CC. (post hunc annum ex sententia nostra) oculis & manibus in „ cœlum intenta. Corpus e cella in ecclesiam magno honore deportatum „ tota die expositum mansit, sequenti nocte a monachis sancti Savini, „ clericis & sanctimonialibus, aliisque viris & mulieribus religiosis cum „ hymnis, psalmis & canticis spiritualibus sollemniter ad ejus sepulcrum „ delatum est, quod post Missarum sollemnia per septem dies apertum „ mansit, odorem suavissimum emittens, & unguento e vestibus exsudante, quod a multis pro reliquia acceptum est, tandem clauso cum „ multorum lacrymis sepulcro, in ejus laudem antiphona composita est, „ quam moniales in ejus festo die recitabant. “ *O eremita inclyta, o felix Maria, pœnitentiæ speculum & via, tu Pisanorum insigne clarum, tu patriæ mater & advocata ora pro famulabus tibi devotis, ut sanctimoniam teneant, per quam secreta penetrent, tecum Deum laudaturæ in sempiternum*. Oratio. *Omnipotens clementissime pater, qui beatam Mariam monacham & eremitam mundum relinquere, & mundi gloriam fecisti contemnere, ut eam in cœlis gloria sublimares, ejus quæsumus meritis & precibus largire nobis pro tuo amore sic cuncta despicere, ut cum ipsa mereamur perfrui gloria sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. Amen*. Hactenus vita beatæ Mariæ Pisanæ, vel potius ejus excerptum, uno ductu a nobis exscriptum.

Ann. Chr. 1200.

Monasterium sancti Pauli de Pugnano erat in valle Sercli intra limites plebis sancti Johannis-baptistæ prope Montem-majorem uno milliario distans a Rupe-cava, ab urbe autem Pisana sex mille passibus. Bellorum causa sanctimoniales eo monasterio relicto intra urbem se recepere, assignato ipsis parthenone sanctæ Annæ, quæ tamen hodie alba tunica cum nigro scapulari induuntur, neque aliquid habent commune cum Camaldulensibus. In ecclesia sanctæ Annæ sæpius perquisitum fuit corpus beatæ Mariæ,

Ann. Chr. 1200. riæ, & ſubverſum etiam pavimentum ea ſpe ipſum inveniendi, ſed incaſſum; neque aliud vetus monimentum repertum fuit, niſi fragmentum veteris ſepulcralis lapidis cum imagine mulieris velo obductæ, & crucem manibus junctis amplectentis, ſed literæ, quæ ſuperſunt, aliquam aliam, & forte Cæſenatem, mulierem indicant, legitur enim... MEFIS DE CESENA HIC TUMULUS FIERI SE FECIT. Inſigne autem hujus mulieris ſunt tres ſuinæ belluæ, quæ proinde declarant ſecularem potius feminam.

Non pigebit ex anecdotis noſtris aliqua his ſuperaddere, quæ antiquitatem monaſterii ſancti Pauli de Pugnano ad hæc tempora teſtantur. Super fontem hæc verba leguntur: † *Montaninus frater Agnetæ ciſternam tuo Clare fecit conſilio, abbatiſſa domna India, dicta tum Agneſia ſita erat ſacriſta. A. D.* M. C. LXXXIV. *kal. januarii* † *ſalute ejororogi te Dominum ita volo Amen.* † A. D. M. CC. VII. *indictione* VIII. *kalendis aprilis finitus & conſumatus aquæductus iſte domna Mathilda exiſtente abbatiſſa. Cujus aquæductus Montaninus de Serico fuit fidelis operarius, & fuit frater bonæ memoriæ dominæ abbatiſſæ Agnetis, cujus anima requieſcat in pace. Amen.* Super tinarium in columna. *Matilda me fecit*. In eccleſia parœciali Pugnani beata virgo Maria Dei mater viſitur coloribus expreſſa ſuper tabulam cum verbis: *Peruccius Federigii de Piſis me pinſit. A. D.* M. CCC. LXX. Poſtremo Martini ſeu Marini ſacerdotis & monachi monaſterii ſancti Savini, qui confeſſarius fuit beatæ Mariæ, ipſamque veſte monaſtica donavit, nomen legitur in veteribus chartis hujus temporis ad dictum cœnobium ſpectantibus. Martinus camerarius ejuſdem cœnobii electus fuit anno 1221. abbas ſanctorum Juſti & Clementis Volaterrarum. Marinus autem monachus ſancti Savini fuit unus ex iis, qui poſtulati fuere anno 1223. ad regimen monaſterii ſancti Michaelis in burgo Piſarum.

Nerbottum poteſtatem Caſtellionis-Arretini novimus hoc anno ex charta tabularii Fontis-boni, qua adjudicavit aliquot terras in Colle-ſiccο

§. Sententia9. Leonardo priori eccleſiæ ſancti Savini de Chio * prope Arretium.



ANNA-




ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-SEXTUS.

Ab anno CHRISTI M. CC. I. *ad annum* M. CC. X.

Ann. Chr. 1201.

I. De conversis Camaldulensibus. De B. Dominico Vernagallo.

ACTENUS invaluerat in ecclesia monachorum nomen, qui regna, urbes, oppida, agros, montes, ipsas solitudines implebant, &, ut de tempore suo ajebat Petrus Damiani [a], *tota terra repleta erat monachis*. Duobus pariter præteritis seculis plures excitatæ fuerant, & ad eos dies florebant canonicorum regularium congregationes, quæ priscorum patrum & canonum statuta primum sequentes, & sedulo per omnia monasticas familias æmulantes, demum regulam sancti Augustini tamquam magistram sunt amplexatæ. Uterque propterea coetus viros ecclesiæ suppeditabat, qui ea tempestate ad supremas dignitates evocabantur, ad cathedras episcopales rapiebantur, legatorum apostolicorum munere fungebantur, ecclesiasticæque rei splendidum erant ornamentum. Novis fœtibus multiplicata est seculo, quod jam auspicamur, Dei ecclesia; cum per sanctos patres Dominicum & Franciscum novis pugilibus aucta & decorata, filios genuit & aluit vel infensissimos hæreticorum hostes, vel collabentis disciplinæ strenuissimos propagatores, vel postremo dignitatum primarum sedes gloriosissime implentes. Quis porro complecti valeat, quanta ii pro Dei cultu, pro ecclesiæ honore, pro sedis apostolicæ firmitate gesserint? neque enim omnia, quæ de ipsis scribi possent, collecta fuisse existimamus in amplis licet, numerosisque voluminibus, quæ pro Minoritica familia exaravit Wadingus, vel quæ pro sua nostris diebus edenda suscepere doctissimi Annalium Prædicatorum auctores. Postquam ergo clarissimos Mendicantium ordines hoc seculo primum suscitatos maximi facimus, ipsisque eorumque alumnis jure gratulamur, nostros prosequimur Camaldulenses Annales, rerum quidem merito inferiores, sed sua saltem novitate a doctis viris perbenigne, unde grates referimus, exceptos.

a Lib. VI. epist. 15.

Mos erat his temporibus, ut complures ex iis, qui prædia vel domos donarent monasteriis, reciperentur ad victum & ad vestitum, & de ce-

Ann. Chr. 1201.

teris necessariis providerentur secundum morem & ordinem Camaldulensem. Exempla plura hujus consuetudinis habemus ex chartulariis omnium monasteriorum, sed præcipue ex illo cœnobii sancti Michaelis in Burgo Pisarum; hoc enim *anno* M. CC. II. stilo Pisano *indictione quarta* XIII. *kalendas maji*, cum Gerardus quondam Buccii tradidisset Guidoni abbati ejusdem monasterii terras & domum positam Pisis prope ecclesiam sancti Philippi, & insuper omnia alia sua bona mobilia & immobilia obtulisset, intervenit pactum ipsum inter & abbatem, ut quoad viveret idem Gerardus, haberet a monasterio, quæ ad victum & ad indumenta pertinerent juxta instituta Camaldulensia, sub pœna ducentarum librarum. Consensere pacto Johannes, Fabianus & Bonus presbyteri, Michael, Henricus, Benedictus & alter Henricus monachi, Tepertus sindicus, Guilielmus & Bonus conversi monasterii. De hujusmodi hominibus receptis ad victum, qui etiam ipsi conversi appellabantur; immo de variis generibus conversorum in congregatione Camaldulensi fusissimam dissertationem edidimus in appendice primi tomi.

Neque soli viri, sed & mulieres tum virgines, tum conjugatæ, tum viduæ pari forma recipiebantur, ut ibidem declaravimus, quæ etiam ipsæ inter conversas recensebantur. *Anno millesimo ducentesimo quarto*, more Pisano, sive M. CC. III. stilo Romano, *indictione sexta* X. *kalendas julii* cum Martubilia relicta Henrici & filia quondam Silvestri obtulisset eidem Guidoni abbati magnam pecuniarum summam, abbas promisit præfatæ viduæ omni anno pro ejus victu certam frumenti, vini, olei & lignorum copiam, immo cetera necessaria & gratuitam habitationem circa ipsum monasterium. Martubilia vero spopondit in morte relicturam bona sua mobilia dicto cœnobio. Assensum præbuere Henricus cellerarius, Jannes camerarius, Thebaldus, Benedictus, Henricus sacrista, Ildebrandus, Bonus, Rodulphus monachi, presbyter Dominicus capellanus ejusdem monasterii & Gerardus Buccii conversus. Gerardus idem est, cujus nuperam receptionem superius attulimus. Presbyter vero Dominicus capellanus consentiens supradicto pacto est Dominicus Vernagallus, ex nobilissima familia Pisana, monachus tunc præfati cœnobii, qui multa cum sanctitatis fama ibidem degebat. Ejus mentio occurrit etiam ad annum 1209. in charta spectante ad Pisanam eremum sanctorum Jacobi & Verani de Calci. Latent Dominici illustriora gesta. Illud unum innotescit ipsum fuisse fundatorem circa hæc tempora hospitalis vulgo appellati Trovatellorum, quod erectum fuit ab ipso primum in via prope monasterium sancti Michaelis, inde vero translatum super viam Calcisanam, & demum ex eo loco fuit ædificatum commodioribus habitationibus in parœcia primatialis ecclesiæ. Hujus hospitalis memoria fit in pluribus chartis Pisanis hujus seculi; & quod animadversione dignum est, ac Dominici sanctitatem insigniter comprobat, appellatur semper *hospitale sancti Dominici*, *beati Dominici*. Sed de Dominico iterum fusissime ad annum 1218. qui fuit ipsius emortualis, quandoquidem cetera ignoramus.

II. Bulla Innocentii III. pro cœnobio S. Severi in Classe.

Extat in tabulario Classensi Innocentii III. Romani pontificis privilegium concessum ad instar Lucii III. Lazaro abbati sancti Severi in Classe, quo recensentur, & apostolica protectione communiuntur ecclesiæ & bona ejusdem monasterii, cum subscriptione post ipsum quatuordecim S. R. E. cardinalium. Datum *Laterani per manum Blasii S. R. E. subdiaconi & notarii* VII. *idus martii indictione quinta incarnationis Dominice anno* M. CC. I. *pontificatus* vero *domini Innocentii pape* III. *anno quinto*. Pertinet ad initia anni sequentis, quo indictio erat quinta, & quo in-

cœpe-

Ann. Chr. 1201.

cœperat quintus annus pontificatus Innocentii; usurpatur proinde in ipso annus Florentinus vel Venetus. Recens creatus fuerat Lazarus abbas sancti Severi, cum anno 1199. loci regimen obtineret Ubertus, qui Jacobo, cujus mentio habetur ad annum 1189. & Henrico, qui memoratur ad annos 1176. & 1179. successor datus fuerat. Lazarus ex priore ejusdem monasterii & ex vicario archiepiscopi Ravennatis Wilielmi, ut effertur in charta anni 1194. electus fuit sui cœnobii abbas. Suffectus fuit postea in locum Lazari Almericus, cujus prima mentio fit ad annum 1210.

III. Analecta de aliquibus monasteriis.

In archivo quoque monasterii sanctæ Catharinæ de Fabriano sub præsenti anno nominatur cœnobii sancti Victoris de Clusis *abbas & episcopus* Moricus, qui *voluntate de omnibus monachis* suis, *& de omnibus clero suo*, emphyteusis libellum conscripsit. Observat ad hanc chartam, quam in medium producit Cl. V. Philippus Montanus vices agens episcopi Senogalliensis in sua tertia epistola sub nomine anagrammatico Nintomæ, putare aliquos, monachos & abbates titulo etiam episcopali decoratos electos fuisse honoris gratia episcopos, sed ad curam monasteriorum relictos; & demum Natalis Alexandri opinionem adoptat, qui existimat monachos consecratos fuisse episcopos pro replendis vacantium ecclesiarum sedibus: Sed videantur etiam ea, quæ nos diximus ad annos 1066. & 1083. de hujusmodi episcopis. Morico locum fecerat Gualfredus.

Cavalcacomes Alexii donavit hoc anno [a] Guilielmo abbati monasterii sancti Salvatoris Berardingorum totum juspatronatus, quod habebat in ecclesiam sanctæ Luciæ de Casprenello, cum onere, ut ejus abbatia quotannis pensionem quamdam solveret prioribus Camaldulensibus.

Obiit ipso anno Anselmus de Actis episcopus Fulginas, & usque ad annum 1190. episcopus etiam Nucerinus, multis nominibus de Camaldulensibus, & de Avellanensibus optime meritus, præsertim ob monasterium sancti Petri de Landolina primis traditum. Ejus ut insignis benefactoris nomen diesque obitus legitur in veteri necrologio Font-avellanensi ad diem vigesimam augusti: *Obiit domnus Anselmus episcopus Fulginatensis commissus noster.*

Existimat Fortunius [b] sub hoc anno, urgente potissimum Innocentio Romano pontifice, factam fuisse congregationis Camaldulensis generalem reformationem. In ea statutum inter cetera, ut unus ex eremitis præficeretur in eremo Camaldulensi, qui *Majoris* nuncupationem teneret, quique cum sacrista ejusdem loci suffragium semper ferret in capitulis ordinis. Sed multo antea magistratum, seu prioratum hujusmodi in eremo Camaldulensi fuisse institutum, præter prioris generalis officium, demonstravimus sub annis antecedentibus.

IV. De veteri inscriptione in ecclesia Montis-cellesii.

Sequens inscriptio conspiciebatur olim in nostra eremo Montis-cellesii prope Senas apposita ad sepulcrum Philippi Malavoltæ potestatis Senensis; eam ex codice C. VI. Operæ Cathedralis Senensis proferimus sub hoc anno, licet Thomasius, qui ipsam laudat, ad annum 1202. & ad diem XXIX. septembris, Orlandus vero Malavolti in historia Senensi [c] ad eumdem annum, diem autem septimam maji referant, cum tamen exploratum sit Philippum Malavoltam potestatis officio functum fuisse præsenti anno, ut liquet ex ipsius sacramento hoc ipso anno præstito ad quartum kalendas aprilis Florentinæ reipublicæ tempore officii sui, quod autographum superest in tabulario archinosocomii Schalæ Senarum. Inscriptio Mon-cellesiana est rythmicis versibus exornata, ad eum ferme modum, quo prope hæc tempora scribebat Thaddæus notarius Vicetinus apud Gerardum Maurisium in historia Vicetina edita a Muratorio inter scriptores rerum Italicarum [d].

a *Ap. Peccium in MSS. mem. Berarding.*

b *Lib. II. pag.* 177.

c *P. I. lib. IV. pag.* 41.

d *T. VIII. col* 55.

Ann. Chr. 1201.

Montis Lucini, castrum virtute poten
ti
Urbs Sena devincens dextruxit corde volen
Turres & portas, muros & menia stra
vit
Comburensque domos ad votum cuncta patra
Per sesdecim menses obsessum tempore lap
so
Est victum castrum, populo certamine las
Anni sunt Domini si quaeris mille ducenti
Unus etiam addetur, numerus completus habetur
Philippo Malavolte tunc dominante Senensi
Prudenti populo rectoris jura tenenti
Octobris quinto victor fuit ipse kalen
das
Qui populi castri turmas jubet esset tuen
Vive valeto Sena praeclaraque dulcis amena
Militum laudaris quae caris cara proba
ris
Hostibus immanis sis hostis amarus ama
Inde triumphanti pacem quia semper amanti
Credo quod est factum Christo favente peractum
Quod fecit fortem se vincere fecit & hostem
Laudes reddantur tibi, per quem prospera dantur.

Temporibus restaurationis novorumque aedificiorum, tum cum locum Montis-cellesii incolerent patres Cappucini, tum cum ecclesia & monasterium ad eremi formam seculo praeterito ab eremitis Camaldulensibus fuere redacta, alio translata sunt tam sepulcrum Malavoltae potestatis, quam inscriptio.

Angelo abbati monasterii sanctorum Hippolyti & Cassiani de Carisio, cui extat Lucii III. privilegium concessum anno 1181. suffectus fuit hoc anno Durans confirmatus subinde ab Ildebrando episcopo Volaterrano. *Anno* M. CC. XXII. *indictione* IX. *quintodecimo kalendas julii* Paganus episcopus Volaterranus monasterium Carisii visitavit, abbate tunc existente Brasio, ex monumentis tabularii sancti Pontiani de Luca.

Ann. Chr. 1202.

V. Fundatio monasterii Veronensis in loco Avesa.

Plures Veronenses cives hoc *anno millesimo ducentesimo-secundo indictione quinta, penultima die octobris* convenientes in ecclesiam sanctae Felicitatis, & praesentibus Gregorio abbate Insulani monasterii aliisque presbyteris, exorarunt Martinum priorem Camaldulensem, qui tunc Veronae aderat pro visitandis locis congregationis, ut suscipere dignaretur terram & domum positam in loco dicto Avesa, ad ecclesiam ibidem aedificandam pro Camaldulensium domicilio, adjectis conditionibus, ut mortuo priore, qui ad loci regimen constitueretur, prior Camalduli alium eligeret e coetu monachorum, qui ibidem commorarentur, vel idoneo monacho in eo coenobio non existente, alium priorem e coetu congregationis praeponeret. Electus non removeretur, nisi aperte constaret de ipsius indignitate. Liceret priori ejusdem loci monachos & conversos ad habitum recipere, qui obedientiam pollicerentur priori Camaldulensi juxta regulam sancti Benedicti & instituta ejusdem congregationis. Electus itaque fuit prior hujus Veronensis monasterii Samson, qui idem videtur cum eo, qui

anno

anno antecedenti, & anno 1200. in tabulario Fontis-boni reperitur major eremi de Burellis, ſeu Camalduli Bononienſis, translatus ex ea eremo ad novam coloniam fundandam. Celebris is fuit, pluriumque ſubinde monaſteriorum in Veneta ditione ſuſcitator vel reformator, donec quietem ſolitudinis concupiſcens, denuo rediit ad ſuam Camaldulenſem in Thuſcia eremum. Samſoni autem in eremo Bononienſi ſuffectus fuit Bonus. Autographam chartam erectionis Aveſani monaſterii, dicti frequentius deinde Camalduli Veronenſis, edimus in Appendice ex eodem archivo Fontis-boni. Gregorii abbatis Inſulani de Galeata mentio fit [a] in chartis Camaldulenſibus jam ab anno 1194.

a §. *Renuntiatio*. 65. *A*. 2. 37.

VI. Altera in civitate Foro-livienſi.

Ex quo tabulario Fontis-boni aliam paginam producimus, qua Johannes epiſcopus Foro-livienſis, conſentiente Drudone archidiacono Foro-livienſi, ceteriſque ejus eccleſiæ canonicis, confirmavit per contractum quolibet centenario anno renovandum præfato priori Martino aliquot terras poſitas prope Foro-livienſem urbem in loco dicto Caſale, in plebe ſancti Martini, ut inibi ædificarentur eccleſia & monaſterium, quibus præficeretur prior eligendus, & loco movendus a ſolis prioribus Camaldulenſibus, ut moris ipſorum erat agere in ceteris eccleſiis ſibi ſubjectis. Decrevit tamen, ut quando canonici majoris eccleſiæ invitati fuerint ad celebranda extrema defunctorum obſequia in ea eccleſia, ſuſciperentur cum honore & reverentia, ac ſacræ veſtes ipſis exhiberentur tam pro divinis officiis, quam pro ſacra liturgia in defunctorum levamen peragenda. Totum officium cum poſtrema Miſſa & cum ejus Miſſæ oblationibus ad canonicos pertineret, ad monachos vero ſpectarent ceteræ Miſſæ: Majora loca in choro tunc concederentur canonicis, nec monachi Crucem elevarent per civitatem & burgos. De poſſeſſionibus ſitis in plebe ſanctæ Crucis nullas decimas monachi ſolverent; ceteræ autem poſſeſſiones, quæ ad jus ſpectarent canonicorum, non reciperentur a monaſterio, vel receptæ reſtituerentur. Pro poſſeſſionibus vero, quæ exiſterent in plebibus ſancti Mercurialis, ſancti Martini & ſancti Laurentii, medietas tantum decimarum perſolveretur. Generale vel ſpeciale interdictum loci monachi obſervarent. Tradentes ſe vel ſua, ſive in vita aut obitu præfato monaſterio admonerentur a monachis, ut epiſcopi diœceſani rationem haberent. Hujus paginæ teſtes fuere abbas Inſulæ, Gregorius nimirum, qui in ſuperiori pagina nominatur, prior ſancti Paterniani de Ferratiano, Argolioſus Foro-livienſis poteſtas, aliique. Data eſt Forolivii *anno ab incarnatione* M. CC. II. *tempore Innocentii pape, imperatore non exiſtente indictione* V. *die primo novembris*, biduo nimirum poſt receſſum Martini prioris Camaldulenſis ab urbe Verona; manu Bonomartini notarii.

Pariter Jacobus abbas monaſterii ſancti Mercurialis de Foro-livio eidem Martino priori Camaldulenſi, necnon Forliveſe & Bonæ hujus ſorori, qui in pagina appellantur ædificatores ejuſdem loci, ſeu Camalduli Foro-livienſis, liberam facultatem fecit fundandi & conſtruendi locum religioſum & ſacrum, & eccleſiam ædificandi cum omnibus domibus & officinis ſuis, in loco dicto Albareto prope Foro-livium, qui locus ad parœciam, jus & proprietatem ſpectabat dicti monaſterii ſancti Mercurialis, ea tamen conditione, ut rectoribus novæ eccleſiæ & monaſterii non liceret aliquos de plebatu ſancti Mercurialis ad divinum officium recipere, vel ad ſepulturam, ſeu ad aliqua eccleſiaſtica ſacramenta, appoſito etiam onere unius libræ ceræ nomine cenſus & penſionis perſolvendæ præfato ſancti Mercurialis monaſterio pro loco & eccleſia Camaldulenſi ſupradicta; ut legitur in libris inſtrumentorum ejuſdem Foro-livienſis abbatiæ.

INNO-

Ann. Chr. 1202.

VII. Aliquot bullæ Innocentii III. ad hunc annum spectantes.

Innocentius III. Romanus pontifex die *sexta februarii anno pontificatus* sui *quarto* mandavit Amadeo episcopo Arretino, ut privilegia a se & ab antecessoribus suis data ecclesiæ Camaldulensi conservare & conservari faceret. Datum Anagniæ [a] ex tabulario Fontis-boni. Pariter adinstar Adriani IV. prædecessoris sui privilegio apostolico communivit monasterium sancti Vigilii positum in urbe Senarum, confirmationem bonorum ejus loci faciens Johanni cœnobii priori, subscribentibus sex S.R.E. cardinalibus. *Datum est Velletri per manum Blasii S. R. E. subdiaconi & notarii tertio nonas octobris indictione sexta* mutata nimirum mense septembri, *incarnationis Dominice anno* M. CC. II. *pontificatus* autem sui *anno* V. Autographum privilegium extat penes nos ex dono eruditissimi viri & equitis Johannis Pecii patritii Senensis.

a §. *Amissæ* 251, *A.* 226.

In excerptis Baroncinii [b] legimus eumdem Romanum pontificem mandasse hoc anno *die quarta decima augusti* ex monasterio Sublacensi Johanni episcopo Florentino & præposito ejusdem ecclesiæ, ut debito fine complerent quæstionem motam de decimis & de quibusdam aliis contra Camaldulensem eremum ab abbate Vallis-umbrosæ.

b §. *Amissæ* 274. *A.* 1. 228.

Demum novimus ex schedis Romualdi Blanci ex Velitrensi urbe *anno quinto* sui *pontificatus*, ad instar felicis recordationis Gregorii VII. & Cœlestini II. antecessorum suorum, Innocentium III. privilegium exemptionis & apostolicæ tutelæ concessisse monasterio Avellanensi & Nicolao ejus loci priori, qui tum Alberico, de quo anno 1197. tum Johanni generali præsidi, Avellanensibus prioribus, suffectus fuerat.

Philippus prior sancti Michaelis de Arretio, Guido prior de Planetulo, Jacobus prior sancti Johannis inter Ambas-paras innotescunt nobis sub hoc anno ex chartis tabularii Fontis-boni. Huic postremo [c] Tebertus filius olim Clementini de la Petrella terras dedit in compensationem maleficiorum per ipsum & per filios suos factorum in ecclesiam plebis sancti Martini comitatus Monte-feretrani.

c §. *Emptio* 228. *A.* 3. 13.

Benedictum abbatem Vangaticiensem post Alichum statuit sub hoc anno Blancolinius in ecclesiis Veronensibus; nullum ipsius Benedicti monumentum reperimus in tabulario dicti monasterii. Anne Benedicto, vel ejus successori Vangaticiensi abbati facta fuit delegatio a Romano pontifice Innocentio III. examinandi una cum episcopo Ferrariensi & cum priore sancti Salvatoris de Ficarolo electionem archidiaconi Veronensis, quam fecerat Gregorius sanctæ Mariæ Transtiberim presbyter cardinalis legatus apostolicus, ut addiscimus ex epistola [d] ejusdem Romani antistitis ex collectione Baluzii?

d T. I. *pag.* 626.

Legimus in tabulario archiepiscopali Ravennæ hoc anno potestatem ejus urbis cum consilio jurasse presbytero Henrico & aliis cardinalibus, cantoribus, abbatibus & clericis Ravennatibus se consensum præstiturum pro electione & postulatione Alberti episcopi Imolensis in archiepiscopum Ravennatem, qui electus fuit decedente Wilielmo archiepiscopo. Nimirum præter clerum Ravennatem vocem & suffragiorum jus obtinebant in electione archiepiscoporum etiam abbates Ravennates, Classis, Urani, ut ex aliis etiam electionum actis, & præsertim ex illa Ubaldi ad annum 1208. apud Rubeum, quam afferemus, liquido constat. Certe de Lazaro abbate sancti Severi in Classe habetur in [e] libro V. epistolarum Innocentii III. ejusdem Baluzianæ collectionis ipsum una cum aliis electoribus Romano pontifici præsentasse postulationem factam hoc anno præfati Alberti, ut confirmaretur in Ravennatem archiepiscopum.

e *Ibidem pag.* 612.

Concordia secuta hoc ipso anno inter Azalonem abbatem monasterii sancti

sancti Petri ad Vincula in territorio Ravennate, & inter Adalasiam extat in archivo sancti Vitalis de Ravenna [a]; occasione facile testamenti Johannis ducis Ravennatis benefici in Ravennatia monasteria, de quo egimus anno 1178.

ANN. CHR. 1202.

a *Capſ. B. n.* 356.

In pagina archivi sancti Michaelis Pisarum, quæ continet donationem factam hoc anno a Caccia canonico sancti Petri in Scheradio ecclesiæ sancti Salvatoris de *Camaldula*, *que est edificata ad pedem montis prope civitatem Florentinam*, usurpantur ab Ildebrando notario hæ notæ chronicæ: *Anno millesimo centesimo bis quinquagesimo primo*, hoc est ducentesimo secundo, *sexto idus octobris indictione sexta*, mutata mense septembri. Similes notas vidimus in tabulario sanctæ Apolloniæ de Florentia, ubi *anno millesimo bis quinquagesimo indictione tertia kalendis junii* Martha abbatissa Mantignani obedientiam pollicetur Petro episcopo Florentino.

ANN. CHR. 1203.

VIII. Idem Rom. pont. capitulum Perusii indicit abbatibus O. S. B.

CUM ex multorum relatione didicisset Romanus pontifex Innocentius monasteria ordinis sancti Benedicti constituta in Thuscia, Marchia & in ducatu Spoletano, ac immediate ad Romanam ecclesiam pertinentia peccatis exigentibus ita esse deformata, & in spiritualibus ac temporalibus diminuta, ut deteriora forent iis monasteriis, quæ archiepiscopis & episcopis lege diœcesana subjiciebantur, volens rei monasticæ jacentem nimium vigorem relevare, atque probe noscens se nequire annis singulis per legatos suos de latere ea monasteria visitationis remedio purgare, decrevit, ut præsenti *anno millesimo ducentesimotertio* abbates omnes præfatorum cœnobiorum cum uno vel duobus tantum ex ipsorum monachis, & quinque dumtaxat equitaturis convenientes in unum congregarentur apud Perusinam urbem coram venerabili fratre episcopo Castellano, qui adhuc erat Rainerius (obiit enim VII. idus junii anni sequentis ex necrologio canonicæ sancti Floridi Civitatis-castelli edito a Sebastiano Donati [b],) & coram dilectis filiis priore Camaldulensi Martino, & altero priore canonicæ sancti Frigdiani Lucensis urbis (Johannes is erat ex charta anni sequentis) quos tres voluit, ut hujusmodi capitulo vice sua præsiderent, & abbates statuto termino convocarent, quibuscum pertractaretur de reformatione religionis & ordinis; decernens quoque, ut ab iisdem præsidibus eligerentur viri idonei, qui ad dicta monasteria accedentes ea visitarent, corrigerent, medicamque manum apponerent apostolica auctoritate iis omnibus, quæ emendatione & reformatione indigerent. Ne vero causa talium visitationum monasteria subjacerent gravi dispendio, mandavit, ut visitatores quaternarium equitaturarum numerum non excederent. Si vero ex hac sollemni abbatum collectione monasteria profecisse visa fuerint, statuit ut quotannis in diversis locis, & sub diversis præsidibus capitula hujusmodi celebrarentur. Datum est apostolicum mandatum *Laterani tertio kalendas martii pontificatus* sui *anno sexto*, quod meretur integrum edi in Appendice ex tabulario Fontis-boni in commendationem insignis zeli Innocentii etiam pro monastica disciplina reparanda, cum parce admodum de eodem mandato seu literis, quas laudat, loquatur in Annalibus ecclesiasticis Odoricus Raynaldus [c].

b *Pag.* 241.

c T. I. *pag.* 103.

IX. Scribit in Camaldulensium favorem.

EIDEM Rainerio Castellano, & Amadeo Arretino episcopis præcepit dictus Romanus pontifex, ut observari facerent sententias latas ad favorem Camaldulensis eremi ab episcopo Fesulano Rainerio contra proceres filios de Galbina, qui licet excommunicati fuissent anno 1199. ab eodem episcopo, licet quoque interdicto suppositæ fuissent eorum terræ, adhuc tamen per vim castrum & curtem Castellionis-fatalbeccii, quæ juris erant

Camal-

Ann. Chr. 1203.

Camaldulensium, tenebant. Data est Innocentiana delegatio *Ferentini quartodecimo kalendas junii pontificatus* sui *anno sexto*.

Die autem *vigesima-prima augusti* commisit ex eodem loco episcopis omnibus per Italiam, ut sententias latas a prioribus Camaldulensibus in monachos suos publicari & executioni mandari facerent in suis diœcesibus; quod præceptum legitur in excerptis Baroncinii ad hunc annum.

In alia epistola anni sui sexti mentionem facit vicarii prioris Camaldulensis, qui barbare in Sardinia interfectus fuerat, de qua re nullum apud nos superest ulterius monumentum. Fama tantum est, circa hæc tempora plures monachos Camaldulensis & Vallumbrosanæ congregationis trucidatos fuisse a Saracenis Sardiniam invadentibus vel depopulantibus.

X. De incendio Fontis-boni.

Applicitus casu ignis hoc anno monasterium totum & ecclesiam Fontis-boni in favillas redegit. Refertur in depositionibus testium examinatorum anno 1216. pro libertate eremi, *combustionem hanc contigisse in cathedra sancti Petri in nocte, & fratres Camaldulenses cœpisse inter se contendere, quibusdam dicentibus, quod locus ille erat nimis rigidus, & ideo videbatur eis bonum, ut dicebant, quod mutaretur monasterium in quemdam campum ibi superiorem, quia locus ille erat nimis expositus soli, & dicebatur ibi esse quidam fons, sed cum fuisset responsum ab aliis quibusdam, quod locus ille, ad quem volebant transire, pertinebat ad episcopum Aretinum, & ideo dicebant se dubitare, ne ipse episcopus concederet locum illum eis, Bonfilius & Bartholus monachi Camaldulenses iverunt ad episcopum Amadeum, qui erat tunc in palatio veteri ante plebem, quod palatium modo est destructum, & exposuerunt ipsi episcopo, Bonfilio dicente ista verba: Vos scitis de damno, quod contigit nobis, & qualiter monasterium Fontis-boni est combustum, sed vellemus illico monasterium reædificare in tali campo, nominando ipsum campum; verumtamen quia vos habetis ibi facere & filii Rainerii Ubertini, volumus ipsum locum proprio adquirere a vobis & ab ipsis, & vellemus vobiscum & cum illis cambiare ipsum locum, accipiendo & dando vobis alibi terras, quia videtur nobis, quod essemus ibi melius, & quod volumus esse in nostro allodio, ideo volumus ipsum locum primo adquirere. Unde episcopus ille ad hæc respondens dixit: De vestro damno ego doleo, sed non concedo vobis, ut ipsum locum mutetis, in quo eratis, sed potius reædificate ibidem, quia estis in vestro allodio*. Et infra: *Unde episcopus quasi motus dure respondit eis quasi redarguendo dicens: Vos speculum totius Thusciæ, & vultis transire ad locum, unde possit esse suspicio, & diceretur, quod essetis in loco alterius, sed consulo vobis, ut reædificetis monasterium in loco, in quo prius fuerat tamquam in vestro allodio*. Hoc monasterii Fontis-boni incendium diversum videtur ab altero, quod contigit alio tempore, de quo ex veteri codice extat apud Edmundum Martene epistola G.. prioris Camaldulensis ad Innocentium papam; hoc enim secundum accidit *pridie kalendas junii*, ut effertur in epistola, primum autem *in die cathedræ sancti Petri mense januario*; pariter prior Camaldulensis, saltem præses generalis tempore primi incendii erat Martinus, cum contigerit sub episcopo Arretino Amadeo; quare nomine G.. prioris arbitramur venire Gerardum, qui floruit aliquanto post medietatem hujus seculi, quique de ea re scripserit sub anno 1276. ad Innocentium V. Romanum pontificem. Ceterum in eodem loco, in quo prius exsurgebat, brevi sub Guidone priore, qui Martino successit, reædificatum fuit Fontis-boni monasterium, & quidem amplioribus ædificiis & sumptibus.

Pau-

ANN. CHR. 1203.

XI. Amadei ep. Arretini obitus, electio Gregorii.

PAULO post superiorem delegationem, & post Fontis-boni incendium naturae concessit Amadeus episcopus; vigesimo sedis suae anno obiit circa finem mensis maji, & quinto kalendas junii in ejus locum electus fuit Gregorius ex canonico Arretino. Emendandus erit Ughellius, [a] qui decem dumtaxat annos Amadeo tribuit, & obiisse putat anno 1206. decimo ab ejus electione, quam contigisse arbitratur anno 1196. in qua re multipliciter errat, ut liquet ex documentis veteribus a nobis prolatis. Refert Stephanus abbas monasterii sanctorum Justi & Clementis de Volaterris in testificationibus anni 1216. per haec tempora ipsum Gregorium episcopum venisse ad eremum Camaldulensem, exceptumque fuisse reverenter & humaniter ab eremitis, & a se, qui tunc majoris officio fungebatur in eremo. Cum autem ab ipso deposceret episcopus, ut in sui gratiam ea die duplicem refectionem eremitis praeberet, renuit penitus Stephanus, responditque eremi consuetudinem nullatenus infringi posse pro adventu cujuspiam magnae personae. Tantus tunc temporis in eremo rigor observantiae vigebat.

a T. I. col. 419.

XII. Eccl. S. Remedii in episcopatu Curiensi data Camaldulensibus.

IN excerptis tabularii Fontis-boni confectis a Simone & a Rainerio monachis ejusdem loci legitur sub hoc „ *anno* M. CC. III. *die sexta julii* [b] „ Henricum de Sacco olim Alberti de Alemannia pro anima sua dono „ dedisse Martino priori Camaldulensi ecclesiam sancti Remedii de Valle „ Malucina sitam in episcopatu Coriensi super quemdam montem cum „ pertinentiis suis, & cum potestate ordinandi in ipsa abbatem & mona„ chos secundum instituta Camaldulensia; priorem e contra spopondisse „ Henrico anniversarium peragendum in eremo pro suffragio ipsius ani„ mae; Jocarno notario. " An monachorum Camaldulensium colonia ibidem deducta fuerit, an vero rejectus, vel quamprimum derelictus fuerit locus, utpote remotus a ceteris Camaldulensibus, non liquet, cum in archivo Fontis-boni nullae reperiantur tabulae posteriores, quae de ea ecclesia & monasterio mentionem faciant.

b §. *Amissae* 278. *A.* 19.

Cum aedificandum esset monasterium in urbe Foro-liviensi, quod anno praecedenti oblatum fuerat Martino priori Camaldulensi, Sanguinius Foroliviensis potestas [c] hoc anno *die decima nona maji*, adsensu consilii ejusdem urbis, ipsi promisit se defensurum, juraque asserturum domus erectae in fundo Casali; item operam daturum, ne solverent Camaldulenses decimas monasterio sancti Mercurialis, neque plebi sancti Martini in Strata, pollicens se acturum, ut haec conventio scriberetur in statutis ejusdem urbis; manu Ainardi notarii.

c §. *Defensio* *A.* 3. 26.

XIII. Controversiae aliquot monasteriorum.

MENSE junio [d] Ildebrandus abbas monasterii sancti Martini de Pino & Benencasa de Fracta electi arbitri a presbytero Arritio pro ecclesia sancti Michaelis de Nasciano, quae ab ipso regebatur, & a Benedicto priore monasterii sancti Qurici de Fojano super lite, quae inter utramque partem vertebat de finibus domorum & de sepulturis mortuorum, pronuntiarunt, promiscue esse recipiendos defunctos, qui devotionis gratia humari voluerint apud utramlibet ecclesiam, judiciaque mortuorum deductis expensis pro sepultura dividenda esse inter ipsas ecclesias; ad poenitentias vero recipiendas in ecclesia, & circa visitationem in paschatibus faciendam unam domum pergere debere ad ecclesiam sancti Quirici, alteram ad ecclesiam de Nasciano. Alia legitur in eodem tabulario Fontis-boni [e] compositio de domibus facta mense februario hujus anni a Johanne archipresbytero plebis civitatis Arretinae, & a presbyteris Guilielmo & Benincasa inter abbatem Vergaretanum nomine ecclesiae suae sancti Angeli, & inter magistrum Bonamicum nomine ecclesiae sancti Salvatoris, cujus erat rector.

d §. *Amissae* 277. *A.* 175.

e §. *Sententia.* 10. *A.* 3, 32.

Ann. Chr. 1203.

Pariter lis agebatur super quibusdam decimis inter canonicos ecclesiæ Paduanæ ex una parte, & inter monasterium seu hospitale sanctæ Mariæ de Mandria ex altera; causam cognoscendam demandaverat *quinto nonas martii* anni præcedentis, *pontificatus* sui *anno quinto* Innocentius III. Marco Nicolai Castellano episcopo, & Gervasio abbati monasterii sancti Hilarii de Venetiis, exponens canonicos Paduanos conquestos apud sedem apostolicam fuisse Luscum ministrum & conversos hospitalis prædicti, quod ad Hierosolymitanum hospitale non pertinebat, decimas de terris, quas propriis manibus & sumptibus excolebant, injuste detinere, & renuere solvere ecclesiæ Paduanæ. Agente itaque in primis Thoma Mauroceno canonico Patavino & sindico aliorum, Luscus a præfatis judicibus condemnatus fuit ad decimarum persolutionem hoc *anno* M. CC. II. more Veneto, *decima-quarta die intrante februario indictione sexta*. Quem ministrum hospitalis in hac delegatione Innocentius appellat, canonicum appellaverat in charta, quam attulimus ad annum 1200. Innocentii superiores literas in medium protulit Cl. V. Flaminius Cornelius [a] in parte posteriori decadis XVI. Venetarum ecclesiarum; judicum autem delegatorum definitionem proferimus in Appendice ex anecdotis amicissimi nostri Brunatii. Ex chartulario nostro sancti Michaelis de Muriano [b] ad annum 1210. prior dictæ ecclesiæ de Mandria erat Petrus, qui a Gerardo episcopo Patavino facultatem obtinuit alienandi quamdam terrarum portionem sui monasterii. Aderant in eo loco clerici, conversi & conversæ, ut vidimus in dissertatione de Conversis in Appendice ad tomum primum [c].

a Pag. 25.

b Capsf. 36. n. 17.

c Col. 430.

Tertia demum gravior controversia exardescebat inter episcopos Parentinos, & inter monasteria ejus regionis. Conquestus fuerat Folcherius Parentinus episcopus coram Wolcherio patriarcha Aquilejense & marchione Histriæ, quod multi conarentur territorium sancti Mauri, seu ecclesiæ Parentinæ dicatæ sancto martyri Mauro, donatum olim, ut asserebat, ecclesiæ suæ a comitissa Aczica, destruere & usurpare; convocaverat idem episcopus plures testes, qui fines dicti territorii statuerent, & ii pro episcopo stantes limites Parentini territorii majores esse pronuntiaverant in præjudicium monasteriorum circumjacentium. Quare Aquilejensis patriarcha præcepit hoc *anno millesimo ducentesimo tertio die quarta novembris* sub *banno* nonaginta byzantiorum sibi solvendorum, & sub pœna mille librarum denariorum Aquilejensium, ne quis Parentini territorii fines auderet occupare, & sic repetita sententia adjudicatæ fuere Parentino episcopo plures terræ, quæ juris erant monasterii sancti Michaelis de Lemmo, cui potissimum dono datæ fuerant ab eadem comitissa Aczica, quæ, ne monasterium damna aliqua pateretur, de suo liberalis extiterat erga episcopatum Parentinum. Recidunt tamen omnes hæ sententiæ latæ contra prædictum monasterium ex judicatis prolatis seculo XIV. & XV. quibus hæc controversia uberius fuit ventilata, de qua proinde fusius tunc agemus. Placitum interim patriarchæ Wolcherii producimus ex tabulario monasterii sancti Mathiæ de Muriano, cui modo adnexa est abbatia de Lemmo per translationem, quam ex suo monasterio abbates sancti Michaelis de Muriano fecerunt dictæ abbatiæ in cœnobium sancti Mathiæ. Præsens fuit sententiæ patriarchali Pompeus Penetensis episcopus, Ughellio incognitus & ipsius illustratoribus, qui propterea post Peponem vel Poponem locandus est, nisi nomen Pompeii efformatum fuerit ex illo Peponis vel Poponis; quod non infrequens erat his temporibus. Similiter ex charta nostra liquet Folcherium episcopum Parentinum, quem idem Ughellius electum scribit circa annum Domini 1208. ante multos annos

eam

eam sedem obtinuisse, ut etiam Coletus in additionibus ad Italiam sacram productis veteribus documentis demonstrat.

Ann. Chr. 1203.

XIV. Obitus Pistoris ep. Vicetini.

Obiit circa hunc annum Pistor ex priore monasterii sanctæ Mariæ de Carceribus episcopus Vicetinus, postquam viginti & amplius annis inquiete ecclesiam suam rexisset; vir plane militaris, parumque fortunatus. Ipsum in exilium pulsum fuisse ab Ezzelino II. de Romano & a Jacobo Bononiense Vicetiæ potestate anno 1194. tradit Gerardus Maurisius in sua Vicetina historia; additque prope castrum Saledi sagittis confossum in prælio cecidisse circa annum 1200. ut ipse putat, ejusque corpus Vicetiam translatum in ecclesia cathedrali sanctæ Mariæ juxta suos antecessores episcopos tumulatum fuisse. Cum hoc anno dumtaxat electus fuerit Ubertus ejus successor, credibile est Pistorem ad hæc tempora pervenisse.

Sub præsenti anno inscriptio legitur in monasterio Montis-coneri prope Anconam super januam cellarii, quæ prospicit claustrum ecclesiæ, a quo patet ingressus in eremum. Lapis deficit nonnihil in primis literis versuum.

.... S. AI. D. M. CC. III. DIE. VIII. INTRAN. M. A.

.... INNOCENTIO. APOSTOLICE. SEDIS

.... NO. IMPERIO. IMPERATORE. VACANTE. TEMPORE

.... TRI EST FACTVM. HOC. OPVS.

scilicet factum tempore Petri abbatis ejusdem monasterii, cujus origines aperuimus ad annum 1038.

Rainerium abbatem sancti Martini de Campriano permutantem jura ecclesiæ sancti Savini subjectæ monasterio suo exhibet nobis tabularium Fontis-boni [a] sub hoc anno; Ugonem autem priorem eremi Vivensis illud Rosæ Senarum.

Populares [b] castri Certalti, qui subjiciebantur abbatiæ sancti Salvatoris de Monte-acuto territorii Perusini, de mandato abbatis ejus loci, submiserunt hoc anno se & ipsorum bona Ugolino Spontoni Eugubino potestati recipienti nomine civitatis Eugubinæ, promittentes se victuros sub Eugubinorum custodia & ordinatione in perpetuum, scilicet *ad exercitium & ad parlamentum*.

a §. *Permutatio 27. A. 3. 31.*

b §. *Arch. secr. Eugubii, Litera E. n. 1.*

Circa hæc tempora electus fuit episcopus Senogalliensis Transmundus hujus nominis II. ex monacho Font-avellanensi. Ipsius successor fuit Benno electus anno 1223. ab Honorio III. Romano pontifice.

Ann. Chr. 1204.

XV. Monasterium S. Petri-minoris per commutationem traditur monasterio SS. Floræ & Lucillæ de Arretio.

Stephanus major sive prior eremi Camaldulensis vice Martini præsidis generalis congregationis, & Ubertus abbas sancti Salvatoris de Silva-munda cum consensu suorum monachorum, nec non Rainerius prior sancti Petri-minoris de Arretio permutationis jure tradiderunt hoc anno [c] Bruno abbati monasterii sanctarum Floræ & Lucillæ ejusdem urbis dictam ecclesiam sancti Petri sitam in porta de burgo Arretinæ civitatis, una cum hospitali prope eam constructo. Consensit mense martio Gregorius Arretinus episcopus appellatus *electus*, licet a mense majo anni præteriti successor datus fuisset Amadeo eo mense defuncto, salva lege diœcesana; mense autem majo consenserunt quatuordecim eremitæ, quatuor inclusi, & sex monachi Fontis-boni. Bruno vero abbas sanctarum Floræ & Lucillæ loco ejus ecclesiæ, cujus possessionem accepit tertio nonas-martii, dedit Martino Camaldulensi priori & Uberto Silvæ-mundano abbati ecclesias sancti Angeli ad Pratum, & sancti Marci cum pertinentiis suis, & me-

c *Arch. SS. Flor. C. Q. n. 50 69.*

ANN. CHR. 1204.

& medietatem ecclesiæ sancti Laurentii, & quasdam terras in Quarata. Ratam habuit anno 1209. Otto IV. imperator hanc permutationem in privilegio concesso eo anno eidem monasterio sanctarum Floræ & Lucillæ, quod extat apud Margarinium [a], in quo hæc leguntur: *Insuper ratam habemus permutationem illam, quam idem cenobium fecit cum priore Camaldulensi & abbatia Silve-munde super ecclesia sancti Petri de Piccolo una cum hospitali juxta eamdem ecclesiam sito, suisque adjacentibus, ipsamque ecclesiam cum omni jure & pertinentiis ipsi cenobio sancte Flore confirmamus*. In tabulario ejusdem monasterii ita describuntur priores ecclesiæ seu monasterii sancti Petri [b]. Post Guinizzonem abbatem Silvæ-mundanum & sancti Petri minoris ad annum 1085. Johannes abbas utriusque loci ad annum 1089. Martinus abbas sancti Petri ad annum 1113. Rainerius abbas ad annos 1132. & 1144. Ugo prior legitur ad annum 1149. Rollandus ad annum 1156. Guido ad annum 1168. Anno 1173. Johannes; anno 1175. Federicus; Johannes alter anno 1176. Demum Rainerius memoratur ad annos 1200. & 1202: *tempore famis*, quo in pignus tradidit quædam bona monasterii sui pro nutriendis pauperibus, & anno 1203. sub Acerbo Arretinorum potestate, & anno præsenti 1204. Cessit postremo ecclesia sancti Petri-minoris patribus ordinis Servorum beatæ Mariæ, quibus post reversionem ad Camaldulenses & post medietatem hujus seculi concessa fuit a Guilielmino episcopo Arretino.

a P. II. Constit. XXV.

b Caps. Q. numm. 39. 41. 43. 44. 45. 48.

XVI. Ecc. S. Eustachii in urbe Imolensi traditur Camaldulensibus.

EIDEM Martino Camaldulensi priori tradita fuit hoc anno ecclesia sancti Eustasii vel Eustachii prope civitatem Imolensem, quam confirmatam novimus anno 1207. congregationi ab Innocentio III. In charta capituli Foro-corneliensis appellatur ecclesia sancti Ustasii. Hinc frequentius seculis sequentibus nominatur sancti Eustasii, potius quam sancti Eustachii. Pariter [c] in dotem hujus ecclesiæ data fuere bona in loco dicto Braida de Querzola ejusdem territorii a Pippulo Tachimberti pro anima sua & Alemanæ uxoris & Rogerii filii. Institutum fuit in ea ecclesia virorum & mulierum monasterium, ut testis est ad annum 1227. Gregorius IX. Accessit tractu temporis in eodem episcopatu aliud monasterium sanctæ Crucis de Subolis, quod nominatur & confirmatur in diplomatibus sequentium Romanorum pontificum & imperatorum, cujusque loci visitationes hoc seculo peractæ leguntur in chartis tabularii Fontis-boni; silva quoque dicta de Bonifacio (nobilis ea erat Imolensis familia) & locus sive monasterium sancti Johannis-evangelistæ de Linario seu de Lignaro sive Linaro; ecclesia demum & cœnobium sancti Mauri de Solarolo ejusdem Imolensis territorii, de quibus eorumque unionibus cum aliis monasteriis inferius aliqua proferemus.

c Ex chron. Baronc.

XVII. Privilegium falsum ecclesiæ de Camenza.

EXTAT in archivo Camaldulensi [d] summe vitiatum immo commentitium exemplum cujusdam privilegii concessi præsenti anno, si superis placet, ab Henrico imperatore, & a Clemente papa Bonfanti, Manzino & Bidore filiis Petruccii Braccii de Bonfantis, cataneis de Camenza, cui privilegio subnectuntur indulgentiæ concessæ ecclesiæ sancti Michaelis ejusdem loci, quæ erat subjecta monasterio sanctæ Mariæ de Pratalia & eremo Camaldulensi. Non immoramur in refellenda putida fabella, licet exemplum confectum fuerit anno 1407. manu Pauli Bonaccursii de Arretio rectoris ecclesiæ de Gressa. Ecclesia de Camenza data fuit postmodum patribus Dominicanis, & eorum conventui sanctæ Mariæ de Saxo, qui est prope Camenzam.

d Ex eod. Baronc.

XVIII. Res variorum monasteriorum.

VIVENTE Theodora abbatissa sanctæ Mariæ de Rosano electa fuit in præfectam loci Agatha a sanctimonialibus ejusdem parthenonis, cui Rai-

nerius

nerius Fesulanus episcopus possessionem monasterii tradidit, non requisita confirmatione Guidonis comitis, qui juspatronatum in eumdem locum sibi asserebat. Orta inde lis inter monasterium Rosanense & inter comitem Guidonem, cujus causæ cognitio a Romano pontifice demandata fuit Johanni priori sancti Frigdiani Lucensis urbis, Dono Florentinæ ecclesiæ archipresbytero, & Ildebrando Pisano canonico, qui pro comite pronunciarunt; ipsum nimirum ut patronum monasterii debere electionem confirmare. Agente igitur in primis Gualdrada comitissa Guidonis uxore dirempta fuit lis, electio Agathæ rata fuit habita, & reddita quies parthenoni, intra quod, clauso etiam ecclesiæ ostio, se receperant controversiæ tempore sanctimoniales. Hæc fusissime leguntur in autographis paginis [a] monasterii sancti Johannis evangelistæ de Prato-veteri, cui suberat Rosanense monasterium, de quo plura diximus, præsertim sub anno 1142.

ANN. CHR. 1204.

[a] Numm. 21 22.

Donationem factam hoc anno ab Azone marchione Estensi monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres & Livaldo ejus priori affert Muratorius [b] in Antiquitatibus medii ævi; in ea charta hæc subjunguntur: *Et si hec terra fuerit feudum domini marchionis, statuit atque precepit dominus marchio, quod prior sancte Marie, qui modo est vel pro tempore erit, debeat pro jamdicta terra ponere unam unciam de incenso super altare jamdicte ecclesie pro remedio anime domini marchionis & ejus majorum. Et hoc facere debeat omni anno.*

[b] T. I. col. 606.

In locum Benedicti abbatis Vangaticiensis suffectus fuerat Enverardus; ipsi Albertus archiepiscopus Ravennas confirmavit hoc anno ea bona, quæ monasterium Vangaticiense per emphyteusim obtinebat ab ecclesia Ravennate. Facta fuit hujusmodi confirmatio *anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo quarto, tempore Innocentii pape, nemine in Italia imperante, die quinto intrante mense aprilis indictione* VII. *Ferrarie in palatio ecclesie sancti Stephani*, quam editam a Camillo Silvestrio [c] in Paludibus Adrianis iterum producimus ex eodem archivo Vangaticiensi.

[c] Pag. 69.

Guido prior Anglariensis & Rodulphinus consul castri Anglarii de consilio hominum Anglariensis communis elegerunt [d] Astaneolum judicem ordinarium pro convocandis ad examen senioribus hominibus dicti loci, ex quorum responsionibus stabilirentur viri, quibus demandanda esset custodia ejusdem castri, & firmarentur habitatores & residentes in ipso, qui obedientiam præstare debebant priori Camaldulensi, & priori monasterii Anglariensis.

[d] §. Testificat 2. 4, 3. 38.

Innocentius III. petitionibus Martini Camaldulensis prioris in parœciam elevavit hoc anno ecclesiam monasterii sanctissimæ Trinitatis de Monteherculis, confirmans eidem ecclesiæ jus decimarum & judicia mortuorum, quæ a quadraginta annis obtinebat. Datum *Laterani* XVI. *martii pontificatus* sui *anno* VII. De hocce monasterio egimus ad annum 1153. Anno 1200. abbas ipsius erat Philippus, qui eo anno Bernardo rectori ecclesiæ & hospitalis Fatignani in emphyteusim tradidit *terras prope dictam ecclesiam & flumen Greleve, quod in Tiberim se exonerat juxta plebem sancti Stephani*; Pandulphus erat abbas anno 1217. Stephanus anno 1227. Johannes anno 1232. Romualdus legitur sub anno 1247. Johannes ad annos 1249. & 1262. Michael ad annos 1277. 1284. 1288. Hæc ex chartis asservatis in archivo canonicorum sanctæ Agathæ Montis-feretrani.

Etiam sub præsenti anno in necrologio monasterii Galeatensis legitur ad diem XV. kalendas martii. *Anno Domini* M. CC. IV. *fuerunt terræ-motus magni in Galiata sive per alia loca.*

XIX. De Thoma Mauroceno primo ex Latinis patriarcha CP.

CONSTANTINOPOLITANO imperio hoc anno a Græcis in Latinos

Ann. Chr. 1204.

nos translato, ex principibus Galliæ electus fuit in imperatorem Balduinus. *Ut autem Veneti, qui fuerant laboris participes, essent pariter consortes honoris, placuit laicis in commune, ut de clero Venetiarum assumeretur vir idoneus, qui præferretur Constantinopolitanæ ecclesiæ patriarcha. Cum ergo quidam clerici Venetorum fuissent ecclesiæ sanctæ Sophiæ servitio deputati, ne acephali sine capite viderentur, de præficiendo sibi pastore tractantes convenerunt in unum, & dilectum filium*, Thomam scilicet Maurocenum Venetum patricium, *subdiaconum nostrum in patriarcham unanimiter elegerunt, & confirmationem electionis suæ per nuntios proprios a nobis humiliter postularunt, nobili viro duce Venetorum per sollemnes nuntios suos idem cum instantia requirente*. Hæc in epistola ad præfatum Balduinum imperatorem scribit Innocentius III. Romanus pontifex. Et inferius: *Cum igitur nobis hujusmodi electio fuisset præsentata, licet de persona electa ex mora diutina, quam apud sedem apostolicam fecit olim, nos & fratres nostri sufficientem notitiam haberemus, utpote quam noveramus genere nobilem, honestam moribus, prudentia circumspectam, & competenter literis eruditam, electionem tamen examinavimus* &c., quam prius reprobatam, inde in gratiam imperatoris & Venetorum confirmandam decrevit; ipsum electum sabbato IV. temporum quadragesimæ in diaconum ordinans, & sabbato hebdomadæ medianæ in sacerdotem promovens, & sequenti dominica Romæ apud sanctum Petrum in episcopum consecrans. Quæ cum ita sunt, non intelligimus, quibus documentis instructus Paulus ex eadem familia Maurocena senator Venetus, & auctor ceteroquin præ-

a *Pag.* 153.

stantissimus, libro VI. historiæ [a] urbis & Reipublicæ Venetæ, narrata ejusdem Thomæ Mauroceni electione in patriarcham Constantinopolitanum subdiderit: „ Missi fuere legati ad Innocentium III. Romanum pon„ tificem, qui singulariter peterent confirmationem ejusdem electi. Erat ille „ monachus Camaldulensis, convenientis literaturæ & optime cognitus eidem „ Romano pontifici, quare haud ægre obtenta fuit ipsius confirmatio. “ Concinunt Paulo Mauroceno Florellus in historia Orientis & Andreas Verdizottus in historia Veneta, & senator Jacobus Diedo in historia similiter Veneta aliique, dum interea de Mauroceni instituto Camaldulensi nihil omnino habent ceteri scriptores, Dandulus, Sabellicus, Andreas Maurocenus, sed nec Lequienius in Oriente Christiano. Exploratum itaque est Thomam Maurocenum fuisse subdiaconum Romani pontificis Innocentii III. multoque tempore Romæ degisse, ita ut ejus persona cognita ipsi foret, & curiæ Romanæ. Anne Thomas ante electionem suam canonicus ille erat Patavinus, cujus mentionem fecimus anno antecedenti in charta litis Patavinorum canonicorum cum canonicis Mandriæ? Ea occasione alteram fabellam refellendam arbitramur Hieronymi Fabrii in

b *Pag.* 274.

memoriis sacris Ravennatibus [b], quem ignoramus, unde hauserit, quæ narrat de canonicatu regulari Thomæ Mauroceni olim patriarchæ Constantinopolitani. „ Sribit itaque „ eodem tempore iisdemque circiter an„ nis, hoc est circa annum 1215. ipsum Thomam patriarcham, Ubal„ dum archiepiscopum Ravennatem, & Petrum Zianum nobilissimum „ Venetorum ducem, abdicatis supremis magistratibus, quos gerebant, se„ cessisse in canonicam domum sanctæ Mariæ de Portu extra Ravenna„ tem urbem, ibidemque vitam privatam agendo clausisse dies suos. “

c *Lib. VI. pag.* 378.

Ante Fabrium ex multorum traditione idem scriptis tradiderat Rubeus [c]. De Ubaldo archiepiscopo Ravennate nil proferimus. Petrum Zianum Venetorum ducem novimus testamentarias tabulas scripsisse Venetiis anno 1228. quarum etiam fragmentum afferemus, & in ipsa Venetiarum urbe

vita

Ann. Chr. 1204.

vita excessisse. Pariter ex Innocentianis epistolis editionis Bosqueti [a] exploratissimum est Thomam Maurocenum patriarcham CP. anno XIV. ipsius Innocentii pontificatus Thessalonicæ extrema ægritudine laborantem obiisse, ut scribit idem Romanus pontifex capitulo sanctæ Sophiæ & universis prælatis conventualium ecclesiarum Constantinopolitanarum. Paulus Ramnusius [b] libro III. de Bello Constantinopolitano Thomam Maurocenum e nobilissima Veneta familia natum, juvenilibus annis se inclusisse scribit in canonicam domum Portuensem Ravennæ, ex quo loco eductum putat evocatum fuisse ad infulas patriarchales Constantinopolis. Alibi vidimus etiam in monasterio Carcerum territorii Patavini viguisse Portuensem regulam; ad hoc cœnobium primis suis annis facile maluerit confugere Thomas, utpote patriæ suæ propius. Sed cum omnia incerta sint, nulloque veteri fulta testimonio, de Mauroceno satis erit pro certis tenere, quæ in literis Innocentianis habentur, & superius retulimus.

a *Lib. II. epist.* 97.

b *Pag.* 107.

Ann. Chr. 1205.

XX.

Ecc. S. Viti in urbe Vicetia data scholaribus studii Vicetini.

STATUENDA sunt sub hoc anno primordia monasterii nostri sancti Viti in urbe Vicetina, quæ fuere hujusmodi. Florisius & Nicolaus Vicetinæ ecclesiæ archidiaconus & præpositus cum assensu capituli ceterorum canonicorum, magistro Roberto de Anglia, Guilielmo Cancellino de Provincia, Guarnerio de Alemannia & Manfredo de Cremona, qui erant rectores universitatis scholarium commorantium in urbe Vicetina, pleno jure tradiderunt & contulerunt ob devotionem, quam gerebant erga ecclesiam Vicetinam templum sancti Viti, quod juris erat Vicetini capituli canonicorum, cum omnibus suis possessionibus. Reservarunt autem sibi confirmationem prælati ejusdem ecclesiæ, si fuerit regularis vel conventualis, si vero non fuerit conventualis, decreverunt, ut is reciperetur tamquam frater, atque una cum clericis suis bis in anno in festis resurrectionis Dominicæ & pentecostes accederet ad sollemne baptisma, & teneretur oneri abluendi infantes, sicut facere solebant alii capellani ecclesiæ Vicetinæ. Insuper teneretur in diebus sollemnibus paschatis, nativitatis Domini, sanctæ Mariæ, aliisque festis diebus convenire cum aliis capellanis ad Missas majores & ad letanias. Pariter voluere, ut si canonici Vicetinæ ecclesiæ invitati fuerint ad funera defunctorum persolvenda in ecclesia sancti Viti, sive secularis, sive regularis fuerit prælatus, ad archipresbyterum majoris ecclesiæ spectaret celebrare Missam, & percipere pro canonicis dimidium oblationum illius Missæ. Retinuere præterea sibi decimas omnium possessionum prædictæ ecclesiæ constitutarum in civitate Vicetina, vel in plebanatu majoris ecclesiæ. Præceperunt insuper, ut in procurationibus domini papæ, cardinalium & legatorum ipsius prælatus sancti Viti deberet solvere portionem suam procurationum juxta ejus ecclesiæ facultates, ad tenorem taxæ patriarchæ Aquilejensis, vel ejus nuntiorum. Quod si contingeret, ut prædicta scholarum universitas removeretur de Vicetina urbe, ecclesia sancti Viti, si fuerit secularis, reverteretur ad ecclesiam majorem Vicetinam, si vero fuerit regularis, in eodem statu permaneret cum oneribus supradictis; præter quæ liberam eam ex omnibus aliis exactionibus decreverunt. *Actum anno millesimo ducentesimo quinto indictione nona tertio nonas octobris*. Indictio nona incipiebat mense septembri. Chartam autographam nobiscum communicavit Brunatius, & aliqua ipsius apographa reperimus in tabulario monasterii sanctæ Luciæ ejusdem urbis; distinguenda est ecclesia sancti Viti ab abbatia sancti Viti sita juxta ecclesiam sanctorum Felicis & Fortunati de Vicetia, quæ legitur in charta anni 1053. apud eumdem Brunatium pag. 1820. suorum

rum

ANN. CHR. 1205.

rum monumentorum ecclesiæ Patavinæ mss. & in alia charta appellatur monasterium sanctorum Felicis & Fortunati, Viti & Modesti, quia abbatia sancti Viti unita fuerat cum altera sancti Felicis; hæc enim ab una urbis parte, nostra vero ex adversa urbis regione consurgebat. Florano archidiacono, & Nicolao archipresbytero ceterisque Vicetinis canonicis privilegium concessum ab Innocentio III. anno sequenti extat apud Ughellium [a], in quo ipsis confirmatur inter ceteras ecclesias ecclesia sancti Viti. Episcopus Vicetinus per hæc tempora post Pistorem erat Ubertus. Sub hoc anno a Gerardo Maurisio in historia de rebus gestis Ezellini de Romano apud Muratorium [b] *inter* scriptores rerum Italicarum ponitur adventus scholarium in urbem Vicetinam; nam post præfecturam Oliverii Enselbardi de Papia, ait: *Huic succedit Bernardus vexillifer Papiensis. Sub isto venit studium scholarium in civitate Vicetiæ, & duravit usque ad potestariam domini Drudi*: Similiter in chronicis Antonii Gudii apud eumdem [c]: *Succedente post prædictum domino Bernardo vexillifero de Papia studium generale fuit in civitate Vicetiæ, doctoresque in contrata sancti Viti manebant, ut etiam hodie apud priorem sancti Viti apparent privilegia collationis studii.* Frustra tamen ea privilegia inquisivimus in tabulario monasterii nostri sanctæ Luciæ de Vicetia, ad quod translati fuere monachi Camaldulenses ante ducentos annos ex cœnobio sancti Viti solo æquato. De ipso iterum anno sequenti.

a T. V. col. 1046.

b T. VIII. col. 15.

c Ibid. col. 75.

XXI. Ecclesiæ Sardæ Camaldulensibus donatæ.

MARIA de Thori vel de Terri nobilissima femina Sarda uxor Petri de Maronio cum voluntate judicis Comitæ de Laccon & ipsius conjugis Agnetis reginæ, & domini Marini regis, dono obtulit hoc anno *die decima julii*, duas ecclesias sui juris sub titulo sanctæ Mariæ de Orrea Picchina, & sanctæ Justæ monasterio & eremo sancti Salvatoris de Camaldulo in manu Martini prioris majoris Camalduli, cum servis & ancillis suis, cum domibus, silvis, vineis & terris, animalibus, & prædio de Nugulbi, ut in prædictis ecclesiis *priores Camaldulenses eligant rectores ad suam voluntatem, & monachos in sempiternum deponant*. Subscripserunt plures testes post consuetas maledictiones & benedictiones; eodemque anno Petrus Emporiensis in Sardinia episcopus [d] cum consilio suorum clericorum confirmavit donationem earum ecclesiarum, reservato sibi jure episcopali, relicta tamen libera earum collatione & institutione ipsi Camaldulensi priori. Marini sive Mariani regis Turritani fit mentio per hæc tempora in ms. Florentino codice bibliothecæ Mediceæ, qui continet acta auctiora vitæ beati Benigni abbatis Vallumbrosani, cui pecuniam Marianus rex misit pro oratorio extruendo apud Papebrochium [e]. Ipsius meminit etiam Odoricus Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis [f] ad annum 1218. Comitæ vero judicis Turritani memoria fit sub hoc anno 1205. a Petro Sorrensi episcopo in charta fundationis monasterii pro Cisterciensibus in Sardinia apud Martene in thesauro novo veterum monumentorum [g]. Post quinquennium [h] eadem Maria de Thori confirmavit eamdem donationem suam in manu Roberti prioris sanctæ Mariæ de Orrea Picchina sub die prima julii, manu Petri scriptoris judicis Comitæ. Primam donationis paginam ex tabulario Fontis-boni edimus in Appendice.

d §. Amissæ 282. 188.

e T. IV. jul. pag. 343.

f Pag. 255.

g T. I. col. 800.

h §. Donatio 371. A. 3. 4.

XXII. Obitus Martini prioris Camaldulensis. Electio Guidonis.

RECEPTIO harum ecclesiarum est postrema actio Martini II. prioris Camaldulensis, saltem nullæ ipsius posteriores chartæ reperiuntur in archivo Camaldulensi, neque aliud scimus, nisi quod mense novembri erat infirmus in urbe Pisana & propediem moriturus; sepultus fuit in basilica sancti Zenonis ejusdem urbis, ubi & ad hodiernam diem visitur locus ejus tumuli. Vir fuit pietate, zelo promovendæ rei monasticæ, & dexte-

ritate

ritate in agendis negotiis plane insignis. Usus fuit sæpius ejus opera Innocentius III. Romanus pontifex tum pro reparanda monachorum disciplina, tum pro quiete inducenda inter urbes Lombardicas. Missus fuit præsertim legatus ab eodem pro pace firmanda ad Mediolanenses, ut idem Romanus antistes testatur epistola 187. libri I. ex collectione Bosqueti [a] ad consules & populum Mediolanensem scripta anno sui pontificatus XV. hoc est *anno* M. CC. XII. IV. *kalendas novembris*, in qua ipsos redarguit, quod *rupto vinculo fœderis & pacis, quæ olim procurante priore Camaldulæ a nobis propter hoc spetialiter destinato inter vos & Papienses celebrata extitit & juramento firmata*, ipsum vinculum fregerint. Et cardinalis Aragoniensis in vitis Romanorum pontificum apud Muratorium [b] Innocentii elogium texens de ipso hæc habet: *Hic per Martinum Camaldulensem priorem virum providum & honestum inter Mediolanenses & Papienses pacis fœdera reformavit, per sex menses ad hoc studiosissime laborans, quorum antiqua discordia inter civitates Lombardiæ, quæ hinc inde se diviserant in partes, dissensionis seminarium pariebat; ex qua multotiens magna provenerant & dispendia, & pericula personarum*. Nec illud est prætermittendum Philippum Sueviæ ducem plurimum adhibuisse operam Martini prioris Camaldulensis, ut imperium ab apostolica sede obtineret, eo tempore, quo Innocentius III. ante biennium se pro Ottone IV. declaraverat, & licet epistolis Philippi non sit habenda omnimoda fides, ex ipsis tamen, & ex aliis Romani pontificis Innocentii III. intelligimus „ Martinum nomine Philippi plura obtulisse, & plura Innocentio retulisse „ sub testimonio literarum, quas dux ipse sigillo fecerat aureo roborari. " Cum vero Martinus ex ejus parte proponeret coram Romano pontifice, quod Philippus paratus erat ad mandatum ecclesiæ Romanæ redire, aliud responsum ab Innocentio extorquere non potuit, „ nisi quod cum redeuntibus ad ecclesiæ gremium nollet ipse aditum veniæ denegare, „ promptus erat eum recipere sicut quemlibet pœnitentem. " Philippus vero per Teutoniam divulgaverat, quod Innocentius Martinum priorem Camaldulensem ad ejus præsentiam miserat, ut eum ad coronam imperii evocaret. Insuper ut gratiam aucuparetur Romanæ curiæ, ingentia promissa cumulaverat, asserens se, antequam Martinus & Odo monachus de Salem venirent ad ipsum tractaturi de pace ecclesiæ & imperii, vovisse Deo expeditionem ad reparandas res Terræ-sanctæ, spopondisse libertatem electionis prælatorum, spiritualia omnia pontifici relicturum, & operam daturum, ut monasteria irregulariter viventia regularibus conventibus Cistercienſi, Camaldulensi, Præmonstratensi subjicerentur. Inter testes hujus promissionis legitur etiam Petrus abbas Burgi-sancti-Sepulcri. Alia epistola idem Philippus gratias agit Innocentio, quod ad se destinaverit Martinum priorem Camaldulensem, cuique fidem plenam vult adhibendam circa observantiam promissionum & conditionum.

Addit in altera se ante adventum Martini prioris dimisisse electionem Luipoldi electi Moguntini post obitum Conradi, & e contra confirmasse legitimam & acceptam electionem Siffridi in archiepiscopum. Sed, ut mox diximus, permisit dumtaxat Innocentius Martino priori Philippum adire, quatenus ipsum resipiscentem ad ecclesiam revocaret. Fusius leguntur epistolæ & tota rei series apud Odoricum Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis [c], & etiam apud Baluzium in collectione epistolarum Innocentii III. [d]

In catalogo priorum Camaldulensium impresso anno 1513. post vitam sancti Romualdi, successor Martini ponitur quidam Gerardus, quare Gerardus prior, qui vixit ad finem progrediente hoc seculo, communiter

ANN. CHR. 1205.

a Pag. 459.

b T. III. Script. rer. Italicar.

c T. I. pag. 92 93.

d T. I. in Appendice.

Ann. Chr. 1205.

appellatur hujus nominis II. verum Gerardus I. quem vocant, nunquam fuit prior Camaldulensis, sed tantum vicarius Martini appellatur sub anno 1203. quo nonnulla bona in valle *de le Tagliole* territorii Camaldulensis emit; cuique donata fuere eo ipso anno alia bona *infra murum novum, & veterem civitatis Aretii*, qui etiam legitur promotus ad episcopatum Anconitanum, sed nunquam prioris vel præsidis generalis nomine insignitur. Quare in capitulo statim acto in territorio Pisano post obitum Martini, & in ecclesia sancti Savini electus fuit in ejus locum Guido prior claustri ipsius monasterii sancti Savini, qui mense januario anni sequentis prior Camaldulensis appellatur in chartis Fontis-boni, & per quadraginta-duos annos officium prioratus strenue gessit.

Narrat Cæsar Clementinius in sua historia Ariminensi [a], quod, „ cum „ hoc anno cives Ariminenses litem haberent quoad fines territorii sui cum „ Cæsenatibus, scientes apud monachos Classenses sancti Apollinaris custo- „ diri aliquot privilegia patriæ suæ admodum utilia, miserunt Anastasium „ Girardi a Lacia civem suum ad abbatem Classensem, ut Ariminensibus „ civibus hæc privilegia vellet commodare, monachos vero benigne eum „ suscepisse, & privilegia tradidisse post depositum factum ab Anastasio no- „ mine urbis centum librarum argenti usque ad privilegiorum restitutionem, „ quæ postea Johanni priori ejusdem monasterii reddita fuere, sublatumque „ fuit depositum. “

a Pag. 351.

Livaldo priori Carcerum concessisse viam quamdam Azonem marchionem Estensem eodem anno ex Canneto intelligimus.

Ad monasterium sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia pertinebat pleno jure ecclesia sanctæ Mariæ de Antignana, cujus collationem factam hoc anno a Raynerio abbate ejusdem monasterii legimus in tabulario dicti loci. Ipsa ecclesia recensetur inter ceteras ab Alexandro III. in privilegio anni 1181.

In archivo episcopatus Castellani reperimus [b]: „ *Anno* M.CC.V. *mense maji* „ *indictione* VIII. *nullo imperatore existente*, abbatem monasterii de Ar- „ dovino Augustinum nomine venisse ad Civitatem-Castellanam, petiisse „ a priore Castellanæ ecclesiæ & a capitulo suo, ut vice episcopi dare- „ tur sibi lapis benedictus, ad honorem pii patris Innocentii papæ III. „ & Castellani capituli, & Pauli archipresbyteri plebium Burgi-sancti- „ Sepulcri & Buccuniani, in cujus plebatu monasteria Arduini & Tedal- „ di sita sunt. “

b Lib. I. Instrum. pag. 272.

Ann. Chr. 1206.

XXIII.
Scholares universitatis Vicetinæ tradunt Camaldulensibus ecclesiam S. Viti.

Anno sequenti *millesimo ducentesimo sexto indictione* IX. *die duodecima mensis februarii*, præsentibus aliquot Vicetinæ ecclesiæ canonicis, magister Robertus de Anglia, & Guarnerius de Alemannia rectores universitatis scholarium ejusdem urbis nominati sub anno antecedenti, obtulerunt capitulo Vicetino Samsonem monachum Camaldulensem, rogantes archidiaconum, præpositum, ceterosque e capitulo Vicetino, ut præfato religioso viro possessionem traderent ecclesiæ sancti Viti, eumque instituerent priorem, & administrationem bonorum ipsius ecclesiæ conferrent. Qui canonici rectorum dictorum petitionibus annuentes ipsum Samsonem prælatum instituere, salvo tenore conventionis, quæ inter ipsos canonicos, & scholarium universitatem anno præterito conscripta fuerat. Samson prior erat monasterii Veronensis in loco Avesa, dicti Camalduli Veronensis, qui a scholaribus assumptus fuit ad regendam ecclesiam Vicetinam sancti Viti, nam *quinto kalendas decembris* hujus anni, *pontificatus* sui *anno nono* Innocentius Romanus pontifex eamdem ecclesiam san-

cti

cti Viti dicto Samsoni priori Veronensi confirmavit, *quam*, inquit, *scholares civitatis Vicetinæ divini amoris intuitu construxerunt, tuoque monasterio subdidere*, eamque sub apostolicæ protectionis tutela recepit. Quod breve ex tabulario Fontis-boni proferimus in Appendice. Laudat Odoricus Raynaldus [a] alias ejusdem Innocentii literas ex libro nono sub numero 157. ad Vicetinos scholares, quibus ipsis ob sacram sancti Viti ædem traditam Camaldulensibus patribus, & ab eis inchoatam gratulatur. Alteram sollemniorem traditionem ejus ecclesiæ factam Camaldulensibus referemus ad annum 1209. Interea arbitramur hoc & duobus sequentibus annis sub Samsone priore ecclesiæ dictæ inserviisse sacerdotes seculares, nam in archivo monasterii sanctæ Luciæ de Vicetia reperimus anno 1207. Cataldum, Richardum & Guilielmum sacerdotes officiales sancti Viti de Vicetia numerasse triginta & octo libras denariorum Veronensium Bono Johanni judici de Solario pro vinea, quam ab ipso emerant in monte Berico. Anno sequenti sub die ultima decembris Samson tamquam *prior sancte Marie de Camaldulis de Verona* testis legitur in charta permutationis castri Lemniaci facta ab Adelardo episcopo Veronense cum communitate Veronæ apud Ughellium [b]; ex quo documento constat Samsonem rexisse utramque ecclesiam & monasterium eodem tempore.

ANN. CHR. 1206.

a Num. 42. ad hunc annum.

b T. V. col. 812.

XXIV. Eremus Montalis-Salutis in diœcesi Ariminensi subjicitur eremo Camaldulensi.

PIUS quidam vir, Salimbene nomine [c], fundaverat in diœcesi Ariminensi eremum e suo nomine dictam de Salimbene, alias etiam a loco appellatam Montalem-Salutis, seque ipsum Deo consecraverat; is hoc anno *die tertia junii* eam eremum supposuit directioni Guidonis prioris Camaldulensis, tradens ipsam in altari eremi Camaldulensis per librum & per stolam manu propria, plenumque in eam dominium tribuens eidem priori, & in manu Simonis vicarii Camaldulensis obedientiam promittens, manu Ugonis Boni notarii. Inter cetera loca, quæ Innocentius III. anno sequenti confirmavit congregationi Camaldulensi, nominatur etiam ipsa Salimbenis eremus. Aliorum locorum subinde fundatorem videbimus eumdem Salimbenem.

c §. Amissæ 283. A. 1. 198.

XXV. Investitura castri Castellionis facta a Camaldulensibus.

„ IDEM Guido Camaldulensis prior, Simon vicarius, Bonus, Albericus, Atto, Ildibrandus, Otto, Guido, Rainerius, Guilielmus camerarius, Benedictus, Ugo omnesque alii eremitæ; Angelus quoque, Matthæus, Carus, Benedictus, Donatus, Berardus & Guilielmus monachi Fontis-boni, Morandus, Bernardinus, Colle, Palmerius & omnes alii conversi, pari voluntate [d] concesserunt in feudum castrum Castellionis Alberto & Matthæo, & Alberto filio Guilielmini eorum nepoti, qui proceres erant de Galbina, seu de Monte-acuto, & medietatem domus, quam ibidem dicti proceres ædificaverant, quam tamen altius construere non debeant sine licentia præfati prioris & successorum ipsius; item medietatem placitorum & bannorum, & locationum, ita quod in prædictis unus alteri non succedat. Insuper præfati prior & monachi promiserunt se non vendituros idem castrum irrequisitis iis proceribus, eisdemque decem libris minus quam aliis vendituros; de quibus omnibus ipsi fidelitatem jurarunt priori Camaldulensi, & refutaverunt jura & actiones sibi competentes ex contractu cum ejus antecessore priore Martino de eodem castro inito; salvo tamen jure, quod in ipsum castrum ejusque curiam obtinuerant ex prævio contractu habito cum priore Placido. Exinde prior & monachi Camaldulenses exemerunt eos proceres a vinculo excommunicationis, eosque redintegrarunt penes ecclesiam eremitarum, juxta literas Rainerii episcopi Fesulani apostolici delegati in ea causa, recipiendo eosdem ad osculum pacis, & ad partici-

d §. Investitura 22. A. 3. 49.

Ann. Chr. 1206.

„ pationem bonorum spiritualium ordinis, condonando quoque abla„ ta ab ipsis in eo castro ipsiusque curia." Videantur, quæ protulimus ad annos 1199. & 1202. de violenta detentione ejusdem castri facta a dictis proceribus.

In tabulario monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia sub hoc *anno* M. CC. VI. XVII. *kalendas novembris indictione* X. mutata septembri, habetur charta permutationis terrarum factæ a Gerardo abbate sancti Petri de Cerreto & a monachis suis, subscripta deinde a Guidone priore Camaldulensi, præsentibus Roberto abbate Adelmi, Martino abbate Puteolense, & Augustino priore de Mucchio. Gerardus successerat Mauro in abbatia Cerretana.

XXVI. Electio abbatis monast. Cantiniani.

Subjicimus etiam paginam electionis abbatis Cantiniani, quam fecit idem Guido prior, ex codice membranaceo, qui olim extabat apud Grandium.

In eterni Dei nomine, amen. Ex hac publica serie literarum aperte denotescat & clareat, quod ego Guido sola Dei gratia Camaldulensis prior, licet immeritus, pro reservando jure, quod habet eremus Camaldulensis in monasterium de Cantignano, & ne in fraudem juris prefate eremi & monasterii aliqua possit provenire malitia, utens etiam consuetudine libertatis, quam Camaldulenses priores consueverunt habere in eligendo & ponendo abbates in monasteriis sibi subjectis, pariter & privilegio in predicta libertate unito.

Ideo ego G.. Camaldulensis prior eadem libertate & privilegio fultus, ad honorem Dei & totius conventus, fratrem Gregorium nomine eligo in abbatem & rectorem dicti monasterii de Cantignano, & electum confirmo, & confirmatum instituo, & corporalem possessionem tam in temporalibus, quam in spiritualibus, salva auctoritate Camaldulensis eremi, concedo. Et taliter domnus Guido predictus prior me Vivianum judicem & notarium scribere rogavit.

Actum in ecclesia sancti Savini, in presentia domni Simonis abbatis istius monasterii sancti Savini, & domni Johannis prioris claustralis ejusdem monasterii sancti Savini, & domni Guidonis abbatis monasterii sancti Michaelis de Burgo, & domni Gilii prioris sancti Frigdiani, & domni Gerardi prioris de Camaldulo Florentie, & domni Ugonis abbatis de Monte-muri, & domni Guidonis camerarii Camaldulensis, & etiam in presentia & testimonio Foretani quondam Rodulphini, & Pauli quondam Manni, atque Ugolini filii Monte-magni, qui fuerunt ad hec rogati testes.

Anno Dominice incarnationis millesimo CC. VII. more Pisano, *indictione* IX. *quarto kalendas madii.*

Ego Vivianus imperialis aule judex ordinarius & notarius his omnibus interfui, omnia memorie scripsi atque firmavi.

XXVII. Vilanus fit ep. Eugubinus.

Electus fuit præsenti anno episcopus Eugubinus Vilanus, qui ex nobili familia Eugubii natus, sed mundo ejusque pompis valedicens secesserat jamdudum in monasterium sanctæ Crucis Fontis-avellanæ. Cum ergo obiisset Albertus episcopus, clerus Eugubinus Raynaldum canonicum postulaverat, sed cum hujus electionem Romanus pontifex Innocentius III. improbasset, Vilanum Eugubinis antistitem dedit, de qua re extant ejusdem Innocentii literæ ab Ughellio in regesto Vaticano visæ, & datæ Romæ VI. *kalendas decembris pontificatus anno* IX. hoc nimirum anno. A vero igitur discedunt, qui Alberti mortem ad annum 1209. retrahunt, & qui Alberto suffectum Raphaelem autumant, vel etiam ii, qui Raynaldum post Albertum inserunt episcopis Eugubinis, ut animadvertit noster

ſter Sartius [a]. De Vilano nonis maji agit Jacobillius [b], & ex ipſo pridie nonas maji Henſchenius in Actis Sanctorum. Diu multumque eccleſiam Eugubinam tenuit, & potiora, quæ geſſit in epiſcopatu, ſuis annis dicemus.

Ann. Chr. 1206.

a De epiſc. Eugubin. pag. 130.
b T. I. pag. 471.
c §. Emptio 234. A. 3. 44.

In tabulario Camaldulenſi [c] extat memoria ſub hoc anno eccleſiæ ſancti Bartholomæi *de Palazzo* Bononienſis urbis, cujus rector Gratianus Uguitioni priori eremi Camaldulenſi de Bononia vendidit aliquot terras; manu Guilielmi notarii. Subjecta fuit poſtea ea eccleſia eidem eremo Bononienſi.

Ann. Chr. 1207.

XXVIII. Plures eccleſiæ in Caſentino traduntur Camaldulenſibus.

Rainerius olim Guidalotti de Pelago hoc anno *idibus februarii* donavit magiſtro Lamberto vicario Camaldulenſi recipienti vice & nomine Guidonis prioris eccleſiæ & monaſterii ſancti Romualdi, & totius eremi Camalduli integrum ſuum juſpatronatus, quod obtinebat in eccleſias ſancti Clementis de Pelago, ſancti Salvatoris de Liciolo, ſancti Petri de Caſi, ſancti Bartholi de Caſtro-novo, plebis de Pomino & ſanctæ Margaritæ de Toſina, quæ erant in agro Caſentino, transferens quoque in Camaldulenſes omne ſuum jus, quod habebat in poſſeſſiones & bona ad prædictas eccleſias pertinentia. Eodem etiam *anno* M. CC. VII. ſed facile more Florentino, hoc eſt anno ſequenti, *indictione undecima* VII. *kalendas februarii* idem Rainerius una cum Romea uxore ſua Johanni priori eccleſiæ & canonicæ ſanctæ Margaritæ de Toſina vices gerenti ejuſdem Guidonis prioris tradidit quoſdam homines colonos & reſidentes ſuos ac bona, quæ ſpectabant ad dictam eccleſiam ſanctæ Margaritæ.

Patroni monaſterii ſanctæ Helenæ ad flumen Æſinum hoc *anno Dominice incarnationis* M. CC. VII. *indictione decima tempore domini Innocentii pape, vacante imperio* IV. *die exeunte menſe madii*, corporali ſacramento promiſerunt ſe emendaturos offenſas omnes de bonis ablatis eidem monaſterio vel ejus eccleſiis, vel hominibus a tribus annis, contra voluntatem abbatis & hominum prædicti cœnobii, pollicentes de cetero nullam ſe moleſtiam vel damnum illaturos. Idem ſpoponderunt etiam quoad monaſterium de Mandriolis, appellatum de Heremita. *Actum eſt hoc tempore abbatis Bernardi*, qui ſuffectus fuerat Nicolao, de quo ſub anno 1198. Chartam promiſſionis ſcriptam per Jacobum notarium reipublicæ Æſinæ, cujus etiam teſtes fuere plures eorum, qui in charta donationis anni 1180. nominantur, exſcripſimus ex tabulario ſancti Blaſii de Fabriano.

XXIX. Ecc. S. Andreæ de Zagonaria confirmatur monaſterio S. Hipp. de Faventia.

Mainardus Imolenſis epiſcopus Petro abbati monaſterii ſanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia, qui in Rainerii locum ſuffectus fuerat, confirmavit hoc anno jus habendi, tenendi & ordinandi eccleſiam ſancti Andreæ de Zagonaria, & regendi populum ipſius eccleſiæ *per quemcumque*, inquit, *volueritis monachum, vel converſum veſtrum in temporalibus & ſpiritualibus*. Liberavit inſuper dictam eccleſiam ab omni exactione epiſcopali, ſalvo jure plebis de Barbiano, ſcilicet in baptiſmo & in letaniis, & in viſitatione feſti ſancti Stephani; ſalvo etiam, quod rector ipſius eccleſiæ deberet vitare eos, qui ab epiſcopo pro cauſa matrimoniali, vel pro alio ſpirituali negotio cenſurarum vinculis forent innodati, neque communionem cum eis habere. Subſcribit ipſe epiſcopus cum præpoſito & canonicis ſuæ eccleſiæ, & inter teſtes legitur Wido dux. Mainardus frequentius dicebatur Mainardinus, de quo videndi ſunt tum Ughellius, tum canonicus Antonius-maria Manzonius in hiſtoria epiſcoporum Imolenſium, qui tamen reticent annum electionis Mainardi, & ad annum dumtaxat 1208. referunt ipſius nomen inter epiſcopos ejus ſedis.

Mai-

Ann. Chr. 1207.

Mainardus itaque jam episcopus Imolensis erat hoc anno ex charta nostra tabularii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia signata *anno Dominice incarnationis* M. CC. VII. *tempore Innocentii pape*, *imperatorem non habemus*, *die* XVI. *mensis augusti indictione* X. Die vero XII. mensis aprilis anni sequentis homines supradictæ ecclesiæ promiserunt eidem Petro abbati se audituros & observaturos præcepta omnia, quæ ipse abbas facturus esset in causis discordiæ inter populum & inter monachum, vel conversum, vel missos abbatis, & humiliter recepturos quæcumque ipsius mandata.

Eidem Petro abbati & monachis ejusdem cœnobii præcepit hoc anno Innocentius III. ut hæretici cujusdam Othonis nominati corpus, quod ecclesiastica sepultura donatum fuerat in ipsorum ecclesia, exhumarent, & extra sacrum locum obtegi curarent, ut refert ex ipsius epistola 211. libri IX. in Annalibus ecclesiasticis Odoricus Raynaldus [a].

a Pag. 152.

XXX. Innocentii III. bullæ ad præsentem annum pertinentes.

Cum foret controversia inter Gregorium Arretinum episcopum, & inter Guidonem priorem Camaldulensem circa ecclesias Micciani, Mojonæ, Agnæ & Laurentiani subjectas eremo, quarum rectores sententia excommunicationis innodaverat episcopus, provocaverant ambo ad Romanum pontificem Innocentium III. ejusque præsentiam adjerant. Mandaverat is episcopo, ne lite durante aliquid præsumeret innovare vel excommunicando, vel interdicendo, vel aliquid exigendo a presbyteris harum ecclesiarum, & interea ambo procederent, causamque suam uterque diceret coram iis, quibus commissio sententiæ ferendæ demandata fuerat. Præcepit itaque Romanus pontifex hoc anno *nono kalendas decembris pontificatus* sui *anno* X. ex urbe Cornetana episcopo Fesulano Rainerio, & alteri Rainerio priori Castellanæ ecclesiæ, ut mandatum suum factum episcopo Arretino per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, observari facerent.

Ex eadem urbe *die* XXII. *mensis octobris* confirmaverat idem Romanus pontifex Guidoni priori Camaldulensi monasterium Camalduli de Verona, ecclesiam sancti Viti de Vicetia, ecclesiam sanctæ Mariæ in Casale prope Foro-livium, ecclesiam sancti Eustachii juxta Imolam, & eremum Salimbene, quæ de novo post amplissimum ipsius diploma anni 1198. in congregationem venerant, ut habetur in excerptis tabularii Fontis-boni a Baroncinio confectis.

Affert Admiratus diploma comitis Guidonis-guerræ, qui hoc anno quædam bona donavit eremo Camaldulensi, donationem confirmante ipsius uxore Gualdrada.

Scribit [b] Rubeus „ præsenti anno ab episcopo Foro-popiliensi (is erat „ Gualfus) e piorum communitate exterminatos fuisse in divi Apollina„ ris in Classe templo Castri-novi prætorem incolasque, quod Bagnolum „ ecclesiæ Ravennatis oppidum occupassent, ejus bona diripuissent, inco„ las partim captivos fecissent, alios obtruncassent, oppidumque ever„ tissent. “

b Lib. VI. pag. 371.

In veteri necrologio, quod asservatur in cathedrali basilica Senensi, sub hoc anno legitur: *Anno* M. CC. VII. *Montaltum Berardingum captum est a Florentinis & Arretinis comite Guidone; Lombardis & Romaniolis & Senensibus cum comite Aldobrandino usque ad Valcortese & Orgiale fugatis, & multi fuerunt ex utraque parte capti.*

In altero necrologio Galeatensi, III. *nonas aprilis obiit Johannes presbyter & monachus* A. D. M. CC. VII. *abbas Benedictus tunc renuntiavit cœnobium sancti Hilari.* Suffectus fuit in ipsius locum Rodulphus, qui multo tempore abbatiam Galeatensem administravit.

Ex

ANN. CHR. 1207.

Ex tabulario Fontis-boni [a] habemus hoc anno die XXV. martii Guidonem priorem sancti Savini de Chio, cum consensu Simonis vicarii Camaldulensis refutasse quædam jura Magno abbati abbatiæ Petrorii, quæ erat in territorio Senensi; manu Amidei notarii.

Vertente lite [b] inter Fulcherium sive Volcherium patriarcham Aquilejensem, & inter monasterium sanctæ Mariæ de Fullina occasione aliquot terrarum Stablucii, de quibus Odalricus patriarcha olim investiverat Madium monachum & sindicum ejusdem monasterii, judices compromissarii sententiam protulere pro cœnobio Fullinate *indictione* IX. *secundo intrante aprili* hujus anni. Volcherius electus fuerat patriarcha ecclesiæ Aquilejensis in locum Peregrini II. anno saltem 1203.

a §. *Transactio.* 5. *A.* 3.50.

b *Num.* 25.

ANN. CHR. 1208.

XXXI. Ejusdem commissio Guidoni Camald. visitandi monasteria; & privilegium pro Avellanensibus.

FLORENTINO episcopo Johanni, Theobaldo Saxi-vivi abbati & Guidoni priori Camaldulensi, quorum zelo inter prælatos Thusciæ magis fidebat, commisit hoc anno Innocentius III. reformationem & visitationem omnium monasteriorum Thusciæ & Marchiæ sequenti epistola, quæ legitur inter collectas a Baluzio [c], quam in testimonium probitatis & dexteritatis Guidonis subjicimus. *Cum ex apostolicæ servitutis debito in vinea Domini Sabaoth, cujus custodia, disponente Domino, nobis dinoscitur esse commissa, extirpare nociva, & plantare utilia teneamur, nec hoc possimus implere ubilibet per nos ipsos, ad hujus sollicitudinis ministerium illos advocamus interdum, quos ad hoc idoneos reputamus. Cum igitur, inter ceteros prælatos Thusciæ, geramus de vobis fiduciam pleniorem, super omnibus monasteriis tam in Thuscia usque Viterbium & Reate, quam etiam in Marchia constitutis committendas vobis duximus vices nostras. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus omnes pariter, vel duo saltem ex vobis, si quando quisquam vestrum nequiverit interesse, cum sociorum & evectionum numero moderato eadem monasteria visitantes corrigatis, appellatione remota, quæ fuerint corrigenda, statuentes in eis, quæ saluti & honestati videritis expedire. Illam autem maturitatem & temperantiam in exequendo visitationis officio observetis, ut ii, ad quos vos declinare contigerit, non minus in vestro recessu gaudeant, quam accessu. Datum Laterani* VII. *kalendas decembris pontificatus nostri anno undecimo.* Perdurabat hæc apostolica commissio etiam ad annum 1216. in Johanne Florentino episcopo, in Guidone priore Camaldulensi, & in Nicolao Theobaldi successore abbate Saxi-vivense, & Romanus pontifex, qui zelo conservandæ monasticæ disciplinæ conventum abbatum indixerat apud Perusium anno 1203. quam operam eo tempore præceperat Martino priori Camaldulensi, eamdem præcepit hoc anno Guidoni ejus successori, quoad monasteriorum visitationem.

c T. II. *pag.* 227.

Pertinet ad hunc annum alia bulla ejusdem Innocentii III. data ex Laterano XV. *kalendas januarii pontificatus sui anno undecimo*, qua commisit potestatibus, rectoribus & consulibus residentibus in patrimonio beati Petri in Thuscia, in ducatu Spoletano & in Marchia, ut libertates, immunitates & privilegia, quæ eatenus concessa fuerant ab apostolica sede & a Romanis imperatoribus monasterio sanctæ Crucis Fontis-avellanæ, illibata conservarent, confirmans simile indultum felicis recordationis Gregorii papæ VII. prædecessoris sui. Habet inter cetera: *Ne quid Avellanensium jura in monasterium Campo-regianum lædantur.* Eam laudat in suis schedis Romualdus Blancus; ipsa vero asservatur in archivo monachorum Montis-oliveti Eugubii, qui in jura Campo-regianorum successere. Prior Avel-

Avellanensis præterito anno in paginis ejus tabularii nominatur Johannes Nicolai successor.

ANN. CHR. 1208.

XXXII. Electio Ubaldi ep. Faventini in archiep. Ravennatem.

CONSUEVERANT ad electionem novi archiepiscopi Ravennatis convenire non solum episcopi suffraganei, & canonici cardinales & cantores chori Ravennatis, sed etiam abbates regulares archiepiscopatui subjecti, ut addiscimus ex literis Innocentii III. datis hoc anno ex Laterano *kalendis junii pontificatus* sui *anno undecimo* Ubaldo episcopo Faventino, qui per mortem Ægidii archiepiscopi successoris Alberti electus & postulatus fuerat ex Faventina ad eamdem cathedram Ravennatem. Refert eas literas Rubeus [a], quæ sunt hujusmodi. *Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri V.. episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Ecclesia Ravennæ suo viduata pastore, suffraganeis & capitulo ejusdem ecclesiæ Ravennatis convenientes ad invicem de substitutione pontificis .... venerabilibus fratribus nostris Johanne Cerviense & Alberto Saffinate episcopis, & dilectis filiis presbytero Johanni & Donato canonicis, & presbyteris Voberto & Martino cantoribus ejusdem ecclesiæ, Bernardo sancti Apollinaris in Classe & Ambrosio sancti Apollinaris in novo abbatibus, & presbytero Johanne, ac Petro diacono primicerio eligendi seu postulandi pontificem ...... præhabita diligenti ......te in archiepiscopum postularunt, nobis humiliter supplicantes, ut postulationibus ipsorum annuere dignaremur. Nos ergo non solummodo approbantes, verum etiam ratam habentes postulationem .... tenebaris ecclesiæ Faventinæ duximus absolvendum, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus ad ecclesiam Ravennatem accedens circa regimen ejus insistere studeas, salubriter & prudenter: Nos enim suffraganeis ejusdem ecclesiæ, & clero & populo Ravennati per nostras damus literas in mandatis, ut tibi, tamquam pastori suo ..... & exhibeant reverentiam debitam & honorem*. Bernardus abbas sancti Apollinaris nominatur etiam in charta tabularii archiepiscopalis Ravennatis capsula M. numero 5611. Suffectus fuit is in locum Johannis. Albertum Saxenatem episcopum Albericum vocat Ughellius, qui etiam in serie episcoporum Cerviensium omittit ad hunc annum Johannem nominatum in superiori epistola, locandum propterea ante Simonem, de quo extant monumenta anno sequenti. Ubaldus vero vel Hubaldus electus archiepiscopus Ravennas usque ad mensem junium hujus anni Faventinam rexit ecclesiam. Extant ad ipsum Hubaldum, sive ad Hu.. Faventinum adhuc episcopum, literæ Erri de Medicina nullam chronicam notam proferentes circa bona ecclesiarum Buitæ & Pratæ, quæ erant obedientiales monasterii sancti Adalberti in insula Perei. Porro cum eæ literæ non ad ipsum tantum Ubaldum transmissæ sint, sed etiam ad Al.. episcopum Liviensem, & ab R.. abbatem sancti Johannis-evangelistæ de Ravenna, iterum emendandus est Ughellius, qui [b] Al.. sive Albertum Foro-liviensem episcopum creatum dumtaxat anno 1220. & confirmatum episcopum ab Honorio III. scribit. Admittendus idcirco est Albertus alius, qui fuerit Foro-liviensis episcopus eo tempore, quo Hubaldus erat episcopus Faventinus, qui cum per annum dumtaxat ecclesiam Faventinam rexerit, socium habuerit, necesse est, in cathedra Foro-liviense Albertum anno antecedenti vel præsenti. Neque nomine Al.. episcopi Liviensis potest venire Alexander episcopus ejus urbis seculo antecedenti ante Johannem, cum nullus tempore Alexandri esset episcopus Faventinus Hu.. Superest ergo, ut Albertus alter Liviensis ponatur in serie episcoporum Liviensium ante Albertum creatum anno 1220. & confirmatum ab Honorio III. vel si duo Al-

a Lib. VI. pag. 371.

b T. II. col. 579.

Alberti non admittantur, reliquum est, ut Albertus multo ante tempora Honorii eam ecclesiam obtinuerit. Literas Erri, qui syllabum confecit bonorum, quæ reperiit in obedientiis Buitæ & Pratæ, jussu Hubaldi Faventini & Alberti Liviensis episcoporum & R.. abbatis sancti Johannis-evangelistæ de Ravenna, damus in Appendice ex tabulario archiepiscopali Ravennæ.

XXXIII. Conventiones inter monaster. S. Mercurialis & Camaldulum Foro-liviense.

VIDIMUS ad annum 1202. conventiones statutas inter Jacobum abbatem sancti Mercurialis de Foro-livio, & inter Martinum priorem Camaldulensem occasione Camalduli Foro-liviensis sive ecclesiæ sanctæ Mariæ de Casale. Lis & discordia etiam hoc anno vertebat inter abbatem ejus loci, & inter conventum ejusdem ecclesiæ sanctæ Mariæ occasione decimarum, quas monasterium sancti Mercurialis petebat de possessionibus positis in plebatibus sancti Martini in Strata & sancti Mercurialis, & de ea possessione, quam emphyteuticario jure obtinebat monasterium Camaldulense ab illo sancti Mercurialis. Quare hæc compositio inter utramque partem secuta est; nimirum quod prior & conventus sanctæ Mariæ de Camaldulo teneretur de cetero abbati sancti Mercurialis dare decimas de tritico & de vino, & medietatem omnium testamentorum & oblationum sive in denariis, sive in possessionibus. Quæcumque etiam ad Camaldulenses vigore testamentorum pervenerant vel in futurum pervenient, quæ sint juris monasterii sancti Mercurialis, teneretur idem prior a dicto cœnobio conducere, & locationis nomine possidere. Acta sunt hæc Foro-livii, consentientibus episcopo Liviense, utique Alberto, abbate & capitulo monasterii sancti Mercurialis, priore eremi Camaldulensis Guidone, & priore ac conventu sanctæ Mariæ de Camaldulo, *indictione* XI. *die* XXVIII. *mensis martii*. Quam concordiæ paginam transcripsimus ex codice ejusdem cœnobii sancti Mercurialis.

XXXIV. Chartæ ad varia monasteria spectantes.

UGUCCIO episcopus Ferrariensis & Guifredinus canonicus de Runco pronuntiarunt hoc anno *indictione undecima* ad favorem Enverardi abbatis monasterii Vangaticiensis contra Cocum de Lusia, qui litem monasterio moverat de decima Saiguedi. Creaverant anno antecedenti monachi Vangaticienses, ipse nimirum Enverardus abbas, Alicus, Clemens, Artaichus, Galicianus, Bonacursius, Johannes, Benvenutus & Bonus suum sindicum Warimbertum monachum pro causa agenda, quæ prædictis episcopo & canonico delegata finem obtinuit, ut addiscimus ex chartis ejusdem monasterii.

In alia emphyteutica pagina conscripta hoc anno Guidoni de Lambertino ipsiusque hæredibus a Gerardo abbate monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum nominatur locus, *qui dicitur Paganorum destructus*, facile locus est, qui hodie appellatur *Pianoro*, *cum suis pertinentiis & certis finibus ab Aquilone juxta stratam majorem*. Nominantur itidem comites de Bagnacavallo, qui erant ex familia Malvicinorum, & Guido Filarardi. Ipsorum comitum de Bagnacavallo, & Filgirardorum nobilium virorum mentio fit in diplomate Ottonis IV. imperatoris concesso anno 1210. ecclesiæ Imolensi apud Manzonium [a] in historia episcoporum Imolensium. Actum in claustro sancti Damiani, quod cœnobium hoc tempore subjectum erat monasterio castri Brittorum.

[a] *Pag.* 150.

Cum comperisset Innocentius III. Guidonem canonicum Lucensem & nobiles viros Rainerium & Paganellum fratres dominos de Vivinaria cum aliis militibus & civibus Lucensibus & Pisciensibus injurias & damna afferre monasterio sancti Petri de Puteolis ejusdem diœcesis, Gualtero canonico Lucensi dedit in mandatis, ut convocatis partibus causam cognoscere-

Ann. Chr. 1208.

ret, attento tamen, quod in terras dictorum nobilium excommunicationis vel interdicti sententiam non ferret, nisi mandatum spetiale reciperet ab apostolica sede. Datum Laterani v. *kalendas decembris pontificatus* sui *anno* XI. Quam delegationem ex tabulario canonicorum Lucensium proferimus.

Ann. Chr. 1209.

XXXV. Ottonis IV. imp. privilegium pro congregatione Camald. & pro monast. de Chio.

Extincto rege Philippo regni & imperii competitore, pacifice regnum Germaniæ & Italiæ obtinuerat anno præcedenti Otto dictus ejus nominis IV. qui in Italiam descendens hoc anno mense septembri coronam imperii de manibus Innocentii III. acceperat. Redux ex Romana urbe, in Thuscia moras traxit autumnali & hyemali tempore. Cum itaque apud Ficiclum consisteret, amplissimum privilegium concessit eremo & congregationi Camaldulensi. Numeratis in eo monasteriis & locis omnibus, quæ tunc temporis congregationem constituebant, decrevit, ut eremus & ejus monasteria forent exempta ab omni gravamine injusto, præcipiens ducibus, marchionibus, comitibus, potestatibus, consulibus, rectoribus & officialibus civitatum, castrorum, villarum & burgorum, ne dicta loca ad ullam dationem vel collectam, seu *libram*, vel ad aliquam aliam exactionem cogerent, vel ad fossata facienda, ad muros ædificandos aut ad alia illicita munera. Inhibuit etiam patronis monasteriorum vel ecclesiarum, ne prætextu consuetudinum aliquam injuriam vel molestiam sacris locis afferrent. Item, ne monachi præfati vel eorum nuntii ad *pedagia* vel *passagia* solvenda adigerentur. Ad imitationem Henrici VI. imperatoris prædecessoris sui donavit eremo Camaldulensi fodrum de castris Soci & Mojonæ, & de hominibus residentibus in his locis, angarias quoque, perangarias & albergarias, quas nuntii imperiales ibidem accipere consueverant, remisit, ad hoc ut homines prædicti, tamquam vicini eremo Camaldulensi, ad deportanda ligna & ad alia familiaria commoda valerent illi inservire. Quoad alia monasteria decrevit, ut monachi ipsi fodrum imperiale colligerent, & cui tunc dandum foret, persolverent, nisi ex dono imperiali eximerentur. Nulla præscriptio nisi octuagenaria opponi posset monasteriis Camaldulensibus. Prohibuit, ne aliquis infra unum milliare a superiori ecclesia eremi, vel ab inferiori Fontis-boni munitionem, aut villam, vel habitationem ædificaret. Testes imperialis privilegii fuere Wolferus patriarcha Aquilejensis, Ubaldus Ravennas archiepiscopus, Lotharius Pisanus archiepiscopus, Ildebrandus Volaterranus episcopus, Engelhardus Cæsenas episcopus, Petrus urbi præfectus & Theobaldus ejus frater, Azo marchio Estensis, Ezzelinus de Tarvisio, aliique, Conrado episcopo Spirensi imperatoriæ aulæ cancellario vice Theodorici Coloniensis archiepiscopi chartam recognoscente. *Acta sunt hec anno Dominice incarnationis* M. CC. IX. *indictione tertiadecima regnante domino Ottone* IV. *Romanorum imperatore anno imperii ejus primo*. Data apud Ficiclum VIII. *idus novembris* per manum Gualterii protonotarii. Inter monasteria ab Ottone IV. imperatore confirmata hoc anno eremo & congregationi Camaldulensi recensetur in civitate Arretina prope urbem *monasterium sancti Laurentini*. De ecclesia & rectoribus ejus cœnobii videantur pauca, quæ congessimus ad annum 1199. Serius factam accessionem ejus monasterii congregationi Camaldulensi volunt socii Bollandiani post Fortunium, qui eam referunt ad annum circiter 1227. Confirmatur quoque in Sardinia *monasterium in Orrea*, de quo diximus ad annum 1205. & in episcopatu Perusino possessio, quam dederat Rainerius quondam Bertrami civis Perusinus. De hac dicemus inferius. Nominatur etiam de novo hospitale de Rovereto in episcopatu Cæsenate ad flumen Sapis.

Eodem

Eodem anno pariter notum fecit imperii sui fidelibus idem imperator, quod ipse monasterium sancti Savini de Chio Camaldulensis ordinis cum hominibus suis & omnibus pertinentiis, quæ ad ipsum spectabant, in suam spetialem protectionem recipiebat, statuendo, ut nemo dictum monasterium vel suos homines aliquo modo auderet perturbare vel injuriam aliquam inferre sub pœna decem librarum auri puri, medietate cameræ imperiali, altera vero injuriam passis persolvenda. Plura siquidem ejus cœnobii bona & jura a laicis violenter fuerant invasa, & ad annum 1180. [a] mense octobri sub Placido priore generali vidimus plures viros juramento se obstrinxisse ipsi & Bono priori ejusdem monasterii defensuros & recuperaturos bona dictæ ecclesiæ. Erectum fuerat ipsum monasterium post medietatem seculi undecimi sub protectione marchionum Raineriorum, ut ad annum 1066. diximus. Deficiente vero potentia eorumdem marchionum, cœnobium incursionibus & deprædationibus patebat, quare cum indigeret imperiali protectione, hoc anno ad Ottonem vix coronatum imperatorem confugium habuit Guido præses generalis Camaldulensis. Addimus hic loci veterem paginam ad illustrationem ceterarum, quas attulimus in Appendice tomi secundi ad eumdem annum 1066. confectam ab iisdem marchionibus eodem anno pro tuitione & libertate ejusdem monasterii.

ANN. CHR. 1209.

[a] §. *Defensio A.* 2. 1.

[b] *Anno* M.LXVI. *mense octobris. Nos Rainerius, nec non & Enricus germani filii quondam Ugicionis marchionis pro animarum nostrarum mercede atque parentum nostrorum Deo tribuere, a quo accepimus omnia, que possidemus* &c. *Unde ecclesiam beati Savini martyris, que sita est in colle infra plebe sancte Marie de Chio cum omnia sua bona, terra, oliveta, pojo toto, ut competit nobis, per chartulam dedimus heremo sancti Salvatoris in loco, qui dicitur Campus-amabilis, vulgo Camalduli, ad commodum fratrum ibidem Deo servientium. Post hoc factum de predicta ecclesia veniente ibidem me ac demorante, recordatus sum ego Rainerius, quod omnes non timent Deum, nec verentur ejus justum judicium. Perspexi, quia plures pro amore Dei traderent se pro dicta ecclesia, nec non & bona sua ibidem commendare ad salvandum, & cellulas in eodem loco, ut consuetudo est habere talibus locis. Volui & decrevi rogatu fratrum illorum, qui preerant, & consilio fidelium eorum, qui mecum erant, absque subjectione secularis potestatis esse locum illum cum omnia sua atque sub jugo non esse nisi solius Dei, ut quiete possent servire Deo fratres illuc commanentes. Ergo constitui, ut nullus nunquam molestiam faciat euntibus vel redeuntibus illo, neque res eorum tollat ibi commendantibus vel reponentibus. Quoniam patronum atque defensorem prior Camaldulensis cum suis fratribus esse me voluerunt ejusdem loci. Ideoque ob salutem anime mee suscepi hoc, ut sim defensor, filiisque meis precipio, firmiter mea vice tenere hanc defensionem atque generationibus eorum similiter. Hoc autem ego Rainerius marchio firme precipio omnibus, qui sub jure meo degunt in curte Castellionis & Chio, ut servis Dei ibidem commanentibus, nec non & famulis eorum, atque omnibus sub ditione eorum consistentibus, ut honorem propter Deum exhibeant, & sicuti meam personam custodiant & defendant, & nullus adversus illos predam vel assaltum faciat, sed domos eorum cum omnia sua bona secure permaneant, agros eorum, vineasque nullus ledat. Si quis vero contra hoc nostrum decretum fecerit, componat tres libras argenti, medietatem prefate ecclesie & medietatem nostre potestati. Si vero tam pauper est, qui hoc fecerit, ut solvi non possit, hoc, quod habet, amittat, & cum dedecore de domo sua ejiciatur. Huic facto interfuerunt hii homines*

[b] *Num.* 5.

Ann. Chr. 1209.

nes Ubaldus filius Pagani, Bellino filius Bonizonis, Ubertus filius Valneri, Gerardinus filius ejusdem Uberti, Saracinus filius Valfredi, Goccius filius Notali, Teubaldus presbyter, & Gizcolfus sacerdos, Martinus presbyter & reliqui plures. Actum est indictione sexta.

De unione ipsius monasterii sancti Savini cum altero sancti Andreæ de Castellione agemus ad annum 1281. quo ipsa contigit. Sed ad Ottonem redeamus.

XXXVI. Aliud pro eremo Fontis-avellanæ.

Mense præterito, IV. scilicet *kalendas novembris* cum in castro Sancti-Miniatis consisteret idem imperator, præsentibus eodem Wolferio patriarcha Aquilejense, Alberto Magdeburgense archiepiscopo, Ottone Wirtzburgense, Manegoldo Pataviense episcopis, Ludewigo duce Bavariæ, Bernardo duce Carinthiæ aliisque compluribus, alterum privilegium indulserat eremitis Fontis-avellanæ, recipiens sub sua protectione eorum eremum & omnia monasteria, ecclesias & bona eisdem subjecta. Voluit, ut nullus ab ipsis fodrum exigeret, sed tempore, quo solvendum esset, ipsi monachi & eorum homines fideliter colligerent, & de ipso ad utilitatem ecclesiæ suæ disponerent. Nullus judex homines monasterii ad judicium vocaret, nisi causa prius perlata fuisset ad priores & ad fratres, & ab ipsis permissa & remissa esset judicibus. Nulla præscriptio contra monachos Avellanenses valeret, nisi centenaria. Patroni molestias non inferrent, sed immo contra violentias aliunde illatas monasteria ipsorum defenderent. Confirmavit ipsis omnes homines & omnia bona, sed speciatim hospitale apud Æsinum, scilicet hospitale sancti Leonardi apud fluvium decurrentem prope Æsium, cum omnibus suis pertinentiis. Cetera fusius leguntur in ipso diplomate, quod integrum ex apographis Romualdi Blanci damus in appendice.

XXXVII. Literæ Rolandi apostolici legati pro monasteriis Camaldulensibus.

Ex tabulario monasterii sancti Mathiæ de Muriano [a] exscripsimus literas Rolandi subdiaconi, rectoris Massani & apostolicæ sedis legati, quibus exemit hoc anno Camaldulenses eremitas & monachos a procurationibus sibi solvendis intra terminos suæ legationis. Raynaldus frequentius in aliis paginis ad tempora Innocentii III. Honorii III. & Gregorii IX. appellatur. Ipsas utpote Camaldulensibus honorificas subjicimus.

[a] *Caps. S. Helen. n. 1.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Reverendis patribus & dominis priori, heremitis, monachis, clericis, & conversis Camaldulensi habitu designatis Rolandus domini papæ subdiaconus & capellanus, rector Massanensis & apostolicæ sedis legatus salutem, & ad bravium pertingere peroptatum. Dominicis & evangelicis auctoritatibus edocemur, ut viros ecclesiasticos & præcipue monachos, qui Marthæ sollicitudine postposita, cum Maria in verbis gratiæ delectantur secus pedes Domini, tanto diligentius karitatis brachiis amplexemur, quanto ipsius majori diligentia Salvatori nostro cotidie student & desiderant complacere. Cum enim fuissetis aliquando statura pusilli, arborem sicomorum ascendere voluistis, ut Jhesum liberius possetis conspicere transeuntem; cujus præcepto festinantia debita descendentes, ipsum gaudentes vestro hospitio suscepistis. Verum cum multi sint prælati in legatione mea constituti monachali habitu denotati, quia stella differt a stella in claritate, & vos differtis ab aliis privilegio honestatis, omnibus ordinem & habitum vestrum profitentibus infra meæ legationis terminos constitutis, auctoritate legationis, qua fungor, karitatis & dilectionis duxi privilegio concedendum, ut donec eadem fuero legatione perfunctus, mihi vel nuntio meo aliquis de ordine Camaldulensi exactionis sive procurationis nomine dare aliquid non cogatur, nisi cum ad eorum ecclesias nos forte accedere contingeret necessitate aliqua coarctati, & tunc

kari-

karitative recipiatur quilibet a prælato secundum possibilitatem loci, quicquid sibi ab eodem fuerit ministratum. Ut igitur omnia firma sint & illibata permaneant, quæ superius leguntur, meo volui sigillo proprio esse signata. Præcipiens insuper Artino notario, ut ipse officio suo omnia debeat manu publica autenticare. ANN. CHR 1209.

Datum apud sanctum Angelum de Arcaltis juxta civitatem Aretii. Præsentibus donno Albericolo abbate abbatiæ sancti Viriani, donno Piero priore de Planettolo, donno Placito de Diciano, Honesto cive Aretino & aliis.

Anno Domini M. CC. IX. *nemine imperante, Innocentio summo pontifice præsidente,* V. *idus februarii indictione* XII.

Ego Artinus notarius prædictis omnibus interfui rogatus, & de mandato jam dicti domini Rolandi apostolicæ sedis legati scripsi, complevi & in publicam formam redigendo meo signo firmavi.

Rolandi apostolici legati & rectoris Massanensis meminit alia pagina tabularii Fontis-boni ad annum 1228. qua ipse delegavit priorem & camerarium Cellæ inter Paras, & archipresbyterum sancti Martini in Veclo super causa vertente inter abbatem Vergheretanum, & Bencivennem presbyterum ecclesiæ sancti Petri de Corzano subjectæ eidem abbatiæ.

XXXVIII. Controversia parthenonis S. Petri de Luco.

CONTROVERSIA erat inter Francham abbatissam parthenonis sancti Petri de Luco, & inter Uguccium & Tomeum consules dicti castri. Petebat namque abbatissa a consulibus, ut cessarent ab inferendis molestiis hominibus fidelibus dicti monasterii, quos commune Luci, ultra quam deberent, impositionibus gravabant. Commissa fuit assentiente utraque parte causa Bello converso ejusdem asceterii aliisque judicibus, qui pronuntiarunt fas quidem esse consulibus imponere præfatis hominibus *datium seu accattum*, sicut aliis hominibus ejusdem castri, sed impositione facta deberent consules recipere nuntium abbatissæ ad faciendam collectam tempore opportuno. Collecta autem completa darentur abbatissæ duæ partes, tertia vero cederet in usum consulum. Definierunt etiam, ut dicti homines communem societatem instituerent cum populo Luci, & communi ipsius sacramentum præstarent.

XXXIX. Altera traditio ecc. S. Viti in urbe Vicetia Camaldulensibus.

TRADITA fuit hoc anno sollemniori pagina ecclesia sancti Viti de Vicetia Camaldulensibus a scholaribus ejusdem urbis, quam integram non inutiliter afferimus tum ex scriptoribus Vicetinis, tum ex pluribus apographis monasterii sanctæ Luciæ Vicetiæ, ad illustrandam historiam florentissimi studii, quod ex omnibus Europæ regnis consurgebat hoc tempore in ea urbe. Nominatur in ipsa *Martinus presbyter officialis*, qui titulus confirmat, quæ diximus ad annum 1206. his primis annis sub Samsone priore ecclesiæ inserviisse sacerdotes seculares.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno Domini M. CC. IX. *indictione duodecima die* VII. *exeunte julio in claustro sancti Viti, quod est extra burgos civitatis Vicentie, presentibus Scotto filio quondam Malescotti, Raymundo filio domini Amabilis de Marano, Guidoto nuntio scholarium Vicentie, magistro Lamberto Teutonico, domino Hippolyto de Apulia, Pedrino & Salimbono & aliis. Ibi dominus Cazzavillanus & Lanfrancus doctores & magistri legum, magister Gufredus, magister Fortis, magister Anchegus, dominus Bonjoannes de Acti, dominus Ruffinus de Papia, dominus Martinus de Bohemia, dominus Engelbertus Teutonicus, dominus Michael rector de Ungaria, dominus Jacobus de Betuno de Francia, dominus Gofredus de Bergonia, dominus Nicolaus prepositus in Polonia, & magister Menendus pro se & pro tota universitate scholarium Vicentie, ibi coadunati ad hoc faciendum, secundum quod ipsi dicebant, constituerunt atque ordinaverunt*

Ann. Chr. 1209.

cum parabola & voluntate omnium scholarium Vicentie ibi presentium dominum Ivonem cancellarium Polonie, dominum Simeonem archidiaconum Atrebatensem, dominum Thomasium canonicum Capuanum, dominum Herboldum Teutonium de Confluentia, dominum Desiderium archidiaconum de Ungaria, dominum Stevanum canonicum Trisentinum de Burgundia, dominum Benedictum de Ungaria, dominum Mattheum de Hispania, dominum Zanettonem de Mantua, & dominum Johannem canonicum Ferrariensem de Verona suos sindicos & nuntios, procuratores ad dandum, & remittendum, & refutandum generaliter totum illud jus & jurisdictionem totam & omnes rationes & actiones reales & personales, quod & que & quas universitas scholarium Vicentie habet, vel habebat, vel habere poterat ullo modo in ecclesia sancti Viti, & in omnibus possessionibus tam mobilibus, quam immobilibus in dominum Martinum presbyterum & officialem ejusdem ecclesie sancti Viti recipientem vice & nomine pro illis de domo de Camaldula, & quidquid predicti sindici & procuratores in hoc facient, prefati omnes scholares, qui ibi erant presentes pro universitate scholarium Vicentie, firmum & ratum habere promiserunt. Ideo ipsi domini sindici & procuratores, ut supra constituti ad predictum faciendum, pro se & pro universitate scholarium Vicentie, & sua parabola & voluntate omnium ipsorum scholarium ibi presentium a quolibet eorum eis data dederunt, cesserunt, mandaverunt, remiserunt & refutaverunt domino presbytero Martino officiali ecclesie sancti Viti recipienti vice & nomine pro illis de domo Camaldulensi, & pro ipsa domo Camaldula generaliter omne jus & omnes rationes & actiones reales & personales, quod & quas universitas scholarium Vicentie habet vel habebat, vel ullo modo vel ingenio habere poterat in predicta ecclesia sancti Viti & in suis possessionibus, ita quod illi de domo Camaldulensi possint in dicta ecclesia & de ipsa & ejus possessionibus facere & dicere & exercere in omnibus & per omnia, prout universitas scholarium Vicentie poterit in toto, & constituit in locum suum &c.

Ego Andreas sacri palatii notarius interfui septimo hujus mensis scripsi.

XL. Locus ipsis traditus prope Perusium pro ædificando monasterio.

Rainerius quondam Bertrami Bernardi de Perusio *die* XVII. *januarii* hujus anni *indictione duodecima* pro anima sua & Erminiæ uxoris suæ donavit Guidoni priori Camaldulensi tantum de vinea sua posita prope civitatem Perusinam in loco dicto Palliola, quantum libuerit, & ubi magis elegerit dictus prior construere super ipsam monasterium, claustrum, officinas & hortum. Simili modo dono dedit omnes servos suos, eorumque servitia & resedia apud Perusium in villa de Campo, manu Uberti notarii. Actum in comitatu Perusino non longe ab hospitale Planiscarpini in plano Quatrubiani. In eo Palliolæ loco ædificata fuit ecclesia cum monasterio Camaldulensium sub titulo sanctissimæ Trinitatis, ut ex documentis anni sequentis, confirmato loco præsenti anno ab Ottone IV. imperatore. Reperimus bona hujus monasterii, Campum videlicet in plano Tiberis pertinentiæ Marignani cum clausura de Veggiano pignori datum fuisse anno 1237. manu Meliorati notarii creditoribus ejusdem cœnobii; vineam vero Palliolæ, quæ prope dictum monasterium sita erat, pro qua pendebatur eremo Camaldulensi census duarum salmarum olei, locatam fuisse anno 1319. priori sanctæ Trinitatis censu florenorum auri quinque, manu Guilielmi notarii. Is census ex libris Censualium eremi Camaldulensis solutus fuit per seculum, sed quia per annos septuaginta duos fuit intermissus, declaratus est præscriptus anno 1498. consilio Belisarii de Monte-ubiano advocati Consistorialis.

Ceterum monasterium sanctæ Trinitatis tamquam manuale eremi col-

latum

latum & visitatum sæpius fuit a sui fundatione usque ad annum 1420. quo detentum a commendatariis recuperatum fuit, & ad annum 1444. quo unitum fuit monasterio sancti Severi de Perusio. Ann. Chr. 1209.

Monasterio sancti Mamiliani insulæ Montis-christi præerat abbas Pacificus, cui hoc anno Amaldus comes *de confinibus Corsicæ* munifica largitione dono dedit omnia sua latifundia in Ampugnano, Preza, Municiano, Campile, Gricina, Bruscisco, Poggio de la Corte & Carpineta. Pagina rogata fuit apud ecclesiam sancti Peregrini, ejusque mentionem ingerit Muratorius in Antiquitatibus medii ævi [a].

[a] *T. II. col.* 1078

XLI. De monasterio Tiphiensi, & de Arretino S. Benedicti.

Post Gerardum abbatem monasterii sanctæ Mariæ & sanctorum Bartholomæi, Benedicti & Martini de Tiphio, de quo egimus ad annum 1089. quique ut abbas ejus loci adnotatur in chartis Camaldulensibus usque ad annum 1114. nomen legitur ad annum 1134. Rolandi abbatis, ad annos 1162. & 1181. Ugonis, ad annum 1184. usque ad annum 1190. Martini, demum Dominici, qui rector & abbas monasterii appellatur ab anno 1198. ad annum 1206. Præsenti *anno Dominice incarnationis* M. CC. IX. *mense januario indictione* XII. *nullo imperatore existente*, sicut habetur in libro II. archivi episcopatus Tiphernatis [b] sive Civitatis-castelli, *cum abbas Dominicus abbatie de Tifio Castellani episcopatus viam universe carnis intrasset, monachi in dicto monasterio existentes unanimiter & concorditer ad honorem Dei & beati Martini & confessorum Floridi & Amantii elegerunt dominum Gregorium in abbatem, qui electus juxta sanctorum patrum sanctiones, ad confirmationem recipiendam ad Civitatem-castelli ante dominum episcopum Johannem venit, qui ab ipso benigne receptus ejus electionem in presentia canonicorum confirmavit, & ut prefatum monasterium honeste vivendo juste & pie regeretur, ei firmiter jamdictus precepit episcopus, quod obedientiam prestando jamdicto episcopo suisque successoribus se observaturum promisit.*

[b] *Pag.* 142.

Actum in claustro canonice sancti Floridi in presentia & testimonio Rainerii prioris, domni Uberti, domni Guidonis, & Guidonis sancti Justini, & Matthei Palmerii de Campsa.

Ego Martinus notarius rogatus interfui, scripsi & complevi.

Agnetem comitissam de Alignaino confirmantem donationem quamdam factam ab Azone Estensi marchione Livaldo priori sanctæ Mariæ ad Carceres exhibet nobis pagina tabularii ejusdem monasterii exscripta olim a Canneto nostro, quæ hunc annum profert.

Licet anno 1195. Berardus Arretinæ ecclesiæ canonicus delegatus a Cœlestino III. declarasset dispositionem rerum tam spiritualium, quam temporalium ecclesiæ sancti Hilari & hospitalis adjuncti pertinere ad ecclesiam sancti Benedicti de Arretio, quæ erat obedientialis monasterii Prativeteris, novæ tamen lites emerserant circa patronatum ejus ecclesiæ, ob quas Innocentius delegaverat Rainerium episcopum Fesulanum. Quare „ hoc anno *idibus martii indictione* XII. *imperio imperatore vacante, Innocentio papa* III. Guilielmus presbyter & rector ecclesiæ sancti Philippi, & Cuntrus plebis Arretinæ canonicus arbitri assumpti inter Sophiam „ parthenonis Prati-veteris abbatissam ex una, atque Petrum & Bertramum quondam Orlandini de Duomo, atque Ubaldinum, Aymericum, „ & Ebriacum, ejusque filios, nec non Gerardinum, Bonaventuram „ presbyterum & plebanum sancti Pauli ex altera, id agentes de licentia ejusdem Rainerii episcopi decreverunt iterum institutionem, destitutionem, ordinationem & dispositionem præfatæ ecclesiæ & hospitalis „ pertinere ad monasterium Prati-veteris, inhærentes vestigiis Hieronymi „ epi-

Ann. Chr. 1209.

„ episcopi Arretini, & Berardi magistri canonici similiter Arretini, quorum concessionem & sententiam abbatissa coram judicibus produxerat, non obstante, quod prædicti nobiles ex adverso agentes assererent se esse patronos ecclesiæ & hospitalis; patebat enim eos juri suo cessisse in favorem abbatissæ per publicum instrumentum confectum a Guilielmo notario, adeoque eos non potuisse presbyterum Bernardum in controversa ecclesia rectorem constituere, ut fecerant, quem presbyterum propterea removendum judices arbitrati sunt. Nihilotamensecius pro bono pacis id juris præfatis nobilibus reservarunt, quorum antecessores patroni fuerunt ejus ecclesiæ, ut abbatissa rectorem in ea ecclesia constituens ipsorum ad id agendum licentiam requireret, quam tamen negare non possent, & insuper ut dicti nobiles tamquam patroni a familia & a sacerdote ecclesiæ sancti Hilari colerentur, eisque ipsam visitantibus honor haberetur, proque ipsorum prædecessorum animabus preces fierent in ea ecclesia sollemnibus diebus; salvo tamen in omnibus supradictis jure plebis, ad cujus diœcesim dicta ecclesia spectare videtur. Actum in claustro plebis Arretinæ civitatis, coram Johanne ejus plebis archipresbytero, Ranerio & Ondedeo presbyteris, & Petro Rigoli canonicis dictæ plebis, Rigone vicedomino aliisque, Uberto notario." Hæc leguntur in excerptis tabularii monasterii Prati-veteris [a].

a *Num.* 23.

Ann. Chr. 1210.

XLII. Concordia inter Ubaldum archiep. Ravennatem & Guidonem Camald. pro monast. Classensi.

Cum Gualterius archiepiscopus Ravennas tradens anno 1138. Azoni priori Camaldulensi reformandum monasterium sancti Apollinaris in Classe, remisisset abbatibus, qui pro tempore eidem monasterio forent præficiendi, juramentum fidelitatis, nullatenus dubitans, quin excepto hujusmodi juramento reverentiam consuetam & obsequia archiepiscopis debita redderent, Innocentius III. antecedenti *anno* v. *nonas aprilis*, *pontificatus* sui *anno* XII. ex Laterano Ubaldo Ravennati archiepiscopo scribens confirmaverat ipsi privilegia Lucii III. & Urbani III. Romanorum pontificum antecessorum suorum, qui inter cetera decreverant promissionem obedientiæ esse præstandam ab abbatibus Classensibus archiepiscopis Ravennatibus, servandumque consuetum morem in inthronizatione dictorum abbatum. Quare Ubaldus fultus etiam Innocentii privilegio hoc *anno die decima exeuntis mensis januarii indictione* XIII. Ravennæ in præsentia domini Ranuccini cardinalis presbyteri, Ubaldi camerarii, magistri Johannis Gherardi, & Speme notarii ad hanc concordiam devenit cum Guidone priore Camaldulensi, quam ex tabulario [b] archiepiscopali Ravennæ subjicimus.

b *Capf. B. n.* 447.

Dominus Hubaldus sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus verba hujusmodi protulit adversus priorem Camaldulensem, & monachos Classenses & alios, qui cum eo erant. Electionem abbatis Classensis liberam relinquo vobis faciendam vel monachis ejusdem cenobii; sed inthronizatio volo, quod ita fiat. Cum electus fuerit abbas in illo monasterio, si prior Camaldulensis fuerit presens, sedebit in sede, in qua ponendus erit abbas. Et cum abbas ductus fuerit ad sedem, tunc prior assurget ei, & manum apponet illi, ponendo in sede cum archiepiscopo, si fuerit presens, & cum cardinali & cantore, quos archiepiscopus ad hoc faciendum duxerit transmittendos. Relicto loco vacuo juxta ipsum abbatem pro archiepiscopo, si esset presens, vel pro cardinale & cantore, ubi debeant stare, donec cantatum fuerit: Te Deum laudamus. Si vero prior Camaldulensis non esset presens, quando abbas est in sede ponendus, sed esset ibi vicarius vel major eremi, tunc vicarius vel major heremi non sedebit, ut dictum est de priore, sed sequetur

tur abbatem usque ad sedem , & tunc apponet manum , cum ponitur in sede cum archiepiscopo , si fuerit ibi , vel cum cardinale & cantore , relictis locis vacuis juxta ipsum abbatem pro cardinale & cantore , ut dictum est supra . His auditis prior Camaldulensis pro se fratribusque suis grates domino archiepiscopo retulit .... Interfuere predicti testes , & ego suprascriptus notarius , qui omnia suprascripta ss. ANN. CHR. 1210.

Monachi ergo Classenses una cum Guidone Camaldulensi priore devenere ad electionem novi abbatis monasterii vacantis ob obitum Bernardi, quem vidimus ante biennium rexisse cœnobium , ut colligimus ex narratione supposita præfatæ concordiæ.

Sequenti die fuit electus domnus Gri.. (scilicet Grimaldus) *in abbatem Classensem , & electionem fuisse factam .... de consensu prioris Camaldulensis in capitulo ejusdem monasterii , in presentia Guidonis de Polenta , Prandolini , Saladini filii domine Clare ..... & mei notarii ; cujus abbatis inthronizationem dominus Hubaldus sancte Ravennatis ecclesie , qui erat ibi presens , cum presbytero Ott. cardinale , & presbytero cantore ita fecit , ut statutum erat , ante priore preeunte usque ad sedem , & domino archiepiscopo ducente ipsum abbatem de capitulo ad sedem cum cardinale & cantore .*

XLIII. Ejusdem Ubaldi indulgentiarum pagina pro ecc. S. Apollinaris in Classe.

NOSCENS vero Ubaldus archiepiscopus sanctitatem monasterii Classensis, probosque mores & pios usus cœnobitarum , qui exemplo toti urbi prælucebant , necnon religione motus] erga sanctissimum pontificem & martyrem Apollinarem , cujus corpus conditum erat in eorum basilica , sequens edictum protulit in pietatis augmentum, majorisque templi Classensis cultum, quod ex antiquo membranaceo Classensi apographo seculi XIII. publici juris facimus.

Hubaldus divina permissione sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus universis tam clericis , quam laicis Christi-fidelibus salutem , & id seminare in terris , quod recolligere valeant in excelsis. Inter cetera pietatis opera , que precipue ad remedium spectant animarum , locum optinet elemosina digniorem , que , si fonte karitatis procedit , lavat & diluit omnium maculas delictorum , scriptura testante , que ait ignem ardentem extinguit aqua , elemosina resistit peccatis. Ad quam amplectendam nos hortatur Dominus cum dicit : Date elemosinam , & ecce omnia munda sunt vobis , quia ipsa est , que liberat animam a morte , operiens multitudinem peccatorum. Verum quia experimento novimus in monasterio Classensi orationes jugiter fundi ad eum , qui pro nobis gemitibus inenarrabilibus interpellat , hospitalitatem sectando secundum Apostolum , elemosinas Christi pauperibus cotidie largiendo , & ob reverentiam beati Christi martyris Apollenaris patroni nostri , cujus reverentissimum corpus in Classensi ecclesia requiescit , inherentes etiam vestigiis felicis memorie beati Maximiani archipresulis , qui cum multis episcopis & sacris ordinibus ecclesie ipsam ecclesiam dedicavit Classensem , & solempniter consecravit septimo idus madii , concedens , ut si quis fidelis penitens illuc annuali die , vel infra octavam adveniret , trium annorum indulgentiam capitalium perciperet delictorum , ac per orationum instantiam & elemosinarum largitionem omnium minutorum honere deposito , levis & letus ad propria remearet. Quam quidem indulgentiam & remissionem beatissimus Gregorius , dum apostolice sedis cathedram teneret , oris sui precepto confirmans futuris temporibus in perpetuum teneri mandavit . Hoc quisque catholicus Ravennatis archiepiscopus usque ad tempora reverende memorie Galterii predecessoris nostri scripsit , & servandum esse mandavit. Hoc etiam idem reverendus pater noster & predecessor Galterius archiepiscopus sacer & catholicus ,

Ann. Chr. 1210.

licus, eo quod a tam sanctis & catholicis patribus factum invenit ; inviolabiliter tenuit, & unius anni additamento remissionem ore proprio ampliavit, & omnibus advenientibus, vel ibidem vota sua solventibus a die consecrationis, qui est septimo idus madii, usque ad octavam festivitatis sancti Apollenaris, que est tertio kalendas augusti, eamdem remissionem quatuor videlicet annorum superna confisus gratia concessit. Et insuper omnium bonorum tam sacrificiorum, quam orationum & elemosinarum, que Deus in eodem loco per suos ministros operari dignatur, fecit eos participes. Insuper etiam ad instantiam precum reverendi fratris nostri, & timorati viri ac Deum timentis Grimaldi abbatis & conventus memorati monasterii Classensis, ob reverentiam tam reverentissimi patris nostri Apollenaris martyris Christi preciosi, cujus sanguine Ravennensis ecclesia fundata consistit; ideo de misericordia Dei patris omnipotentis & beatissime Marie semper virginis ac beati Apollenaris prenominati martyris Christi, cujus nos meritis commendamus, & Vitalis & Ursicini patrocinio confidentes omnibus, qui ad locum jam dictum vere penitentes accesserint, & de suis bonis aliquid digne attulerint, dictam remissionem a sanctis patribus concessam & ordinatam, sicut per venerabilem fratrem a Deo dilectum Grimaldum abbatem jam dictum & ejus fratres in scriptura fuit nobis ostensum, & a longis retro temporibus optentum, quatuor annorum videlicet de criminalibus & omnium venialium concedimus in Domino & confirmamus.

XLIV. Ottonis IV. imp. privilegium pro eodem monast. Classensi.

Non contentus Grimaldus consuluisse decori basilicæ Classensis, confirmationem etiam bonorum sui monasterii & ecclesiarum adjunctarum ab Ottone IV. Romanorum imperatore obtinere curavit, quare cum Ravennæ consisteret *die secundo intrante mense martio* imperator, ubi se ex Thuscia receperat, ipsum adiit Grimaldus abbas, exhibitisque veteribus imperatorum privilegiis, petiit, ut ea rata haberet. Cujus petitionibus annuens Otto sua imperiali protectione communivit Classense cœnobium & loca subjecta, quæ fuse recensuit. Inter cetera nominantur quarta pars castri vocati Mons-aureus in comitatu Auximi, & plura bona cum ecclesiis, quæ de novo obvenerant monasterio Classensi tum in comitatu Firmano, tum in comitatu Ficoclensi; voluitque ut personæ in eo monasterio ejusque pertinentiis commorantes plena gauderent libertate & pace, neque homines dicti cœnobii alicui subjicerentur, præterquam abbati. Remisit albergariam castri Gazii, quam occasione Cavalcæ comitis, Brittonoriensis nimirum, exigere imperatores solebant. Ne abbas & monachi cogerentur sacramentum calumniæ præstare, nisi per suum sindicum vel actorem. Finito jure emphyteutico possessionem inirent terrarum nullo contradicente. Liceret ipsis molendina construere, & aquam de flumine publico per possessiones derivare. Centenaria tantummodo præscriptio opponeretur eidem monasterio; aliaque indulsit, quæ leguntur in diplomate, quod integrum edimus in Appendice ex autographo ejusdem monasterii. Testes fuere Wolfcherius Aquilegiensis patriarcha, Henricus Mantuanus episcopus imperii vicarius, Ubaldus archiepiscopus Ravennas, comes Machinardus de Goritia, Cilinus de Tarvisio, Passaguerra, Monachus, Rufinus aliique. *Anno Domini* M. CC. X. *indictione* XIII. *Ottone* IV. *Romanorum imperatore gloriosissimo regni ejus* XII. *imperii vero primo*.

XLV. Aliud pro monast. S. Salvatoris de Monte-acuto.

Mense præterito commorans idem Otto imperator apud civitatem Fulginii *anno Domini* M. CC. X. *indictione decima-tertia* VI. *idus februarii*, *anno regni* sui XII. *imperii* vero I. per manum Walterii protonotarii imperialis, & Conrado Spirense episcopo imperatoriæ aulæ cancellario chartam firmante vice Theodorici Coloniensis archiepiscopi & archicancellarii, alte-

alterum privilegium dilargitus fuerat Carsedonio abbati monasterii sancti Salvatoris de Monte-acuto, qui, dum jam in partibus Italiæ esset Otto, clementiam ipsius adierat, & expetierat imperialem tuitionem. Confirmavit igitur imperator monasterium situm in territorio Perusino sub monte Castellione secus fluvium Tiberis, cum omnibus cellis suis & castris, quorum censum agit. Concessit cœnobii ejusdem monachis jurisdictionem super eorum hominibus & possessionibus, ubicumque consisterent. Præcepit, ne quis invasionem aut discursionem faceret in homines, mancipia & quascumque res dicti monasterii; nulla magna vel parva persona angariam aut dationem, aut fodrum imponeret, neque ad placitum causam aliquam monasterii deduceret, sed liceret abbati, si expedire crediderit, causam advocare in placitum. Vetavit, ne oblati ejusdem ecclesiæ divagarentur in seculo, sed ubicumque fuissent inventi, liceret abbati eos ad claustra revocare. Quidquid fiscus imperialis de prædicti monasterii possessione valeret acquirere, totum concessit eidem monasterio, ut in eleemosinas pauperum & monachorum quiret erogari. Obeunte abbate, alter de cœtu ejus familiæ eligeretur. Præscriptio non valeret nisi foret octuaginta annorum. Incastellationes in possessionibus suis de novo facerent, & veteres, ubi possent, reædificarent, sine aliorum læsione. Jure introirent in possessiones relictas ab hominibus suis, si ii ad civitates & castra contra voluntatem abbatis se transferrent. Liceret monachis œconomum vel procuratorem sibi statuere, qui causas monasterii ageret, & sacramentum præstaret. Emphyteuta censum per biennium non solvens decideret a jure. Item confirmavit præfato monasterio campum de Ranco, quem olim pie dederat comitissa Ocdelina, ratumque habuit Henrici VI. præceptum, qui per Henricum de Lutria nuntium suum monasterium præfatum miserat in possessionem dicti campi contra prætensionem comitis Rancherii de Blandineto. Post Wolfgerum patriarcham Aquilejensem testes leguntur Johannes Camerinensis episcopus, Henricus Mantuanus episcopus vicarius curiæ generalis, Azzo marchio, Ezzelinus de Tarvisio, Salinverra de Ferraria aliique. Privilegium edimus ex apographis veteribus ejusdem monasterii.

ANN. CHR. 1210.

XLVI. Placita pro monast. de Vivo.

VENIENS hoc *anno* M. CC. X. *indictione* XIII. *die veneris* IV. *ante kalendas februarii* Petrus prior monasterii de Vivo in urbem Senarum coram Henrico Mantuano episcopo & vicario Ottonis IV. imperatoris, & ante præsentiam Alberti Strutii Cremonensis, & Passaguerræ de Mediolano, & Monachi de Villa Mediolanensis, & Ruffini de Placentia, qui erant judices imperialis curiæ, expetiit, ut contra hæredes quondam comitis Manentis de Sarthiano executioni mandaretur sententia adversus ipsum comitem lata anno 1185. ab Ottone Zondadario judice, de qua eo anno diximus. Porro Rambottus filius ejusdem comitis Manentis insistebat contra præfatam sententiam, eamque non esse exequendam proponebat, tum quia injustam affirmabat, tum quia latam dicebat absente patre suo, tum demum quia contra non possidentem prolata fuerat. Monachus de Villa e contra judex consensu episcopi vicarii & aliorum judicum pronuntiavit legitimam fuisse eam sententiam, & executioni esse demandandam, jussitque eam in omnibus & per omnia debere observari.

Eodem anno *die veneris* VI. *kalendas septembris* in claustro monasterii sancti Salvatoris de Monte-amiato iterum petiit idem Petrus prior de Vivo executionem prædictarum sententiarum contra Tancredum & Rambottum fratres filios comitis Manentis, qui pro ea infirmanda varia allegabant, & jus præcipue sibi vindicabant in Castellionem, quod castrum se recte possidere asserebant. Tunc Albertus Strutius Cremonensis alter

Ann. Chr. 1210.

judex delegatus ab Ottone imperatore, a Conrado episcopo Spirensi cancellario imperialis aulæ, ab Henrico vicario episcopo Mantuano, a presbytero Caccia, in præsentia Johannis de Pado & Ruffini de Porta Placentinorum ejusdem imperialis aulæ judicum, præcepit dictis fratribus filiis Manentis, ut ad festum proximum Omnium Sanctorum solverent præfato priori quantitatem pecuniæ, qua mulctati fuerant, & ut prior in possessionem induceretur rerum, quæ ei adjudicatæ fuerant. Interfuere huic sententiæ Orlandus abbas monasterii sancti Salvatoris de Monte-amiato, comes Curradus de sancto Martino, aliique. Utramque sententiæ confirmationem ex codice *delle coppe* cancellariæ Montis-politiani exscriptam ab Huberto Benvoglientio & ad Grandium transmissam edimus in appendice. Tancredi filii Manentis comitis mentio fit in tabulario [a] archinosocomii Scalæ Senarum in examine, an Mons-politianus pertineret ad commune Senense ad annum 1205. & in alio [b] instrumento ad annum 1202. Uterque autem tam Tancredus, quam Rambottus testes reperiuntur in privilegio [c] Ottonis IV. imp. concesso anno præsenti v. kalendas octobris aliquot nobilibus Senensibus, quod extat in eodem archivo.

a *Num.* 727.
b *Num.* 542.
c *Num.* 366.

XLVII. Donationes monasterio S. Viti de Vicetia.

Ferrarius de Fonte-niva & Palmeria ejus uxor amplæ donationis paginam confecerunt hoc anno in utilitatem monasterii sancti Viti de Vicetia, in præsentia Willelmi abbatis Pratalienfis & plurium monachorum Camaldulensium, in possessionem mittentes de suis bonis Guidonem priorem Camaldulensem recipientem nomine eremi sancti Salvatoris. Ita quod si ordo Camaldulensis perseveraverit in præfata ecclesia sancti Viti, ipsa possideret, ususque fructum haberet; si vero decideret ipse ordo in dicta ecclesia, tunc succederet ecclesia eremi Camaldulensis, quæ cum dominio usufructum & redditum haberet de tota illa proprietate, quam dictus Ferrarius obtinebat, vel alii per eum in villa Liseriæ, exceptis vassallitiis, comitatu, consortiis ac parte, quam dictus Ferrarius habebat in castrum Liseriæ, quæque donator in se retinuit. Tum enumerantur per extensum loca alia, aliaque bona ab eodem Ferrario priori Guidoni concessa, ut fuse legitur in ipsa charta donationis, quam ex archivo Fontis-boni publici juris facimus. Confecta dicitur *anno* M. CC. X. *indictione* XIII. *die jovis* XI. *exeunte februario in domo dicti domini Ferrarii de Fontaniva, que ex juxta cemeterium sancti Viti juxta situm civitatis Vicetie extra portam sancti Petri*. Uberti de loco Fonta-nive, fortasse progenitoris Ferrarii, monumentum extat apud Muratorium [d], in quo Dominicus Contareno dux Venetiarum & Johannes abbas sancti Hilarii Olivolensis territorii anno 1064. concesserunt eidem Uberto jus advocatiæ ejusdem monasterii.

d *T. V. col.* 295. *Antiq. med. ævi.*

XLVIII. De eremo SS. Jacobi & Verani de Calci.

Nova eremus condita fuerat extra urbem Pisanam a quodam fratre Bernardo in ecclesia sanctorum Jacobi & Verani de Calci in loco dicto Costa de aqua, quam post paucos annos unitam videbimus monasterio nostro sancti Michaelis in Burgo Pisarum. Prima hujus eremi mentio habetur sub *anno* M. CC. X. more Pisano, *sexto kalendas maji indictione* XII. hoc est anno communi antecedenti, quo donatio terrarum facta fuit *ad eremitorium de Coste-aque, & donno Bernardo eremite supradicti loci*, & præsenti anno Romano, quo XII. *kalendas martii indictione* XIII. Bonajuncta quondam Ranuccini & Maria uxor ejus filia Orlandi communi consensu obtulerunt & tradiderunt irrevocabiliter inter vivos pro salute animarum suarum & corporum se suaque bona omnia omnipotenti Deo & ecclesiæ sanctorum Jacobi & Verani de Calci de loco dicto *Coste d' acqua, ubi est eremus fratris Bernardi & sociorum ejus, & presbytero Dominico*, reci-

recipientibus pro ipsa ecclesia & loco cum omni jure &c. Rogavit Ascianensis domini imperatoris Friderici judex & notarius, qui prædictis interfuit, scripsit & complevit, testibus presbytero Stephano priore sancti Silvestri de Pisis, & presbytero Ugone capellano ipsius ecclesiæ, & Gerardo clerico dictæ ecclesiæ, & Gerardo de Moneta jurisperito, in cujus porticu prope ecclesiam sanctæ Margaritæ Pisis hæc acta sunt. Hæc postea eremus, postquam unita fuit concessione apostolica monasterio sancti Michaelis de Burgo Pisarum, tractu temporis, teste Troncia [a] in Annalibus Pisanis, cessit patribus eremitis ordinis sancti Augustini. De ea aliqua annis sequentibus.

ANN. CHR. 1210.

a *Pag.* 278.

XLIX. Controversiæ abbatiæ Burgensis cum ep. Tiphernate.

Controversia vigebat inter Johannem episcopum Civitatis-castelli & inter abbatem ac monachos Burgi-sancti-sepulcri super jure episcopali ratione quarumdam ecclesiarum. Sequentes propterea dicto abbati literas [b] dedit Romanus pontifex Innocentius.

b *Ex authent. archivi episcop. Castellan.*

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & conventui monasterii sancti Sepulcri Castellane diocesis salutem & apostolicam benedictionem.

Cum causam, que inter venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Castellanum ex una parte, & vos ipsos ex altera super episcopali jure ac quibusdam ecclesiis, quas infra Castellanam diocesim in ipsius prejudicium dicimini distraxisse, agitari dignoscitur, nolimus ulterius prorogari, presentium vobis auctoritate mandamus, quatenus usque ad festum beati Luce evangeliste proxime venturum nostro conspectui vos presentetis recepturi justitiam & facturi.

Datum Laterani III. *idus aprilis pontificatus nostri anno* XIV.

Exemplatum per manum Guidonis notarii XIV. *kalendas augusti anni* M. CC. XI. *indictione* XIV. *Ottone imperante.*

Verum cum causæ cognitio demandata fuisset ab eodem Romano pontifice Rolando suo legato apostolico in Thuscia, exhibuit abbas Burgensis in ejus conspectu privilegium quoddam anno sequenti M. CC. XI. *indictione* XIV. VII. *idus octobris*, *Ottone imperante & Innocentio* III. *Dei gratia presidente.* Proposito in medium privilegio Teuzus Castellanæ ecclesiæ canonicus Rolandum adiit, petens nomine sui episcopatus, ut ex ejus officio concederet sibi vel exhiberi faceret idem privilegium, quod falsum denuntiabat, quo contra veritatem insertum erat monasterium sancti Sepulcri Castellanæ diœcesis esse exemptum a jure diœcesani episcopi. Nihil ea occasione definitum fuit, sed pluries & quidem gravissimæ recruduerunt concertationes, de quibus subinde documenta in his Annalibus proferemus.

IL. Ædificatur ecc. S. Trinitatis prope urbem Perusinam.

Die undecima julii hujus anni Johannes de Comitibus episcopus Perusinus cum consensu canonicorum suorum concessit Guidoni priori Camaldulensi facultatem ædificandi, & primarium lapidem ponendi in constructione ecclesiæ sanctæ Trinitatis in loco dicto Palliola, cum censu annuo denariorum duodecim in festo sancti Laurentii, & quartæ testamentorum & decimarum, si ecclesia populum habuerit, episcopatui solvendorum a prælato loci, qui teneretur venire ad synodum; non tamen adstringeretur ad suspensionem divinorum celebrandorum tempore interdicti, sed populus teneretur ad processiones publicas cum episcopo & clero accedere; manu Matthæi notarii, ut legitur in [c] tabulario Fontis-boni. Institutus fuit ibidem prior Petrus, cui terrarum donationes factæ anno M. CC. XIII. die XIV. junii a Bernardo & Rainerio filiis olim Beltrami Bernardi Petrucci de Perusio habentur [d] in eodem archivo.

c §. *Concessio* 2. *A.* 3. 4.

d §. *Donatio* 376. *A.* 3. 40.

In

Ann. Chr. 1210.

a §. Conventiones A. 3. 12.


In quo [a] etiam sub die octava februarii legitur Johannem presbyterum, & Petrum & Rubinum dictum Clericum, Johannem conversum, & Eylicam, Clusaram, Blancam, Sophiam, Temperantiam & Mariam conversas ecclesiæ sanctæ Mariæ positæ in Avesa prope Veronam convenisse cum Guidone priore Camaldulensi, quod dicta ecclesia cum omnibus suis bonis subesset ecclesiæ sancti Salvatoris de Camaldulo, observatis tamen conditionibus expositis in instrumento donationis ejusdem loci, de quo verba fecimus ad annum 1202. videlicet de concordia eligendi & removendi priorem & monachos ejusdem cœnobii, recipiendi ibidem conversos, & præstandi obedientiam priori Camaldulensi; manu Bernardi notarii. Hoc Veronense monasterium unum erat ex iis, quæ duplicia dicebantur, quodque ratione virorum anno 1202. Camaldulensis eremi disciplinam receperat, atque inter loca congregationis recensitum fuerat anno 1207. ab Innocentio III. sed præsenti anno vel confirmata fuit ipsius subordinatio, vel etiam ratione mulierum, quæ asceterium constituebant, addictum fuit legibus ejusdem Camaldulensis congregationis.

b Num. 1032.

Ex indice contractuum monasterii Berardingorum [b] novimus Tolomeum filium quondam Bernardini Ranuccii Corbolini de Petrorio confessum fuisse coram judice in comitatu Senensi pro domino Everardo se nullam rationem habere, seu bonam consuetudinem vel quodlibet jus in hospitale, quod dicebatur Imilliole, ideoque ipsum hospitale penitus cessisse abbati ejus monasterii Guilielmo.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-SEPTIMUS.

Ab anno CHRISTI M. CC. XI. *ad annum* M. CC. XX.



ONFLUEBANT plures tum donationibus inter vivos, tum testamentariis tabulis ad ditandam eremum Bononiensem appellatam sanctæ Mariæ de Camaldulo, & ædificatam in nemore de Burellis. Extant in tabulario Fontis-boni paginæ hujusmodi donationum tam sub antecedentibus, quam sub subsequentibus annis, sed præsertim sub anno præsenti; ex quibus etiam addiscimus non ita tunc eremitas Camaldulenses incubuisse solitudini, ut omnia refugerent vitæ etiam activæ exercitia. *Die* XXIII. *maji* hujus anni „ Scorgoza presbyter Bononiensis vendidit Henrico [a] priori ejus eremi medietatem terræ sitæ in Villa-nova, „ alteram autem medietatem ministerialibus & massariis confraternitatis „ hominum de Ultramonte, quæ erat erecta in ecclesia dictæ eremi. " Ad annum 1247. [b] mentio fit *societatis Spalvadorum* erectæ in ecclesia eremi Camaldulensis Bononiæ, cum qua conventiones fecerunt eremitæ ejus loci. Non ergo putabant solitariæ vitæ officere cetera pietatis opera, ad quæ conveniebant exteri homines. Videantur etiam, quæ dicemus ad annum 1240. quo seriem pariter priorum ejusdem loci afferemus.

ANN. CHR. 1211.

I. De eremo Camaldulensi Bononiæ & de ecc. S. Michaelis de Casa-nova donata ecclesiæ S. Mariæ de Rivo-frigido.

a §. *Emptio* 247. *A.* 3. 25.

b *Transactio.* 8.

Guidus plebanus ecclesiæ de Rivo-cornoclario consensu suorum fratrum & canonicorum, presbyterorum & conversorum dictæ plebis, presbytero Milanesio recipienti pro Rainerio presbytero rectore & capellano ecclesiæ sanctæ Mariæ de Rivo-frigido donavit & tradidit præsenti anno capellam positam in loco dicto Gasa-nova, & ædificatam in honorem sancti Michaelis cum omnibus redditibus, obventionibus, oblationibus, usuariis & massaritiis, cumque omni jure suo, salva tamen ea actione, quam habebat dicta plebs de Rivo-cornoclario in populum præfatæ capellæ, pensionem assignans unius libræ ceræ persolvendæ ad medietatem quadragesimæ majoris; & ea etiam conditione, ut quotidie divina officia celebrarentur in prædicta capella. Subjecta erat capella sanctæ Mariæ de Rivo-frigido parthenoni Lucensi sancti Petri.

Ann. Chr. 1211.

II. Fundatio eremi de Calci & conventiones cum plebe Calcensi.

Demandaverat Innocentius III. Lothario archiepiscopo Pisano & abbatibus monasteriorum sancti Pauli de Ripa Arni congregationis Vallis-umbrosæ & sancti Michaelis Discalciatorum congregationis Pulsanensis causam, quæ vertebat inter plebem Calcensem, & inter fratrem Bernardum eremitam fundatorem cellæ positæ in Calci, quæ dicebatur eremus sancti Jacobi & sancti Verani. Scilicet Bernardus, consentiente Juliano eremita confratre suo, & presbyter Bene camerarius plebis Calcensis, & presbyter Argumentus capellanus ecclesiæ sancti Andreæ de Calci in loco dicto Lame deposuerant pontificio mandato in manibus dicti Lotharii archiepiscopi, & Lucæ abbatis sancti Pauli, & Jacobi abbatis sancti Michaelis, qui communi consensu electi fuerant arbitri, omnes lites & discordias vertentes inter eremum & inter plebem Calcensem, promiseratque insuper dictus Bernardus se morem gessurum decisioni arbitrorum sub pœna privationis sacrorum celebrandorum in suo oratorio. Similiter se adstrinxerant ceteri duo presbyteri, itaut contrafaciendo decisioni judicum cella sanctorum Jacobi & Verani omnino permaneret libera, facultatemque haberet divina persolvendi officia. Porro arbitri concorditer pronuntiarunt licere dictis eremitis habere & ædificare ecclesiam, permittente Pisano archiepiscopo, atque ea ædificata tenere sub tecto & non supra tectum tintinnabulum, posseque ante & post ædificationem ecclesiæ alere capellanum, qui ibidem divina perageret officia, quique si foret secularis, responderet plebano Calcensi obedientiam, si vero foret eremita, promitteret plebano coram clericis dictæ plebis per librum, & stolam, quod non reciperet masculum vel feminam dictæ plebis ad pœnitentiæ sacramentum vel ad alia, absque licentia Pisani archiepiscopi vel plebani Calcensis. Si vero postulans sacramenta pœnitentiæ & eucharistiæ non foret de plebe, sed de parœcia alterius capellæ, interveniret etiam licentia capellani, de cujus ecclesia is foret. Et quod non deberent eremitæ officium aliquod celebrare populo, nisi constructa ecclesia, & in festo die ipsius ecclesiæ, neque ipsis fas esset defunctorum corpora humare, nisi eremitarum vel domesticorum suorum, nec ab aliquo dictæ plebis decimas recipere. Demum non liceret ipsis habere conversum vel conversam, nisi habitantes cum eis. *Actum Pisis in ballatorio curie archiepiscopatus Pisani, pluribus presbyteris presentibus, anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo undecimo, indictione* XIV. *quintodecimo kalendas januarii.* Quam sententiam proferimus ex tabulario sancti Michaelis de Burgo Pisarum. Lotharius Rosarius civis Cremonensis & episcopus Vercellensis translatus fuerat ad archiepiscopatum Pisanum ab Innocentio III. post mortem Ubaldi, cujus obitus in necrologio monasterii nostri sancti Zenonis apud Ughellium [a] adnotatur ad XIII. kalendas julii anni 1209.

a T. III. col. 421.

Eodem *anno* VII. *kalendas decembris* ex archivo monasterii sancti Pontiani Robertus presbyter capellanus ecclesiæ de Monte-calvoli ex delegatione magistri Roberti canonici sancti Martini Lucensis urbis misit in possessionem sextæ partis castelli de ripa Marrancia Guicciardum advocatum & procuratorem monasterii sancti Salvatoris de Sexto juxta sententiam latam ab eodem magistro Roberto contra Ildebrandum episcopum Volaterranum, qui jus in castellum prædictum contra monachos sibi vindicabat.

In fragmento processus facti præsenti anno *Ottone imperante mense januario indictione* XIV. circa jura & fines bonorum monasterii Valle-castrensis, quod edidimus in appendice tomi primi horum Annalium, nominantur Transmundus abbas ejus monasterii, comites Albericus, Guarnerius & Ugolinus, qui vivebant diebus marchionis Guarnerii, & Azo marchio E-

stensis,

ſtenſis, qui tunc marchiam Anconitanam obtinebat, & demum comes Acto.

ANN. CHR. 1211.

III. De epiſcopis Callienſibus commiſſis Avellanenſibus.

ANDRONICUM monachum Avellanenſem factum epiſcopum Callienſem hoc anno ſcribit Jacobillius [a], defunctum vero anno 1217. die decima-quarta januarii. Ea die in veteri necrologio Avellanenſi legitur: *Obiit domnus Arduinus epiſcopus*, nulla ſedis ipſius mentione facta. Ad annum 1100. Arduinum facile Fanenſem epiſcopum venire conjecimus. An vero inter Alloderium epiſcopum Callienſem, de quo nulla extant monumenta poſt præſentem annum 1211. & ante Anſelmum, qui anno 1217. primum legitur, locandus eſt ad Jacobillii fidem Andronicus Avellanenſis cœnobita? Ceterum etiam ipſius Alloderii ſive Alderi epiſcopi Callienſis nomen adnotatur in eodem necrologio ad diem XXIV. ſeptembris: *Obiit domnus Alderus epiſcopus Callienſis commiſſus noſter*. Deceſſiſſe videtur valde ſenex; nam anno 1170. erat abbas ſancti Geruntii ex apoſtolica bulla Alexandri III. ejus anni, qua confirmantur bona ipſius monaſterii. Interfuerat ut epiſcopus anno 1179. concilio Lateranenſi, & anno 1197. conſecrationi eccleſiæ Avellanenſis. Succeſſerat in ea ſede Rainerio facto archiepiſcopo Spalatenſi anno 1175. Ad diem pariter XXV. aprilis in eodem necrologio nomen apponitur Rainerii epiſcopi Callienſis: *Obiit domnus Rainerius epiſcopus Callienſis commiſſus noſter*. Præter Rainerium prius Callienſem, inde Spalatenſem nullum alium novimus Rainerium epiſcopum Callienſem, vel ſaltem ipſius mentio nulla fit in Italia ſacra Ughellii. Sed Spalatenſis memoria recolitur ſub die quinta auguſti, cum alterius Rainerii memoria fiat ad diem vigeſimam-quintam aprilis.

a T. III. pag. 351.

ANN. CHR. 1212.

IV. Fundatur monaſt. S. Michaelis de Muriano.

PRIMORDIA monaſterii noſtri ſancti Michaelis de Muriano referenda ſunt ad præſentem annum milleſimum duceenteſimum duodecimum. Vidimus alibi [b] inter urbem Venetiarum, & inter ſuburbanum oppidum Muriani exſurrexiſſe inſulam quamdam jam a ſeculo decimo extantem cum eccleſia ibi ædificata in honorem archangeli Michaelis, in qua etiam primam ſibi habitationem ſtatuiſſe ſanctum parentem noſtrum Romualdum ex Ravenna Venetias ſecedentem fert traditio, veteribus quoque monumentis comprobata. Fas itaque erat, ut in eam inſulam poſt duo & fere tria ſecula, colonia deduceretur Camaldulenſium monachorum, qui locum incolerent, magiſtri & ducis ſui incolatu olim ſanctificatum; quæ etiam progreſſu temporis ædificato monaſterio princeps evaderet congregationis monachorum Camaldulenſium domicilium; id quod contigit ad finem vergente ſeculo XV. quo ſub ſancti Michaelis invocatione efformata fuit ex plurium Camaldulenſium monaſteriorum unione hujuſmodi congregatio, dicta deinceps ſacræ eremi, & ſancti Michaelis de Muriano, & poſtea omiſſo titulo ſacræ eremi, appellata tantummodo ſancti Michaelis ad hodiernam diem. Pertinebat hæc eccleſia partim ad Caſtellanum ſive Olivolenſem aut Venetiarum epiſcopum, partim vero ad Torcellanum antiſtitem, ſive jus aliquod in ipſam uterque epiſcopus ſibi aſſerebant. Eam proinde eccleſiam hoc anno *menſe martio die decimo exeunte indictione* XV. *Rivoalti* Marcus Nicolai Caſtellanus epiſcopus una cum Petro archidiacono aliiſque ſuæ eccleſiæ canonicis ceſſit & donavit cum circuitu & pertinentiis ſuis tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus Alberto Camaldulenſi monacho, aſſumpto facile ex monaſteriis Veronenſi vel Vicetino, qui poſſeſſionem ipſius recepit nomine Guidonis generalis prioris, & eccleſiæ eremi Camaldulenſis, refutante Marco epiſcopo a juriſdictione ſua, *ſi quam*, inquit, *habeo*, *eccleſiam ſancti Michaelis poſitam in palude juxta* canalem

b *Annal. Camald. T. I. pag.* 64.

Ann. Chr. 1212.

canalem de Muriano. Similiter ſequenti menſe plebanus, presbyteri, & clerici ſanctæ Mariæ Murianenſis oppidi, Johannes quoque Balduinus plebanus, & clerici eccleſiæ ſancti Stephani ejuſdem loci, & parœciani utriuſque eccleſiæ, auctoritate & conſenſum ſuum interponente B.. hoc eſt Bono Balbi patritio Veneto, & Torcellano epiſcopo, exemerunt a juriſdictione ſua eamdem eccleſiam ſancti Michaelis, & dicto Alberto tradiderunt, adjecta penſione, ut prior vel prælatus, qui in ea eccleſia pro tempore fuerit, eccleſiæ ſanctæ Mariæ, octavo die ante feſtum ſancti Michaelis menſis ſeptembris, duas ampullas boni vini, quæ tenerent tres libras, & in vigilia aſſumptionis ſanctæ Mariæ mediam libram boni incenſi annuatim perſolvere deberet. Contra quam ceſſionem ſi aliquando presbyteri offerentes venerint, emendarent libris denariorum Venetorum centum. Subſcripſerunt B.. Torcellanus epiſcopus, Philippus Balbi plebanus eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Muriano aliique presbyteri. *Tertio* autem *kalendas maji* ratam habuit donationem eccleſiæ, pactumque firmavit Guido prior Camaldulenſis, qui tunc capitulum celebrabat in monaſterio ſancti Salvatoris de Cantiniano Lucenſis diœceſis, conſentientibus fratribus ſuis, & etiam Ruberto abbate ejuſdem veriſimiliter monaſterii, & Gregorii ſucceſſore. Inſtitutus propterea fuit primus loci novi prior idem Albertus, qui *menſe octobri indictione prima*, mutata ſeptembri, nomine ſuo ſuorumque ſucceſſorum promiſit ſuperiora pacta ſervaturum ſub pœna librarum denariorum Venetorum centum. Paginas in Appendice proferimus partim ex tabulario Fontis-boni, partim vero ex illo ejuſdem monaſterii ſancti Michaelis. Anno M. CCCC. die XXVI. februarii Franciſcus Vendramenus plebanus ſanctæ Mariæ de Muriano inſtrumentum cenſus a monaſterio ſancti Michaelis eccleſiæ ſanctæ Mariæ ſolvendi renovavit pagina exiſtente apud Cl. V. Flaminium Cornelio in eccleſiis Torcellanis parte ſecunda [a].

[a] Pag. 128.

V. Monaſterium pariter S. Gervaſii extra Bellunum.

Eodem anno, *die quarta-decima exeunte majo*, conſenſum præbente Philippo Bellunenſi & Feltrenſi epiſcopo, qui ante biennium ex Pomposiano monacho ad eas eccleſias regendas fuerat evocatus, Balduinus ipſius Bellunenſis eccleſiæ decanus, accedente voluntate capituli canonicorum ejuſdem eccleſiæ, conceſſit & locavit cuidam dominæ Acegæ de civitate Belluni eccleſiam ſanctorum martyrum Gervaſii & Protaſii, cum tota terra & circuitu ejuſdem eccleſiæ, & cum omni jure & rationibus, ſitam inter civitatem Belluni & villam Milliarii, cum penſione unius libræ incenſi inferenda Bellunenſi eccleſiæ die feſto ſancti Martini. Hæc eccleſia prius monachorum, deinde etiam ſanctimonialium, ſubjecta fuit ab Urbano V. Romano pontifice monachis tunc Ciſtercienſibus ſanctæ Mariæ de Fullina Sanæ-vallis, & perſeverat etiam modo ſub Camaldulenſis abbatis Fullinæ regimine. Chartam, quæ antiquior eſt ejus eccleſiæ, damus ex autographo ejuſdem parthenonis.

VI. Lites inter monaſt. Lucenſe, & plebanum Rivo-cornoclarii.

Lis erat inter Francam abbatiſſam ſancti Petri de Luco pro eccleſia ſanctæ Mariæ de Rivo-frigido, & inter Guidum plebanum eccleſiæ & plebis de Rivo-cornoclario. Petebat ſcilicet abbatiſſa a plebano pecunias & res ad dictam ſanctæ Mariæ eccleſiam pertinentes, quas ablatas vel injuſte detentas conquerebatur; poſtulabat etiam, ut capellanus de Rivo-frigido abſolveretur ab omni vinculo juramenti præſtandi plebano. Commiſſa fuerat deciſio cauſæ a Romano pontifice Innocentio III. priori ſancti Laurentii, poſtea vero devoluta de mutuo conſenſu partium in presbyterum Johannem capellanum monaſterii ſancti Petri de Luco, in presbyterum Azonem de Caſa-nova, in presbyterum Melanenſium rectorem & capellanum de Rivo-frigido, & in Rainerium de Via, qui arbitri definierunt

runt

runt plebanum Rivo-cornoclarii debere restituere solidos centum Bononiensium, quos abstulerat capellano de Rivo-frigido, vestimenta item Rainerii presbyteri olim rectoris ejusdem ecclesiæ & conversi Lucensis parthenonis, & duodecim solidos Pisanorum veterum; insuper debere absolvere presbyterum Melanensium ab omni juramenti obligatione; demum parœcianis Rivi-frigidi licere, ipsosque posse pro libitu sibi eligere pastorem in dicta ecclesia, cum consensu abbatissæ & patronorum, ad honorem episcopi Florentini & plebani dictæ plebis de Rivo-cornoclario. *Anno* M. CC. XII. *tertio nonas decembris indictione* I. mutata septembri. ANN. CHR. 1212.

Moricus abbas sancti Victoris de Clusis, consensu suorum monachorum, tradidit communi Fabriani & Thodino consuli castrum Plerosariæ cum omnibus hominibus & castellanis, reservata monasterio suo castellania dicti castri. Thodinus e contra spopondit se conservaturum castrum Plerosariæ juxta statuta aliorum castrorum, & præcipue castri Collis-amati, & opem præstiturum monasterio sancti Victoris in omnibus rationibus & justitiis, sub pœna centum marcarum puri argenti. *Actum juxta Conjunctulos in pede plagie de Mespelis anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo, imperante domino Ottone* &c. XII. *kalendas novembris indictione* XV. quam traditionem integram in Appendice proferimus ex exemplo tabularii sanctæ Catharinæ de Fabriano.

CIRCA hunc annum, teste Wadingo, recepit sanctus Franciscus a monachis Subasianis ecclesiam & monasterium ipsis subjectum Vallis-gloriæ apud Hispellum, quinto ab Assisio lapide, & cum sanctimoniales in eo viverent sub regula sancti Benedicti, & sub norma Camaldulensium consuetudinum, reformationem in ipsum introduxit secundum sanctæ Claræ magisterium, quæ Pacificam consanguineam suam monasterio præfecit. Post Pacificam abbatissa parthenonis fuit Benedicta, post Benedictam Balbina. Quare licet in apostolicis Romanorum pontificum, & episcopalibus Spoletanorum antistitum diplomatibus dicatur monasterium istud fundatum fuisse a Clarissis, id intelligendum est de disciplina ibidem reparata, non de prima sui constructione, cum ex Jacobillio aliisque auctoribus liqueat, moniales Benedictinas & Camaldulensibus monachis montis Subasii subjectas prius locum incoluisse. Sub Pacifica abbatissa, aquæ penuria cœnobio laborante, cerva ungulis terram effodiens ex arido loco eduxit copiosam venam aquarum, quæ ad præsentem diem scaturit, & infirmis petentibus miraculosam tribuit salutem, ut fuse legitur apud Wadingum, cujus tamen chronologiam non omnino probamus. Alibi dubitationes nostras proferemus, an Pacifica prima fuerit ex Clarissis hujus monasterii abbatissa, an vero potius loco præsederit post Balbinam.

VII. Clarissæ introductæ in monaster. Vallis-gloriæ.

OBIIT hoc anno Azzo marchio Estensis Obizi filius sexagesimo ætatis suæ anno, sepultus in ecclesia Vangaticiensi, cujus sepulcro appositi fuere sequentes versus.

VIII. Obitus Azzonis marchionis Estensis.

Annis Christe tuis bis sex & mille ducentis
Concessit fatis Azo marchio mense novembris.
Flos, decus imperii, patriæ flos, gloria mundi,
Pulcher, formosus, sapiens, eloquens, animosus,
Si pacem coluit, si tristia bella peregit,
Semperque in utro providus fuit & gratiosus.
Quid Friderico fecit, quid fecit Othoni,
Omnibus est notum, non expedit hic recitari.
Mantua, Veronaque simul, Ferraria plangunt,

Ann. Chr. 1212.

Qui fuerat dominus tunc temporis atque poteſtas.
Quid moror in verbis? non eſt qui dicere poſſit,
Nec ſcribi potuit ſua gratia quanta fuiſſet,
Invida mors iſtum rapuit, ne viveret ultra.
Credo, quod inde fuit etiam tunc luna cruenta.
Hic talis tantuſque jacet tumulo hoc tumulatus.
Qui videt, hoc dicat, ſaltem Deus hunc benedicat.
Quando vidiſti Azonem verſibus iſtis
Sit vobis notus, quamvis ſit carne remotus.
Tullius eloquio fuit hic, Peleus in armis,
Ithacus ingenio, quem tu cava petra reponis.

Veronæ dominus appellatur etiam in chronico Eſtenſi [a], ubi refertur ipſius obitus.

Super idem ſepulcrum inſculptæ fuere quatuor literæ N. I. A. L. disjunctæ, cum regia corona ſuper quamlibet ipſarum, duæ aquilæ deſuper, & ſubtus binæ columbæ, quæ catena tenent in medio rotam, ſuper quam legitur dictio Alemannica *VVORPAS*. Progreſſu temporis translatis oſſibus Azzonis Ferrariam, capſa marmorea ſepulcri adhibita fuit pro abluendis ſacro regenerationis lavacro infantibus in eccleſia parœciali Vangaticiæ; nunc vero jacet in horto patrum Cappuccinorum ejuſdem loci, & inſervit abſtergendis pannis. Operimentum vero capſæ, in quo ſculpti erant duo pavones, & inter ipſos media crux, Borſedam translatum fuit in diœceſi Rhodigina, ſed ſub jure abbatiæ Vangaticienſis, ut refert Seneſius noſter [b] in hiſtoria ms. ex qua etiam verſus exſcripſimus, quos ante ipſum Scardeonius [c] attulerat in hiſtoria Patavina.

Livaldus prior eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Carceres recepit hoc anno *die ſecundo intrante ſeptembri indictione* XV. a Johanne Grajatado ſindico monaſterii ſancti Stephani de Padua totam paludem & terram a coſta Montis-baonis & Ceolæ & montis Buſii, cum jure decimandi.

IX. De eccleſiis SS. Laurentini & Pergentini & S. Quirici de Viccione, & de Martino ep. Arretino.

Martinus Arretinæ eccleſiæ præpoſitus, conſenſu C.. primicerii, magiſtri Gui.. de Ficareto, magiſtri V.. de Corſignano, presbyteri Gui.. Mazzolini, Genuenſis, Opezzini presbyteri, Petri, magiſtri Curtiſonni, Bonaventuræ diaconi, & Rectoris canonicorum Arretinorum, aliquot canonicæ ſuæ bona vendidit Guidoni rectori eccleſiæ ſanctorum martyrum Laurentini & Pergentini de Arretio, ut legitur in pagina [d] tabularii ſanctæ Mariæ in Gradibus. Eccleſia præfata de novo tradita fuerat reformanda Camaldulenſibus, qui monaſterium ibidem conſtituerant.

Martinus, qui præpoſitus erat hoc anno eccleſiæ Arretinæ, electus fuit paulo poſt epiſcopus ejuſdem eccleſiæ per mortem Gregorii, quæ contigit die feſto ſanctorum Albini, Paulini & Niceti, hoc eſt die vigeſimaſecunda junii hujus anni. Non ſtatim tamen electus, confirmatus etiam fuit, nam die feſto ſancti Johannis-baptiſtæ anni ſequentis Romam verſus iter arripuit ad Innocentium III. pontificem flagitaturus confirmationem ſuæ electionis, *unde rediit confirmatus poſt tres dies a feſto ſancti Donati*, ut legitur in depoſitionibus teſtium in cauſa libertatis eremi Camaldulenſis ad annum 1218. immo etiam octavo kalendas octobris anni ſequentis 1213. adhuc appellatur *electus*. Scimus teſtimonio Rainerii prioris ſancti Michaelis de Arretio ipſum Rainerium *iviſſe Florentiam, quando tractabatur cauſa electionis epiſcopi Arretini*; quæ verba declarant oppoſitiones factas ipſius electioni. Re enim vera novimus ex epiſtola ejuſdem Romani antiſtitis [e] apud Baluzium examen electionis Martini demandatum Ubaldo

a T. XV. col. 301. Script. rer. Italic.
b Pag. 43.
c Lib. III. cap. 13.
d Num. 114.
e T. II. pag. 736.

Ubaldo archiepiscopo Ravennati, & Alberto episcopo Foro-liviensi, deinde *pridie idus martii pontificatus* sui *anno* XVI. hoc est anno sequenti, alterum commissum fuisse examen Johanni episcopo Florentino, Guidoni priori Camaldulensi, & magistro B.. plebano castri Florentini; versum enim fuerat crimini Martino, quod in sui electione intervenisset simoniaca labes, quod tempore suæ electionis censuræ ecclesiasticæ vinculo esset innodatus, quod demum natalium defectu laboraret, ut in ipsa delegationis pontificiæ epistola fusius legitur. De Martino Arretino episcopo ejusque concertationibus cum eremo Camaldulensi monasteriisque subjectis plura ad annos 1216. & sequentes.

ANN. CHR. 1212.

Ex eodem tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus hoc anno „ homines. [a] „ de Vicione, Azzolinus præ ceteris, Tiniosus, Varki, & Egolottus arbitri constituti a Gratia presbytero sancti Thomæ de Vicione, consensu „ Christophori primicerii canonicæ sancti Donati, & Rainerii canonici ex „ una parte, & Uberti presbyteri sancti Quirici, cum consensu Johannis abbatis Agnaniensis, cui subjecta erat ecclesia sancti Quirici, super „ controversia de parœcianis, quæ vertebat inter utramque partem, decreverunt, quæ domus ad unam, quæ ad alteram ecclesiam spectarent. „ Insuper statuerunt, quod presbyter sancti Thomæ veniret in quatuor „ feriis de scrutinio ad ecclesiam sancti Quirici pro adjumento officii ad „ horam nonam, & ibidem staret usque ad persolutionem officii; ita in „ dominica Palmarum pro benedictione olivarum; item ad benedictionem „ ignis in sabbato sancto. Pariter decreverunt, ut si ecclesia sancti Thomæ presbytero vacaret, presbyter sancti Quirici officia persolveret, „ haberetque introitum & oblationem, & hoc absque præjudicio canonicæ, & ecclesiæ castelli, demum ut uterque presbyter ad invicem sibi „ adjutorium præstarent bona fide, neque alter se alterius jurisdictioni „ super parœcianos immisceret. Si quis autem laudum fregerit, pœnam „ solveret centum solidorum episcopo Arretino. Actum Arretii in claustro sanctæ Mariæ in Gradu, manu Machabei notarii. “

[a] *Num.* 115.

Urbani prioris Camalduli Florentini fit mentio sub hoc anno in charta tabularii Fontis-boni, qua recepit mandatum a Rustico monacho vicario eremi Camaldulensis pro expediendo quodam debito.

ANN. CHR. 1213.

X. Reformatio monasterii Vangaticiensis per Camaldulenses.

CUM dudum pro correctione & reformatione monasterii sanctæ Mariæ de Vangaticia laborasset Romanus pontifex Innocentius III. & ad nihilum recidissent ejus labores, ad majora progrediens hoc anno [b], Regino episcopo tunc electo, & priori sancti Georgii in Braida Veronensis urbis, & Venturæ subdiacono canonico Veronensi dedit in mandatis, ut E.. hoc est Enverardum, dicti loci abbatem, qui a regimine monasterii auctoritate apostolica fuerat jam amotus sententia archipresbyteri Estensis, & alterius conjudicis, ipsiusque cœnobii monachos per alia ordinis sancti Benedicti monasteria collocarent, & viro alicui probo, bonæ opinionis & vitæ sollicito, in temporalibus & spiritualibus circumspecto monasterium prædictum traderent, qui assumptis secum viris religiosis idem monasterium reformaret. Apostolici delegati primævam loci institutionem a Romualdo per discipulos suos inibi introductam præ oculis habentes, ac restitui disciplinam collapsam optime posse per monachos Camaldulenses sanctitate vitæ tunc undique florentes nullatenus dubitantes, communi consensu Samsonem priorem Camalduli de Verona, cui ante aliquot annos etiam institutio monasterii Vicetini sancti Viti commissa fuerat, cœnobio Vangaticiensi præfecerunt, ad hoc ut cum duodecim viris idoneis de congre-

[b] *Epist.* XVI. *lib.* IV.

Ann. Chr. 1213.

gregatione Camaldulensi intenderet ad præfatæ abbatiæ disciplinam sartam tectam faciendam. Quam electionem auctoritate sua comprobavit idem Romanus pontifex, scribens insuper Guidoni priori & conventui Camaldulensi, ut prædictum Samsonem ad regimen ipsius monasterii destinarent cum titulo abbatiali, liberamque faciens correctionem ejus cœnobii priori Camaldulensi & ejus successoribus, ita tamen ut electus abbas Romano pontifici præsentaretur, confirmationis & benedictionis gratiam suscepturus, atque ad ejus amotionem, inconsulto eodem Romano pontifice, nullatenus procederetur. Primum præceptum datum est Laterani VI. *idus aprilis pontificatus* sui *anno* XVI. alterum vero ad priorem Camaldulensem, una cum tertio ad eosdem apostolicos delegatos, ut Samsonem in Vangaticiense monasterium inducerent, data fuere Signiæ VII. *kalendas octobris pontificatus* sui *anno* XVI. Præceptum ad priorem Camaldulensem Guidonem tum [a] ex editione epistolarum Innocentii III. cura Bosqueti, tum ex tabulario Fontis-boni integrum producimus in Appendice. Episcopus Reginus electus, hoc eodem anno postulatus etiam ad episcopatum Vicetinum, erat Nicolaus Maltraversus; prior autem sancti Georgii in Braida anno 1207. erat magister Girardus, qui legitur testis in charta, qua Adelardus episcopus Veronensis commutavit castrum Lemniaci cum communitate Veronensium apud Ughellium [b]. Idem Guido prior Camaldulensis præfato Samsoni ad ipsius vitam commisit administrationem etiam monasteriorum Veronæ, & Vicetiæ, ea tamen apposita conditione, ut monasterium Vangaticiense nullum jus in ipsa cœnobia sibi vindicaret; quinimmo solveret Samson pro quolibet monasterio quotannis viginti solidos eremo Camaldulensi, ut legitur in paginis Fontis-boni §. *Census*. Ceterum ea erat tunc temporis Romanorum pontificum sollicitudo, ea etiam imperatorum inter ceteras conditiones promissio, quod alibi vidimus, ut darent operam, quatenus irregularia monasteria, in quibus scilicet regula sancti Benedicti & ordo disciplinæ deficerent, traderentur reformanda vel Cistercienfibus, vel Camaldulensibus, qui tunc cum magna pietatis & observantiæ opinione in ecclesia & præsertim in Italia florebant præ ceteris congregationibus ejusdem ordinis Benedictini, quem componebant, nec non etiam canonicis regularibus Præmonstratensibus, antequam instituerentur ordines Mendicantes. Videantur, quæ diximus ad annos 1203. 1205. & 1208.

[a] *Epist.* 113. *lib. IV.*

[b] *T. V. col.* 812.

Ex eadem Signiensi urbe eodemque die idem Romanus pontifex assensu suo confirmavit Guidoni priori & Camaldulensi congregationi ecclesiam sancti Michaelis Venetiarum sitam in palude juxta canalem de Muriano, ipsam sub apostolicæ protectionis tutela recipiens; *sicut eam*, inquit, *juste & pacifice possidetis*, traditam scilicet præterito anno, ut inibi monachorum colonia traduceretur.

XI. Literæ Innocentii III. contra Guidonem comitem infestum Camaldulensibus.

Die autem præcedenti, hoc est VIII. *kalendas octobris*, ex præfata urbe literas dedit Lothario archiepiscopo Pisano, Johanni episcopo Florentino, & Martino electo episcopo Arretino, quibus ipsis mandavit, ut nobilem virum comitem Guidonem monerent, rogarent & in Domino exhortarentur, ut de cetero conquiesceret ab inferendis molestiis eremo Camaldulensi, & exercerent contra ipsum excommunicationis gladium, nisi resipuerit. Nimirum is, senex licet & multis annis prægravatus, fratres Camaldulenses divexabat, & juxta ipsorum eremum viam quamdam sibi aperuerat, per quam non solum cum armatis hominibus, sed etiam cum histrionibus & mulierculis incedebat, quamvis accessus feminarum ad sacrum locum fuisset antiquissimo jure vetitus. Pariter violenter abstulerat quos-

quosdam ipsorum boves, nec reddere voluerat nisi post receptam quamdam bladi mensuram. Extat de his Guidonis facinoribus etiam altera epistola ejusdem Innocentii ad ipsum comitem, mansuetudine, lenitate, sed simul apostolico robore plena, quam subjicimus ex editione Bosqueti [a]. ANN. CHR. 1213.

Nobili viro comiti Guidoni spiritum consilii sanioris.

Cum tuum in multis offenderis Redemptorem, & traditam tibi potestatem ab ipso multoties contra eum præsumpseris exercere, deberes saltem in vitæ vespera constitutus tuæ delicta corrigere juventutis, & Domini faciem in confessione oris & satisfactione operis taliter prævenire, ut in tremendi necessitate judicii ab ipso, qui reddet singulis secundum opera sua, posses indulgentiæ gratiam expectare. Tu vero, quod dolentes referimus, nedum a via mala cohibes pedes tuos, sed quasi propriæ salutis curam ac divini nominis amorem abjeceris & amorem, contempta Dei patientia, quæ quantum in ipsa est, ad pœnitentiam te adducit, confusionem tibi thesaurizas & iram, religiosos viros, quorum patrocinium tibi deberes beneficiis & obsequiis comparare, ut apud Dominum allegarent precibus causam tuam, in tuæ famæ ac salutis dispendium affligendo. Ecce enim, sicut multorum relatione didicimus, fratres Camaldulenses, qui seculi vanitatibus abdicatis mortificarunt cum vitiis & concupiscentiis membra sua, crucifigentes sibi mundum cum Apostolo & se mundo, multipliciter opprimens & affligens, nuper fecisti juxta ipsorum eremum quamdam viam, per quam non solum armatos, sed etiam histriones cum mulierculis ire facis, cum accessus terminorum suorum mulieribus ab antiquo fuerit interdictus. Nuper quoque quosdam boves ipsorum eisdem fecisti violenter auferri, nec eos, donec a quibusdam conversis eorum quamdam quantitatem bladi recepisti pro illis, reddere voluisti. Iis & aliis modis eorum quietem per te ac tuos adeo inquietans, ut nisi aliter provideatur eisdem, sui ordinis instituta nequeant observare. Volentes igitur & eorum tranquillitati, & tuæ saluti pariter providere, nobilitatem tuam monemus, rogamus & exhortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus brevitatem considerans vitæ tuæ, quæ cum jam senilem pervenerit ad ætatem, omne autem, quod antiquatur & senescit, prope interitum esse constet, procul dubio longa esse non potest, recogites in amaritudine annos tuos, & attendens, quod ex universis, quæ habere videris, sola tua opera te sequentur, quæ, si bona fuerint, ad æterna gaudia te perducent, si vero mala, perpetuam te pertrahent ad gehennam, tui tandem incipias misereri, & satisfacere studens Domino de commissis, ab ecclesiasticorum virorum, & specialiter dictorum Camaldulensium molestatione de cetero conquiescas, ne forte præoccupatus subito die mortis, pœnitentiæ spatium quæras, nec valeas invenire. Alioquin cum pater filium, quem diligit, corrigat & castiget, nos specialiter ob salutem tuam, quam sollicitudine paterna zelamur, venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Pisano, episcopo Florentino, & dilecto filio electo Aretino nostris damus literis in mandatis, ut tam super prædicta via, quam aliis te ab eorumdem Camaldulensium vexatione cessare per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, prævia ratione compellant. Datum Signiæ XII. *kalendas octobris pontificatus nostri anno* XVI. Electus episcopus Arretinus est Martinus, qui vigesima-quarta septembris die hujus anni nondum consecrationis munus acceperat. Epistola vero scripta ab Innocentio iisdem archiepiscopo & episcopis legitur in Appendice.

XII. Ejusdem privilegium pro monasterio Classensi.

EODEM anno ex Laterano per manum Raynaldi acolythi & capellani sui VII. *kalendas novembris indictione* II. *pontificatus* vero sui *anno* XVI. Grimaldo abbati sancti Apollinaris in Classe, ejusque monasterio, cujus

[a] *Epist.* 114. *lib. IV.*

Ann. Chr. 1213.

cujus bona recensuit, privilegium apostolicum concessit Innocentius juxta illa Alexandri III. & Urbani III. cui subscripsere tresdecim S. R. E. cardinales, quod cum plumbeo sigillo asservatur in tabulario Classensi.

XIII. Monachi S. Urbani ad Æsinantem locum tradunt S. Francisco, a T. I. p. 154.

Tradit Wadingus [a] sub hoc anno sanctum Franciscum „ in comitatu Narniensi apud castrum sancti Urbani eremiticum quemdam & „ derelictum in asperrimo monte accepisse locum, in quo, dum molesta „ ille cruciaretur febre, superveniretque intensus stomachi dolor, naturæ „ defectum sentiens, vini vasculum postulavit. Cui nihil vini, quod sibi „ dari posset, responderetur adesse, jussit aquam adferri, & allatam signo „ crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat „ aqua pura, & quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti pu„ ritas impetravit. Ad ejus gustum tanta protinus facilitate convaluit, „ ut saporis novitas, & innovatio sanitatis gustabile ac gustantem super„ naturaliter innovantes, perfectam in ipso expoliationem veteris homi„ nis & induitionem novi duplici attestatione firmarent. “ Verum nullum in Narniensi comitatu, quod asserit Wadingus, castrum hujus nominis. Prodigium autem hocce contigit in prædiis monasterii nostri sancti Urbani prope Æsinantem. Cum enim sanctus Franciscus veniens hoc anno ex oppido sancti Severini in castrum Apiri visitasset monachos Vallis-fucinæ prope montem Suavicinium, & alios monachos sancti Clementis, transiit etiam ad monasterium sancti Urbani Æsinantis, cujus abbas ei obtulit locum prope castrum ejusdem nominis, & juxta aliud castrum appellatum Faeta, quæ erant juris sui monasterii, in quo loco sanctus Franciscus aliquot humiles casas fundavit. Hinc nova habitatio nominata fuit eremus sancti Urbani; ibi nimirum miraculum etiam illud edidit ad vitam revocandi puerum, ut in descriptione ejus conventus narrat pater magister Horatius Tivalli a Macerata minister provincialis Minorum conventualium anno 1594. Ibi quoque suprarelatum prodigium mutandi in vinum aquam patravit. Extat ibidem balneum aquæ prodigiosæ sancti Francisci. De hac eremo loquitur in vita ejusdem Sancti alter sanctus Bonaventura. Castrum Faetæ est inter confinia urbis Æsii & inter castrum Retorsii. Extat adhuc in ecclesia præfatæ sancti Urbani eremi sequens inscriptio, quam ad nos transmisit nostri amantissimus & historiæ horum locorum peritissimus canonicus Pyranus Turcius,

LOCVS. EREMVS. LYMPHA. LAPIS. LATVCAE. VINI
LECTVLI. AEGROTANTIS. ET. VALENTIS. AEGRO
TANTES. ET. VALENTES. AD. ORANDVM. AD. VA
LENDVM. ADQVE. DEO. GRATES. REDDENDAS
COELITES. MIRACVLIS. HOC. MONVMENTO. MONENT
VNDIQVE. CONVENA. VENERABILIS. ADVENA. PVRVS
PRECERIS. VOTI. COMPOS. ERIS. VOTI. COMPOS
EXPERS. REVOVENDO. ACCEDO. TV. DVM. PRO. TE
QVAESO. ET. PRO. ME.

JOHANNES. FRANCISCVS. NELLVS. P.

In eodem specu pariter meruit Franciscus videre Angelum laudantem institutum

stitutum suum. Inhabitarunt ædem hanc ob loci solitudinem Antonius de Padua, & Bernardinus de Senis. Cum seculo XIV. fratres in Apirum se recepissent ob turbulentias regionis, templum ac conventus in præceps ruere; sed Sisti IV. tempore anno 1477. obtenta fuit facultas locum reædificandi, ut ex ipsius brevi constat existente in conventu sancti Francisci de Apiro. Anno 1652. demum extinctus fuit omnino conventus, & unitus parthenoni sanctæ Claræ de Apiro.

ANN. CHR. 1213.

XIV. Vilani ep. Eugubini gesta in episcopatu.

BENEFICUM se circa hæc ipsa tempora præbuit eidem Francisco Vilanus Avellanensis noster & episcopus Eugubinus, qui dicitur ejus alumnos Eugubium accersisse, eisque domicilium statuisse ad *Victorinæ* locum, ut apud Sartium auctor est Bernius. Exploratum est ipsius episcopi temporibus sanctum virum Franciscum Eugubii fuisse, & mira quædam in illa civitate divina virtute patrasse. Hoc anno Vilanus etiam monachis Campo-regiani monasterii in perpetuum beneficium prædia nonnulla attribuit, ex tabulis in archivo sancti Petri ejusdem urbis existentibus. Falluntur, qui ipsius episcopi auctoritate constructam ecclesiam sancti Bartholomæi in abbatia Campo-regio dicta asserunt; ad summum enim reædificari & restitui poterat ea ecclesia, quæ jam extabat tempore divi Petri Damiani. Id unum abbati Campo-regiani cœnobii indulsit Vilanus, ut oratorium certo quodam loco extra monasterii septa construere posset, quod inconsulto episcopo non licebat. Permisit etiam alteri Avellanensi abbati sancti Donati de Polpiano, ut nobili Eugubino Mainardo Suppolini in beneficium perpetuo traderet Chiomiscii castrum, quod ejus monasterii erat. Quæ omnia ex Sartio nostro [a] in Eugubinis episcopis de Vilano nota habemus ad hunc circiter annum.

Ratuccium potestatem Cortonæ detegit pagina tabularii Fontis-boni [b], cui hoc anno *die quarta-decima octobris* Johannes Arezali de santo Sabino promisit se habitaturum intra muros Cortonæ ab ecclesia sancti Vincentii ad arcem, neque consilio vel facto Cortonensibus se adversaturum, sed fauturum tam ipsis, quam Arretinis tempore belli contra Castillionenses, & mandatis potestatis Cortonensis se obtemperaturum.

a *Pag.* 130.

b §. *Promissio* 71. *A.* 3.46.

ANN. CHR. 1214.

XV. Definitio litium monachorum Fullinatum cum monachis S. Firmi Veronæ.

EXPOSTULAVERANT abbas & conventus monasterii sancti Firmi urbis Veronensis coram Romano pontifice Innocentio III. Johannem quemdam, qui se gerebat pro abbate, monasterium sanctæ Mariæ Sanævallis de Fullina occupatum detinere in ipsorum præjudicium & gravamen, asserentes dictum cœnobium pleno jure pertinere, subjectumque semper fuisse monasterio sancti Firmi. Dedit literas Innocentius Adelardo Veronensi episcopo & S. R. E. cardinali, mandans, ut partibus convocatis causam audiret, & omni appellatione remota debito fine concluderet. Hæc Innocentii delegatio data legitur ex Laterano *v. kalendas junii, pontificatus* sui *anno* XVI. *anno Domini* M. CC. XIV. *indictione* II. Quid Adelardus definierit, ignoratur, facile stabat pro monachis sancti Firmi; certum est alias post hæc tempora delegationes secutas fuisse, ipsumque non ulterius processisse in dicta causa; nam „ *die* IV. *intrante februario* [c] *anni* „ M. CC. XIV. more Veneto, ut suspicamur, scilicet anno M. CC. XV. „ stilo communi, in castro Cadubrii in capella sancti Mathiæ in præsentia domni Gabrielis prioris sancti Firmi &c. Odelricus nuncius abbatis „ Candianæ, & prioris sancti Benedicti de Padua exhibuit Adelardo cardinali & episcopo Veronensi literas sigillis tribus munitas, & Adelardus „ præcepit Castellino archipresbytero insulæ Porcaricæ, ut eas aperiret „ & legeret, quæ continebant delegationem factam a Romano pontifice

c *Ex tabul. Full. n.* 1010.

Ann. Chr. 1214.

„ Innocentio III. dicto abbati, & duobus prioribus Patavinis, datam Laterani III. *nonas decembris*, *pontificatus Innocentii anno* XVII. propter causam „ prætensionis monachorum sancti Firmi super monasterium Fullinæ, *quod* „ *cum iidem ab annis quinquaginta & amplius plena gavisi sint Cistercien-* „ *sis ordinis libertate*, *abbas & conventus sancti Firmi Veronensis*, *licet* „ *nullam jurisdictionem habeant super ipsos*, *præter censum viginti solido-* „ *rum Veronensium*, *quem annuatim solvunt* .... *ipsos malitiose abjicere* „ *moliuntur*, *auctoritate quarumdam literarum nostrarum*, *quas ad venera-* „ *bilem fratrem nostrum episcopum Veronensem S. R. E. cardinalem veri-* „ *tate tacita*, *impetrarunt*, *nullam facientes in ipsis Cisterciensis ordinis* „ *mentionem &c.* Post quæ judices delegati addunt in literis ad ipsum „ Adelardum : *Quocirca prudentiam vestram duximus deprecandam*, *aucto-* „ *ritate etiam apostolica*, *qua fungimur*, *præcipiendo mandantes*, *quatinus* „ *in hoc negotio amodo minime procedatis*, *sed omnino supersedere velitis*. „ Hoc facto idem dominus episcopus dixit : *Bene placet nobis*, *libenter* „ *supersedemus*, *nec ulterius procedemus in hoc facto*. Et *die duodecimo* „ *exeunte martio* rescriptum domini papæ datum sibi anno præterito v. „ kalendas junii, reddidit nuncio supradictorum judicum. “ Ex his documentis convincitur Adelardum episcopum Veronensem, sed prius creatum cardinalem ad titulum sancti Marcelli a Lucio III. anno 1182. quem Panvinius in chronico rerum Veronensium e vivis ereptum scribit anno 1209. aliis ejus obitum ad annum 1204. referentibus, & quem Ughellius & Ciacconii continuatores & novissime Blancolinius decessisse affirmant anno 1211. vel sequentis initio, ad hunc saltem annum pervenisse, & etiam ad initia sequentis anni, & quidem ut episcopum Veronensem. Quare monumenta, quæ Norandinum ipsi successisse in episcopatu Veronense anno 1212. indicant, ita videntur explicanda, ut Norandinus Adelardum coadiuverit in episcopatu, fueritque ipsius corepiscopus; simulque eodem tempore Veronenses episcopi fuerint Adelardus & Norandinus; & probabilius Adelardi obitus contigit anno 1225. ut declarat inscriptio superposita lapidi, sub quo jacebat ejus cadaver, repertum anno 1642. in ecclesia sancti Zenonis : *Anno Domini* M. CC. XXV. *die* XXIV. *exeunte augusto Adelardus quondam episcopus Veronensis & cardinalis*. Demandata itaque fuit iterum cognitio causæ Fullinatis monasterii Patavino abbati Candianensi, Jordano ministro sancti Benedicti de Padua, & Johanni priori sanctæ Crucis, coram quibus judicibus Fullinates pluribus documentis se Cisterciensem album habitum & constitutiones hactenus observasse, nullamque subjectionem monasterium suum passum unquam fuisse a monasterio sancti Firmi demonstrarunt. Post biennium anno 1216. tertia vice controversia dirimenda commissa fuit Jordano episcopo Patavino, Balduino abbati Carrariensi, & Gregorio priori Montis-crucum diœcesis Patavinæ, ante quorum præsentiam examinati testes deposuerunt monasterium Fullinæ liberum semper fuisse, numquam vero paruisse monachis sancti Firmi; sed ipsorum abbates institutos, vel loco motos semper fuisse a monachis Claræ-vallensibus de Mediolano. Ex literis Honorii III. successoris Innocentii III. scriptis anno 1219. die XXV. octobris Anselmo abbati Fullinati monachisque ejus intelligimus litem hujusmodi contestatam fuisse etiam coram P.. hoc est Petro Saxonis tituli sanctæ Pudentianæ presbytero cardinale delegato ab eodem Innocentio, sed demum decisam ad favorem Fullinatum a supralaudato Jordano episcopo Patavino ejusque conjudicibus per definitivam sententiam, qua tamen censum viginti solidorum Veronensium reservarunt, quem monasterium sanctæ Mariæ de

Fullina

Fullina quotannis persolveret alteri sancti Firmi. Ex aliis ejusdem Romani pontificis literis datis Romæ eodem anno III. *kalendas junii pontificatus anno* III. demandata fuit hæc lis & pro Fullinatibus decisa a T.. priore sanctorum Marinæ & Juliani de Urbanis, & a plebano sancti Pauli de Venetiis. Sed rursus clarioribusque monumentis expensa causa per abbatem Calvensem & alios conjudices ab Honorio deputatos, pronuntiatum fuit tamdem sententiam Jordani Patavini episcopi nullam esse quoad censum, confirmandam vero quoad alia omnia; monasterium insuper sancti Firmi adigendum ad solvendas ducentas quinquaginta libras Veronenses pro expensis. Rata habita fuit postrema hæc sententia ab A.. patriarcha Gradense, scilicet Angelo Barroccio, & a Johanne priore sanctæ Mariæ de Vantio, qui *anno* M. CC. XIX. *indictione* VII. *die* VI. *intrante augusto* sic pronuntiarunt. *Nos ..... volentes recognoscere de lite, que vertebatur super questione cujusdam census inter monasterium de Fullina Cenetensis diecesis ex una parte, ac monasterium sancti Firmi de Verona ex altera, ex commissione domini Honorii Dei gratia sacrosancte Romane ecclesie antistitis, data Reate idibus junii pontificatus anno* III. &c. *unde pluries legitime citata parte illorum de sancto Firmo, & cassatis quibusdam frivolis & frustatoriis exceptionibus, & receptis literis fratris Stephani prioris sancti Jacobi de Monte-silice sue excusationis, habita quoque diligenti deliberatione, domnum Hieronymum abbatem & conventum & Martinum sindicum & procuratorem dicti monasterii sancti Firmi, auctoritate, qua fungimur, apostolica excommunicamus, & excommunicatos esse denuntiamus. Actum Venetiis in patriarchatu.* Pro coronide Honorius ipse Romanus pontifex robur apostolicum adjecit decreto dato ex Viterbio VII. *kalendas novembris pontificatus* sui *anno* IV. *indictione* VIII. mutata mense septembri, hoc est eodem anno M. CC. XIX. Quæ omnia addiscimus ex autographis vel authenticis paginis asservatis in tabulario ejusdem Fullinatis monasterii, quorum aliquas in Appendice proferimus suis annis.

ANN. CHR. 1214.

XVI. Sententia Volcherii patriar. Aquilejensis contra monast. S. Michaelis de Lemmo.

RURSUS alia quæstio ventilata fuit hoc *anno* M. CC. XIV. *indictione* II. *die sabbati, quarta die mensis decembris* inter Folcherium Parentinum episcopum, & inter abbatem sancti Michaelis de Lemmo coram Wolcherio patriarcha Aquilejense & marchione diœcesis Foro-julianæ, Histriæ & Carniolæ. Veniens siquidem episcopus coram patriarcha exposuit se litem habere cum abbate ob quædam exenia sibi denegata, paratumque se esse ostendere Petrum episcopum antecessorem suum eadem exenia semper obtinuisse. Abbas e contra negabat unquam fuisse soluta. Exhibuit episcopus testes Johannem-bonum abbatem monasterii sancti Michaelis de Subterra, Albertinum archidiaconum Parentinum aliosque canonicos, qui testimonium protulere ad favorem episcopi. Quare patriarcha sententiam dixit pro episcopo, pronuntians ipsum debere decimam habere de omnibus frugibus & animalibus territorii sancti Michaelis de Lemmo, excepto labore duorum parium bovum, quos abbas ejusque successores fecerint in dicto territorio suis propriis expensis & a suis familiis laborare, pœnam statuens abbati contrafacienti tercentarum marcarum auri Aquilejensis. Interfuerunt testes Conradus Tergestinus electus, Otto Civitensis episcopus, Philippus canonicus Aquilejensis & Ecquilpertus comes de Goritia. Cujus patriarchæ sententiam proferimus ex tabulario monasterii sancti Mathiæ de Muriano; de qua tamen idem dicendum, quod monuimus de aliis anterioribus sententiis, immo ex eo quod tam frequenter reviviscebat inter episcopos Parentinos, & inter monasterium sancti Michaelis de Lemmo controversia vel de quantitate territorii, vel de solutione decimarum,

Ann. Chr. 1214.

vel demum de exeniorum contributione deducitur argumentum abbates sancti Michaelis obstitisse semper sententiis patriarcharum Aquilejensium, tutatosque fuisse vel suum territorium, vel suam a decimis & ab exeniis exemptionem, quæ ab Azcica comitissa obtinuerant.

XVII. Donationes factæ a Perusinis eremo Camaldulensi.

Bobo Oddonis Bobonis Romanorum consul & Perusinorum potestas hoc *anno millesimo ducentesimo quarto-decimo indictione secunda* VIII. *die exeunte junio*, nomine communis Perusii, & cum consensu consiliariorum, nobiliorumque civium concessit Salimbene monacho Camaldulensi podium Mortarii positum juxta montem Teutium in capite Vallis-saracenæ cum terris usque ad dictum montem, potestatem ipsi faciens ædificandi ibidem hospitale, monasterium & eremos pro servitio Dei, ita tamen quod ipse ejusque successores tenerentur celebrare divina officia, & conservare habitum & regulam Camaldulensium, neque ipsis liceret præfatum locum vendere alicui speciali ecclesiæ, nec aliquem contractum facere; alias reverteretur ad commune Perusii; quod fieret pariter, si locus ad secularem statum deveniret, nec monasterium amplius aut eremus ibidem subsisterent. Quam sponsionem fecit sub pœna centum librarum, subscribentibus aliis fere triginta consiliariis die ultimo ejusdem mensis. Actum & concessum in ecclesia sancti Laurentii Perusii. Missus est Salim-bene in possessionem loci a Raynerio Andrionis camerario communis Perusii, & a Petro Stephani judice ejusdem communis, præsente inter ceteros Oliverio priore sancti Severi. Salimbene monachus Camaldulensis idem est, qui paucis ab hinc annis in diœcesi Ariminensi locum fundaverat Montalis de Salute. Donationis paginam ex tabulario Fontis-boni publici juris facimus in Appendice; ipsius meminit etiam Pellinus [a] in historia Perusina.

[a] P. I. pag. 234.

XVIII. S. Mariæ de Bethleem Bononiæ parthenon traditur priori Camald.

Sexta *die februarii* hujus anni sanctimoniales ecclesiæ sanctæ Mariæ de Bethleem territorii Bononiensis positæ in loco dicto de Materaltula in curia Villæ-novæ concesserunt in perpetuum Guidoni priori Camaldulensi liberam potestatem eligendi, instituendi, & gradu privandi earum abbatissas, corripiendi & ordinandi in spiritualibus & temporalibus dictum monasterium. Qui prior eadem die elegit in abbatissam ejusdem parthenonis Luciam monialem, ipsique administrationem plenam tribuit, quæ mox intuitu dictæ subjectionis juxta regulam sancti Benedicti & consuetudines Camaldulenses obedientiam pollicita fuit. Præter sanctimoniales assensum suum præbuere etiam conversi ejusdem loci, & Parisius earum capellanus. Vidimus monasterium sanctæ Mariæ de Bethleem fundatum fuisse anno 1196. iisdem legibus, quæ observabantur in monasterio sanctæ Christinæ de Tarvisio, itaut utraque domus tam Tarvisina, quam Bononiensis forent communes ad invicem, & in utroque parthenone, tamquam in proprio, possent sanctimoniales commorari. Nil proinde mirum, si intervenerit assensus etiam Parisii, qui jam ab anno 1187. confessarii munere fungebatur apud sanctimoniales Tarvisinas. Eadem quoque ratione *die septima julii* hujus anni Sophia abbatissa sanctæ Christinæ de Tarvisio cum consensu sororum suarum refutavit eidem Guidoni priori omne jus & actionem pro se suoque monasterio, quod & quam habebat in dictam ecclesiam de Bethleem, ita ut idem prior haberet plenum dominium & curam ordinandi domum Bononiensem, sicut facere solebat in domo Tarvisina sanctæ Christinæ, & in aliis monasteriis Camaldulensibus. Chartæ habentur in appendice ex archivo Fontis-boni. Ante Luciam electam abbatissam sanctæ Mariæ in Bethleem hoc anno, reperitur ad annum 1212. Diademma abbatissa, quæ una cum Laurentio rectore ejus ecclesiæ & conventus Camaldulensis, in honorem prioris Camaldulensis, & monasterii

sanctæ

sanctæ Christinæ de Tarvisio, recepit in conversam quamdam Beatricem. Paginam attulimus [a] in dissertatione de Conversis. Luciæ abbatissæ nomen perdurat ad annum 1220. quo cum pluribus sanctimonialibus, conversis & devotis, ac cum presbyteris & conversis nominatur [b] in instrumentis ejus anni in autographis paginis parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia, immo usque ad annum 1244. post quem ad annum 1252. legitur nomen Placidiæ.

a *Annal.* T. I. *App. c.* 439.
b *Capf. A. n.* 4.

XIX. Plurium monasteriorum monumenta.

Milanesius presbyter & rector ecclesiæ & capellæ sanctæ Mariæ de Rivo-frigido donavit hoc anno Franchæ abbatissæ parthenonis sancti Petri de Luco omnia jura sibi competentia in ecclesiam & capellam sancti Michaelis de Casa-nova, quam ante aliquot annos ipse receperat a plebano Rivi-cornoclarii.

Ubaldus archiepiscopus Ravennas [c] visitans ecclesias & monasteria suæ provinciæ minitatus fuit hoc anno pœnam interdicti monachis sancti Damiani de Ponte-ferri civitatis Bononiæ, nisi solverent sibi procurationes. Ab iis tamen eos absolverant, vel saltem exceperant una cum monachis sancti Bartholomæi ejusdem urbis [d] Lucius III. anno 1183. Urbanus III. anno 1186. & Innocentius III. anno 1203. quorum Romanorum pontificum indulta verisimile est monachos sancti Damiani in conspectum archiepiscopi Ravennatis protulisse, & procurationes deprecatos fuisse ab ipso, qui eas sibi vindicabat.

c *Arch. archiep. Raven. Capf. D. n.* 903.
d *Ibid* I. 4585.

Die quartadecima aprilis [e] Rodulphus abbas sancti Hilari de Galeata, & Drudo abbas sanctæ Mariæ de Insula compromiserunt lites, quas habebant super ecclesia sancti Matthæi de Monte-guidonis in Ubertellum episcopum Foro-popiliensem, quæ ita compositæ fuere [f], ut Rodulphus daret Drudoni ad annos centum dictam ecclesiam seu canonicam domum cum pacto renovationis sub pensione annua. Ecclesiam sancti Matthæi de Canonica confirmaverat inter ceteras monasterio Insulano Alexander III. anno 1179.

e *Arch. Fontis-boni* §. *Compromissum.*
f *Ibid.* §. *Emphyteusis A.* 3. 56.

Die vigesima-sexta augusti [g] Guilielmus abbas Pratalienfis appellavit ad apostolicam sedem contra abbatem monasterii sancti Januarii Campi-leonis ejusque monachos, ne se intromitterent in quasdam possessiones abbatiæ Prataliæ sitas in civitate Arretina.

g *Ibid.* §. *Appellatio* I. *A.* 3. 62.

Præsentibus Otone priore, Theobaldo, Raynerio, Johanne, & Simone presbyteris & monachis, Nicolao monacho & Petro subdiacono, Samson abbas Vangaticiensis investivit hoc anno *indictione* II. *secunda die intrante octobris* Guilielmum Lendenariensem de tota possessione Cavazanæ ex chartis Vangaticiensibus.

Extat in tabulario Fontis-boni sub hoc anno *mense octobri* charta [h] promissionis factæ ab hominibus Anglariensibus Guidoni priori Camaldulensi, cum juramento servandi ipsius præcepta, ortaque quadam discordia dederunt *recoltas* seu fidejussores; manu Jacobi notarii.

h §. *Promissio* 72. *A.* 3. 47.

Johannes abbas sanctæ Mariæ de Agnano [i] sacramento se obstrinxit defensurum *ecclesiam sancte Marie in Gradibus cum suis officinis & terris infra muros novos civitatis Arretii positis, idem jurantibus infrascriptis clericis & laicis* monasteriorum & ecclesiarum, quæ erant subjecta abbatiæ Agnaniensi; scilicet *domno Johanne de Caggiolo, domno Donato abbatie sancti Gaudentii priore, domnis Elario sacristano, Johanne, Gratiano, Amadeo, Uberto monachis atque presbyteris, Guidone & Uberto capellanis sancti Quirici de Viccione, Rogerio & Gregorio diaconis, Ugolino vicecomite, & Marcuccio castaldo hospitalis Vertilie, Corbono cellerario abbatie* *Agna-*

i *Num.* 117.

ANN. CHR. 1214.

Agnani &c. Similiter jurarunt omnes clerici & laici ecclesie sancti Blasii. Actum in claustro abbatie Agnani; manu Petri notarii.

XX. Origo eremitarum Paulinorum a S. Romualdi discipulis.

TRADIT Demalevicius [a] in vita sancti Bogumili „ quindecim illos „ a sancto Romualdo in Hungariam missos fratres in tantum Camaldu„ lensis ordinis observantiam in eo regno propagasse, ut jam monasteria „ reliquos ad societatem illius vitæ aspirantes capere non potuerint; „ quare Romualdinæ austeritatis imitatores coactos fuisse excitare sibi „ in solitudine tuguriola, in quibus more antiquorum eremitarum „ singuli viritim habitabant, nullius obedientiæ jugo subjectos, sanctum „ Paulum primum eremitam & alios subsequentes patres imitando, ex „ vitisque illorum relictis exempla vivendi depromendo. Tandem ab ex„ tasi contemplationis, amore juvandi proximos excitos ad cœnobia se ac „ civitates & oppida recepisse, ut ibi evangelizarent, ac curæ salutis, „ non propriæ dumtaxat, verum etiam alienæ incumberent, actionem „ contemplationi jungendo. Strictum illud vivendi genus perpetuæ a car„ nibus abstinentiæ ob labores, quos in concionibus & confessionum ex„ ceptionibus subire debebant, summum Christi vicarium temperasse, & „ ad regulam illos sancti Augustini transtulisse, postquam ipsos in solli„ citudinis circa animarum curam partem archiepiscopus Strigoniensis hoc „ anno Domini M. CC. XIV. vocasset. " Atque hæc fuisse Paulinorum eremitarum originem diserte scribit Demalevicius. Similia tradit Matthæus Judick canonicus Gnesnensis singulari libro de ea re edito, pluresque alii scriptores Poloni. Præcipuus ipsorum institutor seu melius reformator fuit anno 1246. Eusebius Strigoniensis canonicus, qui solitudini „ inhians parvam ecclesiam construxit sub titulo sanctæ Crucis in silva ap„ pellata Pilish in territorio Strigoniensi. Inde discipulis collectis fœdus strinxit cum aliis eremitis ejusdem generis, paulo ante congregatis, qui ecclesiam incolebant in loco dicto Patach sub invocatione sancti Jacobi, assumpta ab utraque familia quadam pie vivendi regula a Bartholomæo Quinqueecclesiensi episcopo, qui per ea tempora vivebat. Rogatus deinde Urbanus IV. pontifex maximus, ut congregationem hanc eremitarum sua apostolica protectione donaret, juberetque sancti Augustini regulam observare, annuit. Paulus itaque Vesprimiensis in Hungaria antistes quasdam ipsis leges statuit anno 1263. & tunc nomen sancti Pauli primi eremitæ ordini novo impositum. Anno 1300. primus toti congregationi præpositus fuit prior generalis Laurentius Strigoniensis. Missus deinde a Clemente V. Romano pontifice in Hungariam legatus Gentilis cardinalis tituli sancti Martini in Montibus singulari devotione ordinem prosecutus facultatem fecit regulam sancti Augustini amplectendi, & scribendi constitutiones anno 1308. sub die sexta decembris. Ordinem confirmavit, multisque auxit privilegiis Johannes XXII. Hæc ex Maurolico collegit Bollandus [b] ad vitam sancti Pauli primi eremitæ. „ Habitum „ album, sequitur Demalevicius, eremitarum Camaldulensium illi reti„ nent, ac eremitæ sancti Pauli vocantur. Generalem priorem sui or„ dinis habent in Hungaria in cœnobio Talensi celeberrimo, & tantæ „ auctoritatis, ut in publicis regni comitiis inter proceres locum & vo„ cem habeat in expendendis reipublicæ consiliis. Diffusi inde sunt in „ Poloniam, Silesiamque aliasque provincias & regna. " Sed hæc sufficiant de Paulinorum instituto, cujus origines aperire nostrum erat.

XXI. Ricardus vicarius Camaldulensis factus episcopus Fanensis.

IN locum defuncti Monaldi episcopus Fanensis electus fuit hoc anno Ricardus ex vicario eremi Camaldulensis. Id testatur Rainerius prior sancti

a *Pag.* 184.

b *T. I. januar. pag.* 607.

sancti Michaelis Arretii in responsionibus ad interrogationes sibi factas in causa libertatis ejusdem eremi post biennium, dicens *se ivisse Florentiam aliquando pro causa clericorum civitatis Arretinæ, & hoc fuit, quando erat vicarius Camaldulensis, qui modo est episcopus Fanensis*; & inferius testatus fuit omnes episcopos consuevisse ita recipi in eremo Camaldulensi, undecumque fuerint, & hoc se dixit audivisse a pluribus prioribus & vicariis Camaldulensibus, & inter ceteros, *ab eo, qui nunc est episcopus Fanensis*. Erat jam episcopus hoc anno ad *diem* XVI. *exeuntis maji indictione secunda*, qua die Aldrevandinus marchio Estensis & Anconitanus ipsi episcopo & populo Fanensi pleraque regalia nonnullis retentis donavit apud Muratorium [a] in Antiquitatibus medii ævi. De Ricardo plura referemus ad annum 1218.

ANN. CHR. 1214.

a *P. I. pag.* 234.

INNOCENTIUS III. hoc anno *nonis februarii pontificatus* sui *anno* XVIII. ex Laterano scripsit Johanni episcopo Florentino & Josepho abbati monasterii sancti Miniatis de Florentia abbatem & conventum monasterii de Pulliciano Camaldulensis ordinis coram se conquestos fuisse G.. rectorem ecclesiæ sancti Michaelis de Macinaria Volaterranæ dioecesis super jure patronatus ipsius ecclesiæ injurias & molestias monachis Pulliciani afferre. Causam proinde ipsis cognoscendam mandavit.

ANN. CHR. 1215.

XXII. Pontificiæ delegationes pro monast. Pulliciani, & eremo Calcensi, quæ subjicitur monasterio S. Michaelis Pisarum.

Bernardus fundator & rector ecclesiæ & eremi sanctorum Verani & Jacobi de Calci, consilio fratrum suorum, & eodem Romano pontifice copiam faciente, supposuit se, ecclesiam & eremum suam Guidoni abbati sancti Michaelis de Burgo Pisarum cum omnibus terris, vineis & domibus suis, promittens obedientiam manusque suas immittens in manus præfati abbatis, ita tamen quod prædicta ecclesia & locus ad eremi formam semper servaretur, & eremitarum habitationi inserviret. *Anno ab incarnatione millesimo ducentesimo sextodecimo*, stilo Pisano, *indictione tertia, quartodecimo Kalendas octobris*. Perseverabat nimirum laudabile Romualdi institutum, ut homines addicti eremiticæ vitæ generi securos se tunc crederent, quando cum singulari & anachoritica conversatione adjungerent etiam vitam cœnobiticam, & cœnobitæ proximas haberent eremos, ad quas se reciperent, quando majoris perfectionis spiritu ducti eremiticæ disciplinæ inhiarent.

GREGORIUS abbas monasterii sancti Gregorii in clivo Scauri de Urbe hoc *anno* M.CC.XV. *pontificatus domini Innocentii* III. *pape* XVII. *indictione* IV. mutata septembri, *decembris die vicesima* voluntate monachorum suorum locavit cryptas aliquot sitas Romæ in vocabulo Circli, in loco dicto Porticus Materiani, Paulo de Crisayco & filiis ejus, cum obligatione, ut corpus suum, filiorum & nepotum suorum tempore mortis in cœmeterio monasterii humari facerent; decimas, primitias & oblationes, si quas voluntarie, non coacti, dare voluerint, aut quidquid obitus tempore disposuerint dare pro animabus suis, monasterio sancti Gregorii offerre tenerentur, vel ecclesiæ sanctæ Mariæ de Manu, si ædificata fuerit, & ibidem presbyter extiterit. Ex qua locationis pagina in cognitionem venimus temporis ædificationis ecclesiæ sanctæ Mariæ de Manu. Similiter Octavianus clericus dispensator & rector ecclesiæ sanctæ Mariæ in Petroccio, quæ etiam ipsa erat juris & dominii monasterii sancti Gregorii de Urbe, consentientibus iisdem Gregorio abbate & monachis, locavit *anno* M.CC.XVI. *anno* XVIII. *pontificatus domini Innocentii* III. *pape indictione* IV. *mensis januarii die* XVII. domum sitam Romæ in regione curtis domnæ Micinæ, quæ erat prope dictam ecclesiam. Demum eodem

XXIII. De ecclesiis S. Mariæ de Manu, & in Petroccio subjectis monasterio Gregoriano de Urbe.

Ann. Chr. 1215.

dem *anno* M. CC. XVI. *indictione* IV. *mensis aprilis die* XXVIII. idem Gregorius abbas tradidit castrum appellatum *Vetus*, & situm in territorio Nepesino Gerardo Johannis Nicolai, Andreæ & Nicolao fratribus jure locationis. Quas locationum chartas consulto edimus ad illustrationem tum præfatarum ecclesiarum & monasterii sancti Gregorii, tum etiam agri Romani & Nepesini, in quo postremo erat Castrum-Vetus. Nominantur in hac ultima pagina factio vel familia Durantescorum, adversus quos jura sibi asserebat monasterium sancti Gregorii, & ecclesiæ sancti Angeli & sancti Salvatoris ædificatæ in Castro-veteri, quæ etiam ipsæ pertinebant ad monasterium Gregorianum.

XXIV. Donationes factæ S. Francisco ab abb. Burgensi aliisque.

Refert ad hunc annum Wadingus transitum sancti Francisci per castrum Citernæ in valle Castellana prope Burgum-sancti-sepulcri. Tradunt oppidani & scriptores Burgenses eumdem sanctum virum hospitem in vicino sanctæ Luciæ xenodochio, exceptum fuisse ab abbate nostro sancti Johannis-evangelistæ, qui eum in abbatiali ecclesia concionantem maluit, quem etiam donatum voluit loco pro ædificando conventu sui ordinis in Monte-casali in Alpibus tribus milliaribus a Burgo dissito, ubi modo cernitur habitatio fratrum minorum Capuccinorum; in ecclesia autem ejus montis sanctum virum sacras reliquias detexisse honorificentia debita fraudatas. Refertur pariter a Wadingo ipso itinere venisse eumdem venerabilem patrem sero ad villam Tiphi juxta castrum Caprese, quinto ab Alverniæ monte milliario, ubi reperta quadam derelicta ecclesia in eam se recepit ea nocte oraturus, quæ forte spectabat ad monasterium Tiphiense.

Quarto etiam a Fabriano lapide inveniens ecclesiam beatæ Mariæ consecratam, contiguumque monasterium derelictum a sanctimonialibus ordinis sancti Benedicti, quæ ingravescente bello jam aliquot ante annos Fabrianum se receperant, ob summam erga sanctissimam virginem devotionem, incredibilemque solitudinis affectum obtinuit ecclesiam dictam cum monasterio, quod incoli curavit per transmissos illic sui instituti viros religiosos, vocarique voluit eremitorium sanctæ Mariæ de valle Saxea. Eæ creduntur sanctimoniales, quæ intra Fabriani oppidum se recepere ad monasterium sancti Romualdi.

XXV. Controversia inter Martinum ep. Arretinum & eremum Camald.

Exorta est circa hunc annum gravissima controversia inter Martinum episcopum Arretinum & inter Guidonem priorem Camaldulensem quoad jura, quæ contra privilegia sibi vindicabat episcopus Arretinus super eremum Camaldulensem. Iverunt ambo anno sequenti Perusium ad præsentiam Innocentii papæ III. & a priore Camaldulensi statim requisivit Romanus pontifex, an privilegium aliquod exemptionis haberet? Plura se habere respondit prior, & inter cetera ostendit privilegium, quod anno 1198. obtinuerat ab ipso Romano pontifice Martinus prior ejus antecessor, in quo continebatur, quod nullus episcopus poterat interdicere vel excommunicare congregationem Camaldulensem, & quod fratres ejusdem congregationis poterant recipere ordines a quocumque episcopo mallent. Lecto privilegio extemplo pronunciavit Innocentius, domum Camaldulensem liberam omnino esse & exemptam, adjungens & ponens manus suas ad pectus: *Deum*, inquit, *invoco testem*, *quod si ego hodie de novo concederem tale privilegium alicui ecclesiæ*, *ego haberem ipsam liberam & exemptam*, dixitque episcopo Arretino: *Custodi frater animam tuam*, *quia vides*, *quod ecclesia Camaldulensis non pertinet ad te*, *sed ad me*. Tunc episcopus Arretinus mentem pontificis intelligens quoad eremum Camaldulensem, *dimittamus*, inquit, *de capite*, *& procedamus de*

mem-

membris. Pontifex vero idem dicendum de membris asseruit, quod de capite, nullamque testatus est episcopum debere habere in ipsa membra correctionem, quia ex quo non poterat excommunicare & interdicere Camaldulenses, neque poterat corrigere. Hæc acta fuere præsentibus decem cardinalibus, inter quos Ugolinus, Nicolaus & Pelagius episcopi Ostiensis, Tusculanus & Albanensis, camerarius domini papæ, Leo sanctæ Crucis in Jerusalem, Petrus sanctæ Pudentianæ & Stephanus basilicæ duodecim apostolorum presbyteri cardinales. Accessum hunc Martini episcopi Arretini & Guidonis prioris Camaldulensis ad Innocentium III. in urbem Perusinam ad annum sequentem revocamus, quo scimus ipsum Romanum pontificem ex Romana ad Perusinam civitatem se contulisse, ut Pisanos & Januenses invicem conciliaret, ubi etiam gravissimo morbo tentatus die sexta julii decessit. Certe die vigesima-prima junii anni sequentis Guido prior erat Perusii ex monumento, quod afferemus. Quare emendandus erit Baroncinius, qui in chronico Camaldulensi testificationes in hujusmodi controversia refert partim ad præsentem annum 1215. partim ad annum sequentem; certum est enim episcopum & priorem Camaldulensem se stitisse ad præsentiam Romani pontificis Innocentii in urbe Perusina, antequam examinarentur testes. Porro non ante annum sequentem ab auctoribus ponitur adventus ejusdem Innocentii ad dictam urbem. Rectius dicetur Martinum Arretinum episcopum statim a sua electione negotium facessisse Camaldulensibus privatis primum prætensionibus, ob quas uterque coactus fuerit Romanum antistitem adire anno sequenti Perusii commorantem.

ANN. CHR. 1215.

Licet hanc gratiosam oralem sententiam retulissent Camaldulenses, non acquievit Martinus episcopus, motaque causa impetravit ab apostolica sede judices delegatos, qui rei summam testimoniorum examine conficerent. Demandata itaque fuit causæ cognitio Bonensignæ archidiacono Florentino, & Bonajunctæ canonico Castellano, qui mense novembri sequentis anni plures testes interrogarunt. Verum exspirante tempore delegationis, intermissum fuit eo anno examen, quod ab iisdem judicibus reassumptum fuit die XXVI. augusti anni 1217. deductis depositionibus usque ad diem iduum septembris, qua Julianus notarius asseruit viginti-novem testes ad examen fuisse vocatos, confectasque fuisse ea super re sexaginta-quinque paginas. Memorabiliora & non injucunda excerpta hujus prolixi processus damus in Appendice ex tabulario Fontis-boni, ubi extat.

XXVI. Res ad varia monasteria spectantes.

JOSEPH abbas sancti Miniatis prope Florentiam arbiter electus super lite, quæ vertebat inter plebem sancti Stephani in Pane & presbyterum Vitalem plebanum & capellam sanctæ Mariæ de Quarto ex una parte, & inter Guidonem priorem Camaldulensem nomine ecclesiæ sancti Johannis eremi dicti de Buldrone positi in loco appellato *Rivus de casa* ex altera parte, sententiam tulit hoc anno *die trigesima octobris indictione* IV. rectorem ecclesiæ sancti Johannis, qui hoc anno erat Aldobrandus, non teneri promittere obedientiam, nec recipere investituram, nec ire ad festivitates plebis sancti Stephani, si fuerit monachus aut conversus Camaldulensis, secus si fuerit clericus secularis; jus tamen non habere ministrandi sacramentum pœnitentiæ, nec recipiendi parœcianos ad sacra mysteria, nec sepulturam concedendi, non præhabita licentia plebani. Die festivitatis loci sui non posse cogi ad invitandum plebanum; debere ipsum non communicare cum excommunicatis a plebano, & insuper teneri offerre unum cereum trium librarum plebano in die sancti Stephani. Demum statuit, ut plebanus daret operam, quatenus dicta sententia confirma-

ANN. CHR. 1215.

firmaretur ab episcopo Florentino, sicut etiam prior Camaldulensis curaret, ut rata haberetur a suo capitulo. Subscripsere Johannes Florentinus episcopus *pro amore & reverentia prioris & capituli Camaldulensis*, Vitalis presbyter sancti Stephani in Pane, Bellandus, Juncta & Martinus presbyteri canonici, Guido prior Camaldulensis, Urbanus prior sancti Salvatoris de Florentia sindicus ipsius Guidonis, & eremitæ ac monachi Fontis-boni. Acta sunt hæc Florentiæ in claustro sanctæ Cæciliæ. Pagina compositionis extat in tabulario sanctimonialium ejus monasterii Buldronensis; ex quo etiam novimus Ildibrandum sive Aldobrandum fuisse rectorem ejus loci etiam anno 1212. quo a Sinibaldo abbate monasterii sancti Bartholomæi de Fesulis terras emit in curia de Calenzano; anno 1219. fuisse Benedictum, Guidonem vero anno 1222. Benedictum anno 1233. Lambertum anno 1241. post quem annum introductæ fuere sanctimoniales.

Sindicus monasterii sancti Proculi de Bononia, & Gerardus abbas sancti Michaelis de castro Brittorum [a] fassi sunt ecclesiam sanctæ Mariæ de Rocca-majori esse quidem in plebatu Bononiensis ecclesiæ; se tamen negarunt subesse jurisdictioni capituli Bononiensis. Anno demum 1224. inter rectorem dictæ ecclesiæ sanctæ Mariæ, & præfatum capitulum hujusmodi concordia secuta est pro decimis omnium fructuum & possessionum, quæ habebat ecclesia Roccæ-majoris, ut hæc teneretur quotannis solvere capitulo Bononiensi quatuor corbes frumenti in festo assumptæ Virginis.

a Ex cod. Bonon. vulgo delle Asse n.29 30.

Cum Martinus episcopus Arretinus excommunicationis sententiam tulisset in plebanum de Micciano, Ugonem presbyterum de Soci, presbyterum de Agna, & presbyterum de Farela [b], qui erant subjecti eremo Camaldulensi, Johannes episcopus Castellanus delegatus apostolicus ad cognoscendum jus hujus sententiæ, pronunciavit eam legitimam fuisse, esseque observandam sub die nona octobris hujus anni.

b §. Sententia 16. A. 3. 72.

Circa hæc tempora Hermannus episcopus Clusinus donavit eremo ad Vivum plebem sancti Martini, sancti Proculi & sanctæ Mariæ Paciani, plebem sancti Petri de Sarthiano, ecclesias sancti Andreæ Radicofani, sanctæ Mariæ-magdalenæ Castillionis Vallis-urciæ, sancti Peregrini de Briccola, & plebem sanctæ Mariæ de Paterno; manu Bartholomæi notarii, præsentibus Rolando canonico, Gualfredo quondam Rainerii, & Martino quondam Gerardi, ut legitur in instrumento hac super re confecto, quod extat in archivo Scalæ Senarum sub numero 671. Ejusdem Hermanni alia monumenta ad hunc annum existunt in eodem tabulario.

Tertia pars ecclesiæ sanctæ Mariæ de Longano subjecta declarata fuit monasterio Fullinæ hoc anno. Erat ipsa in diœcesi Bellunensi, cujus mentio fit in charta donationis Sophiæ comitissæ ad annum 1170.

Sub Stephano abbate monasterii sanctorum Justi & Clementis de Volaterris copulatæ fuere eodem tempore ejus cœnobio, ut scribit Fortunius [c], ecclesia sancti Marci collis Prati-martii, & aliæ ecclesiæ sancti Bartholomæi & sanctarum Barbaræ & Luciæ.

c P. II. lib. II. pag. 59.

Celebrata fuit hoc anno mense novembri in Lateranensi basilica sub Innocentio III. Romano pontifice œcumenica synodus appellata Lateranensis IV. cui præter episcopos interfuere plusquam octingenti abbates & priores; in his interfuit abbas Burgensis mitra & pastorali pedo donatus, ut dicitur ab Innocentio III. Adfuisse & Guidonem priorem Camaldulensem testis est Giaolus conversus Camaldulensis in suprarelato examine testium in causa libertatis eremi Camaldulensis. Actum fuit in ea synodo de suppetiis ferendis ad recuperationem Terræ-sanctæ; disputatum est contra hæ-

reticos Albigenses, & discussa ac promulgata multa disciplinæ ecclesiasticæ capita, quæ reparatione indigebant.

ANN. CHR. 1216.

XXVII. Samsonis abb. Vangaticiensis libelli, & permutationes cum Alice comitissa.

SAMSON abbas sanctæ Mariæ de Vangaticia hoc *anno* M. CC. XVI. *indictione* IV. *die* XIV. *introeunte martio*, cum consensu suorum monachorum, dedit ad libellum dominæ Alici comitissæ recipienti vice & nomine filii sui Azzolini Novelli marchionis Estensis terram juris sui monasterii centum mansorum sub pensione trium librarum incensi reddenda in festivitate sanctæ Mariæ de augusto, & si abbas eas recipere nollet, ponerentur super altare sanctæ Mariæ ejusdem monasterii; commutationis autem nomine alias terras dedit comitissa monasterio, quæ insuper promisit sub pœna quingentarum librarum Venetiarum se omnia servaturam, & operam daturam, ut filius suus in legitima ætate constitutus laudaret præfatum contractum. Pariter eodem anno *die* XV. *exeunte augusto*, idem Samson abbas prædictæ Alici comitissæ numeravit nongentas libras denariorum Veneticorum *pro redemptione* filii ejus, qui pignoris loco obses erat apud Florentinos. Comitissa vero tradidit & venditionis titulo dedit omnes actiones, quas idem Azzo marchio habebat in villa Placentiæ & in lacu & in valle de Gratariolo, obligans omnia bona sua & dotes, & ea præcipue, quæ habebat in Colonia & in Monte-busio, spondens filium suum contractui subscripturum, cum per ætatem ei licuerit. Demum X. *exeunte junio* idem Samson de voluntate suorum monachorum, una cum Crescentio de Crescentiis potestate mercatorum Veronensium, & una cum consulibus pro communitate mercatorum investivit homines, qui habebant vel habebunt de terra, ubi erat construenda villa, quæ appellari debebat Franca-villa, de ducentis campis terræ ultra Athesim per medium ruptæ ab alia parte terræ, ubi solebat fieri mercatum Abbatiæ, a terra Lemniaci usque ad fossam versus paludem. Quod autem in superiori charta legitur, Samsonem dedisse Alici comitissæ denarios pro redemptione filii ejus Azzolini, sciendum est Aldrevandinum marchionem Estensem ipsius fratrem ante biennium, ut summam pecuniæ conficeret contra comites Celani Ottonis IV. imperatoris fautores, qui sibi diripuerant marchiam Anconitanam, pignori dedisse Florentinis mercatoribus omnia bona sua allodialia, & ipsum fratrem suum minorem Azzonem VII. hujus nominis, dictum etiam Azzolinum. Quare ipse Azzo ad mortem veniens anno 1264. inducitur a monacho Paduano [a] hæc inter cetera loquens nepoti suo Obizoni: *Hunc siquidem modum egregium tenuit magnificus pater meus* &c. *a cujus vestigiis frater meus Aldrevandinus magnanimus non deviavit* &c. *quod etiam me ipsum adhuc infantulum de brachiis rapuit genitricis, ejus pias lacrymas parvipendens, & me simul cum toto patrimonio Florentinis fœneratoribus obligavit, a quibus accepit ad exercitum conducendum pecuniam, ut rebelles ecclesiæ Romanæ in marchia Anconitana & Apulia expugnaret, de quibus Divina gratia favente strenue triumphavit.* Alis seu Alisia filia Raynaldi principis Antiochiæ in matrimonium collocata fuerat anno 1204. cum Azzone marchione Estensi VI. hujus nominis, & post mortem sui viri, quæ contigit anno 1212. post obitum etiam Aldrevandini filii ejusdem Azzonis, quæ pariter evenerat anno 1215. in pupillari ætate Azzonis VII. præsertim cum obses esset apud Florentinos, summa prudentia curam habebat rei familiaris & bonorum ejusdem nobilissimæ familiæ.

a Rer. Italic. T. VIII. pag. 719.

XXVIII. Monasterium S. Antonii de Tuderto donatum Camaldulensibus.

TUDINUS filius quondam Donadei & Plenerius dominæ Ranaldinæ milites Tuderti, & patroni ecclesiæ sancti Antonii ejusdem urbis, una

Ann. Chr. 1216.

cum eadem Ranaldina ædificatrice præfatæ ecclesiæ sancti Antonii, consentientibus sororibus dicti loci, donarunt & concesserunt ecclesiæ sancti Salvatoris eremi Camaldulensis per manus Benedicti prioris sancti Sepulcri & sancti Fortunati de Tuderto, & Nicolai vicarii Camaldulensis dictam eremum sancti Antonii sub reformatione & ordinatione prioris Camaldulensis, & ut ibidem semper commorarentur moniales, & abbatissa, quæ a priore electa fuerit, reciperetur, salvo jure episcopi, sicut in charta domini papæ continetur, quoad confirmationem & correctionem in spiritualibus; quam donationem proferimus ex tabulario Fontis-boni.

XXIX. Electio novi prioris Vivensis.

Bonus prior monasterii sancti Petri de Vivo [a] die vigesima maji hujus anni sponte officium suum dimiserat, ipsiusque abdicationem acceperat Guido prior Camaldulensis. Abdicaverat se & Orlandus alter prætensus prior Vivensis; quare imperavit Guido monachis, sive congregationi monachorum Vivensium, ut infra tres menses eligerent sibi priorem, quem mallent, juxta generalem constitutionem concilii domini papæ Innocentii III. hoc est Lateranensis IV. celebrati anno præcedenti; declaravitque ipsis idem prior, quod cum ipse delegatus esset apostolicæ sedis una cum Johanne episcopo Florentino, & cum Nicolao abbate monasterii Saxi-vivi super monasteriis Thusciæ, ex commissione, quam attulimus ad annum 1208. statutum unanimiter fuerat, ne quis electus abbas vel prior ante robur confirmationis præsumeret se ingerere administrationi alicujus monasterii sub pœna excommunicationis; id, *quod fuerat*, subdit, *auctoritate apostolica confirmatum*. Quare *die secunda septembris* [b] miserunt Vivenses nuncios suos ad eumdem Guidonem priorem, qui rogarent, ut in priorem eorum congregationis ipse eligeret aliquem ex conventu Camaldulensi. Quibus prior rescripsit, quod ad diem undecimam ejus mensis mitterent ipsi aliquot ex suis, qui electioni interessent. Convenerunt itaque in eremitarum Camaldulensium præsentiam Orlandus assertus prior Vivensis, Oderisius abbas Argiani cum aliis eorum sociis, qui erant nuncii capituli Vivensis, & postularunt ab eodem Guidone in priorem suum Grimaldum abbatem Classensem, qui ipsis concessus fuit, confirmante ipsius electionem Guidone priore Camaldulensi, *die tertia novembris indictione* XIV. *residente Honorio* III. in præsentia Boninsegnæ archidiaconi Florentini, Nicolai vicarii Camaldulensis aliorumque. Impetraverat insuper idem Guido ab Innocentio III. ex urbe Perusio *die vigesima prima junii* hujus anni *pontificatus* sui *anno* XIX. paucis scilicet diebus, antequam idem Romanus pontifex moreretur, confirmationem sententiæ Cœlestini II. ejus prædecessoris latam inter priorem Camaldulensem, & inter priorem de Vivo anno 1143. qua inter cetera decernebatur, ut prior Vivensis de ea congregatione eligeretur a fratribus ejusdem cœnobii, & infra quadraginta dies priori Camaldulensi obedientiam promitteret & observantiam ordinis, si autem ibi non esset idoneus, eligeretur de congregatione Camaldulensi.

Translato Grimaldo ex abbatia sancti Apollinaris in Classe ad regimen Vivensis congregationis elegit idem Guido *die decima octobris* [c] in abbatem Classensem Martinum tunc camerarium ejusdem cœnobii.

XXX. Monasterium Montis-christi reformandum traditur Camaldulensibus.

Ob decessum Innocentii III. in urbe Perusina, ad quam providissimus pontifex se receperat, ut discordes populos Januensem & Pisanum uniret, quique contigit die sexta julii hujus anni, electus fuerat Romanus pontifex Cencius Sabellus, qui nomen assumpserat Honorii III. Is supplicationibus motus abbatis & vicarii monasterii insulæ Montis-christi, *die prima octobris* hujus anni, *pontificatus* sui *anno primo* ex Laterano mandavit

a §. *Appellatio* 2. *A.* 3. 78.

b §. *Electio* 3. 4. *A.* 3. 79.

c *Ibid.* 4. *A.* 3. 87.

Gui-

Guidoni priori & fratribus eremi Camaldulensis, ut diligenter intenderent ad reformationem in spiritualibus & temporalibus prædicti monasterii. Abbas hujus cœnobii videtur fuisse Pacificus, nominatus a nobis ad annum 1209. An coloniam monachorum Camaldulensium ibidem statim deduxerit Guido prior, nos latet, cum denuo sub Gregorio IX. demandata fuerit Camaldulensibus reparatio disciplinæ in eodem monasterio, ex quo tempore semper in congregatione permansit usque ad piratarum excursionem in ea insula factam. De eodem Honorii mandato mentionem facit etiam Franciscus de Vico [a] in historia Sardiniæ. Scimus tamen eumdem Romanum pontificem Honorium *anno quarto* sui *pontificatus quintodecimo kalendas augusti*, anno scilicet M. CC. XX. ex Urbe-vetere destinasse priorem monasterii nostri sancti Zenonis urbis Pisarum in visitatorem, correctorem & reformatorem ejusdem cœnobii Montis-christi, propter supplicationes abbatis & conventus ejus loci, qui humiliter institerant apud apostolicam sedem, *ut cum nullus eis & monasterio ipsorum officium visitationis impendisset a triennio jam elapso, quod credebant valde utile cenobio suo, dignaretur aliquibus viris discretis locum ipsum committere visitandum*, ut legitur in epistola, quæ in Vaticano regesto anni IV. est sub numero 833. Quare post visitationem introductamque reformationem in præfatum monasterium videtur Guido prior Camaldulensis non adjunxisse ipsum congregationi, nisi post aliquot annos ad repetita mandata apostolicæ sedis sub Gregorio IX. Ceterum Innocentii III. pontificis maximi nomen legitur etiam in veteri necrologio Font-avellanensi, sed non sub die sexta, verum sub decima-sexta julii his verbis: *Obiit dominus Innocentius* III. *papa commissus noster anno* M. CC. XVI.

Ann. Chr. 1216.

a P. VI. cap. 18.

Recruduit hoc anno lis etiam inter Guidonem priorem Camaldulensem, & Guilielmum abbatem Prataliensem, fota facile favore Martini episcopi Arretini, qui jam bellum indixerat Camaldulensi eremo. Detrectabat Guilielmus subjectionem Camaldulensi priori & eremo, atque ideo examen institutum est tredecim testium, ex quorum productionibus comprobata fuit subjectio, cui monasterium Pratalíense tenebatur. Sed lis sedata non fuit nisi anno 1226. & post Guilielmi abbatis mortem.

Rainerius vicecomes filius Gherardi Guidoni abbati sancti Michaelis de Burgo Pisarum tradidit jus patronatus, quod ad se spectabat, in ecclesiam sanctæ Cæciliæ ædificatam in civitate Pisana prope locum dictum Rivolta.

In necrologio monasterii sanctæ Christinæ de Bononia adnotatur sub hoc anno V. *idus januarii obiit domna Beatrisia abbatissa sanctæ Christinæ*, parthenonis scilicet Septem-fontium. Successerat ipsa Euphrosinæ anno 1204. locumque fecit hoc anno alteri Eufrosinæ II. Tabularium vero Fontis-boni exhibet nobis ad hunc annum Emmam abbatissam alterius parthenonis sanctæ Mariæ de Toma in agro Senensi. Hæc post vicennium ad annum 1237. confecta senio & infirmitate officio se abdicavit.

DONATIONEM factam eremo Camaldulensi anno præterito ecclesiæ sancti Antonii prope civitatem Tudertinam positæ in monte de Arcis confirmavit hoc anno Guidoni priori Camaldulensi recipienti, per Johannem monachum Rusticus episcopus Tudertinus, decernens, quod episcopus nullas deinceps exactiones ab ea ecclesia perciperet, ipsa tamen ecclesia quotannis pro canone & censu libram unam ceræ episcopo solveret die festo sanctæ Mariæ de augusto, tribuens etiam potestatem ordinationis monialium, institutionis ac correctionis abbatissæ eidem priori. Reverteretur

Ann. Chr. 1217.

XXXI. Rusticus ep. Tudertinus confirmat monast. S. Antonii Camaldulensibus.

Ann. Chr. 1217. teretur tamen ad episcopum Tudertinum, si moniales ibidem esse defecerint. Actum in civitate Tudertina & in curia veteri episcopi Tudertini; præsentibus Philippo subdiacono & camerario episcopi, Ruffino priore sancti Anthimi aliisque. Is episcopus „ anno M. CC. IX. die XII. junii, consentientibus priore & canonicis sui episcopatus ob devotionem, qua „ oratorium prædictum prosequebatur, statuerat, quod per se suosque „ successores tali semper gauderet libertate, ut præter confirmationem per- „ sonæ, quæ ad illius loci personatum fuerit electa, & præter correctio- „ nem personarum ibidem existentium, nullus census annuus vel exactio „ per ipsum & successores suos ex debito ab ipso loco peti posset, quam „ concessionem dominæ Ranaldinæ pro dicto oratorio fecerat. Actum in „ choro sui episcopatus, manu Atti notarii; “ ut legitur in tabulario Fontis-boni. Subjecta erat monasterio sancti Antonii ecclesia Castellionis distans tribus milliaribus a Tuderto in diœcesi Perusina, & ad fines septemtrionales Tuderti, sub titulo sancti Donati, & parœcialis, quæ nunc pertinet ad monasterium nostrum sancti Severi de Perusio.

XXXII. Eremus Calcensis subjicitur monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno *millesimo ducentesimo octavo decimo* stilo Pisano *indictione quinta* XVIII. *kalendas julii* Leonardus & Ghiandatus fratres eremi Aquæ de Coste constituerunt suos actores & procuratores Johannem & Henricum fratres ejusdem loci ad impetrandas a summo pontifice literas commissionis, quibus ab ipso reciperentur fratres, & locus ac ecclesia sanctorum Jacobi & Verani martyris cum omnibus possessionibus & rebus dicti loci acquisitis sub apostolicæ sedis protectione, & ad confirmandam quoque paginam, quam Innocentius papa fecerat de receptione dicti loci, & ad dandam operam, ut Romanus pontifex scriberet & præciperet abbati sancti Michaelis de Burgo Pisarum, quatenus fratrum & loci prædicti regimen non renueret; curarent etiam, ut sepulturam in propria ecclesia liceret eremitis habere; ut omnibus fas esset advenientibus divina in ipsa audire, & fratribus ipsis præsentibus celebrare; ut facultatem Calcenses haberent confugientes e seculo ad conversionem recipiendi, potestatemque ad omnia alia impetranda fecere. Hæc revera subjectio eremi Calcensis monasterio sancti Michaelis facta fuerat antecedenti anno; nam cum per obitum Innocentii III. mense julio anni præteriti res effectum suum sortita non fuisset, ipsum obtinuit sub Honorio III. qui eodem anno M. CC. XVI. *quartodecimo kalendas octobris* eam eremum univit cum præfato sancti Michaelis cœnobio. Detrectarunt quidem monachi sancti Michaelis; sed morem postea gesserunt; præsenti enim *anno nonis decembris pontificatus* sui *anno secundo indictione* VII. ex Laterano per manum Rainerii S. R. E. vicecancellarii privilegium concedens ipse Romanus pontifex Guidoni abbati sancti Michaelis Pisarum, & recipiens sub protectione sedis apostolicæ idem monasterium, omnia ipsius bona & ecclesias confirmavit, inter quas enumeravit *eremum sanctorum Verani & Jacobi, que posita est in confinibus Calci in loco, qui dicitur Costaqua, cum omnibus possessionibus & pertinentiis suis*. Subscripserunt quindecim S. R. E. cardinales; & ex tabulario ejusdem monasterii sancti Michaelis utramque paginam edimus in Appendice.

XXXIII. Samsone abdicante Johannes eligitur abb. Vangaticiensis.

Everardus quondam abbas monasterii Vangaticiensis, defuncto Innocentio III. a quo privatus fuerat anno 1213. administratione & regimine dicti loci, expostulaverat apud apostolicam sedem, conquerens se contra justitiam a nobile viro Azzone marchione Estense monasterio suo spoliatum; quare Honorius III. qui Innocentio successerat, dederat in mandatis episcopo Tarvisino, & abbati sancti Thomæ de Torcello, ut sicut justum foret, restituto eodem abbate, causam hujusmodi audirent

& ter-

& terminarent. Episcopus & abbas coram se vocaverunt Samsonem abbatem, jam ab apostolica sede confirmatum, ad diem dicendam. Verum cum ad notitiam Romani antistitis venissent literæ prædecessoris sui, quibus Everardum loco dejecerat, & Samsonem Camaldulensem priorem suffecerat, quas etiam integras inseruit bullæ suæ, revocavit ex Laterano *quinto decimo kalendas maji* hujus anni, *pontificatus* sui *primo* præfatis judicibus cognitionem & decisionem causæ, præcipiens, ne ulterius in eo negotio procederent, ac irritarent, quidquid statuissent contra Samsonem legitimum abbatem, *cum* liquido, inquit, *appareat dictum Everardum suggesta & tacita veritate ad vos hujusmodi a nobis literas impetrasse, ac mendarum peccator carere debeat impetratis*, uti legitur in epistola 391. regesti Vaticani anni primi ejusdem Romani pontificis. Hinc *decimo kalendas julii pontificatus* sui *anno primo* ex Anagnia scribens priori & conventui Camaldulensi ratam habuit donationem ipsis factam ejusdem Vangaticiensis monasterii a præfato prædecessore suo Innocentio, repetitis & insertis similiter ejus literis, & Samsonem Vangaticiæ priorem sive abbatem confirmavit. Pertæsus tamen hujusmodi curarum Samson, ac solitudinem animo suspirans, cum jam Vangaticiensis monasterii statum in tranquillo positum conspiceret, regimen deposuit, sequentibus literis prius Guidoni priori Camaldulensi inscriptis, quas ex tabulario Fontis-boni proferimus. Ann. Chr. 1217.

Sanctissimo patri & speciali per Deum domino G.. Dei gratia Camaldulensium fratrum priori suus humilis monachellus Samson debitam in Christo reverentiam cum obedientia.

Quia jamdudum desideravi vacare quieti, meditationibus instare divinis, & fugere penitus illecebras seculares, vobis cum multa precum instantia frequenter supplicavi, ut vestra nobilitas cessionem recipere dignaretur; modo quia meum in hac parte desiderium respexit oriens ex alto, temporis opportunitatem mihi largiens opportunam, cum possideatis in pace locum & gentem, & non erit de cetero, qui se vobis opponere, dante Domino, præsumat, nolo diutius crastinare, quos effectus ignorans penitus, quid ventura pariat dies, ad dilectæ solitudinis quietem redeo, cum effectionibus prælationem monasterii de Vangadicia apostolicæ sedi, immo Deo potius & vobis resignans, promittendo, per illam, qua sum obedientiam vobis in Spiritu-sancto, ut dignum est, obligatus, prælationis officium ulterius non requiram, ideoque vobis & fratribus liberam creandi prælatum tribuo facultatem per dilectum fratrem Ottonem priorem Montis-silicis &c. monasterii scilicet sancti Petri subjecti abbatiæ Vangaticiensi.

Quare Guido prior Camaldulensis, examinatis votis monachorum Vangaticiensium, qui postularunt magistrum Johannem Camaldulensis eremi incolam, in nomine sanctissimæ Trinitatis & sancti Theobaldi confessoris, ipsum elegit in abbatem Vangaticiensem, eique claves & sigillum monasterii tradidit, ut fusius legitur in autographa pagina hujus electionis in eodem tabulario Fontis-boni mense augusto confectam. Eidem Johanni ipse Romanus pontifex *quinto kalendas decembris*, *pontificatus* sui *anno secundo*, hoc est postremis mensibus hujus anni indulsit, ut liceret ei revocare alienationes factas bonorum ecclesiæ suæ Vangaticiensis ab A.. idest Alico abbate uno ex prædecessoribus Everardi & ab aliis abbatibus dicti loci, quæ omnia ad Appendicem remittimus.

XXXIV. Literæ Honorii III. abbati Classensi aliisque abbatibus Camaldulensibus.

SCRIPSIT *mense aprilis* ejusdem anni *primo pontificatus* sui *anno* idem Romanus antistes Martino abbati sancti Apollinaris in Classe & Guidoni priori præfecto divæ Mariæ in Portu Ravennæ; „ cum inter cetera quo

ad

Ann. Chr. 1217.

„ ad opem ferendam Hierosolymitanæ provinciæ facerent, in concilio generali decreta, illud fuerit communi omnium antistitum sententia constitutum, ut omnes sacrati viri vigesimam ecclesiasticorum redditutum partem in triennium integre conferrent, quibusdam tantum exceptis religiosis viris, atque illis, qui sumpto Crucis signo, ipsi in eam expeditionem irent, idque muneris Templarii Hospitalariique ordinum magistris, qui eorum domibus in Ravennate provincia præessent, fuisset mandatum, jubet pontifex, ut ipsius portionis vigesimæ summam ad diem festum omnium Sanctorum explicent, eamque tam de certis, quam de incertis fructibus ad kalendas maji consequentes expediant. “ Hæc Rubeus [a] ex tabulario archiepiscopali Ravennæ [b].

a Lib. VI. pag. 379.
b L. 4807.

Confirmavit hoc eodem anno ex Anagnia VII. *idus junii pontificatus* sui *anno primo* idem Romanus pontifex abbati sanctæ Mariæ de Urano & ejus fratribus privilegium, quod Alexander III. *anno nono* sui *pontificatus*, hoc est anno M. C. LXVIII. *septimo idus augusti* concesserat Placido procuratori ejusdem monasterii, quo exemerat eam ecclesiam a jurisdictione cujuscumque archiepiscopi & episcopi, & subjecerat immediatæ jurisdictioni Romani pontificis, innovans eamdem exemptionem, salva obedientia & reverentia Camaldulensis eremi, & renovata in indicium hujus libertatis pensione trium librarum ceræ apostolicæ sedi persolvenda. Quod privilegium ex regesto anni primi ejusdem Honorii in Appendice edimus.

Abbatibus sancti Silvestri de Monte-subasio, sancti Petri de Perusio & sanctæ Justinæ de Amelia, potestati quoque ac populo Assisinati mandavit sub eodem anno *die tertia julii* [c] idem Honorius III. ut Nicolaum abbatem monasterii Saxi-vivi in possessionem mitterent ecclesiæ sancti Apollinaris de Sambro, & ecclesiarum eidem cœnobio subjectarum juxta sententiam latam a Gregorio cardinali sancti Theodori, & Fortem priorem sancti Apollinaris cum monachis suis inducerent ad præstandam obedientiam monasterio Saxi-vivensi.

c Pag. 68. Chron. Saxiv.

XXXV. Varia examina in causa inter ep. Aretinum & eremum Camald.

Hoc anno sub finem mensis augusti reassumpta fuit causa libertatis eremi inter Martinum episcopum Arretinum, & inter Guidonem priorem Camaldulensem coram iisdem, qui antea, magistris Bonensigna archidiacono Florentino, & Bonajuncta canonico Castellano confirmatis apostolicis delegatis post mortem Innocentii ab Honorio III. Romano pontifice. Interrogati fuere varii testes, qui multa pro eremo deposuere, quorum excerpta similiter damus. Die sexta octobris [d] rejectus fuit inter testes suspectus Guilielmus abbas Prataliensis, utpote excommunicatus a priore Camaldulensi. Siquidem ipse favore Martini episcopi fretus detrectabat subjectionem sui ipsius & sui monasterii eremo & congregationi Camaldulensi, necessumque fuit, ut tredecim testes examinarentur, qui monumentis probarent subjectionem monasterii Prataliensis eremo Camaldulensi. Die demum decima-sexta ipsius mensis Guido appellavit a Martino episcope ad apostolicam sedem, petens, ne ille deinceps gravaret per se vel per alios eremum & monasterium Camaldulense tam in capite, quam in membris. Actum in ecclesia de Contra. Nam recrudescente magis controversia, ad ulteriora processerat Martinus episcopus, omniaque Camaldulensia jura susdeque miscebat. *Die duodecima octobris* [e] coram Acerbo potestate Arretinæ civitatis & Petro judice ordinario dicti communis examinati fuerant aliquot testes pro domo Camaldulensi contra episcopum in causa *datii* ab eodem episcopo exacti ab hominibus Camalduli, qui habitabant in castro Biblenæ, sed comprobatum fuit eos injuste vexatos fuisse etiam ab episcopo Amadeo tempore prioris Placidi, restitutionemque

d §. Appellatio 3. A. 3. 82.
e §. Testificatio 9. A. 3. 95.

que tunc factam fuisse; item ab episcopo Gregorio, quando emerunt Camaldulenses Ortignanum, & tunc causa demandata fuit Martino præposito Arretino, eidem nimirum, qui evaserat inde Arretinus episcopus, & priori sancti Michaelis de Arretio, in quos Gregorius episcopus & Martinus prior Camaldulensis compromiserant, quique similiter impositionis restitutionem decreverunt, eo quod præfati homines essent homines Camaldulenses, & possessiones habebant in Arcena, castro prope Biblenam, quod erat juris Camaldulensis eremi, neque subdebatur episcopo Arretino; manu Ugolini notarii. Cum tamen deinde Acerbus potestas stare videretur pro episcopo [a], Quintavallis judex ordinarius & assessor provisorum communis Arretii in causa appellationis interposita a Rainerio priore sancti Michaelis de Arretio pro eremo Camaldulensi, vocato legitime episcopo, neque comparente, pronuntiavit male judicatum, beneque appellatum, cassando sententiam Acerbi potestatis. Hæc novimus ex archivo Fontis-boni. De lite hac inter Martinum episcopum Arretinum, & inter Guidonem priorem Camaldulensem mentionem facit epistola 974. data XIII. *kalendas octobris anno pontificatus* sui *secundo* Honorius III. Romanus pontifex.

Ann. Chr. 1217.

a §. *Sententia* 18. *A*. 3. 96.

Guido & Marcoaldus fratres filii olim comitis Guidonis refutaverunt hoc anno [b], more Florentino, *die decima nona martii indictione sexta* Johanni monacho Camaldulensi recipienti pro eremo Camaldulensi, & vice Henrici olim abbatis Strumensis tunc monachi Camaldulensis, totam actionem, quam habebant adversus eremum, & adversus Henricum olim abbatem. Defunctus itaque erat Guido eorum pater ante mensem martium anni sequentis, quem morti proximum, reddendoque judicio jamjam vicinum declaraverat ante quinquennium, nempe anno 1213. Innocentius III. literis ad ipsum datis.

b §. *Refutatio* 77. *A*. 3. 97.

In pagina apud Soldanium [c] in historia Passinianensis monasterii sub hoc anno *indictione quinta*, *undecimo kalendas octobris* nomen legitur Gherardi abbatis, rectoris & œconomi ecclesiæ & monasterii sancti Andreæ de Candiculis, qui pro utilitate cœnobii sui cum consensu monachorum exemit Johannem Gherardinum ejusque descendentes ab omni vinculo fidelitatis & consuetudinis castri & curiæ de Bisticcio, liberans eum etiam ab omnibus redditibus, pensionibus, censibus & exactionibus, pro eo, quod libras quingentas nonaginta idem Johannes monasterio dono dederat. Transiit circa hæc tempora monasterium hocce ad Camaldulensium reformationem.

c *Lib. V. pag.* 214.

Ex chartulario Berardingorum [d] Guido abbas Rotensis vendidit aliquot bona Guilielmo abbati Berardingorum.

d *Num.* 1290.

In sententia lata mense majo [e] pro Gualterio priore ecclesiæ Cellarum, sive sancti Johannis inter Ambas-paras, nominatur ecclesia de Pastorale subjecta eidem monasterio.

e §. *Sententia* 17. *A*. 3. 9.

Demum ex charta parthenonis sancti Petri de Luco intercessit concordia inter dictum monasterium, & inter presbyteros sancti Georgii & sancti Bartholomæi subjectos eidem parthenoni, statuta a Rainerio plebano sancti Johannis-majoris, & ab aliis presbyteris electis arbitris, quæ legitur in Appendice.

Ann. Chr. 1218.

XXXVI. Honorii III. amplum privilegium Raynaldo priori Avellanensi. De ecc. S. Leonardi ad Volubrium.

AMPLISSIMAM præsenti anno M. CC. XVIII. *pontificatus* sui *anno secundo* VII. *idus februarii*, *indictione* VI. ex Laterano per manus Rainerii S. R. E. vice-cancellarii, monasteriorum, ecclesiarum & bonorum confirmationem concessit Honorius III. Raynaldo priori eremi sanctæ Cru-

Ann. Chr. 1218.

cis Fontis-avellanæ ejusque fratribus, quam ex apographo anni 1270. archivi Armanni Eugubii damus in Appendice. Præter loca nominata in diplomate Innocentii II. anni 1139. leguntur monasterium sanctæ Mariæ de Faventia cum capellis & pertinentiis suis. Hoc traditum fuerat Avellanensibus reformandum anno 1168. Ecclesia sancti Johannis in Acereto & ecclesia sancti Barnabæ de Gamugno; utraque ipsarum cum monasterio & eremo fundata fuerat seculo XI. a sancto Petro Damiani. Ecclesia sanctæ Mariæ de Bifurca; ecclesia sancti Donati de Urbino; ecclesia sancti Mariani; ecclesia sanctæ Mariæ de Portuno; possessiones in castro & in curte Turrilis. In comitatu Senogalliensi ecclesia sanctæ Luciæ; ecclesia sancti Petri de monte Tebaldi, & ecclesia sancti Cosmæ. Possessiones in curte Ripaltæ extra Neulam; ecclesia sancti Nicolai de Valle-rea; ecclesia sancti Laurentii de Colle-alto; ecclesia sancti Domnini; ecclesia sanctæ Mariæ de Valle-mergo; ecclesia sancti Petri de Cordonase; ecclesia sancti Fortunati de Capitalis. In comitatu Æsino ecclesia sancti Leonardi. In Auximano ecclesia sancti Petri de Casarolis & ecclesia sancti Christophori de Monte-filetrano; ecclesia sancti Anastasii de castro Ficardo; ecclesia sancti Johannis de Busco; ecclesia sancti Angeli de Mutiliana; sancti Laurentii de Corinaldo; sancti Paterniani de Suma; sancti Martini de Castignano; ecclesia sancti Nicolai de Cornu & possessiones in comitatu Pennensi; ecclesiæ sanctæ Crucis de Barclano; sancti Blasii de Urbisalia; sancti Angeli de Camuzano; sancti Damiani de Fonte-bono; sancti Michaelis de Aquimolis; sancti Martini de Ampozano; sancti Matthæi in comitatu Perusino; sancti Cassiani & sancti Fortunati; sancti Ægidii de Castello; sanctæ Crucis de Citerna; sancti Petri de Agillone cum capellis & earum pertinentiis in comitatu Castellano. Cui Honorii diplomati subscripserunt quindecim S. R. E. cardinales

Raynaldus, cui concessum fuit Honorianum privilegium, ipse est Raynaldus ex comitibus Nucerinis, qui post multos sanctissime exactos annos in regulari monasticæ vitæ observantia, hoc vel duobus antecedentibus annis electus fuit prior monasterii sanctæ Crucis, ut toti congregationi Avellanensi præsideret, post Johannem, qui ad annum 1207. signatur in paginis tabularii dicti loci, Nicolai prioris successorem. Brevissimum tamen fuit ejus regiminis Avellanensis tempus, nam hoc eodem anno, qui etiam adnotatur nomine Petri prioris, cedente, vel ut habet scriptor vitæ ipsius Raynaldi, *mortuo Ugone episcopo Nucerino, non absque singulari Dei providentia atque inspiratione*, substitutus fuit in ea cathedra *Raynaldus*, confirmatus hoc eodem anno a præfato Romano pontifice Honorio. Ugonis episcopi Nucerini tamquam commissi Avellanensis nomen legitur in veteri necrologio ejus loci sub die XXIX. junii.

Extabat in territorio Firmano in loco appellato Volubrium, qui erat prope Montem-fortinum, ecclesia cum monasterio dicata sancto Leonardo, quæ ad jus pertinebat Avellanensis monasterii jam inde ab elapso seculo, cujus mentionem fecit inter ceteras ad annum 1139. Innocentius II. Romanus pontifex in privilegio eo anno concesso eremo Avellanensi. Serius pervenit ad nos ex tabulario Romano sancti Leonardi *alla Longara*, qui locus sedes est eremitarum nostrorum Monte-coronensium, exemplum instrumenti, quod continet traditionem factam præfatæ ecclesiæ sancti Leonardi ad Volubrium anno 1134. Benedicto priori eremi Avellanensis, quodque libenter tum ad illustrationem hujus ecclesiæ, tum ad comitum ejus regionis cognitionem, tum demum ob peculiares formulas, quæ in ipso scribendo usurpatæ fuere, hic loci subjicimus, licet extra locum suum, occa-

occasione superioris Honorii III. bullæ, in qua dicta ecclesia cum aliis nominatur, & Raynaldo Avellanensi priori confirmatur. Instrumentum porro donationis est hujusmodi: ANN. CHR. 1218.

Anno Dominice incarnationis M. C. XXXIV. *indictione* XI. *& mense septembri.*

Ego Drusiana ancilla Christi & filia Bodetocci pro redemptione anime mee, & genitoris genitricisque mee, & Stamire comitisse uxoris comitis Lamberti & Carbonis germani mei, & Baroncelli Treviani dicti, una cum voluntate & consensu fratrum meorum sacerdotum, trado, dono & concedo eremo sancte Crucis fontis Avellane, & tibi domno Benedicto ejusdem ecclesie priori tuisque successoribus omnibus, quamdiu mundus iste volvitur, ecclesiam sancti Leonardi, que edificata est in locum quidam Volubrum, cum libris & campanis, nec non ornamentis, & cum castellis & ecclesiis, villis atque montibus, pratis & pascuis, & molendinis optimis, & cum omnibus, que ad eamdem ecclesiam in presentiarum pertinent, vel in posterum Deo concedente pertinere debent, excepta paterentia, que comiti Guidoni, vel suis heredibus attinet, & excepta paterentia, que Transmundo Carbonis & filiis suis attinere videtur, & exceptis omnibus, que Bodetocci filiorum & suorum heredum. Ad hec ego Drusiana ancilla Christi promitto pro me meisque successoribus omnibus omni anno in mense majo vel junio obedientiam centum brachiorum panni lini vel canapis. Propterea promitto me meosque successores stare & defendere, & si defendere noluerimus vel non potuerimus, & si de ipsa donatione causationem imposuerimus, quadringentos bizantios puri auri ad opus & dispendium iste ecclesie componamus, & postea cartula ista & hec mea donatio firma & stabilis in perpetuum permaneat.

Si quis vero successorum nostrorum, quod absit, vel quelibet persona calliditate aliqua seu cupiditate commotus ea, que superiori comprehensa sunt, nequissimo spiritu violare tentaverit, secundum Apostolum disperdat illum Deus, & insuper summi & justi Dei judicis iram incurrat, & omnes maledictiones, que in veteri & nova lege habentur, super eum veniant, febresque omnes, necnon & cetere passiones, que ab Ipocrate, ceterisque phisicis scripte sunt, videlicet que in antiquis & modernis medicinalibus continentur, eum invadant, & cum Juda traditore damnatus velut Dathan & Abyron cum terra deglutiatur, & cum tartareis spiritibus semper ardere cogatur. Quam cartulam scripsi ego Lupo notarius ab ipsa Drusiana rogatus.

Ego comes Guitionus consensi & subscripsi, atque laudavi, & modis omnibus, prout debui, firmavi.

Ego Eva comitissa uxor comitis isti consensi, laudavi, firmavi, & ut fieret, valide optavi.

Ego Drusiana ancilla Christi indigna consensi, firmavi & subscripsi.

Ego Adam presbiter firmavi & subscripsi.

Ego Petrus sancte ecclesie Firmane custos consensi, firmavi & subscripsi.

Ero Odemundus diaconus consensi & firmavi.

Ego presbiter Albertus consensi & firmavi.

Sed ad Raynaldum nostrum redeamus, paucaque, quæ de eo nota sunt, prosequamur.

XXXVII. Turbæ Fanenses contra ep. Ricardum.

DUM priorem Avellanensem ageret, unus fuit ex iis, qui Ricardum episcopum Fanensem, olim vicarium Camaldulensis eremi, defendendum suscepere contra Alberghettum potestatem, & contra communitatem Fanensem. Res ita se habuit. Fanenses, duce Alberghetto, contra finitimos

Ann. Chr. 1218.

Foro-sempronienses exercitum duxerant, nullaque habita ratione, eorum domus & ecclesias depopulaverant, hominesque captivos Fanum deportaverant; verum timentes, ne Foro-sempronienses injurias sibi allatas ulciscerentur, & cum exercitu damna rependerent, se munierant, mœniaque urbis refecerant, & contra omnes suos adversarios collectam gravem & illegitimam imposuerant supra omnia laicorum & ecclesiasticorum patriæ suæ bona; in non solventes, vel morosos solutores sævitias plurimas exercebant, & hominibus præsertim majoris ecclesiæ Fanensis infesti admodum erant. Potestatem & communitatem benigne rogavit Ricardus episcopus, ut ab hujusmodi indebitis & insolitis gravaminibus abstinerent, easque exactiones, ut justum erat, improbavit. Sed Fanenses iratiores facti, voce præconis interdixerunt, ne quis cum episcopo vel ipsius familia loqueretur, aut eis quidquam vendere attentaret; sicque coegerunt episcopum cum tota familia sua per viginti-duos dies quasi obsessum in solis vivere leguminibus, nullo audente ipsis coquere panem, aut aliquid ministrare, timente unoquoque metu mortis palatium episcopale ingredi. Vulgata fama hujus impietatis Gerardus ex camerario Camaldulensi episcopus Anconitanus, Transmundus episcopus Senogalliensis ex monacho sanctæ Crucis de Fonte-avellana, & Raynaldus prior ejusdem eremi compassionis affectu moti ad civitatem Fanensem personaliter accesserunt, in quorum manus & arbitrium post longos tractatus concordiæ idem Ricardus ponere voluit totam horum factorum seriem. Verum Alberghettus audire prorsus contemnens, quæ episcopi & religiosi præfati rationabiliter proponebant, magis magisque desæviit, & ad ultimum insaniæ progressus sacrilege omnino inhibuit, ne quis divinis officiis vel missis episcopi aut canonicorum interesset, & ope suorum satellitum dejectis januis episcopalis palatii, contra episcopum & adversus sacra corpora Sanctorum furorem exercuit, diripuit sacras vestes & ornamenta, privilegia & apostolicas bullas asportavit. Quare ab Andrea Alatrino domini papæ Honorii subdiacono & apostolicæ sedis legato excommunicatus fuit cum tota urbe. Ricardus vero episcopus civium suorum ærumnam miseratus, & timore etiam intentatæ mortis adductus eos absolvit; sed cum pertinaciter cives una cum potestate inobedientes persisterent sedi apostolicæ, neque absolutionem a Romano pontifice petere dignarentur, denuo ab Honorio III. diris devoti fuere, ut idem ipse Romanus pontifex fusissime narrat in sua excommunicationis bulla lata ex Ferentino hoc eodem anno *pridie kalendas octobris* contra Alberghettum potestatem & contra communitatem Fanensem, cujus executionem demandavit iisdem Gerardo Anconitano & Transmundo Senogalliensi & insuper Monaldo Foro-semproniensi episcopis, quæ integra legitur apud Ughellium [a], & novissime apud Amianum [b] in Appendice ad memorias historicas urbis Fanensis, & in recenti editione bullarum Romanorum pontificum [c].

a T. I. *col.* 663.
b T. *II. Pag.* XXVII.
c T. *III. pag.* 189.

XXXVIII. Monast. S. Andreæ de Candiculis reformatur per Camaldulenses.

Cum Hugolinus cardinalis & episcopus Ostiensis legatione apostolica in Thuscia fungeretur, invenit monasterium sancti Andreæ de Candiculis adeo in spiritualibus & temporalibus dissolutum, ut nullo modo reparari posset, nisi inducta in ipsum reformatione alicujus monasticæ congregationis, quare disciplinæ ipsum tradiderat Camaldulensium eo potissimum tempore in Thuscia florentium. Piam legati intentionem commendans Honorius hoc anno *quintodecimo kalendas decembris*, *pontificatus* sui *anno* III. ex Laterano Guidoni priori Camaldulensi ejusque conventui literas dedit, quibus ipsis animos addidit, ut totis nisibus reparationi disciplinæ monasticæ juxta eorum instituta in eo cœnobio intenderent. Quod & præstitere,

nam

nam monasterium de Candiculis ab ipsis excultum legibusque Camaldulensibus firmatum per tria secula in congregatione permansit.

ANN. CHR. 1218.

XXXIX. Locatio facta a monast. S. Gregorii clericis SS. Joh. & Pauli de Urbe.

GREGORIUS abbas sanctorum Andreæ & Gregorii de Urbe, mandante eodem Romano pontifice Honorio, consensu quoque habito suorum monachorum, concessit & locavit hoc anno clericis basilicæ sanctorum Johannis & Pauli, quæ erat contigua monasterio suo, ad opus & utilitatem ejusdem ecclesiæ, quinque cossas antiquas cum arcubus suis supra in circuitu, & cum omnibus suis usibus, excepta pinna parietis, quæ supereminebat, quam vel eorum expensis, vel ope dicti domini papæ dirui facerent ex pacto prædicti clerici, super quibus cossis liceret ipsis domum construere, & ad majorem hujus donationis confirmationem apostolicas literas præfati domini Honorii papæ se impetraturum promisit. Vox *cossa* est incognita Du-cangio ejusque glossarii continuatoribus, quæ significare videtur cryptæ speciem. Inter testes legitur presbyter Petrus ecclesiæ sanctæ Mariæ de Ferrariis.

XL. Rolandi ep. Faventini definitio pro ecc. Senensi S. Christinæ.

PROPE ecclesiam sanctæ Christinæ extra urbem Senensem, quam anno 1181. donaverat eremo de Vivo Gualfredus presbyter, confirmaveratque Vivensibus tum eo anno Gunteramus episcopus Senensis, tum anno sequenti Lucius III. Romanus pontifex, ædificatum fuerat ab iisdem eremitis monasterium sub titulo sanctarum Mustiolæ & Christinæ, quod in veteribus paginis dicitur situm *extra portam Arcus in faciem Castellacii appellati sancta Agatha juxta viam magistram, que ducit ad portam Tufi ad manum dexteram*, ubi locati monachi Deo & animarum curæ vacabant. Causabatur Bonfilius episcopus Senensis, qui Bono successerat, Gunteramum antecessorem suum facultatem non habuisse monachos inducendi in eam ecclesiam. Reluctatus est Johannes prior eremi Vivensis. Sed cum partes simul convenire nequirent, facta fuit delegatio apostolica controversiæ Rolando episcopo Faventino, qui sequenti anno quinto kalendas majas statuit, ut prior Vivensis monachum statueret, qui monasterio præesset, confirmationis vero beneficium peteret ab episcopo Senensi; prior autem hujus ecclesiæ cum monachis suis unum ex eorum cœtu eligeret, cui curam traderet animarum, qui tamen episcopo se præsentaret. Si monasterium reformatione indigeret in capite vel in membris, & prior Vivensis admonitus negligeret, valeret id exequi episcopus. Approbaretur concessio ecclesiæ facta a Gunteramo episcopo, & juris parœcialis, quo ea ecclesia ab antiquo fruebatur extra muros, a porta Arcus Castri-veteris ad illam sancti Marci, salvo privilegio capituli Senensis quoad decimas; episcopus vero promisit se defensurum eam parœciam æque ac alias suæ urbis; atque ita composita fuit lis, quæ jus episcopale cum jure regulari confundebat. Hæc ex tabulario monasterii Rosæ Senarum, & ex Fortunio excerpsimus.

XLI. De Matthæo abb. Berardingorum, inde Albarense.

CUM in locum Guilielmi abbatis monasterii Berardingorum electus fuisset hoc anno [a] die sexta julii Matthæus, Ugolinus de Monte-aperto unus ex patronis ejusdem cœnobii manum imposuit, eo tempore, quo Guido prior Camaldulensis Matthæum in sede collocabat. Reprehensus fuit de ea re Ugolinus, qui coram omnibus testatus fuit se hoc fecisse præ lætitia, non pro jure acquirendo, vel pro inferendo præjudicio authoritati præfati prioris Camaldulensis. Translatus fuit deinde Matthæus mandato Honorii III. *anno pontificatus* sui *octavo quartodecimo kalendas martii*, hoc est anno 1224. ex monasterio Berardingorum ad Albarense, quod erat in diœcesi Suanensi, cujus Albarensis monasterii abbatis mentionem facit ad *annum* M. CC. XXXI. *pontificatus* sui IV. *undecimo kalendas martii*

a §. *Electio* 6. *A.* 3. 101.

Gre-

Ann. Chr. 1218.

a T. III. col. 737.
b T. V. col. 1060. & T. VI. col. 268.

Gregorius IX. Romanus pontifex apud Ughellium [a]. Etiam Muratorius [b] juramentum affert Senebaldi & Lamberti Albarensis monasterii abbatum præstitum ecclesiæ Romanæ; ii successores fuere Matthæi, ad tempora Innocentii papæ IV.

c T. IV. Antiq. med. ævi col. 61.

Ex archivo Pomposiano Rainerio abbati sancti Adalberti subrogatus fuerat Johannes, cui anno sequenti ex tabulario sancti Vitalis Ravennæ Guifredus abbas sanctæ Mariæ de Palatiolo dedit duas salinas. Livaldo vero priori sanctæ Mariæ ad Carceres donationem factam hoc anno a Bonifacio marchione Estensi affert Muratorius [c]. Bonifacius patruus erat Azonis VI. marchionis Estensis, filius autem Obizonis marchionis defuncti anno 1193.

XLII. Sepultura in ecclesia S. Blasii Fabriani concessa monachis S. Victoris de Clusis.

Acto Camerinensis episcopus *anno* M. CC. XVIII. *indictione* VI. *tempore Honorii pape, quarto kalendas maji* Ermanno sive Hermando abbati monasterii sancti Victoris de Clusis sepulturam concessit ecclesiæ sancti Blasii de burgo Fabriani liberam, sicut habebant ceteræ ecclesiæ de Fabriano. Spectabat ecclesia sancti Blasii ad jus cœnobii sancti Victoris. Testes adhibiti ab episcopo, qui se signat cum archidiacono & cum canonicis, fuere Telonasius abbas Cryptæ, Acto prior ecclesiæ sancti Gregorii, presbyter Bonhomus præpositus sancti Victoris aliique. Alter Armannus abbas erat monasterii Vallis-castri, qui cum consensu monachorum suorum dedit hoc anno *indictione* VI. *die* IV. *intrante octobris* communitati Fabriani, cessitque omnes homines, quos monasterium suum obtinebat in Albacina & in castro Cerreti, quam cessionem ex libro rubro statuti Fabriani paginis 12. 23. & 43. protulit in adnotationibus ad tertiam epistolam suam [d] Philippus Montanus sub anagrammatico Nintomæ nomine.

d Pag. 138.

e T. XV. ap. Mur. col. 21.

Titius in sua historia Senensi [e] scribit circa hæc tempora Senis ædificatam fuisse a familia Ugurgeria ecclesiam sancti Vigilii, sed ut optime animadvertit Benvoglientius, explicanda sunt verba Titii, de restitutione in meliorem formam ejusdem ecclesiæ, cum monumenta plura antiquiora existentiæ ipsius ecclesiæ protulerimus seculis antecedentibus.

XLIII. Obitus Dominici Vernagallii. Monumenta de ipsius sanctitate & cultu.

Ad Deum evolavit præsenti anno beatus Dominicus Vernagallius monachus & presbyter monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum, qui postquam erexit in ea urbe hospitale Trovatellorum, clarus multis miraculis & virtutum floribus ornatus, æternam non solum gloriam promeruit in cœlo, sed debita auctoritate in terris dignus fuit, cui erigeretur ara prope ambonem dictæ ecclesiæ, sub qua in arca marmorea candidi coloris collocatum fuit sacrum ejus corpus. Sub eo altari spatio quadraginta-duorum annorum a confluente populi multitudine ad ejus sepulcrum divinos retulit honores. Anno M. CC. LXII. prædicta arca locata fuit sub ambone, & demum reposita sub altare prope sacrarium cum sequenti epigraphe.

ANNO. MILLENO. CVM. DVCENTIS. ET. NONO. DENO
MIGRAVIT. AD. CHRISTVM. QVI. TVMVLVM. POSSIDET. ISTVM
DOMINICVS. CHRISTI. SACERDOS. QVI. LOCO. ISTI
SE. SVBIVGAVIT. ET. HOSPITALE. FVNDAVIT.
OBIIT. XII. KALENDAS. MAII.

Idem dies adnotatur in veteri necrologio parthenonis sanctæ Christinæ de

Bono-

Bonononia, in quo habetur: *Obiit beatus Dominicus Pisanus ordinis nostri*. Papebrochius [a], cui epitaphium supradictum missum fuit ab equite Francisco-Maria Cessino, putat „ hospitale hocce fuisse prope monasterium san„ cti Frigdiani ex testimonio Alexandri IV. quod cum ipso suo fundato„ re jam sacerdote, ut videtur, transierit in jus ordinis Camaldulensis, „ in quo deinde diu as sanctissime vixerit. " Sed diversum est hospitium seu hospitale sancti Frigdiani ab hospitale Trovatellorum erecto a beato Dominico. Illud enim antiquius est, ejusque primas memorias digessimus in his annalibus ad annum 1061. Hospitale autem Trovatellorum, ut etiam animadvertimus ad annum 1201. erat prope monasterium sancti Michaelis, ex quo loco translatum fuit in viam Calcisanam, inde intra parœciam primatialis ecclesiæ. In epitaphio usurpatur annus Pisanus; quare emendandi sunt, qui Dominici obitum referunt ad annum Romanum 1219. Hæc dumtaxat de Dominico habent Fortunius, Ractius, Minius, Troncia & Papebrochius. Verum in missali antiquo ms. in carta hædina ejusdem monasterii sequentia adnotantur, quæ dicta a nobis confirmant, magisque illustrant Dominici sanctitatem, quæ ideo subjungimus, deficientibus potissimum aliis monumentis, ex quibus ipsius memoria celebris reddatur.

ANN. CHR. 1218.

a T. II. April. pag. 791.

In Dei nomine, amen. Fit fides per me notarium infrascriptum, qualiter inter cetera, quæ continentur, & scripta sunt in quodam Missali antiquo manuscripto in charta hædina, cooperto tabulis ligneis coopertis corio rubro dilaniato, existente in abbatia monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum, prope finem in quibusdam foliis, post plures memorias antiquas ibi descriptas, apparent infrascripta hujusmodi sub tenore videlicet:

„ *Anno* M. CC. XIX. *post mortem beati Dominici conversi & presbyteri* „ *dicti monasterii, abbas Guido, qui tunc præerat, fundavit & ædificavit* „ *chorum ecclesiæ, frontispitium ex latere claustri ultra duas partes, &* „ *alam sinistram ecclesiæ cum columpnis & arcobus ipsius lateris, & murum* „ *alæ ex latere campanilis, sine tecto relinquens columpnas & petras ar*„ *cuum aptatas pro ipso latere chori. Corpus vero beati Dominici positum* „ *fuit ex latere campanilis supradicto anno, & stetit ibi per spatium an*„ *norum quadraginta duorum, & fuit translatum ex alio latere ecclesiæ* „ *sub pulpito anno* M. CC. LXII.

„ *Anno* M. CC. LXII. *abbas Savinus, qui tunc præerat dicto monasterio,* „ *hædificavit ex dictis columpnis & lapidibus aptatis & aliis lateribus us*„ *que ad campanile, & residuum frontispitii supradicti cum finestra vitrea* „ *miræ pulchritudinis, & cum tecto toto facto, ut trahit recta linea usque* „ *ad sanctum Dominicum, duobus arcobus extra chorum existentibus, & et*„ *iam chorum monachorum fieri fecit, & altare majus. Emit planetam,* „ *dalmaticam, tunicellam de sciamito rubeo, & planetam giallam acquisi*„ *vit, & corpus beati Dominici supradicto anno translatavit.*

„ *Anno* M. CC. XC. *abbas Ventura de Aretio, qui tunc præerat dicto mo*„ *nasterio, fieri fecit sepulcrum abbatis & monachorum juxta olearium &* „ *capitulum, & corpus beati Dominici posuit ubi tunc erat, & debitum* „ *reliquit.* "

Item fit fides, qualiter in tabula lapidea, quæ inservit pro mensa altaris existentis in ecclesia abbatiæ prædictæ, a latere sinistro altaris majoris dictæ ecclesiæ circum circa dictam tabulam, apparent incisa infrascripta verba cum characteribus antiquis hujusmodi tenoris videlicet: Anno milleno cum ducentis & nono deno migravit ad Christum, qui tumulum possidet istum,

Ann. Chr. 1218. *istum, Dominicus Christi sacerdos, qui loco isti se subjugavit & hospitale fundavit. Obiit* XII. *kalendas maji.*

Et quia ego Andreas Fellonius olim Petri Johannis quondam Andreæ filius, Pisanus civis, imperiali ducalique auctoritatibus notarius publicus, judexque ordinarius, necnon notarius actualis supradictæ abbatiæ & monachorum, ac eorum domini conservatoris supradictas memorias, ut supra, manu mea in præsenti folio exaratas collationavi, & rescontravi cum supradictis memoriis. Ideo in fidem me subscripsi, signoque meo solito signavi hac die XXIX. *aprilis* M.DC.XXI. *stilo Pisano ad laudem omnipotentis Dei.*

Hoc notariale instrumentum reperitur modo in tabulario monasterii nostri sancti Romualdi de Urbe.

Ex superius relatis constat de sanctitate Dominici, qui ut Beatus & Sanctus effertur in monumentis & paginis ejusdem seculi, quo ad Deum transiit. Hinc etiam quoties præsenti decimo-tertio seculo nominatur hospitale Trovatellorum in publicis chartis, semper additur *beati* vel *sancti Dominici* ex nomine sui fundatoris. *Anno* M.CC.XXXIV. more Pisano *indictione* VI. *pridie kalendas junii Palese publicus nuntius Pisani communis mandato domini Dati judicis & assessoris domini Ugonis Lupi marchionis Soranie Dei gratia Pisani potestatis, misit & induxit Guilielmoctum aurificem operarium opere sancti Dominici de Burgo operario nomine pro ipsa opera recipientem in possessionem infrascriptorum petiorum terre* &c. *Anno Dominice incarnationis* M. CC. LVII. *indictione* XIV.... *kalendas octobris*, Romano scilicet 1256. *Mainettus abbas monasterii sancti Michaelis de Burgo presentia consilio, & consensu suorum monachorum requisitus a Rainerio copertoriario fratre penitentie quondam Menabovis procuratore, gubernatore Trovatellorum sancti Dominici sancti Michaelis de Burgo procuratorio & rectorio nomine de supradictis Trovatellis dedit & tradidit jure libellario Bonesigne filio quondam Guilielmi de Lajano unum petium terre pro suprascriptis Trovatellis sancti Dominici, cujus venerabile corpus est in ecclesia & monasterio supradicto* &c. Dominici imago existit etiam in majori ecclesia Pisana, & in ecclesia sancti Francisci inter quinque Beatos urbis ad altare in eorum honorem erecto. Brachium sancti Dominici publicæ venerationi exponitur in ecclesia sanctimonialium sanctæ Annæ.

Perseveravit cultus beati Dominici usque ad tempora nostra, & perseverat etiamnum. Anno 1512. ars & universitas Aromatariorum urbis Pisanæ pro fundo obtento in emphyteusim a monasterio sancti Michaelis ad annuum canonem promiserunt tres libras ceræ mense aprili *pro conficiendo festo sancti Dominici*, cum pacto ut abbas & monachi teneantur *celebrare in dicto die sancti Dominici unum officium cum Missa sollemni* in dicta ecclesia, cum statutis aliisque conditionibus expositis in charta anteriori anni 1485. qua Simon olim Francisci de Biblena abbas tunc præfati monasterii fecit homines dictæ artis *patronos præfati altaris sancti Dominici* siti in dicta ecclesia. Quæ omnia late patent ex autographo instrumento, quod legitur in [a] codice contractuum diversorum tabularii ejusdem monasterii, quodque ad Appendicem amandamus postremo loco.

[a] Pag. 34.

Anno 1621. sub abbate Augustino Cavallio visum iterum, recognitum & translatum fuit ejus sacrum corpus prope sacrarium. Verum cum in icone altaris, præter sanctum Dominicum, coloribus expressa fuisset etiam imago beati Michaelis eremitæ Camaldulensis & auctoris coronæ Dominicæ, multoties appellatum fuit altare coronæ Domini. Demum cum etiam adjuncta fuerit effigies sancti patris Romualdi, ab imagine potioris dignitatis nominatur hodie altare sancti Romualdi.

Quod

Ann. Chr. 1218.

Quod mirari subit, in Trovatellorum hospitali, quod certe auctorem habet beatum Dominicum Vernagallium, nullus cultus, nullaque ipsius memoria habetur, sed tantummodo celebratur festum sancti Dominici Prædicatorum ordinis institutoris mense augusto, eodem, ut putamus, æquivoci nominis errore, quo vidimus in ecclesia sancti Dominici Loricati apud Suavicinium montem multo tempore pro die sacra Dominico Loricato in veneratione habitam fuisse diem sacram sancto Dominico Prædicatorum fundatori; cum aliunde constet tum ex lapidea antiquissima inscriptione, quam superius attulimus, tum ex instrumentis ejusdem seculi, quo vixit sanctus Dominicus Vernagallius, ipsum, non Dominicum Gusmanium, hospitale erexisse, præsertim cum nullo monumento liqueat hunc postremum Pisis unquam fuisse, vel aliquod tempore vitæ suæ monasterium construxisse vel ædificasse in urbe Pisana pro sui ordinis fratribus. Vernagalliorum insigne erat Leo aureus in campo cæruleo. Ex hac familia modo Pisis extincta fuit Christophorus Vernagalli præfectus operæ ecclesiæ Pisanæ ab anno 1470. ad 1495. quo obiit.

Ann. Chr. 1219.

XLIV. Præceptum Friderici II. pro monast. Vangaticiensi.

SUBLATO de medio mense majo antecedentis anni Ottone IV. imperatore Fridericus II. pacifice Germaniæ, Siciliæ & Italiæ regnis potitus fuerat, rexque Romanorum agnoscebatur ab omnibus. Cum esset is apud Hagenovum hoc anno petitionibus Johannis abbatis Vangaticiensis Camaldulensis congregationis, quem *religiosum & sanctæ opinionis virum* appellat, annuens, & ob felicem memoriam Friderici avi sui, monasterium prædictum sub sua regali protectione suscepit cum omnibus ecclesiis & bonis ipsius. Indulsit etiam, ut nulli respondere monachi tenerentur, nisi regi & ejus misso. Subscripserunt Gherardus Saltzburgensis episcopus, Albertus Magdeburgensis, Henricus Basileensis episcopi, Rodigerius marchio Montis-ferrati, Hermannus marchio de Baden, aliique. Datum *anno Dominice incarnationis* M. CC. XIX. *quinto kalendas aprilis indictione* VII. *regnante domino Friderico Romanorum rege semper augusto & rege Sicilie anno* VII. per manus Conradi Mettensis episcopi imperialis aulæ cancellarii, & vice Sifredi Moguntini archiepiscopi & totius Alemanniæ archi-cancellarii. Privilegium edidere Muratorius & Silvestrius; nos ex apographis Romualdi Blanci iterum edimus. Fridericus cum duorum esset annorum, rex Romanorum & Germaniæ declaratus fuerat anno 1196. agente in primis Henrico VI. ejus patre. Verum epocha ejus imperii seu regni in nostro privilegio sumitur ab anno 1212. quo rursus a principibus Germaniæ postulatus fuit & electus rex contra Ottonem.

Laudatus Johannes abbas Vangaticiensis litem hoc tempore habebat pro campis Meliadini cum monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus, pro qua definienda utrumque cœnobium in judices arbitros constituit Albertum Bellunensem & Rolandum Varnerium, ut legitur in ms. Vangaticiensi historia [a] nostri Senesii.

a *Pag.* 54.

XLV. Aliud pro congregatione Camaldulensi.

ANTE biduum eodem ex loco idem Fridericus gratioso diplomate regiam suam tutelam concesserat Guidoni priori Camaldulensi ejusque congregationi, singillatim enumerans monasteria omnia, quæ tunc disciplinæ eremi Camaldulensis parebant. Nominavit in civitate Arretina monasterium sancti Petri-minoris, ut ad annum 1209. etiam nominaverat Otto IV. imperator ejus prædecessor; sed ipsum anno 1204. commutatum fuerat, traditumque cœnobio sanctarum Floræ & Lucillæ. Mentionem quoque fecit possessionum, quas habebant Camaldulenses in Broilo. Die XXII. novembris hujus anni Guido prior Camaldulensis legi fecit privilegium

Ann. Chr. 1219.

Henrici VI. Romanorum imperatoris, qui eremo Camaldulensi Broilum cum suis pertinentiis concesserat, & rescriptum Friderici regis, quo mandabat Guelfo Arretino civi, ut ipsos Camaldulenses in possessionem mitteret ejusdem loci, quam ea ipsa die pacifice introierunt, exequente mandatum regium eodem Guelfo. Confirmavit pariter congregationi Camaldulensi in Adrianense episcopatu monasterium de Vangaticia cum ecclesiis suis; in episcopatu Tudertino monasterium sancti Antonii, & in Perusino ecclesiam sanctæ Trinitatis prope civitatem. Præcepto suo roboravit etiam idem rex exemptiones & indulta superiorum imperatorum, & inter cetera, ut nullus possessiones eremi Camaldulensis sine prioris licentia, alias vero possessiones monasteriorum sine consensu prælati & conventus, vendere aut alienare præsumeret; ut nullius civitatis vel castri statuta possent obsistere eremo & locis suis, etiamsi ea forent privilegiis imperialibus communita; præscriptio nisi octuagenaria posset objici; pascua habere pro animalibus, & ligna in alpibus cædere valerent Camaldulenses sine aliorum gravi jactura. Extat hujusmodi privilegium [a] in tabulario Fontis-boni & in illo sancti Mathiæ de Muriano.

a §. *Privilegia.* 41. *A.* 3. 110.

XLVI. Iterum confirmantur Camaldulenses in monast. S. Andreæ de Candiculis.

Ex Viterbio, ubi se receperat Romanus pontifex Honorius III. *propter Romanorum molestias* hoc anno *quinto kalendas novembris pontificatus* sui *anno* IV. iterum mandavit Camaldulensibus reformationem monasterii sancti Andreæ de Candiculis, commendans, quod laudabiliter eam inchoassent, ipsisque præcipiens, ut honestas ibidem personas collocarent, quarum ope disciplina monastica resarciretur. Eadem die episcopo Florentino & archipresbytero ejusdem ecclesiæ scripsit, priorem Camaldulensem, cui idem monasterium reformandum traditum fuerat, sibi exposuisse monachos nigros inde ejectos, & in alia monasteria dispergendos, ausu temerario se in idem monasterium recepisse, ibique divina celebrasse officia, & ex ipso asportasse libros, ornamenta, privilegia resque alias dicti monasterii. Mandavit itaque ipsis, quatenus excommunicationis sententiam, quam propterea in monachos nigros tulerat cardinalis Ostiensis apostolicus legatus, sollemniter innovantes in seditiosos monachos, facerent eam inviolabiliter observari, donec restituerentur ablata, & monasterium in pace sineretur.

XLVII. Clarissis traditur regula S. Benedicti.

a *T. II. p.* 107.

Circa hunc annum idem Ugolinus Ostiensis episcopus & apostolicæ sedis legatus monialibus Clarissis regulam præscripsit observandam sancti Benedicti. Addit Jacobillius [a] eumdem cardinalem præter regulam constitutiones etiam tradidisse congregationis Camaldulensis; idipsum asserit Tornamira in libro cui titulus: *Congregatio Casinensis*; an eas, quas Rodulphus prior IV. Camaldulensis statuerat? Quod liquet, & extra dubitationis est aleam, exploratum est moniales Clarissas pluribus annis regulam Benedictinam professas fuisse, cum in regesto Gregorii IX. ad annos 1227. 1229. 1239. hæc verba legantur: *Abbatissis & monialibus inclusis ordinis sancti Damiani sub regula sancti Benedicti*; quod confirmat Wadingus tum in tomo I. & II. suorum annalium, tum in Apologetici sui de monachatu sancti Francisci Augustiniano defensione, ubi sectione VI. §. V. n. IX. hæc habet: „ Evidenter constat sub illum annum 1238. universas Clarissas sub „ alterutra duarum vixisse regularum, vel sub illa arctiori, quam sanctus Franciscus sanctæ Claræ & Damianissis tradidit, Minorum regulæ „ simillimam, vel sub altera mitiori, quam concinnavit cardinalis Ugo„ linus ordinis protector, ab Innocentio IV. postea confirmata. In hac „ autem pro principali norma tradita est regula sancti Benedicti, unde in „ omnibus privilegiis, quorum plurima exscripsi ad finem tomi I. & II.

„ anna-

„ annalium Minorum, dicitur : Hic ordo institutus secundum Deum & „ beati Benedicti regulam, atque institutionem monialium inclusarum san- „ cti Damiani Assisiatis. " Falluntur autem ii qui autumant sanctimoniales Damianissas professas fuisse regulam sancti Petri Damiani cardinalis, quam tradiderat suis Avellanensibus. Appellantur enim *ordinis sancti Damiani*, non a nomine Petri Damiani cardinalis & propagatoris Avellanitici instituti, sed a monasterio extructo Assisii sub titulo sancti Damiani martyris. Ceterum Grandius noster ex appellatione *monialium inclusarum* confirmat opinionem Jacobillii & Tornamiræ, ipsas nimirum a cardinale Ostiensi Ugolino constitutiones eremiticas Camaldulensium recepisse, apud quos inclusorum & reclusorum nomina potissimum vigebant.

ANN. CHR. 1219.

XLVIII. Virtutes Raynaldi ep. Nucerini.

EPISCOPUS Nucerinus factus Raynaldus, *eamdem morum gravitatem ac modestiam, quam ante inter monachos servaverat, in ea dignitate retinuit*, ut scribit auctor vetus ejus vitæ, quam, antiqua ferente traditione, conscripsisse latino sermone quidam famulus ejusdem sancti viri creditur. *Benignus erga viduas, pupillos atque orphanos, ac summa caritate peregrinos pauperesque complexus. Abstinuit ab splendidis ædificiis & pecuniarum coacervatione; verum quidquid honestæ educationi ac vestitui tum suo, tum clericorum ac reliquæ familiæ supererat, jubebat in pauperes errogari. Pauperculus quidam infans utroque orbus parente erat Nuceriæ omnium subsidio destitutus, ac magna oppressus necessitate. Quo intellecto vir Dei Raynaldus jussit illum ad se afferri, atque in ædibus suis affectu paterno educari. Eumdem ætate aliquanto majorem voluit peram de collo gestare, ac continue ad suam mensam accedere, docuitque eum tum a se, tum ab aliis convivis, clericis ac laicis, stipem emendicare his verbis: Date mihi pauperi eleemosynam ob amorem Dei & virginis Deiparæ. Hoc Sanctus faciebat, ut perpetuo Christi memoria innovaretur. Severus in seipsum Raynaldus lectum sibi a famulis stratum non admittebat, sed totis ferme noctibus orationi intentus vigilabat, aut si somno opprimeretur, humi cubabat vel supra mensam; atque ita lectus, qua pridie fuerat arte compositus, proxima luce reperiebatur intactus. Imitabatur hac in re beatum Facundinum decessorem suum magna virum sanctitate ac perfecta virtute eximium, solitum & lecti mollitiem declinare, ut nocturnis orationibus intenderet, & asperam in solitudine vitam ducere, ubi libertate majori precibus vacaret.* Sanctus Facundinus fuerat episcopus Tadini antiquæ urbis prope Gualdum & Nuceriam, cujus maceriæ Nucerino tunc suberant episcopatui. *Effervescebat Raynaldus ardore divinæ justitiæ adversus homines in peccatis obduratos. Nam cum benigno animo ac misericordi susciperet, quos peccatorum tæderet, contritos atque humiles effectos, ita jus cuique suum distribuens severe castigabat, quos animadvertebat e vitiorum cœno nolle emergere. Dum diœcesim invisurus subditos obiret, emendationi morum ac correctioni clericorum serio incumbebat, & populos sibi commissos summa cum fide gubernabat. Nefarii aliquot homines ædem sancto Petro sacram in territorio Gualdensi sacris libris atque ornamentis spoliarant, ac domos vicinas incenderant, cum vir Dei versus parochiam sanctæ Felicitatis iter faceret; qui mox convocato clero populoque impios illos ac sceleratos anathematis vinculo obstrinxit. A bonis piisque hominibus, qui eum ut virum sanctum suscipiebant, unice amabatur, ab impiis vero & sceleratis, quia morum noverant severum correctorem, plurimum metuebatur.*

Die duodecimo exeuntis mensis septembris tempore domini Honorii pape, vertente controversia inter Hermannum abbatem Vallis-castri & inter Albizonem Marci, qui petebat a monasterio quartam partem Civitellæ,

Ann. Chr. 1219.

ſicut continetur in inſtrumento facto a domino Matthæo, eadem quarta pars Civitellæ adjudicata fuit Valle-caſtrenſi cœnobio, juxta definitionem factam a Bentivolo electo arbitro ab utraque parte. Nota dignum eſt in inſtrumento, quod damus in Appendice ex tabulario ſancti Blaſii de Fabriano, nominari inter ſinaitas ſeu confines caſtri Civitellæ *aquam, que vadit ſuper heremum;* ex quo intelligimus etiam ſeculo XIII. eremum ſemel fundatam a ſancto Romualdo prope cœnobium Valle-caſtrenſe perſeveraſſe, ſicut in aliis cœnobiis ab ipſo inſtitutis vel reformatis.

XLIX. Fundatio monaſterii Porcilienſis prope Paduam & de Compagno primo priore.

EODEM *anno milleſimo ducenteſimo nono decimo indictione* VII. *die decimaquarta intrante novembri* Paduæ in epiſcopali capella, coram aliquot canonicis Paduanis & coram Jordano priore monaſterii ſancti Benedicti aliiſque, Jordanus epiſcopus Paduanus Petro de Bonicis conceſſit lapidem primarium, pro religionis eccleſia ædificanda ad honorem ſanctæ Mariæ in loco dicto Porcilia in confinio Paduæ prope fluvium Medoacum, ſalvo tamen quod eadem eccleſia ſubeſſet epiſcopo Paduano, ſalvis etiam jure canonicorum in decimis, & jure eccleſiæ ſancti Thomæ de Arena. Hæc de ea eccleſia auctor anonymus in chronico Patavino editus a Muratorio inter ſcriptores rerum Italicarum [a]: *Incœpta fuit eccleſia ſanctæ Mariæ in Porcilia die* XIII. *intrante novembri tempore epiſcopi Jordani, & Petrus de Bonicis dedit primum lapidem*. In mantiſſa adjecta vetuſtiſſimo mſs. chronico monachi Paduani refertur [b] ædificatio eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Porcia ad annum 1214. Chartam hujus anni proferimus ex exemplo authentico monaſterii ſancti Michaelis de Muriano, cui temporis progreſſu cœnobium Porcilienſe fuit adjunctum, quod olim eremi Camaldulenſis diſciplinam ſectabatur, & de quo plura edemus in Annalibus.

a T. XIV. col. 1129.

b Ibid. col. 736.

Primus Porcilienſis monaſterii prior electus fuit Compagnus, qui poſtquam quadraginta & quinque annis regiminis locum tenuit, ſanctitate clarus ad Deum tranſiit anno 1264. beatique titulum & cultum obtinuit prius in eccleſia Porcilienſi, deinde ſolo æquatis eccleſia & monaſterio Porciliæ, in eccleſia ſancti Benedicti ſeu beati Antonii Peregrini, ad quam translatum fuit ejus ſacrum corpus poſt initia ſeculi decimi-ſexti. Ad inſtar beati Jordani conditoris monaſterii ſancti Benedicti de Patavio duplex virorum & mulierum cœnobium erexit in eo campo, quod extra portam Patavinam alluebatur aquis fluminis Medoaci, & inſuper ædificatis domibus & cultis vineis in eodem campo alteram congregationem inſtituit virorum ſimul & feminarum, cui nomen dabant tam conjugio adſtricti quam ſoluti, viduati quoque & adoleſcentuli; quem cœtum tertiariorum, ut vocant, appellare etiam nos poſſumus, quos in Appendice ad primum Annalium noſtrorum volumen ad quamdam converſorum claſſem revocavimus. Pro horum regimine ſtatuta quædam condidit, quæ ex pagina poſſeſſionis traditæ domorum & hortorum anno 1222. ex tabulario monaſterii ſancti Michaelis de Muriano [c] erant hujuſmodi: „ Quod tenerentur „ religioſe & caſte omnimode in vita & habitu vivere, & in eiſdem domibus habitare; quod non deberent facere aliquod juramentum vel querimoniam coram judice de aliquo homine, nec deberent operari aliquam artem vel facere forum, vel mutuum, vel pignorationem terræ, ſeu blavæ, vel vini vel olei per ſe, nec in ſocietate cum aliis ſine licentia prioris vel ejus ſucceſſoris; quod deberent claudere ſupradictum campum ante & retro, & quod ipſi tenerentur unuſquiſque coram ſe defendere ripam fluminis ad voluntatem prioris cum conſilio majoris partis habitatorum ejuſdem campi ſanctæ Mariæ; item ſi de propria voluntate vellent recedere, non petita licentia prioris, & ad-

c Capſ. 34. 2.

„ moni-

„ moniti, post octo dies reversi non fuerint, caderent ab omni jure, „ & usufructus ipsorum libere reverteretur ad priorem sanctæ Mariæ; „ item, si quod absit, aliquis vel aliqua habitantium super campum in „ fornicationem vel adulterium vel percussionem alterius, sive in aliquod „ famosum vel mortale peccatum ceciderit, & correctus vel correcta a „ priore & ad voluntatem ipsius non steterit, & non se emendaverit, post „ primam & secundam correctionem ab omni jure suo decideret, & tunc „ ipse prior posset & deberet ipsum vel ipsam expellere de supradicto cam„ po sub pœna librarum decem denariorum Venetorum." In alia investitura [a] domus in eodem campo facta anno 1264. cuidam feminæ olim uxoratæ, & tunc viduæ, domus possessio ipsi traditur, *dummodo vivat honorifice in castitate*. Ita præscribitur in altera anni 1271. facta cuidam viro cum uxore sua & filiis. Appellatur in aliis paginis hujusmodi congregatio *Conventus Campese*, habitumque distinctum in his domibus deferebant inhabitantes a viris & a mulieribus secularibus; quare profitebantur, quando intra campum recipiebantur, *se velle vivere & mori in habitu religionis ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Porcilia*. Superiora profecto statuta, distinctio habitus, & promissiones in receptione habitus indicant subjectionem eorum hominum & mulierum obedientiæ prioris Porciliensis, qui insuper per se & per monachos suos eisdem conferebat sacramenta & ad divina officia vocabat. Sed de ea re, litibus & decisionibus, nec non de memorabilioribus ipsius loci rebus nonnulla suis annis.

Ann. Chr. 1219.

a Capf. 34. n. 29.

Tam longi etiam regiminis tempore plures Compagno priori factæ fuere donationes, plura ipsi vendita bona, itaut brevi intervallo a sui fundatione monasterium Porciliense illustre evaserit, & prima monachorum alborum domus post illam sancti Benedicti in urbe Patavina. Post triennium, hoc est [b] *anno* M. CC. XXII. *indictione* XI. *die* X. *intrante octobri* Vvido de Landriano Paduæ potestas, Bethleem judex, & Albertus de Magnano procuratores communis Paduæ, præsentibus & consentientibus Patavino de Orsato, Basilio Petro de Calderia, Adam & Vuertio judicibus, Bartholomæo Macharuffi, Menegacio de Burgo, Paulo de Vicoaggeris, Rufo Vitaclini de Conrado, Adamato de Gumberzono, Quartarola & Vilielmino Bonifacini officialibus communis Paduæ, Rugerio judice, Nigro milite, Bartholomæo judice & pluribus notariis & de voluntate etiam Paduani consilii donaverunt eidem Compagno rivum aquæ ad molendina construenda, super quibus aqua & molendinis cum orta fuisset controversia anno 1224. [c] inter ipsum priorem Compagnum, & inter Johannem priorem sancti Gregorii factum fuit compromissum in Jordanum episcopum Paduanum. In chronico Patavino apud Muratorium [d] Guido de Landriano adnotatur potestas Patavinus sub anno sequenti. Præfectura tamen ipsius statuenda est ad annum 1222. ex pagina nostra, in qua indictio XI. mutata fuerat mense septembri.

b Capf. 30. 1.

c Ibid. n. 2.

d T. IV. Antiq. col. 1129.

In catalogo ms. quem exaravit Petrus Bonamicus historicus & civis Arretinus circa annum 1580. legitur ad hunc annum obitus beati Gregorii Arretini Camaldulensis eremitæ, de quo nil est, quod proferamus, præter solum nomen.

Anno M. CC. XIX. *die quintadecima aprilis indictione* VII. *Christo auctore* in locum Grimaldi prioris sancti Benedicti de Vivo electus fuit Johannes, consentiente Oderisio abbate Argiani aliisque monachis Vivensibus, qui obedientiam præstitit Guidoni priori Camaldulensi. Actum in capitulo Camalduli Florentini in præsentia Viviani abbatis Morronensis, & Donati prioris Camalduli Florentiæ aliorumque monachorum hujus cœnobii.

Ann. Chr. 1219. nobii. Sub Johanne composita fuit controversia quoad ecclesiam & monasterium sanctæ Mustiolæ Senensem episcopum inter & monachos Vivenses, ut vidimus anno antecedenti.

Anno M. CC. XIX. sed more Florentino, die decima februarii indictione VIII. Johannes appellatus *camerlingus monasterii de Camaldoli majore de l' Alpe* pro solvendo debito usurario librarum M. CC. XCVI. Bernardo Calcagni accepit mutuo a Todino Dante quondam Jannis Malaspina de Florentia libras CXVI. denariorum Pisanorum, reddendas intra annum sub pœna dupli, obligatis omnibus bonis, quæ dictum monasterium habebat in curte & castro de Romena. Consenserunt huic promissioni Guido Camaldulensis prior, Johannes sacrista eremi, Henricus reclusus, Guido, Loterengus, Johannes Albertus, Simon eremitæ, Petrus cellerarius, Rainerius, Hieronymus, Johannes, Petrus, Dominicus, Bartholus, Ugo, Mannus eremitæ, Nicolaus, Placidus, Ericus, Crescentius monachi, Johannes sacrista Fontis-boni, Benedictus, Accarisius monachi, Basilius cellerarius, Andreas, Dignus & Felicianus monachi.

Ann. Chr. 1220.

L. Diploma Friderici II. Martino abbati Classensi.

FRIDERICUS Romanorum rex II. in castris prope Bononiam consistens hoc *anno millesimo ducentesimo vigesimo mense octobris indictione* IX. mutata mense septembri *anno* ejus *Romani regni in Germania* VIII. *& in Sicilia* XXIII. Martinum abbatem sancti Apollinaris in Classe ipsiusque monasterium sub sua regali protectione recepit, confirmans, ut omnes personæ in eodem cœnobio & in ejus pertinentiis residentes plena fruerentur libertate, nec ad publica opera ullo modo cogerentur, exemptæ forent a publicis collectis, exactionibus & hospitationibus. Decrevit, ut si quando præfatus abbas aut ejus fratres, seu eorum homines convenirentur coram judicibus, sive causam amitterent, sive obtinerent, pro libra nonnisi duodecim denarios persolverent, & infra quadraginta dies eorum causæ deciderentur. Statuit, ut commune Cæsenæ, & homines dicti communis molestiam non afferrent possessionibus dicti monasterii constitutis in curte Salæ & in curte castri Casalicli, & curte castri Pissatelli, immo dictas possessiones liberas & quietas dimitterent eidem monasterio. Ita quoque commune Fani non molestaret prædia Classensis cœnobii sitas in Marchia in loco dicto Ravignana, & si quos homines dicti monasterii præfatæ communitates recepissent, ipsos libere & quiete restituerent eidem cœnobio. Subscripsere Fridericiano præcepto Bertholdus patriarcha Aquilejensis, Sifridus Augustensis, Ulricus Pataviensis episcopi, Ludovicus dux Bavariæ, comes Palatinus Rheni aliique. Proficiscebatur rex Fridericus ex Bononia Romam versus, ut coronam imperii obtineret, quam de manu Romani pontificis Honorii III. recepit una cum Constantia uxore die vigesima-secunda novembris.

LI. Alterum Gratiano abbati Burgensi.

IDEM imperator septem dies post suam coronationem monasterium Burgi-sancti-sepulcri situm in comitatu Castelli, ipsiusque abbatem Gratianum sub tuitione Romani imperii admisit, rata habens omnia privilegia & indulta a suis prædecessoribus eidem abbatiæ concessa, ecclesias quoque & bona omnia collata ipsi loco, & nominatim ecclesiam illam, quæ est juxta claustrum monasterii & juxta plateam Burgi, & aquam illam regalem, quam habet in flumine Tiberis & massaritias de Casaprati, res quoque & possessiones omnes Burgensium, quas habent, vel acquisierint voluntate prædicti abbatis. Item prædia ejusdem monasterii libera & absoluta esse decrevit, quorum, cum fuerint injuste occupata, post trinam requisitionem liceret abbati & ejus successoribus possessionem ingredi. Statuit,

tuit, ut capitanei habitatores dicti Burgi eorumque masnaderii de cetero non possent reædificare castella, quæ sua voluntate destruxerunt, neque per se vel per alios contraire conventioni ab ipsis juramento firmatæ. Quæ omnia confirmavit & concessit dicto abbati, totamque jurisdictionem Burgi ejusque pertinentiarum, quam de jure tenere debet; ut justitiam faceret per se vel per consules, qui eligerentur consensu ejusdem; nullaque ecclesiastica persona vel secularis ecclesiam aut hospitale in Burgo vel ejus districtu sine licentia abbatis construeret. Consules vero Aretinæ & Castellanæ civitatum abbati, abbatiæ, & Burgensibus adjutorium præstarent, nullasque molestias inferrent. Præcepit demum, ne Burgum quis unquam extenderet vel crescere faceret, nisi in allodium abbatiæ. Quæ omnia si quis fregerit, pœna librarum 1000. argenti puri mulctaretur, solvenda pro medietate cameræ imperiali, pro altera abbatiæ præfatæ. *Acta sunt hec anno Dominice incarnationis* M. CC. XX. *decimotertio kalendas decembris indictione* IX. *regnante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto & rege Sicilie, anno Romani imperii ejus primo, regni autem Sicilie* XXIII. testibus iisdem patriarcha & episcopis, & insuper Alberto Tridentino electo, Bertholdo Brixiensi episcopo, Ludovico duce Bavariæ, comite Palatino Rheni, Guilielmo marchione Montis-ferrati, Azzone marchione Estensi aliisque, Conrado Mettensi & Spirensi episcopo & cancellario vice Coloniensis archiepiscopi chartam roborante. Gratiano abbati Burgensi locum fecerat Petrus ejusdem monasterii abbas. ANN. CHR. 1220.

Ante biduum, *quinto* nimirum *kalendas decembris indictione* VIII. non mutata septembri, literas dederat ex castris prope Sutrium in pede montis Rosi, redux scilicet ab Urbe, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, marchionibus, comitibus &c. quibus narrata sui assumptione ad imperium, legatum suum in Italia plena potestate functurum constituit Conradum episcopum Mettensem. Mense decembri e castris apud Urbem aliud diploma dilargitus fuit monasterio sancti Benedicti supra Padum & Azoni abbati, confirmans ipsi inter cetera monasterium Sextense. Demum per hæc tempora etiam Amelrico abbati sancti Severi in Classe privilegium indulsit confirmationis bonorum ejus monasterii. Primum ex Classensi tabulario, secundum ex authentico Fontis-boni, ex exemplis vero Classensibus tertium, & quintum, quartum autem ex authentico monasterii sancti Pontiani de Luca integra damus in Appendice.

HOC anno, teste Fortunio „ Ugolinus episcopus Ostiensis & Velitrensis „ ac S. R. E. cardinalis beato Francisco Assisiate comite, ad eremum „ Camaldulensem se contulit, cellamque cum sacello in capite eremi, „ quæ ad hanc diem celeberrima visitur, sibi statuens, eremiticum con„ victum vitæque austeritatem incredibili animi ac corporis consectari vo„ luit constantia. Quam vitæ degendæ rationem (subdit idem historicus „ noster) & ipse quoque beatus Franciscus per sex menses omnibus san„ ctis operibus pollens ad ejus solatium inire non recusavit. Quo tem„ pore cellam suam notissimam habitavit, quæ ad hanc diem ex ejus „ nomine cella sancti Francisci nuncupatur. Et propter sanctissimi viri „ memoriam a priore, seu majore patre sacri loci incolitur. Post hæc „ vero gregis sui ovile repetens ad Alverniæ montem profectus est, „ ubi stigmata vulnerum corporis Domini nostri Jesu-Christi cœlitus mi„ rabiliter meruit accipere. " Non dissentit [a] Wadingus in Annalibus Minorum dicens: „ Franciscus vero in suo recessu ab Bononia vocatus & „ invitatus est a cardinale Hugolino, ut per aliquot dies secum secede„ ret

LII. Ugolinus Ostiensis ep. & card. secedit in eremum.

a T. I. pag. 339

Ann. Chr. 1220.

„ ret in eremum Camaldulensem, & in religiosa illa solitudine superna- „ rum rerum meditatione animum per varia distractum, & corpus mul- „ tis attritum laboribus immensoque dissolutum itinere aliquantisper re- „ focillaret. Annuit libenter vir sanctus, & ferme integro mense, ut „ habent Marianus & Miglius, ad tanti viri solatium eremiticum con- „ victum vitæque austeritatem sibi jam familiarem, incredibili animi & „ corporis consectatus est voluptate. Augustinus Florentinus ejusdem ere- „ mi monachus per sex menses ibi stetisse asserit: id porro non adeo pro- „ babile, saltem hoc anno, quo eum cum Ugolino ibidem fuisse scri- „ bunt communiter nostri, atque ipse indicat Augustinus. Namque, ex „ testimonio archidiaconi Spalatensis, in festo assumptionis virgineæ Bo- „ noniæ prædicasse constat, & ad festum sancti Michaelis archangeli co- „ mitia iniit generalia sui ordinis Assisii. Porro cardinalis cellam cum „ sacello in capite eremi, quæ ad hanc diem celeberrima visitur, sibi „ statuit, & Franciscus alteram proxime adjunctam illi, quam sanctus „ Romualdus vivens inhabitaverat, quæ ad hanc diem notissima, ex ejus „ nomine cella sancti Francisci nuncupatur, & ab alio nullo, religionis „ ergo, incolitur, præterquam a priore seu majori patre illius eremi. “ Sed sive per mensem, sive per dimidium anni eremum Camaldulensem inhabitaverit sanctus Franciscus, vel præsenti, vel alio anno, addunt Marianus & Miglius apud eumdem Wadingum „ illius regionis viros non „ solum sollemne festum ibi indixisse sancti patriarchæ, verum & statu- „ tum condidisse, ut in toto ordine Camaldulensi in ejus natali canere- „ tur antiphona Minoribus assueta: *Salve sancte pater &c.* “ Cella, in qua commoratus est sanctus Franciscus, licet ex quinque primis foret a sancto parente Romualdo fundata, adhuc retinet sancti Francisci nomen, & vetustate pene collapsa, circiter annum 1508. in gratiam Juliani Laurentii de Medicis, qui eam incolere, atque eremitam agere proposuerat, fuit in ampliorem formam restaurata, atque decreto capitulari anni 1527. in habitationem majoris eremi fuit deputata. Sed anno 1607. denuo reparata aureis ducentis nummis, quos Alexander Perettus cardinalis Montaltus in honorem sancti Francisci obtulit, stemmate & inscriptione pii purpurati ornata fuit. Videbimus eumdem cardinalem Ostiensem etiam anno 1223. in castro Socii, quod proximum est eremo Camaldulensi, prædicationis officium exercuisse; atque propterea certum omnino non esse ipsum anno præsenti eam solitudinem incoluisse, & ad summum ad hos circiter annos revocandam esse cardinalis commorationem in eremo Camaldulensi; nisi illud etiam dicamus longiorem hoc anno moram in ipsa traxisse Ugolinum, annis vero sequentibus dilectam solitudinem ad breve tempus frequentius repetiisse.

LIII. De iis, quæ in ea eremo egit Ugolinus.

Ceterum „ commorans in Camaldulensi eremo idem cardinalis sa- „ crum fecit, testimonio ejusdem Fortunii, altare sanctorum apostolorum „ Petri & Pauli, quod extra chorum templi fundatum fuerat, kalendis „ septembris, oratorium pariter cellæ suæ Deiparæ Mariæ semper virgi- „ ni sacraverat XI. kalendas septembris; centum dierum indulgentiam il- „ lud pie adeuntibus concesserat. Postea cum ædes sacræ eremi, quam „ sanctus pater Romualdus erexerat, vetustate collapsa instaurata & am- „ pliata fuisset, & pari modo Fontis-boni basilica, ipse celeberrimo ritu „ pontificali ornatu indutus utramque sacravit. Templum quidem sacræ „ eremi in honorem sancti Salvatoris & beatæ Mariæ virginis, necnon „ sancti patris Romualdi, & postera die Fontis-boni delubrum Deo optimo „ maximo & beatis martyribus Donato & Hilariano, necnon sanctis Floræ

„ &

„ & Lucillæ. Quibus accessit consecratio aræ beati Thomæ apostoli extra „ delubrum positæ; quibus peractis inclusionem in ipsa sua cella maxima „ alacritate arripuit. " Ad calcem regulæ eremiticæ impressæ in monasterio Fontis-boni, quæ signatur litera H. IV. & adservatur in bibliotheca ejusdem eremi, hæc leguntur. *Anno Domini* M. CC. XX. *undecimo kalendas septembris dominus Ugolinus episcopus Hostiensis & Veletrensis cardinalis, qui postea fuit papa Gregorius nonus, consecravit cellam suam, quam fieri fecit in heremo suprascripta, ad honorem præcelsę Dei genitricis Marię. Sequenti die consecravit ecclesiam heremi denuo constructam ad honorem Christi veri Salvatoris, & beatissimæ virginis Mariæ, & beatissimi Romualdi confessoris. Alia die consecravit ecclesiam de Fonte-bono ad honorem omnipotentis Dei, & beatorum martyrum Donati & Hilariani, & sanctarum virginum Floræ & Lucillæ. Transacto itaque tempore, quando fecit moram in cella præfata fere per tres menses, consecravit altare sancti Petri apostoli, quod est in ecclesia eremi præfatæ extra chorum die kalendis septembris. Item paucis diebus transactis descendit ad Fontembonum, & consecravit altare sancti Thomæ, quod est exterius.* In necrologio parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia ad diem XI. kalendas septembris, qua refertur sancti pontificis obitus, legitur. *Obiit bonæ memoriæ domnus Gregorius papa nonus, qui cellam suam in heremo consecravit.*

Subdit deinde idem Fortunius, quid ei celebranti contigerit, & prædictionem pontificatus maximi ei factam a converso ministrante his verbis: „ Vetustissima, inquit, sacræ eremi consuetudo fuit, ut eremitis, qui da„ mnatis januis procul ab omni mortalium consortio regi tantum seculo„ rum in cella sua militare statuerint, unus constituatur minister, qui „ omnibus in necessitatibus eisdem præsto inserviat, præcipue vero si in„ clusus sit sacerdos, singulo quoque mane rei sacræ faciendæ gratia ad „ ejus oratorium assistat, eique operam suam in sacro ministerio impen„ dat. Per id tempus, quo cardinalis Ugolinus Camaldulensem eremitam „ agebat, sacra eremus Leonardum magna sanctimonia virum alebat. „ Quem cum prior ac patres cardinali consueta servitia impendere jussis„ sent, vir venerabilis tanta humilitate ac caritate se comparavit, ut „ cardinalis mirandum in modum ejus exemplo in sancta consuetudine „ proficere visus sit. Porro quadam die, dum pientissimus antistes rem „ divinam faceret, factum est divina providentia, ut Leonardus super „ ejus caput in consecratione corporis ac sanguinis Christi columbam de „ cœlo descendere ac requiescere viderit. Itaque ubi finis Missæ imposi„ tus est, Leonardus ad præsulis pedes maxima humilitate se provolvit, „ ipsumque non diutius in eremo mansurum, sed ad gregis Christi pasto„ ralem curam promotum iri liberaliter prænunciavit. Cujus vaticinia „ talem finem mox sortita sunt, ut paucis post diebus Ugolinus a pon„ tifice ex eremo a pedibus Domini, licet omnino invitus, ad Marthæ „ ministerium revocatus sit, legatus ad Venetiarum senatum atque civi„ tatem destinatus. Quo cum venerabilis vir se contulisset, opportunum „ auxilium surgenti sancti Michaelis Muriani cœnobio præstitit. " Sed de ea re anno sequenti.

Commorationem suam in eremo Camaldulensi fatetur & ipse Ugolinus jam creatus Romanus pontifex sub nomine Gregorii IX. in epistola, qua anno 1227. notitiam dedit iisdem Camaldulensibus eremitis de sua promotione ad Romanam cathedram. *Quia*, inquit, *importuna lippientis Liæ instantia nos frequenter a suavibus perspicacis Rachelis amplexibus avellente, ipsi Deo precibus insistere non possumus, ut oportet, vos qui ad*

Ann. Chr. 1220.

LIV. De Leonardo sanctissimo eremita recluso.

pedes ejus sedetis jugiter cum Maria, & quibus AB OLIM NOS JUNXIMUS *bitumine caritatis, sollicitandos duximus* &c.

Ex suprarelata narratione patere errorem, subdit idem historicus noster, „ nonnullorum existimantium Ugolinum Romanum pontificem factum fuisse, dum in sacra eremo ageret, propter mysterium columbæ, „ & pari modo propter vaticinium beati Leonardi; idem enim veritati „ apertissime adversatur, cum ex ipsa Veneta legatione, tum ex his, „ quæ a scriptoribus ejus vitæ concordissime prodita sunt. Porro beati „ Leonardi vaticinium nihil aliud includit, quam quod illum pontificem „ futurum prædixerit. " Wadingus prædictionem pontificatus Ugolini tribuit sancto Francisco Tomo I. annalium, sed in II. tomo tribuit Leonardo Camaldulensi eremitæ. Utrumque verum erit. Ciacconius vero Leonardum facit unum ex sanctis Francisci sociis, cum compertissimum sit unum fuisse ex eremitis Camaldulensibus. Abscedente Ugolino, sequitur Fortunius, beatus Leonardus instantissime petiit recludi in cella ejusdem cardinalis, ubi postea felicissime ad Deum transivit, & sequens elogium meruit, quod hic adnectimus:

BEATI. LEONARDI. EREMITAE. RECLVSI. OSSA HIC. SITA. SVNT. CVIVS. ANIMA. POST. LONGAM CARNIS. MACERATIONEM. VISA. EST. IN. SPHAERA IGNEA. CAELI. SECRETA. PENETRARE. ATQVE EREMI. CAMPANA. ABSQVE. MORTALIVM. OPE. PVLSARI AVDITA. EST. HIC. QVOQVE. PROPHETICO. SPIRITV REVERENDISSIMVM. HVGOLINVM. CARDINALEM IN. HAC. TVNC. CELLA. RECLVSVM. FVTVRVM. PAPAM PRAEDIXIT. QVOD. ITA. FACTVM. EST. ET. GREGORIVS VIIII. NVNCVPATVS.

In exemplo regulæ existente in bibliotheca Fontis-boni signato H. IV. ad calcem hæc de Leonardo leguntur: *In illa theca, quæ est super altare in oratorio cellæ domini papæ eremi Camaldulensis sunt ossa corporis sanctissimi Leonardi Camaldulensis eremi eremitæ inclusi, cujus anima post longam in ipsa eremo macerationem carnis visa est, ut fertur a quodam fide digno, qui tunc præsens erat, in sphæra ignea cœli secreta penetrare, & etiam nullo homine pulsante audita est ejusdem eremi campana pulsari, propter quod multum debent eremitæ ad serviendum Altissimo excitari, qui sic suos remunerat servos. Amen.*

„ Apparet item, prosequitur idem historicus Camaldulensis, erronea „ opinio Andreæ Mugnotii Hispani, qui in sua descriptione situs sacræ „ eremi Camaldulensis falsa relatione deceptus, tum similiter Silvani Ra- „ ctii, qui scripserunt in silva eremi adhuc affixam esse crucem ad rei „ memoriam in loco, ubi ipse cardinalis legatis ac ministris curialibus „ obviam processit, ne forte in eremo occasionem conturbandæ quietis „ ac contemplationis patrum excitarent. " Id enim verum fuit, subdit Fortunius, quatenus occurrit eis, non ut pontifex creatus, sed uti cardinalis, dum summi patris mandata capesseret, Venetæ legationis munus suscipiendo. Impegit in eumdem errorem etiam Ciacconius, electum Ugolinum existimans Romanum antistitem, dum in eremo Camaldulensi

moras

moras traheret. Ex his etiam patere concludit Fortunius sufficiens responsum contra illos, qui ipsum sacram eremum incoluisse credere nolunt, quia qui ejus gesta literis mandarunt, ea de re nullam mentionem fecere. „ Ridicula, inquit, consequentia profecto. Siquidem in vitis pontifi- „ cum, non cardinalatus & privati status gesta, sed facinora in aposto- „ lica administratione cujuslibet pontificis satis ample & magnifice pro di- „ gnitate celebrari ac posteritati prodi consuevere. Porro nullibi in vita „ ipsius Gregorii IX. habetur mentio, quatenus is Veneta fuerit persun- „ ctus legatione, & tamen de ea magis liquet Venetiis, quam ignoret „ nemo. Præterquamquod ex consecrationis templi sancti Michaelis Mu- „ riani diplomate omnis tollitur dubietas &c. “

ANN. CHR 1220.

Fortunii narrationem non recipimus omni ex parte. Non enim exploratum est Leonardum fuisse conversum Camaldulensem. Legitur ad annum 1207. [a] in tabulario Fontis-boni Leonardus inter apertos, quos vocabant, eremitas procuratorem una cum aliis eligens quemdam pro eremo contra Anglarienses. Anno 1215. [b] recensetur inter fratres inclusos Camaldulenses, qui simul cum sociis suis elegit Urbanum priorem Camalduli Florentini actorem litis inter eremum Buldronensem, & inter plebanum sancti Stephani in Pane. Die vigesima-quinta septembris anni 1221. [c] Guido prior Camaldulensis cum consensu fratrum suorum domnorum Leonardi, Viviani, Johannis, Alberti, Guidonis, Henrici, Loteringi inclusorum, & Johannis operarii, Dominici cellerarii, Simonis, Rainerii, Gerardi & Bartholi eremitarum, & aliorum fratrum Fontis-boni, vendidit Guidoni priori Camaldulensis eremi Bononiensis terras eremo Arretinæ donatas. Die etiam nona aprilis anni 1223. [d] Leonardus primus legitur inter eremitas reclusos, qui consenserunt electioni sindici contra homines curiæ Cagioli. Non itaque ex numero conversorum, sed ex numero fuit monachorum Leonardus, sicut etiam non abscedente dumtaxat Ugolino cardinale, reclusionem petiit. Ad annum 1227. non amplius reperitur ipsius nomen, quo proinde anno facile jam ad Deum transierat. In bibliotheca eremi Camaldulensis invenimus exemplar epistolæ regi Hispaniarum scriptæ a quodam Leonardo Arretino ob importunas preces illius familiarium, qui Leonardus alius non videtur, quam beatus hic eremita, qui hoc tempore sanctitate clarus & fama inculpatæ vitæ degebat in eremo Camaldulensi.

a §. *Mandatum* 1. *A*. 3. 53.

b *Inter chart. Buldr. monast.*

c §. *Emptio* 279. *A*. 3. 23.

d §. *Mandatum* 2. *A*. 3. 46.

Certum quoque non est Ugolinum in eadem eremo commorantem commissionem legationis Venetæ a Romano pontifice accepisse. Venetiis enim, & quidem ut legatus apostolicus fuerat anno antecedenti, aliisque annis, ut clarum fiet ex documentis, quæ afferemus anno sequenti. Legatum enim apostolicum agebat & in Thuscia, & in Æmilia, & in Veneta ditione, non præsenti tantummodo anno, sed & annis præteritis, & sequentibus. Demum, quæ narrat Fortunius, Leonardum super caput cardinalis sacrum facientis vidisse Spiritum-sanctum in columbæ specie, nullibi se legisse vel audivisse affirmat Petrus Delphinus in epistola ad Thomam eremitam sive ad Paulum Justinianum de prædictis Delphinum consulentem anno 1510.

LV. Lites aliquot monasteriorum compositæ, aliaque ad plura cœnobia spectantia.

In tabulario monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia habetur sub hoc *anno* M. CC. XX. *tempore Honorii pape & Friderici imperatoris die quinta exeunte novembri indictione* VIII. compromissum Alberti prioris ecclesiæ & monasterii sancti Prosperi de Faventia, & Ugonis abbatis prædicti monasterii in Rolandum Faventinum episcopum, qui componeret omnes lites, discordias & controversias, quæ inter ipsos eo-

Ann. Chr. 1220.

rumque monasteria vigebant super quantitate pecuniæ solvendæ a dicto abbate eidem priori pro medietate possessionis, in qua erant ædificata molendina extructa in Bussetto. Debebat tamen episcopus judicare ante quindecim dies, quo termino elapso licebat eidem abbati regressum habere ad abbatem sancti Ambrosii de Racla, & ad ejus conjudices delegatos a Romano pontifice Honorio. Ex hac pagina convincitur Rolandum episcopum Faventinum saltem ad finem hujus anni pervenisse, quem Ughellius [a] succedente ei Alberto obiisse putavit anno antecedenti. Monasterium sancti Prosperi erat domicilium canonicorum. Abbatia autem sancti Ambrosii de Racla vel Raucha, Rato, Rancio, appellata a Rubeo de Rancle, constituta erat in territorio Sarsinate.

a T. II. col. 500.

Alterius controversiæ inter Bonum presbyterum & œconomum sancti Victoris de Clusis, & inter filios Ormanni mediator fuit in castro Cerreto Acto Camerinensis episcopus, alter ab Attone, qui anno 1197. interfuit consecrationi ecclesiæ Avellanensis, cum inter utrumque Attonem Johannes Camerinensis episcopus medius fuerit, ut observavimus ad annum 1210. Atto II. memoratur etiam in pagina monasterii sancti Blasii de Fabriano sub anno 1218.

Ex tabulario ejusdem abbatiæ sancti Blasii Adam rector ecclesiæ sancti Petri de Vipricellis obedientiam promisit Hermanno abbati sancti Victoris de Clusis, cui monasterio subjecta erat eadem ecclesia. Ex illo vero Fontis-boni [b] eamdem obedientiam & reverentiam spopondit abbati Vergaretano Ubaldus presbyter ecclesiæ sancti Petri de Corzano, sive in Bagno, talibus verbis utens in præsentia Ildebrandi prioris sancti Hilarii de Balneo: „ Confiteor ego presbyter Ubaldus me vobis domno abbati de „ Vergareto obedientiam promisisse & eam plene non servasse, & pro „ eo, quod inobediens fui vobis, nempe non parendo mandatis, nunc te- „ nebam me excommunicatum. Volens itaque in præsenti, sicut teneor, „ in omnibus ad omnia mandata vestra reverti, juro ad sancta evangelia „ vobis vestrisque successoribus parere, & deinceps tam in spiritualibus, „ quam in temporalibus in omnibus, sicut subditus tenetur obedire suo „ prælato. “ Abbas autem ipsum Ubaldum ab excommunicatione, qua „ ipsum ligaverat, absolvit & rursus investivit de ecclesia de Corzano. „ Actum in ecclesia sancti Angeli de Vergareto. “ Sed de monasterio Vergaretano ejusque manualibus sive subjectis ecclesiis plura seculo sequenti, quo ea abbatia unita fuit eremo Camaldulensi, licet antiquissimas origines habuerit ipso vivente sancto parente Romualdo, ut fusius declaravimus tomo primo horum Annalium.

b §. Promissio 73. A. 3. 10.

Demum Guido prior Camaldulensis die prima februarii [c] appellavit ab Alberto episcopo Foro-liviense propter gravamina illata & inferenda ecclesiæ sanctæ Mariæ de Casale, sibi, monachis & benefactoribus dictæ ecclesiæ, occasione ordinationis & dispositionis, cum ipsa in spiritualibus & temporalibus subesset Romano pontifici, appellavitque ab omni interdicto & excommunicatione lata ab episcopo, ne prior Camaldulensis monachum aliquem præficeret ei ecclesiæ. Impetrati fuere ex parte Alberti episcopi delegati apostolici Ægidius archidiaconus Popiliensis, & Bonus ejusdem ecclesiæ canonicus; sed Benedictus prior sanctæ Mariæ de Casale agens pro priore Camaldulensi obluctatus fuit, ne deberent in ea causa procedere, donec cognosceretur, an rescriptum impetratum ad illos valeret, nec ne.

c §. Appellatio 5. A. 3. 15.

Cum monasterium sancti Savini Pisarum multas terras obtineret, quarum tamen notitiam non habebant monachi, quam e contra habebant qui-

quidam Pisani, Lucani & Volaterrani cives, mandavit Honorius priori sancti Petri ad Vincula urbis Pisarum, ut eos moneret, quatenus manifestarent hæc terrarum loca, ne a possessione ejus monasterii perirent. Datum Viterbii XIV. *kalendas maji pontificatus* sui *anno* IV. Ann. Chr. 1220.


Matthæo abbati Berardingorum [a] Rainerius Martinelli & Tancredus Cioncoli vendidere omnia ea, quæ ipsis debebantur ab ecclesia sancti Johannis, & a canonica sancti Petri de Cerreto.

[a] *Ind. contract. Abb. Berarding. n.* 293.

Johannis prioris Eremi-novæ mentio habetur in tabulario Fontis-boni juxta excerpta Baroncinii sub hoc *anno die secunda februarii Friderico imperatore cum ecclesia Romana in discordia existente*. Die autem *quintadecima septembris indictione* VIII. *Honorio papa residente* Johannis prioris abbatiæ de Ravattola memoria ingeritur, de qua abbatia, præter nomen, nihil addere impræsentiarum possumus.



ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-OCTAVUS.

Ab anno CHRISTI M. CC. XXI. *ad annum* M. CC. XXX.

ANN. CHR. 1221.

I. Privilegia imperialia concessa monasteriis Fontis-avellanæ & S. Severi in Classe.



RIDERICUS II. imperator Capuæ existens, ut sibi Neapolitanum & Siculum regnum firmaret, hoc *anno millesimo ducentesimo vigesimo primo*, *octavo kalendas julii*, *anno regni sive imperii primo indictione* IX. privilegium largitus fuit Avellanensibus monachis, quo ad instar Henrici VI. imperatoris patris sui speciali patrocinio eremum Avellanensem ditavit, vetans, ne a quoquam monachi dicti loci exactionibus molestarentur; ipsi per se regium fodrum colligerent; homines pariter eorum a judicibus secularibus essent omnino exempti; patronis ecclesiarum mandavit, ut ecclesias eremo Avellanensi subjectas defenderent; & potissimum inter monasteria Avellanensis juris nominavit hospitale apud Æsium cum universis pertinentiis suis, & cum omnibus, quæ dicti monachi obtinebant in tota Marchia; monasterium sanctæ Mariæ foris portam de Faventia, & quidquid habebant vel habituri erant in tota Romandiola; ecclesias sancti Fortunati & sancti Ægidii de Castello cum omnibus, quæ tenebant vel tenuerint in tota Thuscia; monasterium sancti Andreæ de Insula cum omnibus pertinentiis suis, quidquid etiam possidebant vel imposterum possederint in toto ducatu Camerinensi & Spoletano; demum monasterium sancti Nicolai de Cornu cum universis adjacentiis suis, & quidquid obtinebant vel obtenturi essent in toto Regno, atque ideo ecclesias & monasteria omnia Avellanensium comprehendens. Nobiles testes fuere Berardus Panormitanus archiepiscopus, ducas Raynaldus, Henricus de Murro magister justitiarius, Richardus camerarius, Rofredus de Benevento & Petrus Urbi præfectus. Quod diploma damus ex archivo collegii Germanico-hungarici de Urbe, cui in dotem assignata fuere ante duo secula plurima bona ejusdem monasterii Avellanensis, ubi extat exemplum hujus diplomatis confectum in capitulo monasterii sancti Nicolai de Cornu in Aprutio sub *anno Domini* M. CC. LXXI. *die martis* XV. *septembris indictione* XV. *regnante Carolo Dei gratia Sicilie rege*, *ducatus*

catus Apulie, principatus Capue, alme Urbis Senatore, Andegavensis provincie & Forqualquerii, anno regni ejus VII. ex mandato prioris Raynaldi & fratrum ejusdem monasterii.

ANN. CHR. 1221.

Constituerat idem imperator Conradum episcopum Mettensem & Spirensem, imperialis quoque aulæ cancellarium, totius Italiæ legatum. Is Bononiæ existens *anno* M. CC. XXI. *sexto kalendas februarii indictione* IX. Rodulpho priori monasterii sancti Severi in Classe imperialem protectionem concessit, bona monasterii ipsius & possessiones enumerans & confirmans. Testes adhibiti fuere Jacobus Taurinensis, Henricus Bononiensis, Opizo Parmensis, & Mainardus Imolensis episcopi, Everardus de Lutra, Hermannus de Catena aliique; quod integrum exhibemus ex archivo Classensis abbatiæ sancti Apollinaris.

II. Donationes factæ eremo Camaldulensi.

HOC *anno, residente Honorio papa III. & Friderico Romanorum imperatore die* IV. *kalendas septembris indictione* IX. Ubertinus de Valenzano filius quondam Gualfreducii donavit Guidoni priori Camaldulensi, quidquid habebat in castro Valenzani & in ejus curia, in castro Calbenzani, & in civitate Arretina & in toto episcopatu, tam in castris, quam in villis, & in abbatiis Saxi & Silvæ-mundæ, titulos quoque & jura, quæ obtinebat in ecclesias sanctæ Mariæ de Valenzano extra castrum, & sancti Nicolai intra castrum, sancti Donati de Vegognano, sancti Christophori de Bassano, sanctæ Luciæ de Aquina, sancti Andreæ de Bagnolo, sanctæ Mariæ de Cambericiano, & in hospitale de Cerreto; ita ut hæc omnia jura ipsi Camaldulenses acquirerent & imposterum possiderent. Actum Soci. Idem VIII. *idus decembris* hujus anni in possessionem misit Bernardum vicecomitem & Nicolaum vicepriorem Camaldulensem totius portionis ad se spectantis ejusdem castri & curtis de Valenzano, committens Griffolo de Rasena, ut clavem turris, quam hactenus pro se tenuerat, teneret deinceps pro Camaldulensibus. Pariter possessionem ipsis tradidit plurium hominum ejusdem loci, qui jurarunt se fideles futuros priori Camaldulensi. Idem præstitere alii homines juxta ecclesiam de Albagnolo. Et Nicolaus viceprior investivit sacerdotes ecclesiarum, quarum jus patronatus dilargitus fuerat Ubertinus, ita ut ipsi eas de cetero tenerent pro ecclesia Camaldulensi. Eodem modo jurarunt homines de Vegognano, ut fusius legitur in chartis tabularii Fontis-boni, quas proferimus in Appendice.

III. Ugolini card. literæ eremitis Camaldulensibus pro die dedicationis templi.

UGOLINUS Ostiensis & Velitrensis episcopus & apostolicæ sedis legatus interpellatus a Guidone priore Camaldulensi, quid ab eremitis agendum foret de officio dedicationis eorum ecclesiæ, quod occurrebat in vigilia sancti Bartholomæi, sequenti epistola ipsum transferri posse docuit in diem octavam assumptionis beatæ Mariæ virginis. Scilicet ea die ante festum sancti Bartholomæi ecclesiam Camaldulensis eremi anno præterito consecraverat. Scimus autem non consuevisse Camaldulenses diebus jejunio addictis sollemnitates Sanctorum, vel sollemniora ecclesiæ officia celebrare: quare hæc eis respondit versatissimus in eorum institutis cardinalis:

Dilecto in Christo fratri & amico karissimo .. Dei gratia priori & universis fratribus & heremitis Camaldulensibus Hugolinus miseratione divina Ostiensis & Velletrensis episcopus apostolicæ sedis legatus salutem & sinceræ caritatis affectum.

Literas vestras benigne recepimus, & quæ continebant, intelleximus diligenter. Sane quia dicitis, quod anniversarium Dedicationis ecclesiæ vestræ heremi, videlicet propter beati Bartholomæi vigiliam, in qua ipsa consecratio

ANN. CHR. 1221.

tio facta fuit, non potest solempnitate debita celebrari; vos, qui necessitates vestras, quas noscitis, si expedire videtis, potestis illam in octavam assumptionis gloriosæ virginis commutare, ita quod anniversarium ipsum in eadem octava annis singulis celebretur. Episcopo vero Fesulano transmittimus scripta vestra, ut a vestra vestrarumque ecclesiarum cesset injuria, & contra privilegia pontificum vobis indulta nullatenus venire præsumat. At quia non de nostra virtute confidimus, vestris adjuvari precibus instanter petimus apud Deum. Datum Bononiæ idus augusti. Episcopus Fesulanus erat Ildebrandus, de cujus vexationibus suo loco.

IV. Idem card. consecrat ecc. S. Michaelis de Muriano Venetiarum.

ANTEQUAM Bononiam se reciperet, in Venetiarum urbe substiterat idem cardinalis, ubi ecclesiam nostram nuper ædificatam sancti Michaelis de Muriano sollemniter consecraverat, ut fidem facit vetus monumentum, quod etiam refert Fortunius [a] ex antiquo membranaceo codice apud nos servato, in quo hæc leguntur:

Anno Domini M. CC. XXI. *decimo die exeunte mense junii dominus Ugolinus Dei gratia Hostiensis & Velletrensis cardinalis & apostolicæ sedis legatus cum episcoporum, abbatum, priorum, plebanorum, clericorum multitudine, scilicet dominis Angelo patriarcha Gradensi, archiepiscopo Duran. episcopo Taurinensi, episcopo Regino, episcopo Paduano, episcopo Trivisino, episcopo Castellano, episcopo Torcellano, episcopo Rainaldo Citensi & cum omnibus aliis supradictis, domino Petro Ziano magnifico duce Venetorum, & turba copiosa hominum, & cum multitudine nobilium Venetorum, & turba multa mulierum cum maxima devotione, associatis sibi supradictis episcopis, benedixit, & honorifice consecravit ecclesiam sancti Michaelis de Murano, priore Laurentio præsidente. Omnes venientes, vel mittentes habent indulgentiam decem annorum & decem quadragesimarum, & efficiuntur participes omnium bonorum, quæ fiunt per nostrum ordinem universum, & durat a festo sancti Viti usque ad festum sancti Petri.*

Angelus patriarcha Gradensis erat ex illustri familia Barroccia, episcopus Taurinensis Jacobus, episcopus Reginus Nicolaus Maltraversus, Paduanus Jordanus ex eadem Vicetina familia Maltraversa; Tiso autem Tarvisinam, & Marcus Nicolai Castellanam regebant ecclesiam, sicut Stephanus Natalis Torcellanam. Raynaldus Citensis Fortunio nostro est Cenetensis; sed hoc tempore Cenetensem ecclesiam regebat Albertus. Anne legendum Sythiensis, qui suppresso nomine aderat eo tempore Venetiis, & interfuit consecrationi ecclesiæ sancti Danielis? De episcopis Sithiensibus consulatur benemeritus de ecclesiis Cretensibus amplissimus Senator Flamminius Cornelius Cretæ Sacræ parte III. pagina 122. Raynaldus præcesserit Marcum episcopum Sythiensem, quem memorat idem Cornelius ad annum 1225.

Pariter si fides adhibenda est tabellæ seu codici nostro membranaceo, dicendum est Ugolinum cardinalem Ostiensem pluries Venetam urbem concessisse; nam consecratio ecclesiæ sanctæ Justinæ de Venetiis peracta ab ipso fuit anno 1219. ut testatur lapis antiquis characteribus notatus, & in eadem ecclesia existens, relatus ab eodem Flamminio Cornelio in decadis tertiædecimæ parte posteriori [b]. † *Domini curriculus annorum milenus, tunc kalendas junii quarto ducentenus erat, dempto attamen uno, & vicenus, quem ornavit dominus morum honestate Ugolinus dominus Hostiensis late & Veltrensis, animi plenus sospitate equidem episcopus, legatus beate sedis apostolice, viri illustrissimi ducis Petri Ziani vere rogantibus, uti ferunt sani* &c. Eodem pariter anno 1219. consecrationis munus impendit ecclesiæ sancti Danielis ejusdem urbis, fidem faciente altero veteri marmore,

a *P. I. pag.* 94.

b *Pag.* 200.

more, in quo legitur: *Anno Domini* M. CC. XIX. *indictione septima die septimo intrante februario, tempore Honorii pape regnante Frederico rege, existente domno Alberto priore inferius dicte ecclesie, ad honorem Dei & sancti Danielis prophete consecrata est hec ecclesia a domno Ugholino episcopo Hostiensi cardinali urbis Rome delegato a domino papa, cum quo &c.* quæ inscriptio refertur ab eodem Cornelio decade sexta suarum ecclesiarum Venetiarum [a]; nisi illud afferamus exscriptorem monumenti nostri pro anno M. CC. XIX. annum M. CC. XXI. suppofuisse. Habemus etiam in anecdotis Brunatii [b] *anno* M. CC. XXII. *indictione* X. *die undecima exeunte februario* Albertum priorem Montis-silicis confessum fuisse se accepisse a Jordano episcopo Paduano *duo millia & octingentas & octuaginta septem libras & dimidiam denariorum Venetorum, quas ei dare debebat pro se & universo clero Paduani districtus, ex mandato domini Hugonis Dei gratia Hostiensis & Velletrensis episcopi apostolice sedis legati*. Ex his monumentis liquet contra Fortunium Hugolinum non antecedenti dumtaxat anno legatum pontificium destinatum fuisse ad Venetos ex Camaldulensi solitudine, sed pluribus annis idem officium exercuisse. Laurentio vero priori monasterii sancti Michaelis de Muriano locum fecerat Albertus, qui fuerat primus loci rector. Laurentii monumenta supersunt in donatione [c] Andreæ Throni patricii Veneti facta anno sequenti *indictione decima, vigesima-secunda die junii*, vinearum & terrarum in urbe Justinopolitana, & in Patavino territorio, & ad annos 1223. & 1224. [d] in emptionibus bonorum prope eamdem urbem, quarum chartæ asservantur in tabulario ejusdem monasterii.

ANN. CHR. 1221.

a *Pag.* 172.

b *Pag.* 1316.

c *Capf.* 16. *n.* 3.

d *Capf.* 66. *n.* 4. 5.

V. Virtutes & miracula Raynaldi ep. Nucerini.

VIRTUTES Raynaldi episcopi Nucerini, illustria facta & miracula tempore pastoralis ejus muneris descripsit auctor ipsius vitæ his verbis: *Quam eximia excelluerit humilitate ostendit illustre factum, quando leprosum sibi obvium, qui maximo omnibus horrori erat, osculatus est, atque impertita benedictione, sanitatem contulit. Post suum ex eremo Fontis-avellanæ reditum nunquam sede usus est, ne quidem in templo, sed exiguo scamno quopiam, quod vulgo tripodem appellabant. Elucebat magna in eo majestas, qua apostolis par habebatur, enata ex singulari sancti Spiritus gratia, quæ sub specie ignis in ipsum, dum sacrificium Missæ offerret, visa est descendisse. Et illud legitur, quomodo dum beatus Raynaldus quadam vice solus in cubiculo esset, duo familiares ejus amici, qui illum foris expectabant, plures cum eo intra cubiculum colloquentes subito, neque absque horrore ingenti audiverunt. Interrogatus ab iis, veritatem indicto silentio fassus est, ad se venisse Deiparam Mariam, cum sanctis Agnete & Thecla; nec solum illo die, sed frequentius earum se visitantium alloquio fruitum esse. Asseruit præterea sanctos apostolos Petrum & Paulum a se sæpius fuisse visos.*

Vir fuit æquus & justitiæ tenax, qui ad prandium ab Frederico imperatore invitatus, oblatum sibi primo loco vitrum ad bibendum, quod omnes ab eo porrigendum imperatori expectabant, presbytero suo tradidit, ratus non alium, qui post se deberet bibere, magis dignum mensæ assidere, nec debere presbytero regem aut certe alios regi vicinos anteponi. Simile factum legitur de Martino episcopo Turonensi, cum invitatus fuit ad convivium anno 386. a Maximo imperatore, in quo pateram vini, non imperatori, sed presbytero prope se assidenti porrexit.

Tanta fuit morum mansuetudine ac facilitate, ut quamvis ipse summus in ecclesia sua sacerdos sæpius a suis clericis offenderetur, nullos tamen officio moverit, neque illatam injuriam unquam ultus sit. Nemo eum vidit

Ann. Chr. 1221.

aut mœstitia dejectum, aut risu elatum. Nihil præter pacem, pietatem & gaudium cordi infixum detinebat.

Idem quadam vice, ut præterea legitur, veste pilosa ac nigro pallio indutus, asino insidens, iter agebat, cui aliquot equi occurrentes ac terrore quodam perculsi præcipites excusserunt equites. Hi graviter offensi virum Dei dejecerunt in terram, ac prostratum plagis, verberibusque male exceperunt. Conticuit vir Dei, humerosque illis obvertit. Verum illi se illusos rati, quasi hic doloris se expertem, nec verbera sentire fingeret, in majorem agebantur rabiem. Cum postea cœptum iter vellent persequi, subito eorum equi instar saxorum redditi sunt immoti, neque ullis potuerunt stimulis ac flagris ad incessum incitari, donec equites ad beatum Raynaldum reversi, supplicesque peccata confessi veniam impetrarunt, quibus benigno vultu ab eo dimissis, mox equi valde feliciter progressi sunt.

Adeo orationi erat addictus, ut ne hora unquam, vel momentum elaberetur, quod non censeretur orationi aut meditationi impendi. In omnibus namque operibus mentem servabat orationi intentam, non aliter atque faber, quamvis ob virium debilitatem nonnumquam a tundendo ferro cesset, non illud tamen ab incude removet.

Severum atque asperum vitæ genus amabat, solitus aut humi cubare, aut cilicio indutus lecto incumbere. Cum quodam tempore adverteret a clerico suo lectum multo stramine esse commodius compositum, tam insolita lecti mollitie perterrefactus has delicias non admisit; surgensque stramen omne sustulit, ac se in nudam humum projecit. Sub mediam dein noctem stramen illud injecto fraude dæmonis igne incensum est; excitatusque beatus Raynaldus fuga se eripere aliquandiu, sed frustra conatus est, oppressus undique flammis ac vestibus adustis ad solitum orationis perfugium advolavit, signoque crucis sese muniens inter flammas permansit illæsus, immo eas non sensit orationi intentus; accenderat namque cor ejus major ignis, adeo ut cum regio psalte posset dicere: Et in meditatione mea exardescit ignis. Clerici flammarum strepitu excitati accurrunt, ereptumque e medio incendio Beatum inveniunt illæsum, quem exustum verebantur.

Ob benignum erga peccatores affectum, quos scelerum pœnitebat, in sinum pietatis excipiebat omnes. Admonitus aliquando, quod eos, qui in peccata sua sæpius essent relapsi, reciperet foveretque, respondit: Si tu, o miser, desineres homines persequi, ac peccatorum propriorum dolore cruciareris, ego de bonitate Domini mei Jesu-Christi confidens, ejus tibi misericordiam addicerem.

Non minus comis erat & facilis erga pauperes. Hinc cum quadam die templum adiens pauperem nudum sequentem conspexisset, ut illi vestis daretur, mandavit archidiacono, quo moram nectente ingressus sanctus episcopus sacrarium vestem suam pauperi donavit, una præcipiens, ut quamprimum inde discederet. Admonitus dein ab archidiacono Beatus, ut ad statum sacrificium peragendum pergeret, respondit de se loquens: Nequit pauper progredi, donec vestem acceperit. Cum archidiaconus, sensu horum verborum non intellecto, quod pallio suo adhuc Beatus tegeretur, neque interior nuditas appareret, occasionem huic moræ dedisse pauperem ignoraret, iterum ei dixit episcopus: Adferatur mihi vestis, neque, quo operiatur, pauperi deerit. Coactus itaque archidiaconus forum adire, argenteis nummis quinque penulam seu vestem brevem vilemque emit, allatamque indignabundus ad sancti pastoris pedes abjecit. Hac ille secreto indutus, quamvis ad genua solum pertingeret, ejusque manicæ cubitum vix tegerent, ad rem divinam faciendam perrexit; supra cujus celebrantis caput apparuit globus,

bus, & ne brachia in eucharistiæ elevatione conspicerentur nuda, gracilia ac macilentia, ab angelis aurea argenteaque veste contegi visa sunt, non linei indusii manicis, quibus antea solum tegebantur, auditaque de cœlo vox est dicens: Hic implevit præceptum evangelicum, qui habens duas tunicas, unam dedit illi, qui non habebat. Sic debetis & vos facere.

Ann. Chr. 1221.

Magna ejus virtus fuit in pellendis dæmoniis e corporibus tam bestiarum, quam hominum. Vacca quædam a dæmone infesta, huc illuc discurrendo multos feriebat, immo tota in rabiem acta in beatum episcopum ejusque comitatum incurrit. Sublata is manu, ut ipso in loco subsisteret, vaccæ imperavit; qua mox plane immota consistente dæmonem, qui ejus dorso insidebat, objurgavit, clamans: Discede hinc ab hac bestia, & desine innocens animal vexare. Abacto his verbis dæmone, vacca ad sancti patris pedes se abjecit plane mansuefacta, ejusque imperio ad stabulum reversa est.

Subtile planeque divinum menti ejus acumen inerat, potissimum in dignoscendis dæmonibus sub quacumque etiam specie latentibus. Assumebant namque imaginem, vultumque subinde Jovis aut Veneris, crebrius Mercurii, asserebantque se Jovem esse vel Bacchum aut Heben Deam juventutis. Cum quadam vice dæmon purpura ac diademate ornatus, calceis aureis indutus, blando ore vultuque hilari instar regis sese ostentasset beato Raynaldo, post mutuum utriusque silentium aliquandiu servatum, tandem dixit: Raynalde, ego sum Christus tuus, quem prolapsus in terram adoras; ante omnes me volui tibi revelare. Consternato hisce Raynaldo, ac vocem premente, denuo dixit dæmon: Quare dubitas credere, Raynalde, cum me videas Christum esse? Tunc beatus Raynaldus a Spiritu-sancto edoctus hæc opposuit: Dominus meus Jesus-Christus non prædixit se venturum purpura & diademate coruscante vestitum. Nisi Christum videro ea veste ac specie, qua passus est, & nisi plagas ac vulnera, quæ in cruce sustinuit, mihi ostenderit, non credam. Ad quæ verba dæmon disparuit, totumque templum teterrimo odore implevit.

VI. Lites Ravennates & Faventinæ.

LITEM moverat anno antecedenti monasterio sancti Petri ad Vincula super ecclesia sancti Victoris de Fossolis subjecta eidem cœnobio, quam abbas ad solum prostraverat, Simeon archiepiscopus Ravennas, qui ex Cerviensi ecclesia translatus post brevem duorum annorum Picinini sedem, Hubaldo in Ravennate cathedra successerat anno 1217. Impetrati [a] fuere ab abbate ejus monasterii ad causam cognoscendam judices ab Honorio delegati Guido & Petrus presbyter canonici Cæsenates, coram quibus lis acta fuit. Pronuntiatum fuit pro abbate, nam legimus apud Rubeum [b] „ Simeonem archiepiscopum sub præsenti anno confectis tabulis pollicitum „ fuisse Hugoni abbati sancti Petri ad Vincula nihil se ab eo imposterum, „ neque lapides, neque ligna repetiturum, quod in templo divi Victoris esset, ab eo, qui illum proxime antecesserat, abbate diruto; minari enim ruinam & desertum jam esse, & in solitudinem redactum „ templum illud affirmabat, antequam solo æquaretur; septemdecim propterea libras Ravennates Simeoni archiepiscopo idem abbas numeravit. “

a *Arch. Raven. H.* 3264.

b *Lib. VI. pag.* 384.

Cum solerent canonici Faventini in aliquibus anni sollemnioribus diebus procedere ad ecclesiam sanctæ Mariæ foris portam, monachi vero aliquot comestibilia consuessent canonicis parare, & decimas insuper præstare aliquarum possessionum, quas monasterium obtinebat in plebatibus canonicæ Faventinæ, a monachis denegabantur hæc, ut tunc vocabantur, charitativa subsidia; quare orta controversia inter Jacobum ejusdem monasterii abbatem, & inter Albertum præpositum canonicæ, neque canoni-

ANN. CHR. 1221.

ci ad ecclesiam præfati monasterii accedere juxta morem volebant. Controversia compromissa fuit in Oddonem Cæsenatem episcopum, Bonumhominem canonicum Æsinum & in Martinum Faventinum canonicum, qui lata sententia exemerunt monasterium a præfatis solutionibus, & intuitu pietatis ac favore religionis a præstatione etiam decimarum; canonicos vero obligarunt ad processionum & visitationum sollemnium prosecutionem, mandantes tamen abbati monasterii dicti, ut quamdam pecuniæ summam solveret canonicæ, & terras quasdam eidem traderet perpetuo possidendas pro recompensatione annuorum redditum. Integram sententiam ab Honorio III. anno sequenti apostolico diplomate firmatam affert Tonduccius [a] in historia Faventina. Albertus ex præposito evasit hoc eodem anno episcopus Faventinus in locum Rolandi. Inter testes legitur Ægidius præpositus Foro-popiliensis, creatus & ipse paulopost episcopus suæ urbis. Oddo vero a pluribus annis ecclesiam Cæsenatem administrabat, & vivebat etiam anno sequenti.

a P. II. pag. 250.

VII. Aliæ inter Martinum ep. Arretinum & presbyteros conversos Camaldulenses.

TULIT Martinus episcopus Arretinus die XXI. aprilis hujus anni sententiam excommunicationis in plebanum de Micciano, & in presbyteros de Alina, Soci, Mojonæ & Letarcle, qui erant conversi Camaldulenses eremoque subjecti, eo quod nollent in synodo & in parata respondere episcopo; verum publice testatus fuerat, se occasione hujus censuræ nullum velle intendere præjudicium juribus ejusdem Camaldulensis eremi. Eadem die Christophorus præpositus Arretinus & Samson vicarius Camaldulensis electi arbitri tam ab eodem Martino episcopo, quam a Guidone priore Camaldulensi super lite plebis Micciani, & ecclesiæ sancti Johannis de Anglario, ecclesiæ Castillionis, quæ olim erat in Monte-aureo, capellæ Viarii plebatus Micciani, & capellæ Letarcle plebatus sancti Pauli, ecclesiæ Agnæ plebatus Bujani, ecclesiæ sancti Vitalis juxta Laurentianum, & ecclesiæ Mojonæ plebatus Partinæ, pronuntiarunt, quod plebanus Micciani pro ipsa plebe & pro capellis suis ad eremum Camaldulensem omnino pertineret, & rectores ecclesiarum Letarcle, Alinæ, Mojonæ & aliarum responderent episcopo Arretino in synodo, parata & capitulo, ita quod nomine paratæ & synodi non tenerentur respondere in præstatione servitiorum ultra quantitatem antiquam. Item quod plebanus & capellani præfati contribuerent eidem episcopo pro omni collecta, quæ fieri contigerit occasione consecrationum episcoporum ecclesiæ Arretinæ, & concilii Romanæ ecclesiæ, & ecclesiasticarum earum rerum, pro quibus collecta generalis facta fuerit in eodem episcopatu; Jacobo notario. Hæc leguntur in excerptis Baroncinii [b].

b §. *Amissæ* 322. 323. *A.* 1. 123.

Superius nominatus Oddo episcopus Cæsenas, & Guido prior Camaldulensis, & Ugutio prior Eremi-novæ & Justus rector ecclesiæ sancti Petri de Rovereto diœcesis Cæsenatis simul convenerunt [c], ut dicta ecclesia seu hospitale sancti Petri regeretur per monachos Camaldulenses, cujus rector eligeretur a priore Eremi-novæ infra duos menses, & electus infra quindecim dies se in conspectum daret episcopi, acceptaque ab eo facultate administraret, & subjaceret correctioni prioris Camaldulensis vel Eremi-novæ. Si autem intra spatium duorum mensium neglecta foret correctio, tunc hæc spectaret ad episcopum, qui rectorem visitare fas haberet.

c §. *Conventio* *A.* 3. 22.

Vacante abbatia sanctorum Justi & Clementis urbis Volaterrarum per obitum Stephani abbatis, electus fuit V. *idus januarii* anni sequentis ad ejus locum replendum Martinus camerarius cœnobii sancti Savini diœcesis Pisarum, vices suas Lanfranco canonico Pisano & Basilio abbati sancti

Petri

Petri de Cerreto committentibus tum Pagano episcopo Volaterrano, tum Guidone priore Camaldulense *pridie kalendas januarii* hujus anni indictione IX. ANN. CHR. 1221.

Constructum fuit hoc anno in dioecesi Patavina monasterium sancti Johannis in Viridario, quod unum ex iis monasteriis fuit, quae disciplinam & statuta recepere novae congregationis monachorum alborum sancti Benedicti de Patavio. Id sub Tripino priore actum asserit auctor chronici Patavini apud Muratorium in Antiquitatibus medii aevi [a]. Incolunt modo locum hunc canonici Lateranenses.

a T. IV. col. 1129.

OBSERVAT Wadingus [b] Petrum Rodulphum Tossinianum in Seraphica historia sub hoc anno assignare episcopum ecclesiae Anconitanae quemdam fratrem Ruffinum Lupatum Patavinum, aliosque affirmare episcopos ordinis sancti Francisci praesedisse hoc tempore variis ecclesiis; animadvertit tamen neque etiamnum horum mentionem apud alios se invenire, & videri aliquantulum admiratione dignum, quod vivente ipso humillimo institutore, valde hujusmodi suorum fratrum promotionibus adversante, fratres suos ad episcopalem evectos dignitatem. Vera est Wadingi animadversio praesertim quoad Ruffinum, cum his temporibus non Ruffinus Minorita, sed Gerardus noster ex vicario Martini prioris Camaldulensis episcopus esset Anconitanus saltem ab anno 1216. ex chartis nostris, & ab anno 1204. ut in addendis ad Italiam Ughellii legitur Tomo X. editionis Venetae [c], cujus nomen legitur etiam sub anno 1224. in pariete exteriori contiguo ecclesiae sancti Peregrini & sanctae Teresiae Anconae, ut discimus ex relatione recognitionis sacrorum corporum Ciriaci, Marcellini & Liberii doctissime elaborata [d] a Cl. V. Eduardo Corsinio congregationis scholarum piarum Generali praefecto, in qua sequentem inscriptionem profert.

ANN. CHR. 1222. VIII. De Gerardo ep. Anconitano.

b T. II. pag. 54.

c Col. 207.

d Pag. 36.

SVBTVS. LAPIDE. ISTO. CORPORA. SANCTORVM. INVENTA FVERE. ANNO. DOMINI. M. CC. XXIIII. TEMPORIBVS. HONORII PAPE. ET. DOMINI. FRIDERICI. IMPERATORIS. ET. DOMINI. G. ANCONITANI. EPISCOPI. DIE. II. INTRANTE. MENSE. MADIO INDICTIONE. XII. ANNO. DIE. DICTIS. IN. ECCLESIA. ISTA REQVIESCVNT. CORPORA. SANCTORVM. MARTYRVM. PELEGRINI. ERCVLANI. ATQVE. FLAVIANI.

Immo vivebat Gerardus & anno 1225. cum in brevi Gregorii IX. anni 1239. servato in archivo capitulari Anconae nominetur *bone memorie G. Anconitanus episcopus*, qui numerum duodecim canonicorum statuit in ecclesia Anconitana anno 1225. ut constat ex alio brevi Honorii III. confirmantis eodem anno M. CC. XXV. hunc numerum, *quem venerabilis frater noster Anconitanus episcopus statuit*. Quinimmo anno 1227. idem Gerardus ab eodem Honorio delegatus fuit X. *kalendas januarii pontificatus sui anno* XI. ad componendas controversias inter abbatem sancti Paterniani ortas & inter commune Fani, quas reapse composuit *anno Domini* M. CC. XXVII. *die jovis, que fuit* XIIII. *kalendas aprilis indictione* XV. ut legitur per extensum [e] in appendice ad memorias Fanenses Ammiani. An vero post mortem sancti Francisci, immo post annum 1227. Ruffinus per decessum Gerardi assumi potuerit ad regendam ecclesiam Anconitanam, non imus inficias, dummodo ad annum 1239. alius admittatur episcopus An-

e Pag. XXXIX.

Ann. Chr. 1222. Anconitanus Ughellio æque ignotus, Perseval seu Reserval nomine, cognitus nobis ex chartis Fontis-boni, ut ad eum annum dicemus.

IX. De Bonajuncta abb. Vangaticiensi & de Gratiano Burgensi.

In locum Johannis abbatis Vangaticiensis [a] electus fuit hoc anno *die undecima aprilis* abbas dicti loci Bonajuncta ex monacho Fontis-boni, confirmatus inde a Guidone priore Camaldulensi, & a Romano pontifice Honorio III. Extant in tabulario Camaldulensi sub *die* XX. *aprilis indictione* X. literæ datæ ex monasterio sanctæ Mariæ de Vangaticia in camera abbatis, in præsentia Johannis & Nicolai monachorum & aliorum, quibus Zeno, Nicolaus, Vielmus, Gerardus, Antonius, Amigetus, Januarius monachi, Raverinus, Oto, Gerardus, Ugolinus, Achilla conversi constituerunt fratrem Salvamondum conversum Camaldulensem suum sindicum ad significandam domino papæ electionem factam de magistro Bonajuncta monacho Camaldulensi in abbatem monasterii memorati, ad implorandam confirmationem & consecrationem illius, & ad contradicendum omnibus agere volentibus contra dictum monasterium. Ego Bernardus notarius &c. Porro „ Honorius, teste Rubeo in historia Ravennate [b], dedit in mandatis Simeoni Ravennati archiepiscopo, ut ipsum electum in æde Ursiana consecraret, quem etiam sacramento, jure ac more superiorum archiepiscoporum, fidelem semper sibi fore obligavit.

„ Septimo idus maji, subdit Rubeus, idem archiepiscopus in divi Apollinaris Classensis basilica, postquam e superiore loco concionem habuit, Ubertello Foro-popiliensi, Oddone Cæsenate & Rustico Cerviense episcopis inspectantibus atque assentientibus, sacris interdixit incolis castri Montis-boarii, quod erat in diœcesi Foro-popiliensi. Cum enim castrum illud a Gerardo archiepiscopo Ravennate in Ravennatis ecclesiæ solo extructum fuisset, idemque perpetuo, præterquam duobus jam annis, ipsa ecclesia possedisset, incolæ ejus possessionem Rogerio comiti ac fratribus tradiderant. Eadem die, sequitur, divi Valerii archiepiscopi ossa ex æde Classensi ab ipso Simeone, sollemni indicta eorum episcoporum supplicatione, Ursianam in ædem translata. “ Ea forte occasione idem archiepiscopus, ut legitur ad calcem paginæ Hubaldi archiepiscopi Ravennatis, ob honorem & reverentiam beati Valerii archiepiscopi Ravennæ, cujus sacrum corpus mox transtulerat, unius anni additamento remissionem peccatorum capitalium omnibus advenientibus ad præfatam basilicam Classensem, vel ibidem vota sua solventibus ore proprio ampliavit, ut monachi, qui sacro deposito orbabantur, indulgentiis amplioribus ditatam eorum saltem basilicam agnoscerent.

Die trigesima-prima augusti [c] Martinus episcopus Arretinus confirmavit Guilielmo abbati Prataliensi recipienti pro monasterio suo patronatum ecclesiæ sancti Angeli de Camenza, secundum quod in instrumentis ejusdem monasterii continetur, Actum apud plebem Biblenæ manu Juliani notarii.

Eodem *anno* [d] M. CC. XXII. *a nativitate*, hoc est initiis anni sequentis communis, Guido prior Camaldulensis præhabita visitatione monasterii Burgi-sancti-sepulcri, & simoniæ vitio infectum reperiens Gratianum ejusdem loci abbatem, cupiens reformationem dicti monasterii, ipsum, qui semper renuerat ad sacerdotium promoveri, de fratrum eremi & Fontis-boni consilio, ab illius abbatiæ administratione penitus removit, prohibens ipsi, sub excommunicationis pœna, ne de cetero se intromitteret. Actum in Fonte-bono manu Juliani notarii. Raynaldi Coloniensis archiepiscopi & legati imperialis decretum anni 1163. utpote schismatici, nihili fecit Guido prior, quo vetabatur depositio abbatum Burgensium irrequisita

a §. *Electio* 7. *A.* 3. 33.

b *Lib. VI. pag.* 386.

c §. *Privilegia* 52. *A.* 3. 37.

d §. *Visitatio* 1. *A.* 3. 32.

quisita imperatoris licentia, sed ea auctoritate usus fuit, qua utebatur in aliis monasteriis sibi subjectis, vel certe imperatoris facultate obtenta irregularem abbatem gradu dejecit. ANN. CHR. 1222.

Idem prior consecrata ecclesia sancti Petri de Vallíala, die duodecima septembris hujus anni [a], ipsa dedicationis die eam dotavit, cedens presbytero Rolando rectori ipsius quemdam hominem suum cum medietate omnium bonorum ipsius mobilium & immobilium. Cessio vel donatio bonorum die dedicationis alicujus ecclesiæ fiebat a patronis ad indicandum jus, quod in dedicatam ecclesiam obtinebant.

a §. Dotatio 3. A. 3. 39.

X. De B. Juliana sanctimoniale Gemmulense.

DESERUIT hoc anno Juliana patre Tolberto ex comitibus de Collealto, & matre Johanna progenita & in lucem edita anno 1186. monasterium de Salarola supra collem agri Patavini erectum sub titulo sanctæ Margaritæ non procul ab Athestensi oppido, quod monasterium unum ex iis erat, quæ componebant congregationem monachorum & sanctimonialium albi coloris ordinis sancti Benedicti urbis Patavinæ & ejus territorii, ac ut militares effugeret incursus, ad aliud monasterium se contulit, quod dereliquerant monachi, in Gemmula altero ex Euganeis montibus, beatam Beatricem Estensem nobilissimam virginem una cum aliis novem virginibus sequuta, quæ omnes in deserto asperoque loco latitantes sub directione Jordani prioris sancti Benedicti de Patavio, & Alberti prioris Montis-vinearum de Monte-silice angelicam vitam in humana conversatione instituerant. Sed post quatuor annos in Gemmulensi asceterio exactos Venetias concessit Juliana, ibidemque in extrema ejus insulæ parte, quæ Spinalonga tunc, nunc Judaica appellatur, novum monasterium pro sacris virginibus sanctis episcopo & martyri Blasio, & episcopo Cataldo excitavit, ac virtutibus & dono gratiarum illustris ad Deum evolavit kalendis septembris anni 1262. ætatis suæ anno septuagesimo-sexto, ut ad eum annum dicemus. De Beatrice Estense omnia congessimus ad annum ipsius emortualem 1226.

ANN. CHR. 1223.

XI. Honorii III. literæ pro servandis juribus Camaldulensibus.

HONORIUS Johanni episcopo Florentino & archidiacono ejusdem ecclesiæ ac priori sanctæ Mariæ supra portam Florentiæ mandavit hoc anno, ut ad examen revocarent querelas Guidonis prioris Camaldulensis, qui conquestus fuerat apud apostolicam sedem plebanos Biblenæ, Bujani & Partinæ, & alios clericos & laicos eremo Camaldulensi injurias afferre. Datæ fuere literæ ex Laterano IV. *nonas maji pontificatus* sui *anno* VII. Quas injurias inferrent, dignoscitur ex alia delegatione eisdem episcopo & archidiacono antea facta a præfato Romano pontifice V. *kalendas februarii* hujus anni, qua ipsis mandaverat, ut causam audirent ejusdem prioris asserentis bonæ memoriæ Emmonem, Constantinum aliosque Arretinos episcopos donasse eremo Camaldulensi quamdam partem decimarum plebatuum Partinæ, Biblenæ & Bujani; Martinum pariter episcopum Arretinum tunc temporis viventem eamdem donationem suo diplomate confirmasse, & tamen præfati plebani, aliique clerici & laici dioecesis Arretinæ eas decimas detinebant, & inficiabantur ad eremum Camaldulensem pertinere.

XII. Friderici II. imp. præceptum pro Camald. Aliæ res Camaldulenses.

MENSE martio [b] hujus anni ex Faventina urbe Fridericus imperator eumdem Guidonem priorem & fratres eremi Camaldulensis cum bonis & hominibus suis recepit sub sua imperiali protectione, confirmando eisdem omnia ipsorum bona præsentia & futura. Sub poena fidelitatis & gratiæ suæ amittendæ inhibuit universis, ne aliquis contra dictam suam tutelam præsumeret ipsos vel eorum bona, loca & homines vexationibus, procurationi-

b §. *Privilegia* 53. *A.* 3. 44.

Ann. Chr. 1223.

tionibus aliisque gravaminibus molestare. Insuper indixit nuntiis suis, ut sine dilatione & difficultate iisdem in quibuslibet causis justitiam exhiberent, sub poena librarum viginti-quinque auri a contrafacientibus solvenda, media cameræ imperiali, & media injuriam passis. Ita in excerptis Baroncinii ex tabulario Fontis-boni.

Donationi Ubertini de Valenzano, de qua anno 1221. reluctabantur Albericus & Orlandinus incolæ ejusdem castri, litemque moverant eremo Camaldulensi. Honorius pontifex brevi suo dato *quarta die maji* hujus *anni pontificatus* sui *anno* VII. [a] delegaverat in controversiæ judices Chiani præpositum Florentinum & R.. priorem sanctæ Mariæ-majoris, qui præfatos juxta formam juris citatos, neque comparentes excommunicationis poena percelluere die vigesima-prima augusti, rogantes etiam Martinum episcopum Arretinum, ut eos simili censura mulctari faceret in ecclesiis, ubi habitare noscuntur. Florentiæ, manu Bonizi notarii.

Die octava maji [b] Johannes episcopus Castellanus cum consensu Junctæ præpositi canonicæ sancti Floridi & canonicorum ejusdem ecclesiæ, & Jacobus archipresbyter plebis Soaræ dederunt pro allodio & jure permutationis Johanni camerario Camaldulensi aquæductum per campum dictæ plebis, permutationem [c] comprobantibus Guidone archidiacono Castellano & Orlando nobili de Carciano electis arbitris inter episcopum & archipresbyterum, & inter Guidonem priorem Camaldulensem, qui aquæductus inserviret molendinis ecclesiæ Camaldulensis sancti Petri de Valliala, in quam patronatum obtinebat ecclesia Castellana. Guido prior e contra quasdam terras tradidit. De Johanne episcopo Castellano hæc tantum habet Ughellius [d] „ Johannes successit Rollando anno 1210. Cortesanus „ successit Johanni anno 1226. " De Johanne verba fecimus etiam ad annum 1215. immo & initiis anni 1209. De Juncta vero præposito in necrologio canonicæ sancti Floridi edito a Sebastiano Donati [e] ad annum 1237. legitur: *Obiit bonæ memoriæ magister Bonajuncta hujus ecclesiæ præpositus*. Eidem delegatum fuisse examen testium in causa libertatis eremi, alibi vidimus.

a §. *Mutilæ* 28. *A.* 3. 2.

b §. *Permutatio* 34. *A.*

c §. *Sententia* 21. *A.* 3. 49.

d *T. I. col.* 1321.

e *Pag.* 343.

XIII. Consecratio ecclesiæ S. Petri de Luco.

Consecrata fuit hoc anno [f] die octava septembris, rogantibus Guidone priore Camaldulensi & Franca abbatissa, ecclesia parthenonis sancti Petri de Luco a Simeone Ravennate archiepiscopo & a Johanne episcopo Florentino, qui indulgentiam omnibus poenitentibus illuc advenientibus concesserunt ab ea die ad medietatem mensis octobris annorum duorum & octuaginta dierum, & per singulos annos ad prædictam ecclesiam accedentibus a festo nativitatis beatæ Mariæ virginis, qua die consecratio peracta est, ad quindecim dies sequentes indulgentiam dilargiti fuere octuaginta dierum. In præfata consecratione idem prior palam asseruit se & eremum Camaldulensem dumtaxat jus habere & libertatem patronatus ejusdem ecclesiæ, non alios; proinde nomine dotis donavit dicto monasterio planetam æstimationis triginta librarum. Die vero sequenti eadem abbatissa cum sororibus suis professa fuit jura spiritualia & temporalia, ac patronatum memoratæ ecclesiæ & monasterii pertinere pleno jure ad dictam eremum Camaldulensem; manu Cambii notarii.

f §. *Dotatio* *A.* 3. 60.

XIV. Monumenta monasteriorum Camaldulensium & Avellanensium.

Eodem anno *indictione undecima* XII. *kalendas septembris tempore Honorii pape & Frederici imperatoris* Petrus filius Lignarii tradidit quasdam terras Nicolao monacho Camaldulensi recipienti vice Camaldulensis eremi, & danti *pro benedictione* quamdam pecuniæ summam. Actum ante ecclesiam de Raginopoli, assensum præbente Agnete uxore Aginolfi comitis palatini. *Sexto* autem *kalendas ejusdem mensis* eamdem concessionem

con-

confirmavit idem Aginolfus comes apud castrum de Soci, *domino Ugolino de Ostia cardinale tunc ibidem predicante*. Non poterat nimirum avelli Ugolinus a societate Camaldulensium eremitarum, quibuscum vixerat antecedenti tempore. Hoc eodem anno interfuit idem Ugolinus cardinalis capitulo generali in monasterio Vallis-umbrosæ parum remoto ab eremo Camaldulensi, in quo editæ fuere constitutiones Benigni abbatis, ut legitur apud Lamium in Deliciis eruditorum anni 1737.[a] — ANN. CHR. 1223.

Die quinta septembris Martinus abbas sancti Apollinaris in Classe cum Paulo sindico nomine sui monasterii promisit Henrichetto vicecomiti Ariminensi, & potestati castri Longiani se subjecturum imposterum omnes homines & colonos sui cœnobii habitantes in dicto castro, in causis tam civilibus, quam criminalibus foro seculari ipsius potestatis & consulum Ariminensium, non obstante quocumque privilegio clericali, ut scribit Cæsar Clementinius in historia Ariminensi[b].

Canonici ecclesiæ Fanensis cum comperissent Riccardum ipsorum episcopum obtulisse, & dono dedisse plebem & ecclesiam sancti Cæsarei positam in curte Cucurani cum suis pertinentiis Rainerio Bartoli Bonelli rectori ecclesiæ sancti Salvatoris ejusdem urbis recipienti nomine ecclesiæ Fontis-avellanæ, cui etiam hæc sancti Salvatoris erat subjecta, viva voce appellarunt ab hujusmodi concessione hoc *anno* M.CC.XXIII. *die septimo intrantis mensis martii indictione* XI. ut legitur in charta capituli eorumdem Fanensium canonicorum, quam profert Ammianus[c] in suis memoriis Fanensibus. Qui etiam legens apud Rubeum[d] ad annum 1223. Albertum quemdam Fanestris ecclesiæ fuisse episcopum, Riccardum episcopum, de quo plura diximus ad annum 1218. distinguit ab alio Riccardo itidem episcopo, cujus monumenta habentur in ecclesia Fanensi ad hunc & sequentes annos[e], mediumque inter ipsos locat Albertum ex ejusdem Rubei auctoritate.

Obiit hoc anno Transmundus II. episcopus Senogalliensis, qui eam ecclesiam rexerat ab anno 1203. Ad diem XXVII. novembris legitur in necrologio Avellanensi: *Obiit Transmundus episcopus Senogalliensis monachus nostræ congregationis*. Jacobillius[f] pariter scribit Raynaldum monachum itidem Avellanensem creatum fuisse ab Honorio III. episcopum Firmanum, defunctum vero anno 1227. succedente Philippo. De Rainaldo Firmano in eodem necrologio sub die secunda junii habetur: *Obiit domnus Rainaldus episcopus monachus nostræ congregationis*.

XV. Publicatio indulgentiæ & consecratio ecclesiæ Portiunculæ.

ALTER insignior Raynaldus episcopus Nucerinus ea tempestate episcopatum gessit, scribit auctor ejus vitæ, *qua sanctus Franciscus verus Christi imitator & legis evangelicæ professor, dum pœnitentiam & viam æternæ salutis instituto vitæ suæ annunciaret, multos ad suave Christi jugum amplectendum adducebat, stellæque instar relucens, Christianos quoscumque religiosos æque ac laicos verbo ac exemplo collustrabat, cui etiam tum seraphinus apparens sacra stigmata impressit*. Impressio sacrorum stigmatum in corpore beati Francisci statuitur a Wadingo[g] ad annum 1224. Pariter Raynaldus unus fuit ex septem episcopis, qui indulgentiam Portiunculæ promulgarunt. Porro publicationem indulgentiæ Portiunculæ ad annum 1223. retrahit idem[h] Wadingus; quare emendandi sunt Ughellius, Jacobillius & quotquot sanctum episcopum Nucerinum Raynaldum obiisse anno 1222. scripserunt; cujus obitum rectius ad annum 1225. statuemus. Inter septem episcopos, quos adhibuit sanctus Franciscus pro indulgentia prædicanda, & pro consecratione ecclesiæ, fuit etiam Vilanus episcopus Eugubinus, alter sancti viri amicissimus & studiosissimus.

a *Pag.* 239.
b *Pag.* 385.
c *Pag.* 37.
d *Lib. VI. pag.* 387.
e *P. I. pag.* 186
f *T. III. pagg.* 347. 349.
g *T. II. pag.* 88
h *Ibid. pag.* 56

Ann. Chr. 1223.

Hoc siquidem anno in mandatis accepere ab Honorio III. episcopi Nucerinus, Eugubinus, Perusinus, Tudertinus, Spoletanus, Fulginas & Assisiensis, ut ad kalendas augusti ad ædem Portiunculæ convenirent, & sollemniter indulgentiam promulgarent. Quæ contigere in hac publicatione, fuse leguntur apud eumdem Wadingum, ut etiam consecratio ejusdem ecclesiæ Portiunculæ, qui insuper addit [a] eosdem episcopos die nona augusti ad preces viri Dei Francisci & sanctæ Claræ consecrasse etiam ecclesiam sancti Damiani.

a Pag. 62.

Johannes sacrista eremi Camaldulensis mandato Guidonis prioris, in capitulo monachorum sancti Michaelis de burgo Pisarum, coram Urbano abbate sancti Savini, Philippo abbate sancti Zenonis, & Orlando priore sancti Frigdiani, præsentibus etiam patronis ejusdem monasterii, qui de familia Balduvinascorum appellantur, elegit in abbatem dicti cœnobii sancti Michaelis Henricum monachum & monasterii camerarium. Ex pervetusto codice membranaceo ipsius monasterii integram damus in Appendice electionis & possessionis susceptæ formam.

Johannem abbatem de Saxo, & Uguccionem abbatem Insulanum profert charta [b] tabularii Fontis-boni sub præsenti anno.

b §. *Mutilæ* 27. *A.* 3. 11.

Ann. Chr. 1224.

XVI. Honorii III. privilegium pro monast. Fontis-avellanæ.

Alterum *anno* M. CC. XXIV. *pontificatus* sui *anno octavo* III. *idus maji indictione* XII. privilegium concessit Honorius papa ex Laterano, per manum magistri Guidonis domini papæ notarii, priori eremi Avellanensis, quo ad instar Gregorii VII. papæ felicis recordationis, donavit apostolica protectione monasterium Fontis-avellanæ cum omnibus aliis ecclesiis & possessionibus ipsi subjectis, subscribentibus duodecim S. R. E. cardinalibus. Jacobum loci priorem hoc anno facit Jacobillius [c], qui vixerit usque ad annum 1234. Errore tamen arbitratur ipsum suffectum fuisse in locum Nicolai defuncti eodem anno juxta ipsum, qui viginti-duobus annis præfederit. Nomen enim Nicolai in paginis Avellanensibus notatur ab anno 1202. ad 1207. quo nomen apparet Johannis. Ad annum 1218. nomina leguntur Raynaldi primum, inde Petri ejus successoris usque ad annum præsentem 1224. Inde nomen Liberii seu Tiberii hoc anno, & ad annum 1228. nomen Jacobi prioris, appellati *majoris*. Neque tamen Jacobus monasterio præfuit usque ad annum 1234. Guidonis enim nomine signatæ visuntur chartæ ad annum 1231. & Fortis prioris ad annum 1234. Alibi prosequemur seriem eorumdem priorum. In veteri ejus loci necrologio ad diem XXX. augusti habetur: *Obiit domnus Jacobus prior eremi sanctæ Crucis monachus noster*: quare superius Honorii privilegium non Jacobo, ut vult Jacobillius, sed vel Petro, vel Tiberio concessum fuit.

c T. *III. pag.* 348.

XVII. Aliæ ipsius bullæ ad hunc annum spectantes.

Idem Romanus pontifex episcopis Arretino, Florentino, Fesulano & Castellano, omnibusque aliis prælatis per eas diœceses constitutis scripsit, quatenus excommunicationis pœna ferirent invasores bonorum Camaldulensium, vel detentores earum rerum, quæ ipsis ex legatis & testamentis relictæ erant, si laici forent, ab officio vero & beneficio suspenderent, si clerici aut canonici regulares vel monachi essent; hujusmodi autem excommunicati & suspensi mitterentur cum diœcesani episcopi literis ad apostolicam sedem, si beneficium absolutionis vellent obtinere. Datum Laterani VI. *kalendas maji pontificatus* sui *anno* VIII.

Pariter *secundo idus maji* episcopo Arretino & archidiacono ejusdem ecclesiæ demandavit examen querelæ Camaldulensium contra vicecomitem de Campilio, aliosque clericos & laicos homines Senensis & Clusinæ civi-

tatum,

tatum, qui graves eis inferebant injurias, dum intenti per hæc tempora erant reformationi monasterii de Vivo. Ann. Chr. 1224.

Iterum ex Laterano *idibus maji* hujus anni commisit episcopo & archidiacono ecclesiæ Florentinæ cognitionem causæ inter priorem Camaldulensem, & inter plebanos Partinæ, Biblenæ & Bujani, de qua jam diximus anno antecedenti.

Eadem similiter die priori & conventui Camaldulensi dedit literas, ut obviarent abusui, quo aliqui prælati depositi, vel coerciti pœnis regularibus appellationem interponebant ad apostolicam sedem; quas nimirum appellationes, utpote frivolas, atque ad subterfugiendam inflictam pœnam adinventas, nullum deinceps locum habere decrevit. Hæ literæ leguntur etiam in novissima collectione bullarum Romanorum pontificum [a].

a T. III. *pag.* 235.

Aliis literis ipsa die mandavit abbatibus monasteriorum sancti Savini Pisarum, & sancti Hippolyti de Faventia, nec non priori sancti Michaelis de Arretio, ut darent operam, quatenus eremus Camaldulensis, quæ tunc temporis gravi ære alieno laborabat, sublevaretur, ac inducerent prælatos monasteriorum congregationis, ut pecuniis & subsidiis eremi necessitatibus providerent, auxiliumque præstarent.

Die octava novembris pontificatus sui *anno* IX. [b] priori & prælatis Camaldulensibus significavit, ne literis apostolicis, in quibus nulla fieret mentio ordinis Camaldulensis, a fratribus ejusdem congregationis impetratis, ullo modo respondere & obedire tenerentur. Datum Laterani.

b §. *Brevia* 18. *A.* 3. 83.

Tertio idus martii ejusdem anni præfatus Romanus pontifex mandaverat ex Laterano prioribus sanctæ Mariæ foris-portam Lucanæ diœcesis & sancti Jacobi de Certaldo Florentinæ, ut querelas audirent monachorum cœnobii sancti Savini extra urbem Pisarum, qui justitiam sibi fieri expostulabant contra potestatem aliosque cives Lucanæ civitatis, a quibus molestias sustinebant in eorum bonis.

XVIII. Compositio litium inter monast. S. Urbani & commune Apiri.

Ad tollendas rixas, quæ frequentes erant inter homines castri sancti Urbani, & inter commune Apiri, Virgilius abbas monasterii sancti Urbani, cui subjectum erat, castrum ipsum vendidit eidem communitati Apiri hoc anno *indictione* XII. *mense novembri* IV. *die exeunte*, *tempore domini Honorii pape & Friderici imperatoris*. Albertus Petruccii sindicus oppidi Apiri dicto abbati promisit nomine ejus communis se traditurum ecclesiam & vineam pretii centum librarum, donec alia ecclesia & domus æque sufficiens fuerit eidem abbati ab Apiranis ædificata. Homines pariter dicti castri sancti Urbani traditi fuere sub potestate Apiranorum, repetita subinde per aliam paginam subjectione dicti castri a Noguezante Æsino advocato & defensore monachorum sancti Urbani; quas paginas ex autographo archivi Apiri erutas Cl. V. Octavius Turcius Apiranus canonicus perhumaniter nobiscum communes fecit.

Ex tabulario sancti Blasii de Fabriano Albizo filius quondam Matthæi Transmundi refutavit hoc anno seu potius confirmavit Hermanno abbati Vallis-castri cessionem quartæ partis Civitellæ, renuntians quidquid sibi competebat pro muris ejusdem castri reficiendis. Confirmavit nimirum Matthæi patris sui & Transmundi avi donationum instrumenta, de quibus egimus seculo antecedenti.

XIX. Obitus B. Bartholomæi monachi Pisani.

Postremus hic annus fuit vitæ Bartholomæi Ildebrandi filii ex patritia Pisana familia *Ajutamichristo*, monachi cœnobii nostri sancti Frigdiani urbis Pisarum, qui post celeberrimam sanctitatis & miraculorum famam ad cœlestem patriam transivit. Sacrum ejus corpus locatum fuit sub altare ejusdem ecclesiæ in ejus honorem erecto & constructo a piis conci-

 vibus,

Ann. Chr. 1224.

vibus, ubi incorruptum servabatur, & postea pro majori veneratione translatum fuit ad aram principem. Tanta erat frequentia Pisanorum & fides ad sacras ejus exuvias, ut quoties pluviam aut serenitatem aeris a Deo flagitabant, ejus meritis & precibus se commendarent, & ad ipsum confugerent, ac desiderata perciperent. Scribit Fortunius [a] „ mortuum Bartholomæi corpus subter aram conditum usque ad nostram ætatem integrum & incorruptum se quoque populis spectandum devotionis gratia exhiberi vidisse quibusdam anni sollemnibus diebus. " Conqueritur etiam se incassum „ requisivisse libellum, ubi vitæ Sanctorum Pisanorum „ conscriptæ olim a quodam fratre Dominicano in cœnobio sanctæ Catharinæ fuerant, illumque videre sibi non licuisse. " Perseveravit is cultus post Fortunium, quem obtinuit beatus Bartholomæus usque ad præteritum seculum, quo igne consumpto anno 1675. altare ligneo inaurato præfatæ ecclesiæ, collecti cineres & frusta ejusdem sancti viri incaute locata fuere in sacrario intra capsulam apertam & sigillis non munitam. Memoriam ipsius faciunt præter eumdem Fortunium, Ractius, Minius, Farullius & Du-Vergius ex nostris, aliique omnes catalogorum Sanctorum scriptores, & Paulus Troncius in memoriis Pisanis. Ipsius nomen legitur in necrologio veteri parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia sub die XXVIII. januarii his verbis: V. *kal. februarii obiit beatus Bartholus Pisanus conversus ordinis nostri*. De ipso mentionem fecimus etiam in dissertatione nostra de veteribus conversis, & ad classem redegimus virorum illustrium, qui donabant bona sua, & adulta ætate conversionem monasticam arripiebant. Fredericus & Guido *Ajutamichristo*, qui chorum ecclesiæ sanctæ Catharinæ ordinis fratrum Prædicatorum urbis Pisarum paulo post hæc tempora construere fecerunt, memorantur ab eodem Troncia [b] in memoriis Pisanis, qui videntur vel fratres, vel nepotes nostri Bartholomæi fuisse. Floruit & beatus Thomas filius Bernardi ex eadem familia, qui divitias & honores spernens, Prædicatorum ordini nomen dedit, obiitque anno 1380. ad sanctorum Johannis & Pauli Venetiarum sepultus, ut ex Annalibus Dominicanis addiscimus.

a *P. II. lib. II. cap.* XI.

b *Pag.* 83.

XX. Constructio monasterii Nitriensis in honorem S. Benedicti eremitæ.

Cum post ducentos annos, ex quo martyr in Hungaria obierat Benedictus Polonus eremita ex discipulis sancti Romualdi sub Andrea Zoerardo prodigiis inclaresceret, & insuper fama vulgata esset sanctitatis loci, ubi eremiticam vitam duxerat in loco appellato Skalka, Jacobus Nitriensis episcopus monasterium eo loci ædificavit sub ordine sancti Benedicti, cui præsenti anno sequens diploma concessit, quod subjicimus ex Guilielmo Cupero, qui ipsum edidit in commentario prævio ad vitam utriusque sancti eremitæ ad diem XVI. julii [c].

c T. III. *pag.* 329

Jacobus Dei gratia Nitriensis episcopus omnibus, ad quos hæ præsentes pervenerint, orationes in Domino. Notum facio vestræ dilectioni, quod ad honorem Dei omnipotentis, & beati Benedicti martyris, in spelunca, quæ vulgo Skalka dicitur, ubi etiam sanguis ejusdem martyris usque in hodiernum diem perfusus in pariete speluncæ esse dignoscitur, ecclesiam ad titulum beati Benedicti & omnium Sanctorum ædificatam, habito consilio & consensu fratrum nostrorum, abbatiam secundum regulam beati Benedicti constituimus, & ad substentationem fratrum in eadem ecclesia Domino servientium terram Wygezd olim ad Mogos pertinentem, quam idem dudum donavit ecclesiæ Nitriensi, cum septem bobus, duobus servis nomine Martino & Kambocz, duas vineas cum duobus vinitoribus filiis vinitoris Mikou & Joakim, quadraginta oves cum totidem porcis, centum capetias, videlicet quinquagesimam decimarum nostrarum, cum mansu, quem in villa Skalka

tenuit

tenuit Wikozlaus nunc monachus, cum esset parochialis sacerdos, eidem contulimus in perpetuum possidendas &c. *Ut autem hæc a nobis facta donatio ita imposterum permaneret* &c. *eam in chartis fecimus annotari, ac sigilli nostri ac capituli Nitriensis munimine roborari. Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo-quarto.* Hæc abbatia postmodum ex donatione Ferdinandi III. imperatoris ad Patres societatis Jesu transiit pro fundatione collegii Trinchiniensis. Ann. Chr. 1224.

In necrologio parvo monasterii Carcerum ad diem vigesimam-nonam decembris hujus anni post fere quadraginta regiminis annos ponitur obitus Livaldi prioris admodum benemeriti de eo loco, cui subrogatus fuit Savarisius.

Ann. Chr. 1225.

XXI. Obitus S. Raynaldi ep. Nucerini.

MORTALITATEM exuit hoc anno sanctus Raynaldus ex monacho Avellanensi episcopus Nucerinus, *qui*, ut scribit auctor ejus gestorum, *vita mortali in Dei obsequio feliciter peracta, fractus senio, vigiliis atque orationibus, ad vitam immortalem in pace migravit, quem omnipotens Deus signis mirabilibus Sanctum esse declaravit. Sacrum ejus corpus balsamo conditum, loculoque inclusum canonici ac clerici cum magno populi Nucerini accursu in æde cathedrali sepeliverunt. Triennium in episcopatu exegit. Decessor illius Ugo anno* M. CC. XXII. *adhuc superfuit. Pelagius in ejusdem Beati locum subrogatus est anno* M. CC. XXV. Fatemur, hærere nobis aquam in his chronicis notis conciliandis. Ughellius scribit Ugonem Raynaldi prædecessorem obiisse anno 1218. quo eodem anno Raynaldi electionem ratam habuit Honorius III. Quomodo ergo superfuit Ugo ad annum 1222? Rursus si Raynaldus electus fuit anno 1218. episcopus Nucerinus, qua ratione triennium & non potius septennium in episcopatu sanctus vir perduravit, cum Pelagium successorem habuerit anno dumtaxat 1225? Contra apertam auctoritatem scriptoris ejus vitæ faciunt, qui decessum Raynaldi illigant anno 1222. Ea tamen, præter Ughellium & Jacobillium idem asserentes, communis pervulgataque est opinio ipsum ad cœlum evolasse eo anno. Ut aliquam conciliationis viam ineamus, animadvertimus Anselmum Fulginatem episcopum, ob sua in ecclesiam Romanam merita tempore schismatis Octaviani seculo præterito, sublectum fuisse etiam episcopum Nucerinum, & utramque ecclesiam ad plures annos tenuisse, ante annum vero 1198. suffecisse sibi in ecclesia Nucerina Ugonem, qui legitur interfuisse consecrationi ecclesiæ Avellanensis eo anno; nuncium proinde remisisse ei ecclesiæ ante annum suum emortualem. Quidni simile fecerit Ugo, ut anno 1218. in partem officii sui vocaverit Raynaldum, decesserit autem anno 1222. & utriusque exemplo etiam Raynaldus ante obitum suum postulaverit dari sibi in successorem & in adjutorem Pelagium seu Pellavicinum? Nam in chronico monasterii Saxi-vivi affert Jacobillius donationem factam *die quinta septembris anni* M. CC. XXIV. monasterio sancti Petri de Gallano & Johanni ejus abbati a Pelavicino, quem ipse vocat, episcopo Nucerino. Quæ si admittantur, intelligimus, quomodo triennium in episcopatu transegerit Raynaldus, solus nimirum & post Ugonis mortem, & cur anno tantummodo 1225. suffectus ipsi fuerit in sede Nucerina Pelagius, anno scilicet, quo obiit ipse Raynaldus; intelligimus etiam, qua ratione attigerit tempora, quibus beatus Franciscus indulgentiam Portiunculæ publicavit, & sacra stigmata recepit, duobus nimirum antecedentibus annis, quibus ab auctoribus vitæ sancti Francisci, & præsertim a Wadingo in Annalibus, statuitur utrumque gloriosum Francisci factum.

Quoad

Ann. Chr. 1225.

Quoad diem obitus Raynaldi ea fuit nona februarii, qua cultum etiamnum obtinet in ecclesia Nucerina & apud Camaldulenses. Errore typographi factum fuerit, ut apud Ughellium exciderit pro nona dies decima-nona ejusdem mensis. Quod mirari subit, quodque commune fuit pluribus etiam aliis Sanctis Avellanensibus, nulla mentio sub die nona februarii Raynaldi Nucerini episcopi fit in veteri necrologio ejusdem monasterii. Ad diem secundam junii legitur quidem: *Obiit domnus Raynaldus episcopus monachus congregationis nostræ*, sed cujusnam ecclesiæ episcopus fuerit, non enuntiatur, & forte fuit episcopus Firmanus, qui hoc tempore vivebat. Non enim præteriisset scriptor necrologii nomen Nucerinæ ecclesiæ, si ea die junii Nucerinum episcopum Raynaldum significare voluisset.

De Raynaldo mentionem fecere, præter laudatos auctores, Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ, qui ipsum episcopum Nucerinum creatum fuisse asserit anno 1222. Bzovius in Annalibus ecclesiasticis, scriptores quotquot ecclesiæ Nucerinæ, & postremus omnium Marcus Battaglinus nostro seculo Raynaldi in episcopatu Nucerino successor, qui vitam ipsius Italico idiomate composuit. Affirmat Jacobillius Pelagium immediatum Raynaldi successorem collegisse ipsius miracula, quæ forte ea sunt, quæ annis antecedentibus descripsimus, quorum collector diversus videtur ab auctore vitæ, cum utatur verbis, *sicut legi*, quæ indicant aliquod, licet breve, posterius tempus. Subdit etiam idem Jacobillius Virgilium Florentii episcopum ejusdem urbis seculo XVI. novum confecisse processum super miracula beati Raynaldi, & singulari libro ea descripsisse. Aliqua & nos de Raynaldi miraculis post obitum patratis referemus suis annis.

Nolumus tamen hic omittere, quæ anno 1720. pro ipsius cultu in synodo Nucerina mandavit ejus in cathedra Nucerina successor Alexander Borgia. Hæc porro leguntur sessione undecima capite undecimo. *De seculari festo sancti Raynaldi episcopi & patroni Nucerini.* „ Marcus Battaglini felicis recordationis prædecessor noster venerabili cathedralis ecclesiæ capitulo optante, & universo Nucerino populo summis votis postulante, decrevit, ut recurrente centesimo quolibet anno, quo divus Raynaldus Nucerinus episcopus ac patronus ad supernæ beatitudinis gaudia transivit, cujus sacratissimum corpus integrum & incorruptum in ara maxima nostræ cathedralis ecclesiæ summa cum religione asservatur, peculiari cultu seculare festum institueretur, quod primo quidem anno M. D. CC. XXII. quinto videlicet ab ejus dormitione seculo, celebrandum erit. Sed quoniam dies incidit in nonam februarii, quando scilicet in his montanis regionibus asperius frigus ac difficiliora itinera esse solent; Nos, ut majori populi accursu sollemnitas habeatur, illam ad decimam-quintam junii transferimus cum octava celebrandam. Et quoniam ad tantæ festivitatis ornatum multæ requiruntur expensæ, quibus ferendis ecclesiæ nostræ tenuitas omnino impar est, nec ea, quæ civium pietas hactenus contulit, sufficere possunt, omnes & singuli dioecesis nostræ parochi plebes sibi commissas adhortentur, ut adjutrices manus porrigere velint. Eligant deinde unum aut plures viros probos & pios, qui eleemosynas quærant, & quidquid collectum fuerit, Nuceriam mittant apud illos, qui pio operi præpositi sunt, deponendum. Speramus autem eo fideles alacriores fere ad promovendum divi Raynaldi cultum, quo & ille potiora nobis ac universæ dioecesi beneficia a Deo in dies impetrat, signis quoque ac miraculis pluribus quotidie coruscat. “

XXII. Chartæ Camaldulenses.

Rainerius Ubertini concessit pro anima patris & matris suæ ac Fidei

Ann. Chr. 1225.

Fidei quondam uxoris suæ Guidoni priori & eremo Camaldulensi portionem terræ, quam emerat a filia sua Agnete, sitæ in Sparena, ad hoc ut super eam ædificaretur & construeretur cella eremitica, in qua præfatus prior teneretur commorationem statuere alicujus eremitæ, qui deberet jugiter ibidem orare. *Anno Domini* M. CC. XXV. *die* XII. *exeunte mense augusti indictione* XIII. *tempore Honorii pape & Frederici imperatoris*, *Romene sub porticu sancti Mame de curia dicti domini Rainerii Ubertini*. Ubertinorum cella fundata fuit in eremo. In ipsa habitaturus destinatus est ex institutione Gerardi prioris Camaldulensis ostiarius eremi, ut legitur in rubrica *de Portario* ad annum 1278. Juxta quam portarii cellam, & foris ostium eremi fuit dudum ab antiquo constitutum oratorium sancto Antonio dicatum, cujus ara opere testaceo & figuris fabrefacta sive restaurata fuit Petri Delphini prioris generalis tempore. In hoc ipso oratorio defunctorum eremitarum corpora deferebantur, & deferuntur e monasterio Fontis-boni aliisque ex locis, ibique antiquitus ponebantur in schala, deducenda, atque sepelienda in choro atque capitulo, prout ejusdem Gerardi prioris constitutione cautum est rubrica *de Officio Mortuorum*, ut dicemus ad annum 1278. Prope quoque eamdem cellam janitoris constructum fuit anno 1500. hospitium *refugium* appellatum pro adventantibus tempore pluvio vel procelloso, ut legitur in libro *Recordationum* Gregorii de Bergomo eremitæ Camaldulensis.

Johannes plebanus de Partina & capellani ecclesiarum pleberii de Partina cum consensu & in præsentia Martini episcopi Arretini [a] transegerunt & promiserunt die undecima aprilis, sub obligatione bonorum suarum ecclesiarum se soluturos eremo Camaldulensi decimas, de qua solutione his postremis annis diu disputatum fuerat, & curaturos, quod annuatim solverentur & darentur dictæ decimæ ex singulis massaritiis prædicti plebatus, juxta veteres concessiones Theodaldi & Immonis episcoporum Arretinorum.

a §. *Transactio* 6. *A*. 3. 80.

Statutum quoque fuit sub *die decima-octava augusti*, ut domus leprosorum de Puppio de Capite-pontis teneretur recipere fratres Camaldulenses, qui eo morbo laborarent, propter largitiones nonnullorum bonorum, quæ donaverant eidem domui Camaldulenses. Ecclesiam leprosorum consecratam ab Amadeo episcopo Arretino alibi vidimus.

XXIII. Aliæ pro monasteriis S. Adalberti & S. Michaelis de Lemmo.

„ Cum monachi sancti Adalberti in Pereo parere Simeoni archiepisco-
„ po Ravennati, subjicique detrectarent, causam commisit Honorius III.
„ Romanus pontifex Martino, Rodulpho & magistro Pelagotto canonicis
„ Faventinis, qui litem inter archiepiscopum & abbatem composuerunt,
„ ut archiepiscopo abbas morem gereret, venientem antistitem vigesies
„ reciperet, in divinarum precum ratione ab archiepiscopo restitueretur,
„ ad eum denique confugeret. Sententia lata fuit *quarto idus martii* hu-
„ jus anni. " Hæc apud Rubeum. Abbas ejus monasterii erat Falco. Hæc autem controversia etiam anno sequenti, & paulo post sub Gregorio IX. iterum pluriesque recruduit.

Adalperus Parentinus episcopus dictus etiam Adelpeger, Adalpertus & Adalperghus, qui Fulcherio successerat, hoc *anno* M. CC. XXV. *indictione* XIII. *die* III. *exeunte novembris*, *imperante Frederico II. Romanorum imperatore*, confessus fuit se integram recepisse decimam territorii sancti Michaelis de Lemmo a Constantio abbate dicti loci. De hac solutione, & de testimonio episcopi idem dicendum, quod diximus de aliis chartis, quibus innitebantur his temporibus episcoporum Parentinorum prætensa jura.

In

Ann. Chr. 1225.

In quodam chartaceo ms. codice bibliothecæ nostræ sancti Michaelis de Muriano, cui titulus est: *Monumenta Valle-castrensia*, legimus sub præsenti anno simul inter se convenisse abbatem monasterii sancti Savini de Æsio, & abbatem sancti Victoris de Plerosaria, hoc est de Clusis, circa ecclesiam sancti Michaelis de Lappurano; utrumque monasterium jus facile sibi in ipsam vindicabat, vel promiscuum jus obtinebat.

XXIV. Donatur ecc. S. Michaelis de Padua monasterio Carcerum.

Cum *inter cetera loca religiosa Paduani episcopatus domus devota sanctæ Mariæ ad Carceres maxime in eleemosynarum largitione, & benigna ac placita fraternæ caritatis hospitalitate videatur obtinere primatum, & ut idem locus ex devoto devotior, & ex subjecto subjectior Paduano episcopo propter multa beneficia sibi præstita semper debeat permanere, & caritas, quæ hactenus in eodem loco viguit, magis ac magis ferventi amore tam in eleemosynarum abundantia, quam in fructuosa & indifferenti hospitalitate præstanda ibidem ferventius debeat abundare, & suæ matrici ecclesiæ, quæ præ cunctis Paduani episcopatus est honoranda cum maxima dilectione, studeat revereri; idcirco Jordanus Paduanus episcopus*, cujus ea sunt verba, Savarisio priori dicti loci, de consilio & consensu suorum canonicorum dedit hoc *anno indictione* XIII. *die sexto intrante junio* „ ecclesiam sancti Michaelis de Padua cum omnibus possessionibus, & juribus suis, positam juxta muros civitatis, mediante flumine, ut sacerdos „ semper in dicta ecclesia commoraretur, qui administraret spiritualia populo ipsius ecclesiæ, celebrando Divina die ac nocte, & dando pœnitentiam infirmantibus & sanis, christianando & baptizando pueros; deberet tamen venire ad ecclesiam majorem in magnis solemnitatibus, „ item ad processionem, quando vocatus fuerit, in adventu domini patriarchæ, vel dominorum cardinalium, vel alterius sublimis personæ, „ quæ reciperetur ad processionem in ecclesia Paduana; item ad Letanias, ad signacula puerorum, & ad baptismum generale; item responderet episcopo in collectis & exactionibus &c. Actum Paduæ. Hanc donationem confirmavit Honorius papa III. sua bulla data Reate *sexto kalendas decembris pontificatus sui anno decimo*, hoc est ipso anno præsenti, eodem tempore suscipiens sub sancti Petri protectione omnes alias ecclesias & bona dicti monasterii Carcerum.

XXV. De B. Nicolao monacho Vangaticiensi, & de monast. Vincareti.

Inter eumdem Savarisium priorem monasterii Carcerum & inter Bonajunctam abbatem Vangaticiensem lis erat in arbitros tamen compromissa, qui sententiam tulere, quam hoc anno sub *die* XXVIII. *januarii* laudavit probavitque Nicolaus prior Vangaticiæ. Celebre est nomen in ea abbatia cujusdam Nicolai monachi, qui Beati titulo effertur, qui tamen quonam tempore vixerit, inexploratum est. Præter Nicolaum mox dictum priorem Vangaticiensem, Nicolaus monachus ejusdem loci legitur in pagina anni 1217. quam attulimus. Nicolaus monachus legitur & in pagina Fonti-boni ad annum 1222. Ad diem vigesimum-primum januarii in necrologio Vangaticiensi adnotatur obitus Nicolai monachi Vangaticiensis. Alter Nicolaus de Venetiis monachus Vangaticiensis electus fuit seculo XIV. hoc est anno 1321. prior ecclesiæ sancti Matthæi de Accarisiis Bononiensis urbis, quæ ecclesia subjiciebatur cœnobio Vangaticiensi. Quandoquidem vero latet verum tempus, quo floruit beatus Nicolaus, sub hoc anno, occasione data Nicolai prioris, hæc ex Senesio in libro, cui titulum fecit *la Vangadizza*, de ipso Beato subjungimus: „ Antiquissima pictura, inquit, visitur super tabulam ligneam, quæ in „ octo quadratas facies est distincta, & apposita olim fuerat subtus tabulam Vangaticiensis altaris erecti in honorem sanctorum martyrum

„ Pri-

Ann. Chr 1225.

„ Primi & Feliciani abbatiæ patronorum ad aram principem, quæ ta-
„ bula a centum & quinquaginta annis ab eo loco dimota fuit. Ad ba-
„ sem dictæ tabulæ expressi sunt duo protectores Primus & Felicianus,
„ aliquot Sancti albis vestibus circumamicti, & medius inter eos Jesus
„ Christus patiens, ubi etiam reponebatur corpus Dominicum; ad late-
„ ra Christi patientis stant sancti patres Benedictus & Romualdus albo
„ cucullo induti cum pluvialibus alterius coloris. Sub his imaginibus le-
„ guntur eorum nomina aureis literis scripta. In primo ex dictis qua-
„ dratis duo peregrini coloribus sunt expressi cum literis P. & M. deno-
„ tantibus patrem & matrem Nicolai; in secundo iidem visuntur comi-
„ tati ab angelo, & introducti in templum a sacerdote diademate redi-
„ mito. In tertio picta est nativitas Nicolai, qui a nutricibus curatur,
„ super cujus caput legitur: *B. Nicola*; in postremo quadrato a cornu
„ evangelii genuflexus Nicolaus inter multos monachos candidam cucul-
„ lam gestantes recipit eamdem albam cucullam ab abbate albis similiter
„ induto interius, sed pluviali super humeros amicto, & diademate in ca-
„ pite coronato. Ex cornu epistolæ in primo similiter quadrato Nicolaus
„ a dæmonibus verberatur; in altero liberat animas defunctorum a pia-
„ cularibus pœnis, sanctis Angelis circumstantibus, per incruenti sacrifi-
„ cii celebrationem; in tertio ad vitam reducit jacentem in lecto; in po-
„ stremo a monachis Camaldulensibus feretrum bajulantibus defertur Ni-
„ colaus ad sepulcrum." Pictura hæc, subdit Senesius, redolet Græcum artificium & indolem. Similia de beato Nicolao monacho Vangaticiensi habet in alio libro, cui titulus [a]: *Frondi sparte*. Quæ tempore Senesii extabat tabula, licet extra locum suum, Nicolai gesta exprimens, incassum modo quæritur, & vel carie, vel igne periit.

a *Pag.* 47.

In diœcesi Foro-popiliensi instituta fuit ad hæc circiter tempora congregatio canonicorum ad ecclesiam sanctæ Mariæ de Juncareto sive de Vincareto, quam Honorius III. Romanus pontifex ex urbe Reatina *idibus augusti pontificatus* sui *anno decimo*, interpositione Foro-popiliensis episcopi, approbavit, confirmans, ut suscipere valeret regulam fratrum canonicorum sancti Marci de Mantua, quæ apostolicæ sedis judicio probata fuerat, ita tamen, ut prædicti fratres sancti Marci nullum per hoc jus in ecclesiam Vincaretanam possent sibi vindicare. Perseveravit ecclesia sanctæ Mariæ de Vincareto sub regula canonicorum sancti Marci usque ad dimidium seculi sequentis, quo canonici illi unionem postularunt cum Camaldulensibus. Reperimus tamen etiam ad annum 1407. capitulum generale canonicorum sancti Marci celebratum fuisse in eremo sanctæ Mariæ de Vincareto Brittonoriensis diœcesis, quod demonstraret eo anno nondum ad effectum productam unionem cum Camaldulensibus, vel post unionem resiliisse, & primam canonicorum sancti Marci unionem iterum expetiisse. De hoc Vincareti monasterio suis temporibus aliqua in medium proferemus, quod modo unitum est cum monasterio nostro sancti Johannis-baptistæ de Faventia.

Ann. Chr. 1126.
XXVI.
Honorii III. epistolæ pro monast. S. Petri de Puteolis & pro plebe Balnei.

HONORIUS III. abbati monasterii sancti Pontiani Lucensis urbis, & prioribus sancti Michaelis & sanctæ Reparatæ ejusdem civitatis mandavit ex Laterano XIII. *kalendas augusti* hujus anni, *pontificatus* sui *anno* x. si ex die consecrationis suæ annos numeravit, alioquin anno antecedenti, ut cognoscerent querelam abbatis & conventus sancti Petri de Puteolis dictæ urbis, qui ad apostolicam sedem detulerant, quod commune & domini de Vivinaria aliique Lucensis diœcesis pro divisione cujusdam nemo-

ANN. CHR. 1226.

nemoris molesti erant hominibus, redditibus & rebus ejus monasterii. Providit tamen, ne in præfatum commune sententias interdicti vel excommunicationis exererent judices, nisi acciperent a se speciale mandatum.

Conquestus fuerat apud eumdem Romanum pontificem Gerardus archipresbyter plebis sanctæ Mariæ de Balneo Bobiensis diœcesis, Guidonem abbatem Vergaretanum, priores quoque locorum de Trappola & de Fajola, & quosdam alios Bobienses injurias sibi afferre super jure patronatus ejusdem plebis, super decimis aliisque suis juribus. Impetraverat judices delegatos ad cognitionem causæ Albertum Faventinum episcopum, Oddonem præpositum, & Rodulphum canonicum ejusdem ecclesiæ, qui lite cognita a sententia excommunicationis temperaverant; quare cum consules & commune Vergareti institissent apud apostolicam sedem, ut causa terminaretur, mandavit idem Honorius dictis judicibus per apostolica scripta, ut sententiam absque difficultate relaxarent; alioquin scripsit se eamdem causam remisisse episcopo Foro-liviensi, & abbati sancti Mercurialis, ac archidiacono ejusdem urbis. Datum Laterani v. *idus aprilis pontificatus* sui *anno* x. Excommunicationis sententia innodati fuere Bobienses homines, & abbas Vergaretanus Guido; nam legimus in tabulario Balneensi VII. *kalendas novembris* hujusce anni Guidonem abbatem infirmitate corporis gravatum apud ecclesiam sancti Angeli, ubi jacebat, supplicationem fecisse presbytero Stephano suo pœnitentiali, ut ab excommunicatione se absolveret, qua fuerat ligatus ab Alberto episcopo Faventino aliisque conjudicibus, ac absolutionem recepisse. Præter annum electionis, in quo etiam errat, & præter locum attributum fratribus Prædicatoribus in urbe Faventina ab Alberto episcopo, nil aliud in medium profert de ipso Ughellius, quem proinde novimus ad hunc annum pervenisse, immo ex paginis afferendis vivebat etiam ad annum 1234.

XXVII. Controversia inter Simeonem archiep. Ravennæ & monast. S. Adalberti.

LIS altera erat, vel novo fomite incaluerat inter Simeonem archiepiscopum Ravennatem & inter monasterium sancti Adalberti quoad subjectionem & obedientiam præstandam a noviter electo loci abbate Falcone. Delegaverat Honorius causam Martino canonico Faventino aliisque judicibus, a quibus Ubaldus sindicus & camerarius archiepiscopi petiit, ut Benvenutus sindicus monasterii obedientiam requisitam eidem archiepiscopo exhiberet; respondit Benvenutus *se velle scire quam obedientiam?* subdidit archiepiscopi actor: *tamquam Metropolitano*. Verum post multas concertationes is, qui archiepiscopi vices gerebat, ratam habuit confirmationem ejusdem abbatis electi factam a Gratia episcopo Parmense ex delegatione pontificia, quin tamen inde oriretur præjudicium archiepiscopo. Neque tamen contentio finita fuit, nam iterum controversia ab eodem pontifice commissa fuit decidenda præposito Imolensi; rursusque sub Theoderico Simeonis archiepiscopi successore demandata fuit Pelagotto canonico Faventino. Falco electus fuerat abbas ante biennium in locum Johannis, successoremque habuit alium Johannem. Gratia vero ad ecclesiam Parmensem assumptus fuerat etiam ipse eodem anno 1224. Hæc ex chartis tabularii archiepiscopalis Ravennæ [a].

a *Caps. E.* 1657. 1654. 1672. *A.* 3562.

XXVIII. Friderici II. imp. diploma pro Camaldulensibus.

FRIDERICUS II. imperator amplissimo diplomate omnia ea monasteria & indulta Camaldulensi eremo ejusque priori Guidoni hoc anno confirmavit, quæ antea a Friderico I. ejusdem avo anno 1158. atque ab ejus parente Henrico VI. anno 1186. eidem eremo concessa fuerant. Hæc tamen adjiciuntur, quæ in Friderici I. & Henrici VI. diplomatibus non leguntur: *Confirmamus insuper eidem eremo monasterium sancti Michaelis de Lemmo, quod ei contulit Wolfcherus quondam Aquilegiensis patriarcha*

& prin-

& princeps imperii, secundum quod in scripto continetur ipsius. Hæc traditio facta est ante annum 1218. qui fuit emortualis Wolckerii patriarchæ, qui proinde antiquissimum sancti Michaelis de Lemino cœnobium a parente nostro Romualdo fundatum subjecit post duo secula disciplinæ eremi Camaldulensis, cui adjungebantur ea monasteria, quæ sejunctim juxta disciplinam Romualdi vivebant, nec congregationi alicui parebant. *Confirmantes*, subdit, *nihilominus sibi ecclesiam sancti Michaelis positam in palude juxta canalem de Muriano, sicut eam cum pertinentiis suis temporalibus & spiritualibus Marcus Castellanus episcopus eremo predicte concessit*. In Fridericiano diplomate non nominatur episcopus Torcellanus, neque plebanus & canonici Murianenses. De ipsa concessione egimus ad annum 1212. *Statuentes* &c. Hujus rei testes fuere Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Lando Rheginus archiepiscopus .... Curiensis & abbas sancti Galli .... Cicensis, Jacobus Taurinensis, Maynardinus Imolensis episcopi ... dux Saxoniæ ... Lantgravius Thuringiæ, Rainaldus dux Spoleti, comes R.. de Queurenberck, comes Sifridus de Vienna & alii quamplures. *Acta sunt anno Dominice incarnationis* M. CC. XXVI. *mense madii*, XIV. *indictione, imperante domino Friderico II. Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem & Sicilie rege, anno Romani imperii ejus* VI. *regni Jerusalem* I., *regni Sicilie* XXVIII. *Datum apud Ravennam anno, mense & indictione prescriptis*. De eodem privilegio verba fecit etiam Rubeus [a]. Regni Jerusalem titulum sibi adjunxerat Fridericus ob Jolantam filiam Johannis Jerosolymitani regis sibi adscitam in uxorem anno antecedenti.

Ann. Chr 1226.

a *Lib. VI. pag.* 394.

XXIX. Monasterium S. Petri in Campo traditur protectioni civitatis Senensis.

IISDEM chronicis omnino notis, die autem sexta maji signatur charta, quam ex autographo [b] tabularii archinosocomii Senarum exscripsimus, qua sub custodia & protectione civitatis Senensis traditur monasterium sancti Petri in Campo. Adnotatur scilicet annus *imperii* VI. *Friderici, Jerusalem* I. *Sicilie* autem XXVIII. quare nescimus, qua ratione in eadem pagina hæc traditio consignetur ad *annum incarnationis* M. CC. XXXI. quo XI. imperii, VI. Jerusalem, XXXIII. autem erat regni Siciliæ Friderici II. annus. Porro cum comites, magnates & dynastæ jurisdictionem exercentes in maritima parte Senensis territorii dictam abbatiam, ejusque abbatem, monachos, conversos & oblatos opprimerent, & bona ipsius monasterii violenter usurparent, placuit Rainerio ejus loci abbati, consentientibus Gualfredo Clusino episcopo, Guidone Camaldulensi priore, & Ildebrandino priore de Vivo & Johannis successore, cui subjectum erat monasterium de Campo, sese & abbatiam tradere communi Senensi, ut deinceps cœnobium ejusque bona defenderet, & offensores repelleret. Bona ipsius designantur a flumine Urciæ, quod incipit ab abbatia Spinetana, usque ad Castillioncellum-latronum & curtem Montechielli; ea apposita conditione, ut homines dicti monasterii non tenerentur ad solutionem collectarum, vel ad gravamen onerum, ut valerent substantias suas vendere extra loca jurisdictionis civitatis Senarum, ut possent sibi creare consules & rectores, condere statuta & ordinationes, consilium congregare, reformationes facere &c. ut demum nulli rebellium reipublicæ Senensium fas esset morari in territorio ejusdem monasterii. Actum in castro sancti Quirici in Osenna. Quæ omnia imperiali auctoritate Friderici II. confirmata & roborata fuere a Rodulpho de Sancto-miniate vicario in Thuscia pro eodem imperatore. In nova Italiæ editione Gualfredus episcopus Clusinus, qui primum defunctus dicebatur anno 1225. ex instrumento mox allato, quo abbatia sancti Petri in Campo se commendavit Senensi reipublicæ, a Ben-

b *Num.* 780.

Ann. Chr. 1226.

Benvoglientio dicitur ulterius vitam produxisse saltem usque ad annum 1231. Verum si statuatur instrumentum commendationis ad annum 1226. ad eum tantummodo annum ex ipso probabitur Gualfredum pervenisse. Annus enim primus regni Jerusalem Friderici II. non anno 1231. sed 1226. illigatur. Distinguendus etiam est Gualfredus II. episcopus Clusinus a Gualfredo I. qui vivebat anno 1210. ex eodem tabulario [a] archihospitalis Scalæ Senarum, cum inter utrumque medius reperiatur ad annum 1215. Hermannus. Ansifredum vocat, quem nos Gualfredum, Orlandus Malavolti in historia Senensi [b], qui insuper errat circa annum hujus commendationis, quem putat fuisse annum 1202. quo certe anno Fridericus II. non erat imperator.

a *Num.* 366.

b *Lib. IV. pag.* 270.

Inter Galgarinum quoque episcopum Suanensem & inter priorem Vivensem compositio secuta est hoc anno quoad ecclesiam sancti Galgani *del Cottone* ordinis Camaldulensis, ut nimirum dictus prior solveret quartam partem testamentorum ipsi episcopo; charta extat in archivo monasterii Rosæ Senarum rogata a Raynerio notario [c].

c *Num.* 273.

XXX. Electio abbatis Pratalienſis.

Cum obiisset Guilielmus quadraginta & amplius annis abbas Pratalienſis [d], monachi & conversi ejus monasterii concorditer selegerant aliquot ex confratribus suis, quibus plenam potestatem tribuerant eligendi abbatem dicti loci die decima-sexta augusti. Die autem XXX. septembris Guido prior Camaldulensis coram Martino episcopo Arretino, archidiacono & pluribus monachis Fontis-boni proposuit se jure debere interesse electioni, & ad examen revocare suffragia monachorum Pratalienſium. Contra ipsum tamen appellarunt ad apostolicam sedem ii, quibus facta fuerat eligendi potestas, quare die undecima octobris postularunt & elegerunt in Pratalienſem abbatem Marcum monachum. Convenit demum [e] die vigesima-tertia octobris inter Guidonem priorem, & inter Pratalienses, ut si hi probare possent evidenter hoc sibi jus eligendi competere, perpetua foret ipsis hæc facultas, sicut etiam perpetua foret priori Camaldulensi hæc potestas, si idipsum pro se probare valeret. Rationalibus documentis jus Pratalienſium obtinuit, nam Guido post rem discussam ratam habuit Marci electionem, & „ accipiens electum præ manibus cantando hy„ mnum *Te Deum*, duxit ipsum in ecclesiam, & posuit in sede abbatis; „ finito hymno abbas surrexit, & prostravit se coram altari, eumque pro„ stratum post orationem *Actiones nostras* & benedictionem incensavit, & „ aqua benedicta aspersit, quo facto duxit eum in capitulum, & ibi ab„ bas flexis genibus humiliter & devote stetit coram priore, qui tenens „ regulam beati Benedicti in manibus, commisit eidem abbati cum re„ gula administrationem spiritualium & temporalium, & postmodum petiit „ ab eo: Promittis mihi & meis successoribus catholicis obedientiam se„ cundum regulam beati Benedicti & consuetudines Camaldulensis ordi„ nis intuitu administrationis tibi commissæ? qui abbas respondit: Promit„ to; & postmodum prior præcepit monachis dicti monasterii, ut obedi„ rent eidem abbati. “

d §. *Electio* 8. *A.* 3. 100.

e §. *Conventio* *A* 3. 101.

Episcopus quoque Martinus [f] mandavit hoc anno omnibus habitantibus in Corezo, ut decimationes solverent Pratalienſi monasterio, quas hactenus a quadraginta & plus annis exegerat absque contradictione ab ipsis dictum monasterium. Ex alia Fontis-boni pagina Amator quondam Tebaldi de Prefecto erat hoc anno ad diem XXVI. septembris potestas Arretinæ civitatis.

f §. *Recordationes* 31. *A.* 3. 5.

XXXI. Conventiones inter monast. Insulanum & ep. Foro-popilienſem.

Die decimo-septimo augusti [g] idem prior Camaldulensis electus arbiter ab abbate sanctæ Mariæ in Insula, & a priore monasterii sancti Pater-

g §. *Sententia* 25. *A.* 3. 99.

terniani de Ferracciano pronuntiavit, quod tempore vacationis liceret capitulo Ferracciani pertractare de viro idoneo eligendo sibi in præsidem, ipsumque postulare ab abbate Insulano vel ex Ferracciani cœnobio, vel ex Insulano, vel ex conventu Camaldulensi. In casu discordiæ præfigeret abbas Insulæ Ferraccianis terminum trium mensium, quo elapso ipse eligeret; electus subesset abbati Insulano, non tamen removeretur, nisi justis de causis; ab Insulano pariter abbate appellare posset prior Ferracciani ad priorem Camaldulensem. Ratione vero episcopi Foro-popiliensis, in cujus diœcesi exsurgebat monasterium Ferracciani, sententiam tulerant die decima-octava martii hujus anni [a] Rodulphus abbas sancti Hilari de Galeata, & Bernardus archipresbyter plebis Galeatæ arbitri statuti ab Homodeo episcopo ejus urbis, & ab Uguccione abbate Insulano, & ab Alberto rectore ecclesiæ Ferracciani, ut electus ejus monasterii præsentare se deberet episcopo, a quo benedictionem & curam animarum reciperet, ipsi procurationes solveret, & quotannis cathedraticum offerret, consecrationes ab ipso assumeret, interdictum ipsius servaret. Episcopus vero Foro-popiliensis teneretur tum abbati Insulano, tum rectori sancti Paterniani præstare auxilium pro persona & pro rebus temporalibus. Quæ conditiones statutæ fuerunt observandæ utrimque sub pœna centum librarum. Homodeum episcopum Foro-popiliensem omnino ignoravit [b] Ughellius; qui propterea statuendus erit inter Ubertellum, cujus mentionem ingessimus ad annum 1222. & inter Ægidium, cujus monumenta afferimus ad annum 1228. Anno 1223. fato jam functus fuerat Ubertellus, non anno 1224. ut scribit idem Ughellius; nam *anno pontificatus* sui *septimo*, *tertio idus aprilis*, hoc est anno 1223. Honorius III. Romanus pontifex in insigni diplomate concesso monasterio sancti Rophilli ejusdem Populiensis urbis appellat Ubertellum *episcopum bone memorie*.

Ann. Chr. 1226.

a Ibid. 24. A 3. 89.

b T. II. col. 605.

XXXII. Inscriptiones Vangaticienses & Tudertinæ.

Inventa fuere hoc anno in ecclesia Vangaticiensi sub abbate Orlando, qui Bonajunctæ successor datus fuerat sub finem anni antecedentis, quo mense decembri appellatur *electus*, corpora sanctorum Primi & Feliciani martyrum, & sancti Theobaldi confessoris, ut fidem facit sequens inscriptio, quæ prostat modo penes januam sacrarii ejusdem ecclesiæ [c]. *Anno Domini* M. CC. XXVI. *hoc in templo*, *ne opus pulcrius isto*, *quando fuit factum*, *corpora Sanctorum Primi & Feliciani & sancti Theobaldi inventa fuere*. *Tu quicumque legis*, *scias*, *quod abbas Orlandus hoc opus fieri fecit*. Ne quid antiquitatis depereat, reperimus in eadem ecclesia lapidem substratum pavimento turris campanariæ, in quo cœlata est hujusmodi Romana inscriptio

c Vide T. II. pag. 391.

G. BAEBIVS. P. F.
ROM. T. FI
SIBI. ET
. BAEBIO
ELI. CI. LIB.

Bebiæ familiæ monumentum legimus apud Kirchmannum in libro de funeribus Romanorum cap. XXV. pagina 292. & paulo remota a loco vocato Caputaggeris in diœcesi Adriensi erat etiam posterioribus temporibus turris appellata *delle Bebe*, quod nomen obtinet etiam ad hodiernam diem.

Pariter extat in eremo patrum Monte-coronensium sub titulo sancti Michaelis de Canonica quatuor milliaribus a Tuderto distante lapis marmoreus translatus ex veteri ecclesia sancti Angeli de colle Canonica, quæ rege-

Ann. Chr. 1226.

regebatur olim per priorem & decem canonicos, nunc vero cum titulo fuit translata ad ecclesiam eremi a duobus jam seculis. Inscriptio prostat in eo lapide super januam interiorem templi.

✠ IN. NOMINE. DOMINI. AMEN. ANNO. DOMINI.
MILLESIMO. CC. XXVI. INDICTIONE XIIII.
TEMPORE. DOMINI. HONORII III. PP.
DE. MENSE. SEPTEMBRIS. TEMPORE. DOMINI
FVSCONIS. PRIORIS. QVI. FECIT. FI
ERI. HOC. OPVS.

XXXIII. Obitus Beatricis comitissæ Estensis.

Ad sponsum evolavit hoc anno Beatrix Estensis virgo, Azzonis VI. marchionis & Eleonoræ Sabaudiæ comitissæ filia, quæ seculi pompis spretis prius se circa annum 1219. tenella adhuc ætate in sanctæ Margaritæ Salarolæ monasterium, inde post sesquiannum in oratorium sancti Johannis-baptistæ Gemmulæ, cœnobium tunc derelictum, quod tamen anno 1215. monachi incolebant, includens, angelicam in terris vitam duxit cum aliis sacris virginibus, sui instituti & pietatis æmulatricibus. In spiritualibus consiliis ab ore beati Jordani prioris monasterii sancti Benedicti Paduæ, & Alberti prioris Montis-ricci, seu Montis-vinearum in Monte-silice, magnæ auctoritatis virorum, & affinitatis vinculo sibi conjunctorum pendens, vitamque suam exigens ad regulam sancti patris Benedicti, & ad statuta exorientis novæ congregationis monachorum & monialium albi coloris Paduæ, exemplo aliis præluxit, aliasque puellas ad Dei amorem excitavit, inter quas beatam Julianam ex comitibus Collaltis, quæ in Gemmulensi cœnobio instituta, Venetias inde transiens celebre restituit, ut vidimus, monasterium sanctorum Blasii & Cataldi; Julianam virginem Mantuanam alii faciunt ex nobili familia Ripæ comitum. Anno 1216. *die quinta-decima octobris* Beatrix ab Azzone VII. seu Azzolino Novello Estense marchione ipsius fratre quinque mille libras denariorum acceperat, quas expendit in constructione sui cœnobii Gemmulensis. Demum vicennis cum esset, immatura quidem ætate, sed matura cœlo, virtutibusque onusta mortalitatem exuit sexto idus maji hujus anni, cujus sacrum corpus incorruptum translatum fuit post tria cum dimidio secula ex Gemmulense ad asceterium sanctæ Sophiæ Paduanæ urbis, ad quod etiam sanctimoniales translatæ fuere anno 1578. ab episcopo Paduæ Friderico Cornelio S. R. E. cardinale, sicut sacræ virgines Salarolenses ad monasterium sancti Mathiæ ejusdem urbis domicilium fixere. Scimus ex chartis nostris Salarolæ cœnobium unum fuisse ex iis, quod novam institutionem congregationis Patavinæ efformabant. Credibile est tam Jordanum, quam Albertum easdem leges induxisse etiam in monasterium Gemmulense, licet hoc non recenseatur inter cetera ejusdem congregationis. Albertus prior Montis-vinearum, cujus consilio utebatur Beatrix, quique ipsius sanctæ virginis vitam primus posteritati tradidit, nominatur frequenter per hæc tempora in paginis nostris, sed potissimum ad annum 1222. quo collector fuit constitutus a Jordano episcopo Paduano pecuniæ clero ejusdem urbis impositæ ab Ugolino cardinale Ostiensi episcopo & apostolico sanctæ sedis legato. Ejusdem mentio fit ad annum 1229. & 1231. quo postremo anno judicium tulit inter Marcum Michaelem episcopum Castellanum & inter patriarcham Gradensem, quod refertur in Tomo V. Italiæ sacræ [a].

[a] Col. 1258.

DE-

DECIMA-OCTAVA die martii hujus anni suffectus fuit in locum Honorii III. Romani pontificis Ugolinus ex comitibus Signinis & Anagninis, consanguinitate junctus cum gloriosæ memoriæ pontifice Innocentio III. a quo S. R. E. cardinalis primum sancti Eustachii, inde episcopus Ostiensis & Velitrensis creatus fuerat; quique tum doctrina, tum pietate, tum variis legationibus, quas strenue obierat, erat clarissimus. Octiduo post consecrationem suam, qua insignitus fuerat die vigesima-prima martii, benevolentiæ plenas literas ad Camaldulenses patres dedit, quibus ipsorum suffragium summa pietate implorans, eos rogavit, ut preces pro se ad Deum funderent, quatenus in magistratu supremo gerendo veniret sibi auxilium de Sancto. Eæ porro literæ sunt hujusmodi.

ANN. CHR. 1227.
XXXIV.
Ugolinus electus Rom. pontifex sub nomine Gregorii IX. literas suæ electionis dat Camaldulensibus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & fratribus eremi Camaldulensis salutem & apostolicam benedictionem. Assumpti nuper, immo verius rapti, ad summi pontificatus officium, quod fratres nostri nos quantumlibet reluctantes suscipere coegerunt, eo plenius insufficientiam nostram agnoscimus, quo diligentius incumbentia nobis onera cogitamus. Si enim quilibet sanæ mentis anxiatur & metuit, ne pro se ipso dignam possit reddere rationem in extremo examine, quis ad eam reddendam pro omnibus, pro prælatis & subditis, pro sapientibus & insipientibus (quibus ipsum officium eos, qui ad illud assumuntur, constituit debitores) se sufficientem audeat reputare? Plane recognoscimus & fatemur, quod in hac altitudine maris, in hac tumultuosa mundanorum fluctuum tempestate Petri navem universalem ecclesiam gubernare nequaquam nostra virtute sufficimus, sed a solo Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, sufficientiæ gratiam expectamus, atque inter hujus maris magni & spatiosi, inter videlicet hujus seculi turbulentissimos fluctus nostra mens ad ejus auxilium oculos levat & erigit, qui beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit. In quo nimirum non parvam dignata est nobis dare providentia divina fiduciam, ostendens ecclesiam suam, quæ præfigurabatur in Petro, fore ipso manum sui auxilii porrigente seculum calcaturam. Quia vero importuna lippientis Liæ instantia nos frequenter a suavibus perspicacis Rachelis amplexibus avellente, ipsi Deo precibus insistere non possumus, ut oportet, vos, qui ad pedes ejus sedetis jugiter cum Maria, & quibus ab olim nos junximus, bitumine caritatis sollicitandos duximus, & prece affectuosa rogandos, pro grandi munere postulantes, quatenus in ara cordis vestri pro nobis orationum vestrarum sacrificium crebrius offeratis suppliciter postulando, ut ad se ipsum dirigat nostras cogitationes & actus, & ad exsuperandam negociorum turbulentiam mundanorum dignetur nobis porrigere manum suam. Quatenus ejus nos præveniente gratia & sequente, sic impleamus officium apostolicæ servitutis, ut cum venerit positurus cum servis suis calculum rationis, illam desiderabilem vocem: Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui, audire ipso miserante possimus. Datum Laterani V. kalendas aprilis pontificatus nostri anno primo.

ALTERAM ejusdem Romani pontificis epistolam reperiit olim Ludovicus Jacobillius in archivo monasterii Vallis-gloriæ prope Hispellum, quam transmisit ad Germanum Bottam præsulem nostrum amicissimum suum, quæque etiam testimonio clarorum Hispellatum existebat in eodem parthenone initiis hujus seculi, modo vero incassum requisita a nobis fuit. Data ipsa est Benedictæ abbatissæ ejusdem asceterii kalendis augusti hujus anni. Monasterium sanctæ Mariæ Vallis-gloriæ subjectum erat ab antiquo tempore cœnobio nostro sancti Silvestri de Monte-subasio, a quo per milliare distabat asceterium hocce sacrarum virginum, quæ ab abba-

XXXV.
Alteras sanctimonialibus Vallis-gloriæ.

Ann. Chr. 1227.

abbate & a monachis Subasianis regebantur. Verum cum disciplina monastica nonnihil defecisset in eodem parthenone, sicut defecerat etiam in cœnobio monachorum, reformatum ipsum fuerat anno M. CC. XII. ut tradunt scriptores ordinis Minoritici, per sanctam Claram Assisiatem, quæ ibidem constituerat in primam abbatissam beatam Pacificam. Anno 1231. abbatissa ejusdem parthenonis erat beata Balvina vel Balbina, ut fidem facit Nicolaus Spoletanæ sedis episcopus, qui præfatum monasterium ipsi confirmavit. Inter beatam Pacificam & beatam Balbinam locum rexit Benedicta; quam abbatissarum Clarissarum seriem non omni tamen ex parte admittimus, quia ex Thoma Hispellate scriptore vitæ beati Andreæ Hispellatis Pacifica non prima fuit ejus parthenonis abbatissa, sed ad monasterium illud regendum missa fuit a beata Clara post Balbinam anno dumtaxat 1247. Benedictæ itaque, quæ Balbinam præcessit, gratulanti de ipsius ad pontificatum assumptione literas dedit idem Gregorius in hæc verba.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus Benedictæ abbatissæ, virginibus atque mulieribus sororum inclusarum monasterii sanctæ Mariæ Vallis-gloriæ de Spello ordinis sancti Damiani Spoletanæ diœcesis, totique conventui salutem & apostolicam benedictionem.

Magna, sicuti dicitur, vobis nata est in mea promotione jucunditas, quæ si non reciperet a contrariis accidentibus motum perpetuum, nobis dare posset de audita exultatione tripudium. Sed inter tot varios motus & animos diversans, quorum servituti adquiritur, quod præfertur inter tot fluctus turbinesque causarum, quibus mens occupata colliditur, non potestis, quæ nos pietatis intuitu diligitis, non gustare formidinem, quantumcumque hauseritis de injuncto nobis a Domino apostolatus officio voluptatem. Placere vobis debuerat proventus bonoris, si obnoxia non esset altitudo periculi, & valde jucundum esset supra undantes vortices cum Petro adventui Redemptoris occurrere, si ventus a latere validus non terreret. Verumtamen, quia prope est Dominus omnibus invocantibus nomen ejus, & maxime vobis in Christo filiabus, quæ ad pedes ejus jugiter lacrymarum, & orationis instantia divina viscera pietatis & continuis gemitibus exquiritis, rogamus & obsecramus in Domino Jesu, ut sit ad Dominum clamor jugiter vestræ mentis, ut servum servorum Christi non absorbeat pelagus tempestatis, adjiciatque gratia, quod negligentia subripit, & divina misericordia dulcedinem tranquillitatis amissam redimat, quam subito rapuit repentini casus angustia. Cum itaque ad amœna solitudinis beatæ vitæ præludia heremitarum consortia ad donativa currentium cœlestiumve thesaurorum, & dum ad beati Benedicti vestigia præruptis silicibus & rupibus inaccessis impressa, fratrumque nostrorum collegia Agnum Dei beata æmulatione sequentium, inter quos anima mea spirituali sæpius videbatur languore deficere, oculos mentis erigo, dum singultus & gemitus, & copiam lacrymarum ancillarum Virginis gloriosæ, quibus cor meum medullitus revirebat quodam cœlesti rore considero, quasi de gravi somno consurgens, gaudia consolationis internæ me perdidisse gemo, & lucris præsentibus damna præterita non evito. Positus igitur in patibulo Crucis, frementibus Judæorum turmis, & crucifixoribus undique circumfusis, ad vos venire nequeo, sed fellis & myrrhæ poculo inebriatus anxior, & vos juxta matrem Domini lacrymantem a longe videre compellor, quas filio meo fratri pacifico commendatas in Cruce relinquo, & inclinato capite spiritum Patri, qui dedit illum, reddere concupisco. Rogate, ut servum inutilem Dominus non contemnat, rogate pro servo, pro patre, pro filio, pro servis Christi & ancillis obnoxio, qui pro vobis &

aliis

aliis omnibus quotidie totus immolor, & extensis in cruce manibus, quod reliquum est, in manus Patris nostri & Domini animam commendo. ANN. CHR. 1227.

Datum Anagnie kalendis augusti pontificatus nostri anno primo.

Refertur hæc tota epistola ab Odorico Raynaldo in Annalibus Ecclesiasticis [a] ex ejusdem pontificis regesto epistolarum, sed tamquam data ad Benedictam abbatissam sanctæ Mariæ Senensis, fratresque, quorum in epistola pontifex meminit, interpretatur ipse fratres Minoritanos; datam autem scribit secundo idus augusti. Sed præterquamquod non intelligitur, quænam fuerit hæc abbatissa Senensis, dicta facile in codice Assisiensis, nequeunt intelligi certe pro Minoritanis fratribus ii, qui *ad beati Benedicti vestigia agnum Dei sequuntur*. Licet enim inclusæ sancti Damiani moniales regulam sancti Benedicti profiterentur, eam tamen non profitebantur viri sub sancti Francisci regula militantes, & Romanus pontifex de collegiis fratrum sequentium beati Benedicti vestigia conceptis verbis sermonem instituit in hac epistola; scilicet de monachis Camaldulensibus Subasianis, quibus hactenus subjectæ fuerant sanctimoniales Vallis-gloriæ, *inter quos* Ugolinus *sæpius videbatur languore deficere*.

a *Pag.* 343.

XXXVI. An Ugolinus fuerit abbas S. Silvestri de Subasio? De sanctimonialibus Vallis-gloriæ.

FERUNT itaque plerique, inter quos Jacobillius & Ferdinandus Passerinus Hispellas, Gregorium IX. antea Ugolinum, priusquam ad S. R. E. dignitates raperetur, abbatem fuisse ejusdem monasterii sancti Silvestri de Monte-subasio; hinc in cognitionem veniremus, qua ratione spiritualem necessitudinem inierit cum sanctimonialibus Vallis-gloriæ, immo cur tanto dilectionis affectu prosecutus fuerit sanctum Franciscum & sanctam Claram, eorum pariter discipulos & discipulas, ac pios viros Assisinates, a quorum urbe parum distabant tum oppidum Hispellum, tum monasterium sancti Silvestri. Et ex his verbis allatæ epistolæ, *dum ad beati Benedicti vestigia impressa, fratrumque nostrorum collegia Agnum Dei sequentium, inter quos anima mea spirituali sæpius videbatur languore deficere, oculos mentis erigo*, sententiam suam de Subasiano regimine Ugolini confirmant. Hinc Ugolinus fuerit abbas ille, quem per Fulginatem episcopum Anselmum anno 1195. Cœlestinus III. hortatus fuerit, ut disciplinam eremi Camaldulensis una cum monachis suis non postponeret. Falluntur etiam ii, qui præfatum asceterium Vallis-gloriæ ædificatum fuisse tantummodo temporibus divæ Claræ affirmant, freti verbis Nicolai Spoletani episcopi, qui dum Balbinæ abbatissæ exemptionis privilegium *anno* M. CC. XXXI. *die* VII. *intrante martio* concedit, monasterium ipsum ab ea ejusque sororibus constructum [b] asserit, immo auctoritate ipsius Gregorii, qui in pontificiis diplomatibus iisdem verbis utitur. Nimirum monasterium existebat ante reformationem ibidem introductam a beata Clara; nam in historia Hispellensi Fausti-gentilis Donnolæ JC. Hispellatis, quam laudat Godefridus Henschenius in tomo I. Junii [c], legitur de beato Andrea Hispellate, quod „ is ante ingressum in ordinem Minoriticum, qui contigit „ anno 1223. magna reverentia prosequebatur monachas cœnobii Vallis-„ gloriæ ipso in monte Subasso siti, inter Hispellense oppidum & mona-„ sterium prædictum, unius utrimque milliarii intervallo, quas cum in-„ genti studio perfectionis religiosæ teneri animadvertisset, ipsasque eodem „ multum extimularet, postea ad sanctæ Claræ regulam reformavit. “ Idipsum confirmatur clarius ex summario liberculi fratris Thomæ de Hispello extracto anno 1322. in quo brevi calamo referuntur Andreæ gesta: *Missus est*, ibidem dicitur, *anno* M. CC. XXXXVII. *Andreas a sancta matre Clara de Assisio cum sorore Pacifica ad Vallem-gloriosam jam a matre sorore Balbina de Hispello reformatam; ad confirmandum eo magis illud mona-*

b *Apud Wading. T. II. p.* 639.

c *Pag.* 366.

ANN. CHR. 1227.

sterium mirabilibus signis impetrando aquam pro dicto monasterio. Ea verba apud eumdem Henschenium [a] leguntur. Demum Thaddæus Donnola in apologia pro antiquitate Hispelli diserte asserit [b], monasterium monialium Vallis-gloriæ olim sub ordine Camaldulensi degisse, & Gregorium IX. initio sui pontificatus singulari diplomate Anagniæ dato earum orationibus se commendasse. Quare verba, quæ usurpantur in bullis pontificiis & episcopalibus pro eodem monasterio, conditum nimirum ipsum fuisse a Clarissis, explicanda sunt de reformatione ibidem introducta, quæ fuit quasi nova parthenonis ejusdem constructio, cum certis argumentis liqueat ipsum olim extitisse sub disciplina Camaldulensium.

a Ibid. p. 365.
b Pag. 298.

XXXVII. Ejusdem Rom. pont. bullæ ad hunc annum spectantes.

PRÆTER allatas epistolas idem Romanus pontifex *primo sui pontificatus anno*, *secundo idus junii* Guidoni priori Camaldulensi facultatem fecit absolvendi eos, qui ante conversionem monasticam manus violentas in clericos injecissent. Id vetaverat Alexander III. fugientes de seculo & religionis habitum assumentes, sine licentia Romani pontificis, prohibens posse absolvi a monasteriorum præfectis. Nonnihil Alexandri III. mandata temperaverat Innocentius III. ad cujus exemplum, & ut tolleretur vagationis occasio, Gregorius IX. præfatam potestatem fecit priori Camaldulensi hoc anno, dummodo clerici percussi non fuissent episcopi & abbates, pro quorum læsione voluit Romanam curiam esse adeundam.

Idibus junii prælatis & subditis ecclesiarum eremo Camaldulensi subjectarum scripsit, ut eidem eremo ære alieno admodum gravatæ pecuniarum contributione subsidium præstarent, similia repetens Honorii III. prædecessoris sui mandata.

Decimo-octavo kalendas julii inhærens vestigiis Innocentii III. & Honorii III. confirmavit priori & conventui Camaldulensi correctionem & ordinationem monasterii Vangaticiensis, integram Innocentii bullam suæ inserens.

Die sequenti, ad instar ejusdem Innocentii III. ratas habuit donationes monasteriorum factas hoc seculo eremo Camaldulensi, inter quas nominavit donationes loci, qui *Camaldula* vulgariter nuncupatur apud Veronam, ecclesiæ sancti Viti juxta Vicentiam, ecclesiæ sanctæ Mariæ prope Forolivium sitæ in loco, qui Casale vocatur, ecclesiæ sancti Eustachii prope civitatem Imolensem in braita de Borsiola, & eremi de Salimbene in loco, qui appellatur Montale, Ariminensis diœcesis.

Eadem die confirmavit eidem priori & eremitis Camaldulensibus altero privilegio quædam alia monasteria, quæ de novo accesserant congregationi; recensentur propterea in episcopatu Arretino monasterium sanctorum Laurentini & Pergentini situm prope civitatem; in Histria monasterium sancti Michaelis de Lemmo; aliud sancti Michaelis juxta canalem de Muriano apud Venetias; in episcopatu Perusino monasterium sanctæ Trinitatis; cœnobium Salimbene in monte Teuccio; in Florentino sancti Andreæ de Candiculis; in Lucano sancti Andreæ in Silva; in Bononiensi sanctæ Mariæ de Bethleem; in Cæsenate hospitale Rovereti; in Tudertino monasterium sancti Antonii, & in civitate Pisana hospitale juxta monasterium sancti Frigdiani. Cœnobium sancti Andreæ de Silva in Lucensi diœcesi appellabatur etiam de Buscione vel de Bosone prope Rivoltam.

Ipsa die exemplum secutus Cœlestini III. & Innocentii III. etiam suum apostolicum robur adjecit pro asserendo Camaldulensibus jure parochiali, quod ii inconcusse tenuerant per quadraginta annos in ecclesiam sanctæ Margaritæ de Tosina, pontificia autem auctoritate communiens largitiones, quas patroni vel alii fideles juste fecerant eidem ecclesiæ, decimas quoque, aliaque ejusdem loci jura confirmans.

Decimo

Decimo autem *tertio kalendas julii* ex ipsa Anagniæ urbe commisit archiepiscopo Ravennati, & episcopis Arretino & Fesulano, ut districte interdicerent, & interdicere curarent per suos plebanos & prælatos mulieribus quibuscumque, ne qualibet nobili conditione præditæ transgredi auderent terminos ligneos constitutos in quadam distantia ab eremo Camaldulensi, ultra quos fas non erat ipsis transilire. Erectæ siquidem erant prægrandes cruces ligneæ, ad quas subsisterent mulieres. De hac Gregorii papæ commissione facta Simeoni Ravennati archiepiscopo mentionem etiam ingerit Rubeus in historia Ravennate [a]. ANN. CHR. 1227.

a *Lib. VI. p.* 396.

Vetavit autem *duodecimo kalendas julii*, ne laici occasione juris-patronatus in ecclesias & in monasteria electioni abbatum & rectorum Camaldulensium se immiscerent, volens, ut prior congregationis secundum regulam sancti Benedicti & consuetudines Camaldulenses libere & canonice procederet, apostolicis propterea literis suis robur adjiciens veteribus sanctorum canonum statutis, & Alexandri præsertim III. summi pontificis peculiari pro Camaldulensibus ea super re decreto.

Propensius insuper inductus *fervore & integritate religionis, que per beneplacitum Conditoris in eremo Camaldulensi vigere dignoscebatur*, priori Camaldulensi ex Anagnia *nono kalendas julii* indulsit, ut eos, qui de aliis congregationibus ad eremum venirent, dummodo elegerint & promiserint sub ordine & eremo in perpetuum deservire, libere sine alicujus contradictione retinere posset, ita tamen, ut non permitteret ipsos in sacris ordinibus ministrare, nisi de eorum ordinatione foret certus. Legitur indultum in bullariis Romanorum pontificum & etiam in novissima Romana collectione [b].

b *T. III. p.* 247.

XXXVIII. De monasterio Fellonicæ.

DEMUM *quinto idus decembris* ex Laterano binas dedit literas tum episcopo Arretino tum canonicis ejusdem ecclesiæ, ut ultro conferrent monasterium dictum de Fellonica in agro Arretino Camaldulensibus reformandum, quandoquidem tum patroni ejusdem monasterii, tum ipsi episcopus & canonici animo concurrebant, ut sibi subjectum cœnobium illorum congregationi pia liberalitate traderetur, eo quod esset in spiritualibus & temporalibus eo tempore valde dissolutum. An traditum fuerit Camaldulensi eremo reparandum non liquet. Johannes abbas Fellonicæ legitur tamquam testis adfuisse anno sequenti *quintodecimo kalendas martii* concordiæ, quam Montis-politianensibus proponebant Senenses. Actum inter castra Montis-politiani & Montis-fellonici apud Salaricum, ut ex Senensis archinosocomii paginis [c] intelligimus. Inutiliter amicitia exhibita fuit a Senensibus populo Montis-politiani, qui ope Florentinorum bellum gerens contra populum Senarum plura damna tum castro, tum monasterio Fellonicæ inferebat. Tradit itaque Hubertus Benvoglientius [d] ex monumentis familiæ Ugurgeriæ monasterium hocce, quod titulum ferebat Annuntiationis beatæ Mariæ virginis, situm in comitatu Senensi (plura eadem loca modo in Arretino, modo in Senensi territorio statuuntur) aggregatum fuisse anno 1232. eremo sancti Petri ad Vivum, ut ab ipsis eremitis, qui æque Camaldulenses erant, in pristinum disciplinæ regularis statum restitueretur. Reapse ad annum 1262. reperimus Gregorium abbatem sanctissimæ Annuntiatæ de Monte-fellonico consensisse translationi monasterii Vivensis ad cœnobium sanctæ Mustiolæ Senarum, & subscripsisse cum aliis abbatibus & prioribus territorii Senensis subjectis eremo Vivensi. Antiquior mentio monasterii de Fellonica fit in archivo Fontis-boni ad annum 1170. quo quidam Martinus jure testamenti dicitur inter alia monasteria, quibus reliquit servos, reliquisse dicto monasterio *servum* appellatum *Peponem Re-*

c *Num.* 1198.

d *Pag.* 98.

Ann. Chr. 1227.

scelde cum suo tenimento. Ex Isidoro Ugurgerio O. P. in compendio vitarum Sanctorum & Beatorum Senensium habemus in ecclesia sancti Leonardi, quæ subjiciebatur monasterio Fellonicæ, posita in castro homonymo, super calumnam structilem hanc prostrasse inscriptionem. A. D. M. CC. LXXV. TEMPORE. DNI. STEPHANI. ABBATIS. HOC OPUS FACTUM. Altera, sed corrosa conspicitur super januam ecclesiæ. In ea ecclesia anno 1266. rogata fuit concordia, & statuta amicitia inter populum Senensem & inter incolas castri Montis-fellonici [a], ut legitur in nostris excerptis Senensium instrumentorum. Prædicti Stephani abbatis de Monte-fellonico mentio fit in pagina tabularii parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri ad annum 1269. quo fuit testis cujusdam licentiæ concessæ a Guillielmino episcopo Arretino Theobaldo presbytero rectori sancti Hilari de Arretio [b] concedendi ad locationem quædam bona suæ ecclesiæ. In archivo conventus sancti Martini Senarum asservatur bulla Pauli II. Rom. pont. qui anno 1465. Fellonicæ abbatiam concessit dicto cœnobio sancti Martini, quod possidetur ab Augustiniensibus congregationis Ilcetanæ. Errore itaque Hieronymus Gilius [c] in Diario Senensi antiquiorem ejus abbatiæ memoriam statuit ad annum 1261. Ecclesia Fellonicæ adhuc servat aliqua antiquitatis vestigia, monasterium vero pene destructum est, soloque æquatum.

a *Num*, 118.

b *Num*. 41.

c *Par*. *II*. *p*. 701.

XXXIX. Gregorii IX. brevia pro Camaldulensibus monasteriis.

Quoad alia monasteria *idibus maji* ipse Romanus pontifex abbati monasterii sancti Zenonis Pisarum mandavit, ut bona ecclesiæ sanctæ Mariæ de Fine, quæ erat speciale membrum Cisterciensis monasterii sanctæ Mariæ de Morteto, alienata revocare legitime curaret ad proprietatem dictæ ecclesiæ, ex charta apud Josephum Ruschium canonicum olim & patritium Pisanum, ac in universitate patria professorem.

Idem *vigesima-secunda junii* sub apostolica protectione recepit monasterium sancti Quirici de Rosis in agro Arretino, annuens precibus Leonardi prioris & fratrum ejusdem cœnobii, ut ordo monasticus ibidem secundum regulam sancti Benedicti & constitutiones Camaldulensis ordinis observaretur, & prædicti monasterii bona voluit firma & illibata permanere, ex quibus hæc duxit exprimenda; videlicet ecclesiam sancti Georgii de castro de Fracta-guinildi, & ipsum castrum cum curte sua, & quidquid habebat in curte Fojani, & in curia de Marciano, & de Licignano, & de Puteo, & de Fracta-rinuccii, & de Cesa, & de Dorna, & de Fracta-paterni, & in villa Albula, in Brolio, in curte de Ficareto, & in villa sanctæ Luciæ, subscribentibus post Romanum pontificem decem cardinalibus, manu magistri Sinibaldi S. R. E. vicecancellarii. Datum Anagniæ *pontificatus* sui *anno primo*; quod privilegium refert in excerptis Fontisboni [d] Baroncinius.

d §. *Privilegia*. *A*. 3. 119.

Quinto idus augusti indictione XV. *anno* I. similiter ex Anagnia sub beati Petri & sua tutela suscepit ecclesiam sanctæ Mariæ de Carceribus, priorem quoque Savarisium ejusque cœnobium, & recensuit ecclesias & bona eidem subjecta.

Quinto idus decembris ex Laterano abbati de Monte-armato Bononiensis diœcesis præcepit cognitionem causæ, quæ vertebat inter abbatem monasterii de castro Brittorum, & inter archiepiscopum Ravennatem, & quosdam alios clericos & laicos, tam cives quam extra Bononiensem diœcesim positos, quoad ecclesiam sancti Apollinaris, & quoad quasdam alias possessiones præfati monasterii, de qua lite fusius etiam annis sequentibus. Abbas cœnobii Montis-armati congregationis Vallis-umbrosæ erat Jacobus; sancti Michaelis autem de castro Brittorum erat adhuc Gerardus, qui post

quadra-

quadraginta & septem saltem annos adhuc monasterium illud regebat, ut fidem facit charta locationis cujusdam domus factæ ab ipso anno antecedenti, quæ extat in tabulario conventus sancti Francisci de Bononia. Supervixit usque ad annum 1229. quo in ipsius locum suffectus fuit Hugitio.

Ann. Chr. 1227.

Postremo IV. *nonas decembris* ex Laterano vetavit, ne abbates possessiones suorum monasteriorum vendere quomodolibet possent sine prævio assensu prioris & fratrum eremi Camaldulensis. Atque hæ sunt Gregorii IX. bullæ ad Camaldulensium favorem relaxatæ primo pontificatus sui anno.

XL. Electio abbatis Classensis. De monasteriis Agnani & S. Urbani.

Quarta-decima die januarii hujus anni Benedictus abbas Classensis coram capitulo sui monasterii cessit in manibus Guidonis prioris Camaldulensis regimini dicti cœnobii; qua renuntiatione accepta, absolutisque monachis ab excommunicatione, si quam incurrissent, & perpensis votis fratrum, idem prior, præsentibus Alberto presbytero & Johanne cardinalibus, ac Nicolao cantore ecclesiæ Ravennatis, nominavit & elegit in abbatem Classensem Johannem monachum dicti monasterii, ipsisque cardinalibus & cantore sociantibus & adjuvantibus eumdem in sede posuit, administrationem spiritualium & temporalium impendens.

Cum lis penderet coram episcopo Arretino & archidiacono Florentino inter eremum Camaldulensem, & inter plebanum ac rectores ecclesiarum plebis de Bujano circa decimam frumenti solvendam ex veteri Arretinorum præsulum concessione ab hominibus dictæ plebis, Matthæus abbas Silvæ-mundanus arbiter electus ab utraque parte definivit [a] rectores ejusdem plebis teneri quotannis solvere nuntio Camaldulensium XXIV. frumenti staria.

Similiter cum inter monasterium de Agnano pro ecclesia & monasterio sanctæ Mariæ in Gradibus ac Dainensem clericum & sindicum dictorum monasteriorum ex parte una, atque inter abbatem Campi-leonis & Ubertum sindicum ex parte altera quæstio instituta fuisset hoc anno „ super jure parochiali infra muros novos civitatis Arretii, Deodatus Ar„ retinæ ecclesiæ archipresbyter, & Ildebrandinus prior Civitellæ arbitri „ a partibus electi & assumpti cum consensu Accolti abbatis Agnani, & „ Rainaldi abbatis Campi-leonis decreverunt ad abbatem Campi-leonis per„ tinere jus parochiale in territorio infra muros novos civitatis Arre„ tii, atque viam, quæ exit per portam, qua itur ad sanctum Lauren„ tinum, usque ad portam muri veteris civitatis Arretii, ubi lapides „ fuerunt effossi prope ecclesiam de Murello ab una parte, atque viam, „ quæ exit per portam, qua itur ad molendinum filiorum Lodomerii us„ que ad aliam portam muri veteris civitatis Arretii, quæ est ab alio „ latere juxta ecclesiam de Murello; quod quidem jus parochiale in præ„ dicto territorio mandarunt refutari ab abbate Agnani monasterio Cam„ pi-leonis, non obstante quovis privilegio episcopi Arretini, hoc agentes „ etiam auctoritate domini Martini Arretini episcopi. Item decreverunt „ renuntiari ab abbate Campi-leonis monasterio Agnani pro ecclesia san„ ctæ Mariæ in Gradibus jus parochiale, non obstantibus privilegiis Ar„ retini episcopi, quæ allegari possent ab abbate Campi-leonis in contra„ rium. Latum fuit hoc laudum apud ecclesiam sanctæ Mariæ in Gradi„ bus extra ecclesiam, post tribunam ecclesiæ anno M. CC. XXVII. manu „ Aldionis notarii [b]. “

Promissionem fecit hoc anno Bernabeus de Precicle se non reaptaturum castrum sancti Urbani, & adversaturum cuicumque se opponenti, excipiens imperatorem & marchionem. Rainaldus vero Camerinensis episcopus commu-

a §. *Sententia* 27. *A.* 3. 144.

b *Arch. Ss Mariæ in Gradibus n.* 140.

Ann. Chr. 1227.

communitatem Pyri & omnes homines ipsius castri excommunicatos declaravit & damnavit, quia interfecerant plures homines ejusdem castri sancti Urbani, & contra monasterium ejusdem nominis existens in ipso castro equitaverant, ecclesiam ferro, igne & deprædationibus vastaverant, ac ex mandato papæ Gregorii IX. fecit plenam potestatem Simoni Berardo potestati castri Sancti-Severini & omnibus hominibus dicti loci invadendi communitatem Pyri, & capiendi ac asportandi de rebus ipsorum. Hæc nobis constant ex chartis tabularii Sancti-Severini, quas vidit & nobis exscripsit Turcius, qui observavit Ughellium prætermisisse in episcopis Camerinensibus Rainaldum notum ex chartis Camerini & Sancti-Severini, qui Actoni defuncto anno 1223. successit in ea sede anno 1224.

Guido Rainaldi & Albericus ejus filius ex archivo sancti Blasii de Fabriano sub hoc anno restituerunt Hermanno abbati Vallis-castri omnia, quæ tenebant spectantia ad Valle-castrense monasterium in curia Cerreti, & in curia roccæ Actonis-Guernerii, & ad ecclesiam sancti Johannis de Cerquetis, & ad ecclesiam sancti Stephani de Avenza, item plures terras ablatas eidem cœnobio.

XLI. De Jacobo monacho Avellanensi facto abbate S. Petri Perusii.

Jacobum Avellanensem monachum datum fuisse hoc anno abbatem monasterio sancti Petri de Perusio, ut ipsius reformationi insisteret, tradunt Jacobillius & Tornamira in libro [a] cui titulus: *Congregatio Casinensis*; ibidemque magno pietatis & religionis exemplo e vivis ereptum fuisse anno 1230. die xxv. maji. In chartis Perusini tabularii nomen Jacobi abbatis legitur ab hoc anno usque ad annum 1250. E contra præfati auctores ad annum 1245. Franciscum quemdam abbatem admittunt ex ordine Cisterciensi; forte duplex Jacobus abbas dictum monasterium rexit hoc seculo. Extat tamen [b] apud Margarinium bulla Gregorii IX. confirmantis Jacobo abbati monasterii sancti Petri Perusini bona ejusdem cœnobii *anno* M. CC. XXXI. *decimo kalendas octobris indictione* V. *pontificatus anno* V. Quare obitus Jacobi I. abbatis saltem post annum 1230. est statuendus.

a *Pag.* 210.

b *T. I. Const.* 251.

Rolandus capellanus ecclesiæ sancti Petri de Muscano, consentiente Morico abbate sancti Victoris de Clusis, cui erat subjecta dicta ecclesia, refutationem quamdam fecit ex tabulario monasterii Vallis-castri.

Ann. Chr. 1228.

XLII. Hospitale de Cave de collis datum Camaldulensibus.

Ægidius episcopus Foro-popiliensis electus ejus urbis episcopus ex præposito suæ ecclesiæ post Homodeum episcopum, consentientibus Johanne præposito & ceteris canonicis suis, tradidit præsenti anno Guidoni priori Camaldulensi hospitale, vulgo appellatum Cava-de-colle, cum ecclesia conjuncta & erecta in honorem sanctorum Jacobi & Sigismundi, & cum possessionibus dicti hospitalis, reservans tamen sibi nomine cathedratici vel aliorum redditium quotannis & titulo pensionis, ut rector ejusdem hospitalis persolveret duodecim denarios Ravennatis monetæ. Idem episcopus *die* VIII. *exeunte majo* hujus anni, non attenta sententia pro se lata ab Oddone episcopo Cæsenate contra Guidonem priorem Camaldulensem, renuntiatis juribus, quæ sibi quoquomodo competere possent in monasterium Uranense, donavit, seu melius confirmavit Hugoni abbati sanctæ Mariæ de Urano capellas sancti Benedicti, sancti Petri de Campo-gallano, & sanctæ Mariæ de Lacu, Johanne Bono notario, ex tabulario Fontis-boni, cujus donationis paginam ratam habuit pontificatus sui anno tertio Alexander papa IV.

XLIII. Indulgentiæ concessæ a Gregorio IX. ecclesiæ S. Mariæ de Petra-ficta.

Cum plurima & frequentia miracula dignaretur Deus ostendere in ecclesia sanctæ Mariæ de Petra-ficta in alpibus de Casentino, brevi dato Perusii

sii, ad quam urbem transierat ex Romana, Reatina ac Spoletana, & ubi ad tumultus Romani populi fugiendos suum domicilium statuerat post pascha hujus anni Gregorius IX. Romanus pontifex, VII. *kalendas septembris anno pontificatus* sui *secundo*, omnes Christi-fideles hortatus fuit, in festivitatibus beatæ Mariæ cum pietatis affectu ad eam ecclesiam accederent, viginti annorum pœnitentiam adeuntibus relaxans, simulque concedens, ut prior ejusdem ecclesiæ ad devotionis augmentum clericos posset invitare ad divina officia ibidem peragenda. Hoc eodem anno ex autographo archivi sanctæ Mariæ angelorum de Florentia dictæ ecclesiæ de Petra-ficta, & Christophoro presbytero ministro comes Tigrinus filius quondam comitis Guidonis in presentia comitis Guidonis, fratris scilicet sui, & Venetici plebani sanctæ Felicitatis, aliorumque latifundia donavit in curte de Ruffina. Actum in castro de Puppio.

ANN. CHR 1228.

XLIV. Bullæ secundi anni sui pontificatus.

IDEM Romanus pontifex ex Perusio *die* XIII. *julii* indulsit priori & eremitis Camaldulensibus, ut in causis secularibus aliorum non possent compelli ad juramentum prestandum. Eadem die refutationem fecit de libris sexcentis, quas restitutas voluit priori Camaldulensi; eas facile tempore legationis mutuo acceperat, literas dans testes suæ restitutionis: *die* vero XI. *septembris* eidem priori aliisque prælatis Camaldulensibus concessit, ut super his, quæ impetrarentur a sede apostolica, non tenerentur respondere, nisi expressa in illis mentio fieret de ordine Camaldulensi. Commisit pariter [a] ex tabulario archiepiscopali Ravennate Pelagotto canonico Faventino, ut decideret causam inter Thedericum archiepiscopum Ravennatem, qui Simoni suffectus fuerat, & inter abbatem & conventum sancti Adalberti supra Padum, contra filios etiam quondam Guidonis de Polenta, & quosdam alios clericos & laicos Ravennates & Ferrarienses. Electus fuerat hoc anno ipse Thedericus in archiepiscopum non sine tumultu, cum Paulus Traversaria una cum comitibus Malvisinis de Bagnacavallo & multitudine armatorum pro electione archiepiscopi Ravennam advenisset, quem reverti coegit Raimundus Zuccolus potestas Ravennæ.

a *Capf. H. n.* 3561.

Quinto demum *idus septembris* ex eadem urbe, ut profert tabularium nostrum sancti Michaelis de Muriano, mandavit idem Romanus pontifex Jordano priori sancti Benedicti de Padua & abbati de Carraria, ut cognoscerent causam Compagni prioris sanctæ Mariæ de Porcilia ejusque monasterii, qui circa obligationem decimarum de molendinis appellaverat ad apostolicam sedem a sententia Acerbi capellani Jordani episcopi Patavini contra se lata.

Hoc eodem anno emit idem pontifex pro virginibus monasterii sanctæ Mariæ de Caritate urbis Fulginatensis hospitale & adnexam ecclesiam sancti Claudii, ad quam prius habitabant monachi congregationis Fontis-avellanæ, cujus pacificam possessionem tradidit sanctimonialibus Ægidius episcopus Fulginas; donationem vero suis literis confirmavit anno M.CC.LV. Alexander IV. ut refert [b] Wadingus. De ea ecclesia ex veteri instrumento agemus etiam ad annum 1232. Ex Perusio mense julio Gregorius Assisium profectus est pro addicendo Sanctorum canoni beato Francisco, qui ante biennium in cœlum evolaverat, & Hispellum transiens una cum cardinalibus Sinibaldo, Raynaldo, Petro Capoccio, & cardinale diacono sancti Eustachii, episcopis quoque Spoletano, Fulginate & Assisiate comitatus, visitavit moniales suas Vallis-gloriæ; post quæ denuo Perusium rediit.

a *T. II. p.* 213.

XLV. Ecclesia S. Mariæ de Vertighe data Aganiensibus. Res aliorum monasteriorum.

MARTINUS episcopus Arretinus tradidit hoc anno Accolto abbati Agna-

Ann. Chr. 1228.

Agnani, qui ſucceſſerat anno 1225. Johanni, ejuſque conventui eccleſias ſanctæ Mariæ de Vertighe & ſanctæ Agathæ, quæ in temporalibus & ſpiritualibus inordinate vivebant: poſſeſſionem tribuens per Rainerium Arretinæ plebis canonicum, ſalva ſemper ſua & ſuorum vicariorum reverentia, necnon plebani Montis-ſancti-Sabini, & impoſito annuo cenſu quatuor ſolidorum, mandans tamen, ut clerici, qui eas poſſidebant, in iiſdem commorarentur, ſi vellent, quoad viverent, & ex earum facultatibus providerentur. *Actum Aretii in palatio epiſcopali anno* M. CC. XXVIII. *Gregorio papa*, *Friderico imperante*, *indictione prima* VII. *idus decembris*. Poſt Martinum ſubſcribunt Paganus præpoſitus, Bonaguida archidiaconus, Rainerius primicerius canonicæ Arretinæ, Guido presbyter canonicus ſacriſta, magiſter Guido decretorum doctor, aliique canonici Arretini. Autographum extat in tabulario ſanctæ Mariæ in Gradibus ſub num. 141.

Die trigeſimo januarii hujus anni Guido abbas ſancti Andreæ de Candiculis vendidit Rogerio Donati Ubertini aliquot homines cum reſediis & terris ſuis poſitis in caſtris de Mormana & de Capiano & de Ulmito. Item ſervitium filiorum *del fabro*, & hoſpitalis *de la falce*, & eccleſiam ſancti Quirici *de la valle*, reſervata ipſi eccleſiæ quarta parte juris patronatus eccleſiæ ſancti Stephani de Alfiana, & ſancti Michaelis de Mormano. Hæc habentur [a] in excerptis tabularii Fontis-boni. Subjectæ erant monaſterio de Candiculis etiam eccleſia ſancti Jacobi de Urticaria in partibus Mucelli, ut colligitur ex libris viſitationum a prioribus Camaldulenſibus factarum, & eccleſia ſancti Andreæ de Camprognano ex libris collectarum. Guidonis abbatis ſancti Andreæ de Candiculis juramentum obedientiæ præſtitum Guidoni priori Camaldulenſi die XXIX. julii anni præteriti legitur in tabulario Fontis-boni.

a §. *Ami Jæ.* 364. *A.* 1. 182.

Plures controverſias ſubſtinebat eremus Camaldulenſis per hæc tempora cum epiſcopo Æſino pro monaſteriis ſanctæ Mariæ de Serra, ſancti Jacobi de Mandriolis & ſancti Georgii de Murro, occaſione decimarum ad eccleſias dictorum cœnobiorum ſpectantium, judiceſque apoſtolicos impetraverat Richardum epiſcopum Fanenſem, abbatem ſancti Paterniani, & priorem ſancti Stephani in Padule. Guido itaque prior Camaldulenſis elegit hoc anno conſenſu Urbani abbatis monaſterii ſancti Savini Piſarum, & voluntate Philippi majoris monaſterii Fontis-boni in procuratorem eremi presbyterum Martinum converſum eremi, qui coram judicibus præfatis cauſas ageret Camaldulenſium monachorum.

Cum Deoteajutes hoſpitalarius ſancti Frigdiani de Piſis paſſus fuiſſet ſe inthronizari ab illis de domo Aſſorum, qui erant patroni hoſpitalis, & ab eis claves hoſpitalis accepiſſet, contra ſententiam latam anno M. C. LXXXIII. ab Ubaldo olim archiepiſcopo Piſano, Guido prior Camaldulenſis ejus electionem irritam declaravit, [b] ipſumque gradu dejecit.

b §. *Electio. n.* 10. *A.* 3. 140.

Ex charta monaſterii ſancti Michaelis de Burgo-Piſarum ad hunc annum ſpectante novimus abbatem cœnobii ſancti Mamiliani Montis-chriſti fuiſſe Comitem, qui terrarum donationem fecit. Actum *a lo Scalo de ſancto Peregrino*, nimirum ad litus maris juxta ſancti Peregrini arcem, ubi monaſterium Montis-chriſti bona & aliud cœnobium poſſidebat. Inter teſtes nominatur Richardus abbas ſancti Pauli de Conca, quod monaſterium ſimiliter juris erat ejuſdem abbatiæ ſancti Mamiliani Montis-chriſti.

XLVI. Petri Ziani ducis Veneti obitus & teſtamentariæ tabulæ.

Veniens ad mortem Petrus Zianus Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ atque Croatiæ dux hæreditatem ſuam commiſit Conſtantiæ duciſſæ uxori ſuæ, filiæ quondam Tancredi felicis memoriæ illuſtriſſimi regis Siciliæ,

liæ, & filio suo Marco Ziano, Marchesinæ quoque & Mariæ filiabus suis, necnon nobili viro Paulo abbati monasterii sancti Georgii Castellanæ diœcesis ejusque successoribus. Inter plurima pia legata facta ecclesiis & monasteriis reliquit hoc *anno* M. CC. XXVIII. *mense septembris indictione secunda*, mutata eo mense, in testamentariis tabulis suis Rivoalti confectis „ monasterio sancti Michaelis de Camaldulis Castellanæ diœcesis ex par„ te canalis versus Rivum-altum posito libras XX. ad opus ecclesiæ, & vi„ neam suam, quam habebat in Capite-histriæ, sive in urbe Justinopolita„ na, & quam ipsum monasterium tenebat a præfato duce, rogans demum „ cœnobitas ipsius loci, ut anniversarium pro anima sua peragerent quotan„ nis." In necrologio monasterii sancti Servuli Venetiarum ponitur sub anno sequenti & mense martio obitus Petri Ziani ducis. Filius dicitur Sebastiani Ziani ducis, cujus memoria habetur sub mense aprilis, sicut etiam eodem mense Froibæ ejus matris, mense augusto Mabiliottæ ipsius sororis, & mense decembri Jacobi ejus fratris; ex quibus monumentis illustratur genealogia Petri ducis benefactoris meritissimi plurium locorum piorum. Alibi animadvertimus gratis omnino asseruisse Hieronymum Fabrium in memoriis sacris Ravennatibus Petrum Zianum ducem Venetorum, deposita dignitate una cum Thoma Mauroceno patriarcha CP. & cum Ubaldo archiepiscopo Ravennate ante hæc tempora secessisse ad quietiorem vitam in canonicam domum sanctæ Mariæ de Portu Ravennæ. Prior sancti Michaelis erat Ugo noviter electus; nam hoc ipso anno *die quinta maji indictione prima* Guido præses generalis Camaldulensis in capitulo sanctæ Mariæ de Vangaticia, in præsentia Orlandi abbatis ejusdem monasterii, Samsonis prioris Camalduli de Verona, Johannis prioris sancti Viti de Vicetia & aliorum amoverat Dominicum priorem ab administrationis officio. Dominici monumenta supersunt ab anno 1226. ad mensem aprilis hujus anni in tabulario sancti Michaelis. Samson autem olim abbas Vangaticiensis, deinde eremita apud Camaldulum, ex contemplationis quiete iterum postulatus fuerat ad regimen monasterii Veronensis.

ANN. CHR. 1228.

Ugolinus filius quondam Ildebrandini de Monte-aperto [a] vendidit Nicolao abbati Berardingorum bona cum servis suis, & cum octava parte castri Pancule, & cum jure patronatus ecclesiæ dicti castri, quem abbatem nomine patris eorum in possessionem induxerunt Tebaldus, Griffolinus & Philippus.

Decisum fuit ab Ugurgerio & a Bono canonicis Senensibus hoc anno [b] sub *die* XIX. *februarii* contra parœciam sanctæ Agathæ jus parœciale, quod sibi jure asserebant in aliquot domos monachi Arcus Senarum, cum ecclesia sanctæ Christinæ ab eo tempore, quo Vivensibus fuit assignata, nempe anno 1181. eo parœciali jure gauderet.

In parvo necrologio abbatiæ Carcerum sub die XVII. junii hujus anni ponitur obitus Bonifacii marchionis Estensis filii Opizonis marchionis, & patrui Azzolini Novelli tunc dominantis. In veteri autem necrologio Senensi adnotatur ad diem XXI. februarii mors Bellosæ abbatissæ parthenonis de Toma. Sed ejus obitus ad alium annum spectat, cum anno 1216. ex tabulario Fontis-boni Emma esset ejusdem loci abbatissa, in cujus monasterii regimine perseveravit usque ad annum 1237. quo officium dimisit. Andreæ Jacobi potestatis Florentiæ sub hoc anno fit mentio in tabulario Fontis-boni.

Hoc anno fundata fuere ecclesia & monasterium sanctæ Margaritæ de Agna territorii Patavini sub congregatione monachorum alborum sancti

a *Index contract. Berarding. n.* 319.

b *Arch. Rosæ Senar. C.* 197.

Ann. Chr. 1228.

Benedicti. *Die septima exeunte februario*, præsentibus Jacobo Patavinæ ecclesiæ archipresbytero, Lanfranco canonico, Arimundo archidiacono Saccensi, Acerbo presbytero de Consilve, & Jacobo de Vidoro canonico Tarvisino aliisque, Jordanus episcopus Patavinus concessit Betheleem judici filio olim Manzii judicis primarium lapidem ad construendam ecclesiam sanctæ Margaritæ, quæ specialiter deberet esse dominarum & sororum domicilium, retento pro episcopo jure-patronatus. Sed eodem hoc anno *indictione prima die octavo exeunte julio* idem episcopus coram Jordano priore sancti Benedicti, & Manfredo priore sanctæ Mariæ de Vantio, magistro Salcone canonico Patavino, & Spinabello judice aliisque investivit Matthæum olim monachum Vantii de prioratu & administratione ejusdem ecclesiæ sanctæ Margaritæ de Agna, volens ut ibidem monachi & non moniales permanerent, ac Manfredum priorem de Vantio misit in possessionem ipsius monasterii. Hæc ex Brunatii anecdotis [a], quæ Patavinam monasticam historiam illustrant.

a *Pag.* 1569.

Ex chronico [b] Richardi de sancto Germano *frater Berardus de Celano, vocatus ad papam vadit, qui per procurationem recipit sancti Gregorii de Urbe abbatiam*. Destituimur per hæc tempora chartis spectantibus ad historiam Gregoriani monasterii.

b *Ad an.* 1228.

In eodem necrologio sanctæ Mariæ ad Carceres habetur ad diem quintam novembris: *Obiit domnus Jordanus episcopus Paduanus, qui dedit monasterio Carcerum ecclesiam sancti Michaelis de Padua*. Omisimus ad annum 1215. diem emortualem ejus prædecessoris Gerardi, quæ fuit quarta augusti ejusdem anni, sub qua ponitur ipsius obitus: *Obiit reverendissimus domnus Gerardus episcopus Paduanus, qui contulit huic ecclesiæ sanctæ Mariæ de Carceribus ecclesiam sancti Salvatoris de Vighizolo, & decimam de Cavallille & decimam de Baonis*. Ughellius Gerardum se abdicasse scribit ab episcopatu anno 1214. pauloque post decessisse. Rursus ad annum 1162. [c] de eodem Gerardo diximus ipsum ad pontificalis clavi Patavini regimen assumptum anno 1169. eumdem rexisse ad annum 1214. Jordanum vero eamdem cathedram tenuisse ab eo anno 1214. ad annum 1239. Hæc porro ita sunt emendanda, ut Gerardus ab anno 1165. ad 1214. quinquaginta annorum longo curriculo episcopus fuerit Patavinus. Quod nobis nunc constat ex Gymnasii Patavini primo syntagmate Cl. V. Jacobi Facciolati [d], sed ante Facciolatum ex Brunatio nostro [e], qui contra veterem de Gerardi sedis tempore opinionem, ex archivis variis primus epocham ejus electionis ad eum annum statuit. Jordanus vero Gerardo subrogatus fuerit anno 1214. ad annum 1228. Jacobus demum Jordano ab hoc anno ad annum 1239.

c *T. IV. Ann. pag.* 9.

d *Pag.* 9.

e *Pag.* 18 *de Re num.*

Ann. Chr. 1229.

XLVII. Brevia Gregorii IX. pro Camaldulensibus.

Cum prior & conventus Camaldulensis duxissent sponte persolvendam pro se & pro membris suis pecuniam a Romano pontifice ecclesiasticis ordinibus impositam ad subsidium ecclesiæ Romanæ contra Fridericum imperatorem, præcepit hoc anno III. *idus februarii pontificatus* sui *anno secundo* ex urbe Perusii Gregorius IX. archiepiscopis & episcopis omnibus, in quorum diœcesibus consistebant prioratus & ecclesiæ Camaldulenses, ne ipsorum loca ulterius pro dicto subsidio molestarent, sed sponte oblata ab ipsis apostolicæ sedi pecunia sufficeret. Siquidem cum etiam episcopis subsidium a Romano pontifice esset impositum, ii pro eo erogando taxabant monasteria suarum diœcesum, & ita ad duplex subsidium Camaldulenses adigebant.

Idem Romanus pontifex episcopo Fesulano v. *kalendas novembris* ex Ana-

Anagnia mandavit, ne pœnam excommunicationis vel comminaretur, vel ferret in benefactores eremi Camaldulensis.

Ann. Chr. 1229.

XLVIII. Privilegia pro Classensibus & Burgensibus. Alia de Paravinis cœnobiis.

AMPLISSIMUM etiam *idibus junii* hujus anni *indictione secunda pontificatus* sui *anno* III. ex Perusio per manum magistri Martini S. R. E. vicecancellarii diploma concessit abbati sancti Apollinaris in Classe, quo vestigiis inhærens Alexandri, Urbani & Innocentii prædecessorum suorum Romanorum pontificum sub beati Petri & sua protectione suscepit ejus monasterium cum omnibus locis subjectis, quæ per extensum nominavit. Præter loca jamdudum confirmata anno 1186. monasterio Classensi ab Urbano III. recensentur in Gregoriano privilegio bona, quæ dictum cœnobium in comitatu Firmano obtinebat in Civitate-nova & curte ipsius. In Fanensi nominatur Mons-granarius juxta rupulam Comitum. In Pisauriensi additur castrum Serræ de Pozzo cum integra curte sua. In Ariminensi adduntur medietas castri & curtis Verignani cum omnibus, quæ monasterium possidebat in curte Montis-novi, & fundi Banioli, Arpariæ, Vetenani, & Gazajoli cum aliis possessionibus in curte Converseti. In Liviensi fundi Foravicii, Castrucii, cum aliis in plebe sancti Petri in Trentula. In civitate Ravennæ adjiciuntur ecclesia sancti Vincentii cum curte sua, ecclesia sanctæ Mariæ in Virtute, & ecclesia sancti Cypriani cum hortis circum se positis, quæ non leguntur in Urbaniano diplomate.

Prohibuit insuper, ut nulli fratrum ejus monasterii liceret de cœnobio ipso discedere post factam in eodem loco professionem. Sepulturam loci liberam esse voluit, a qua tantum arcere statuit excommunicatos, interdictos & publicos usurarios. Confirmavit sententiam Ildebrandi cardinalis contra monachos sancti Apollinaris-novi super corpore ipsius sancti martyris Apollinaris, & libertatem concessam a Gualterio Ravennate archiepiscopo. Subscripsere novem S. R. E. cardinales. Abbas ejusdem monasterii sancti Apollinaris erat Philippus post Johannem electus, qui hoc anno VI. *exeunte septembris* cum litem haberet adversus capitulum cantorum ecclesiæ Ravennatis, & contra Manzium præpositum, ac Johannem & Johannem archipresbyteros plebium sanctorum Cassiani & Zachariæ super decimis, quas dictum monasterium obtinebat in dictis plebibus, compromisit in presbyterum Amatorem cantorem ecclesiæ Ravennatis electum ab utraque parte litigante, qui rem composuit, præsente Oberto abbate sancti Petri in Vinculis, & consentiente Bono priore Classis, subscribente quoque Guidone priore Camaldulensi. Latum fuit Amatoris arbitrium apud ecclesiam sanctæ Barbaræ; quam sententiam una cum suprarelato Gregorii privilegio proferimus ex tabulario ejusdem Classensis monasterii.

Cum abbas monasterii Burgi-sancti-Sepulcri ex imperatorum Romanorum largitione, & ex confirmatione sedis apostolicæ jus haberet, ut nulli in prædicto Burgo pertinente ad ipsum monasterium eligerentur potestates & consules, quibus ipse assensum non præberet, indulserat Romanus pontifex Gregorius IX. abbati prædicto, ut excommunicationis sententiam proferret in eos, qui ipso abbate non assentiente auderent eligere potestates aut consules. Irati Burgenses, in abbatem & in monachos violentas manus injecere, ornamenta, aliaque bona monasterii inventa asportarunt, & coegerunt abbatem polliceri, quod deinceps non ad forum ecclesiasticum, sed ad eorum examen causæ omnes deferrentur. Coactus abbas subscripsit eorum postremæ petitioni; verum postea excommunicationis jaculum contra illos intorsit. Quare Burgenses rabie magis succensi, muro ecclesiæ diruto, quamdam domum ad opus communis in cœmeterio monasterii construere præsumpserunt. Scripsit itaque idem Romanus pontifex episcopo

Ann. Chr. 1229.

Arretino, ut renuntiationem privilegii violenter extortam ab abbate, & permissionem de litigando in foro seculari nullius esse valoris denuntiaret, & Burgenses omnes ad servanda illibata imperatoria & pontificia privilegia concessa eidem monasterio adigeret; alias contra ipsos excommunicationis sententiam proferret. Abbas Burgensis monasterii post Gratianum depositum anno 1226. erat Homodeus notus etiam ex monumento anni sequentis.

Quo etiam sequenti anno speciali privilegio mandavit Romanus pontifex Miloni Bellovacensi episcopo, apostolicæ sedis in ducatu Spoletano & in marchia Guarnerii legato, ut permitteret iisdem Burgensibus exhibere debitum fidelitatis sacramentum Ernesto Friderici imperatoris in Italia nuntio. Milo in Italiam venerat suppetias laturus Gregorio IX. contra Fridericum imperatorem. Ære alieno proinde gravatus a Romano pontifice obtinuit dictam legationem ad redimenda debita.

In diplomate hoc ipso anno ab eodem Gregorio concesso Bono abbati sancti Bartholomæi Campi-regii, post recensita loca, & vetera confirmata indulta legitur: *salva sedis apostolice auctoritate & heremi Fontis-avellani debita reverentia;* calculoque suo probavit totidem verbis Romanus pontifex veterem bullam emanatam ab Alexandro II. anno 1062. recipiens etiam ipsos monachos Campo-regianos sub apostolicæ sedis clientela, *dummodo a caritate heremi Fontis-avellani aliquatenus non recedant.*

Jamdudum in villa de Cagiolo, quæ in valle Clanarum castra Marciani inter & Floriani sita est, quamplura antiquitus bona acquisierat eremus Camaldulensis. Ejusdem villæ ecclesiam sub titulo sanctæ Mariæ donaverat Azzoni priori Camaldulensi anno 1137. Tramonte Ubertini de Sassolis manu Rubei notarii, sed antea in eadem bona jura sui episcopii Arretini Gregorius episcopus anno 1114. transtulerat, largitione facta Guidoni priori & eremo, confirmata subinde a Guidone & Mauro episcopis successoribus annis 1116. & 1136. & imperialibus præceptis a Friderico I. anno 1154. & ab Henrico VI. anno 1186. Ipsa bona jure census & *tenimenti*, ut ajebant, possidebant ab eremo Gerardus Dominici, Benincasa Mariani, Johannes Romolini, Baroncellus Almerici, Guido Pamphilii, Vivolus Albertinelli atque Gerardus Speratus, qui hoc anno 1229. camerario Camaldulensi fassi sunt se ea bona nomine eremi tenere, censusque solutionem gastaldioni de Cagiolo promiserunt. Vendita fuere ipsa bona anno 1280., ecclesia vero sæpius etiam post id temporis collata a prioribus Camaldulensibus, quæ modo tamen solo est omnino æquata. Hæc addiscimus ex collectionibus Baroncinii.

Eodem *anno die* XIV. *octobris*, *Gregorio papa IX. & Frederico imperatore in discordia cum ecclesia Romana*, *indictione secunda* Brunus monachus sancti Petri de Argiano, & Raynerius prior claustralis monasterii de Vivo nuntii capituli Vivensis Guidoni priori Camaldulensi exhibuerunt electionem factam Petri in priorem ejusdem monasterii de Vivo, & sacramentum fidelitatis & obedientiæ præstitum ab electo. Successit is Ildebrandino.

Bonajunctæ abbatis Sacrariensis in Sardinia mentio fit in charta tabularii Fontis-boni exarata *in Sardinia apud Ardum in Scalis curie domini archiepiscopi Turritani coram dicto archiepiscopo.*

Quoad Patavina monasteria congregationis monachorum alborum hæc monumenta leguntur sub præsenti anno: *Anno* M. CC. XXIX. *indictione secunda die* XII. *exeunte aprili* Jordanus prior conventus sancti Augustini de Padua ordinis fratrum Prædicatorum, & Petrus prior sancti Pauli, auctoritate commissionis sibi factæ a Guifredo Castillionæo presbytero cardinale

le tituli sancti Marci, & apostolicæ sedis legato per literas datas ex urbe Brixiensi *secundo idus aprilis*, determinarunt, ut in domo Omnium-Sanctorum de Padua fratres profiterentur eamdem regulam, quam profitebantur fratres sancti Benedicti ejusdem urbis. Ann. Chr. 1229.

Ex archivo nostro sancti Michaelis [a] Compagnus prior sanctæ Mariæ de Porcilia, & Johannes rector ecclesiæ sancti Thomæ de Arena urbis Patavinæ arbitrum elegerunt litium, quas simul habebant, magistrum Albertum de Monte-silicis *anno* M. CC. XXIX. *indictione* II. *die* VIII. *exeunte julio*, consensum præbente Jacobo electo Paduano episcopo, cui locum fecerat Jordanus antecedenti anno defunctus.

Gregorius prior monasterii Montis-crucum territorii Patavini, & Albertus prior sancti Johannis de Monte-vinearum Montis-silicis laudantur sub hoc anno a Romano pontifice Gregorio IX. quod multa sollicitudine operam dederint reformationi monasterii sanctissimæ Trinitatis de Brundulo in episcopatu Castellano seu Venetiarum, introductis ibidem monachis Cistercienſibus, ut literis suis scripsit idem pontifex maximus abbati de Columba Placentinæ diœcesis apud Ughellium [b]; iisdem etiam delegatis, & abbati insuper sanctæ Justinæ de Patavio mandavit executionem hujusce translationis monasterii a monachis nigris ad Cistercienses, *quartodecimo kalendas junii pontificatus* sui *anno* III. Electus fuerat ipse Gregorius prior Montis-crucum anno antecedenti ab eodem Romano pontifice visitator ecclesiarum exemptarum Cenetensis, Feltrensis, Bellunensis & Concordiensis diœcesum, ipsique socii visitationum dati fuerant M.. prior sancti Martini de Venetiis ordinis Prædicatorum, & B.. subprior conventus sancti Augustini de Patavio ejusdem ordinis ex bulla, quam affert Cl. V. Flaminius Cornelius [c] in ecclesiis Torcellanensibus; multaque alia Gregorii prioris Montis-crucum industriæ & zelo demandata fuisse a Romanis pontificibus scimus ab anno 1216. ad annum 1238. quibus superest ipsius memoria tum in Patavinis, tum in nostris sancti Michaelis paginis, quæ proinde virum fuisse insignem Gregorium produnt. Hæc ad illustrationem monasteriorum Patavinorum, & potissimum illius Montis-crucum.

XLIX. Hospitale S. Mariæ de Plavi subjicitur monasterio S. Mariæ de Fullina.

Subjecit quoque præsenti anno idem Gregorius IX. hospitale sanctæ Mariæ de Plavi abbati sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina. Monasterium illud, sive hospitale ex temporum horum consuetudine nominatum, positum erat in pago Lovadinæ ad præterfluentis Plavis cursum. Ejus exordia referuntur ad tempora Sergii IV. Romani pontificis, & ad annum 1009. quo ævo in Cenetensi territorio & in loco dicto *Talpone* Tarvisini ad peregrinos suscipiendos hospitalem hanc domum erexerunt, ædificatis subinde per vicina rura ecclesiis diversis, quarum princeps fuit præfata ecclesia sanctæ Mariæ de Plavi. Rainerius præpositus loci, assentientibus fratribus, hospitium cum ecclesia per chartam oblationis sanctæ Romanæ ecclesiæ contulerat seculo XII. ipsumque propterea in jus & proprietatem sancti Petri susceperant tum Calixtus II. tum *anno* M. C. XXIV. *die* XXVIII. *novembris* ex Laterano Honorius papa II. statueratque hic postremus in diplomate ad eumdem Rainerium, ut ad indicium apostolicæ protectionis duas libras, unam incensi, & alteram ceræ Lateranensi palatio quotannis persolveret. Confirmaverat privilegium Leonardo priori Alexander III. ex Rivoalto *die* X. *augusti anno* M. C. LXXVII. recensitis loco & ecclesia prædicti hospitalis, & ecclesiis subjectis, nempe sancti Silvestri de Reso, sancti Vitalis de Castanido, sancti Matthæi de Camaloo, sancti Leonardi de Pontiano, sanctæ Luciæ, sancti Laurentii de Colle-albrico,

[a] *Caps.* 32. 2v

[b] *T. V. col.* 1350.

[c] *P. II. pag.* 352.

Ann. Chr. 1229.

brico, sancti Dalmatii de Cittadella, sancti Michaelis de Ramaria, sancti Martini de Vicinato, sancti Salvatoris de Valonto, sanctæ Christinæ de Camino, sancti Felicis de Saccono, sancti Stephani de Misco, sancti Gotardi de Coldegnago, sancti Martini de Soligo, & ecclesiis sancti Andreæ & sancti Blasii, ac castaldia de Cittadella, castaldia de Saccone, Monte de Brozo, ac libertatibus & immunitatibus de decimis concessis a Ropreto quondam Cenetensi episcopo. (Ropretus, quem ignoravit Ughellius, locandus videtur inter Almaguinum & Sigismundum Cenetenses episcopos post medietatem seculi XI.) Post hæc cum fratres hospitalis Hierosolymitani locum in sua jura deducere conarentur, idem Leonardus prior auctoritatem apostolicam implorare coactus est, & de Romani pontificis mandato Gerardus Paduanus episcopus & Pistor prior sanctæ Mariæ de Carceribus causam fine debito terminandam suscepere, habitoque inter se consilio præfatam domum ab impetratione prædictorum fratrum ordinis Hierosolymitani per sententiam absolventes, domum ipsam ad Romanam ecclesiam pertinere decreverunt, confirmante sententiam Lucio III. diplomate dato Veronæ *die* IV. *augusti anni* M. C. LXXXIV. Renovavit protectionem apostolicam Urbanus papa III. *die* XII. *junii anni* M. C. LXXXVI. Gerardo priori. Verum refrigescente caritatis ardore, & imminuta in spiritualibus & in temporalibus ecclesia sanctæ Mariæ de Plavi, mandavit ex Perusio anno antecedenti XIV. *kalendas octobris pontificatus* sui *anno secundo* Gregorius papa IX. prioribus sancti Benedicti Jordano, & sanctæ Mariæ de Vantio urbis Patavinæ, & Alberto priori sancti Johannis de Monte-silicis, ut quandoquidem Gregorius prior sanctæ Mariæ de Monte-crucum, M.. sancti Martini de Venetiis ordinis Prædicatorum prior, & B.. subprior sancti Augustini de Padua visitatores ecclesiarum exemptarum Cenetensis, Feltrensis, Bellunensis & Concordiensis dioecesum, ut mox vidimus, sua insinuatione significaverant eam ecclesiam non posse resurgere, nisi Cisterciensis ordo ibidem noviter propagaretur; propterea ipsi submitterent eam ecclesiam de Plavi monasterio Sanæ-vallis de Fullina, ejusque abbati, qui de abbate ac monachis juxta instituta Cisterciensis ordinis ipsam ordinaret, ut ad eosdem fratres sanctæ Mariæ de Plavi scripsit ex eadem urbe hoc anno *pontificatus* sui *tertio* VIII. *kalendas maji* idem Romanus pontifex; commendans etiam Plavenses monachos & Fullinates reformatores potestati & populo Tarvisino aliis literis datis *die secunda maji* hujus anni; & ipsa die mandans episcopo Tarvisino, ut utrosque ab inquietis perturbatoribus per ecclesiasticas censuras defenderet. Pariter *die* VII. *maji* priori sanctæ Mariæ de Vantio commisit, ut O., Plavensem priorem, qui regimini cesserat, ac fratres & conversos ejusdem loci in Plavense cœnobium revocaret, ibidemque deservire faceret, emissa professione juxta beati Benedicti regulam & statuta Cisterciensis ordinis. Anno M. CC. XXXVIII. *die* XXV. *januarii pontificatus* sui *anno* XI. præcepit idem Gregorius Tisoni episcopo Tarvisino, ut commune Coneglani cogeret ad restitutionem bonorum, quæ abstulerat monasterio sanctæ Mariæ de Plavi; & anno M. CC. XL. XXVI. *maji pontificatus* sui *anno* XIV. prælatis per patriarchatum Aquilejensem constitutis dedit in mandatis, ut præfatum monasterium a molestis invasoribus tuerentur. Quæ omnia chartis in medium productis ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum de Muriano fusissime prosequitur Cl. V. & Senator Flaminius Cornelius in suis ecclesiis Torcellanis P. II. pagg. 253. 297. & seqq. a quo excerpsimus. Abiit postea Plavense monasterium in commendam usque ad annum 1490. quo Innocentius VIII. cui regularis observantia sanctimonialium sanctæ Mariæ Angelo-

gelorum de Muriano ordinis sancti Augustini, & reddituum angustiæ innotuerant, commoditatibus ipsarum providere volens, prædictum monasterium beatæ Mariæ hospitalis Plavis de Lovadina Cisterciensis ordinis, regimine destitutum abbatis, de cardinalium consilio perpetuo unire & incorporare decrevit earum parthenoni.

ANN. CHR. 1229.

APOSTOLICAM commissionem dedit hoc anno, *quinto nonas julii pontificatus* sui *anno quarto* Romanus pontifex Gregorius IX. magistro Pelagotto canonico Faventino ex Laterano, ubi redierat sub finem mensis februarii, ut cognosceret causam, quæ mordicus agitabatur inter Thedericum Ravennatem archiepiscopum, & inter Huguccionem abbatem monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum diœcesis Bononiensis circa possessionem paludis appellatæ Marmortæ, & quarumdam aliarum aquarum. Vetus ea erat controversia jam ab anno 1136. excitata, ipsoque anno definitum fuerat ab Henrico episcopo Bononiensi, a Petro Traversaria, & ab Azzone de podio Calvuli debere abbatem sancti Michaelis, post quamdam pecuniæ summam ab ecclesia Ravennate acceptam, investire de ipsa valle archiepiscopum ejus ecclesiæ, libellumque emphyteusis conficere, renovandum post sexaginta annos; decretumque fuerat, *salvo* tamen *jure dominii ejusdem monasterii*, archiepiscopo licere de ea valle facere, quod sibi collibuisset. Postremis his temporibus, anno nimirum 1204. scimus ex chartis tabularii archiepiscopalis Ravennæ [a] Albertum antistitem Ravennatem medietatem ipsius Marmortæ vallis, quam sub pignore habebat Hugizo de Selegardo pro viginti libris imperialibus, recuperasse ecclesiæ suæ, eamque dedisse per libellum ad tres annos [b] Zanino de Dulio pro trecentis libris Bononiensibus; Ubaldum alterum archiepiscopum anno 1212. [c] dedisse in pignus ad annum Artimisio pro ducentis libris Ferrariensibus; Thedericum demum viventem Ravennatem archiepiscopum sub hoc tempore ipsam locasse [d] Jambono aliisque consortibus una cum piscationibus & venationibus, exceptis *cassationibus porcorum & beverorum*, ad annos tres pro sexcentis libris Bononiensibus. Sed ante Thederici tempora [e] Jacobus abbas sanctæ Mariæ Montis-Armati Bononiensis diœcesis a papa Honorio III. delegatus anno 1226. in causa ejusdem vallis vertente inter Simeonem archiepiscopum, & inter Gerardum abbatem, in possessionem ipsius vallis sententia lata Benedictum priorem ejusdem monasterii sancti Michaelis post biennium induxerat; acciverat enim Jacobus judex ad dicendam causam Simeonem archiepiscopum, & quia hic vel literas non recepit, vel saltem responsalem aliquem ad litem non destinavit, locum fecit delegato judici, ut judicium proferret pro cœnobio sancti Michaelis pacifice misso in controversarum rerum possessionem anno 1228. Reclamavit Thedericus Simeonis archiepiscopi successor initiis statim sui officii eodem anno & lis magis-magisque recruduit anno præsenti ipsum inter & Hugiccionem, qui in locum Gerardi a Guidone priore Camaldulensi electus fuerat monasterii præfati abbas die quarta novembris anni antecedentis. Factum fuit statim compromissum ab Oddone sindico archiepiscopi, & a Nicolao sindico monasterii in Oddonem præpositum Faventinum, & in Guercium canonicum Senensem, cui tamen compromisso [f] post breve tempus utraque pars nuntium remisit. Causa itaque terminanda imposita fuit ex apostolica delegatione supradicto Pelagotto canonico Faventino hoc anno. Sed ipsam rem ex Rubeo audiamus [g]: „ Thedericus archiepiscopus æs alienum dissoluturus, & pe-
„ cuniam restituturus fœnori, ut ad pontificem, qui illum acciverat,
„ adi-

ANN. CHR. 1230.

L. Lis de valle Marmorta inter Thedericum archiep. Ravennæ & abbatem S. Michaelis de castro Brittorum.

[a] Capſ. I.3924.
[b] Capſ. S.3827.
[c] Capſ. I.4677.
[d] Capſ. L.5146.
[e] Capſ. D.1060.
[f] Capſ. E.1287.
[g] Lib. VI. pag. 399.

ANN. CHR. 1230.

„ adiret, acceptam, paludem Mare-mortuum vocatam, in triennium lo„ cavit, tametsi nequaquam levis de ea apud pontificem causa ageretur, „ quod Guido prior præfectus Camaldulensium monachorum ad abbatem „ & cœnobium divi Michaelis e castro Brittonum Camaldulensis ordinis „ diœcesis Bononiensis spectare assereret, literasque diceret a pontifice ad „ Montis-armati abbatem olim impetratas, quibus cum nihil Simeon ar„ chiepiscopus, cujus archiepiscopatu acta ea fuerant, respondisset, cœ„ nobium illud ab judice in possessionem primo missum, mox anno ab„ soluto verum possessorem constitutum fuisse. Sed contra Thedericus il„ las literas ad Simeonem nequaquam missas, aut certe ab eo non acce„ ptas; itaque pro archiepiscopo apud eum judicem neminem dixisse. „ Gregorius pontifex Romam reversus per literas V. nonas julii anno IV. „ pontificatus Laterani scriptas magistro Pelagotto canonico Faventino „ mandavit, ut de restitutione in integrum, quam petebat archiepisco„ pus, cognosceret, & si ita sibi videretur, restitueret. Has literas cum „ alteris Pelagotti Thedericus archiepiscopus abbati sancti Michaelis e ca„ stro Britonum, inspectante Guidone Lambertino Bononiensi in divi Mi„ chaelis de Cavalli duodecimo kalendas septembris reddidit." De senten„ tia, quam tulit Pelagottus, anno sequenti.

LI. Chartæ, compositiones & largitiones spectantes ad plura Camaldulensia monasteria.

EXCOMMUNICATIONIS sententiam cum ferre non posset Ildeprandus episcopus Fesulanus in monasteria & in domus Camaldulensium, qui ipsi non exhibebant collectas & exactiones indebite impositas, eam ferebat in benefactores ipsorum, quos impediebat, quo minus eremo opem præstarent. Ea re cognita idem Romanus pontifex, qui etiam anno antecedenti, & alia insuper vice episcopum monuerat, ex Anagnia V. *kalendas novembris* per literas apostolicas eumdem deterruit ab hujusmodi injuria, injungens de cetero præposito & archidiacono Fesulanis & C. archipresbytero de Treguanda canonico Arretino, ut causam episcopi & Camaldulensium audientes eam debito fine deciderent. Contra ejusdem episcopi molimina se opposuerat pro Camaldulensibus, dum legationis apostolicæ officio fungeretur in Thuscia, & antequam Romanus pontifex evaderet ipse Gregorius, ut in epistola ad Camaldulenses data testatur ad annum 1221.

Ex Anagnia pariter *secundo kalendas decembris*, *pontificatus* sui *anno quarto* idem Gregorius rectoribus potestatibus & consulibus in Patrimonio sancti Petri, in Thuscia, ducatu Spoleti & in Marchia constitutis literas scripsit, dans ipsis in mandatis, ut jura eremi Fontis-avellanæ illibata servarent, & privilegia, libertates & immunitates superioribus temporibus ab apostolica sede & ab imperatoribus concessa dicto loco tuerentur. Anagniam se receperat Gregorius ante mensem septembris ex Urbe, ad quam tamen desinente anno iterato reversus est.

Henrico abbati monasterii sancti Michaelis in Burgo Pisarum oblatæ fuere hoc *anno millesimo* CC. XXXI. more Pisano, *indictione* III. *quinto kalendas januarii*, literæ Alberti Massani episcopi, qui mandatum Gregorii papæ receperat, ut audiret quamdam querelam prioris & fratrum eremi sancti Jacobi de Costaque. Accersivit itaque abbatem Albertus, ut coram se compareret. Eremus sancti Jacobi dicta etiam in Calci subjiciebatur eidem monasterio sancti Michaelis, cujus abbas erat Henricus, sed, ut alibi observavimus, contra hujusmodi unionem & subjectionem mussitabant monachi sancti Michaelis.

Die nona decembris [a] Richardus episcopus Fanensis & Ditnastasius abbas monasterii sancti Paterniani de Fano delegati apostolici ab eodem Gre-

[a] *Arch. Fontis-boni* §. *Sententia* 28. *A*. 3. 12.

Gregorio in causa, quæ agebatur inter Severinum episcopum Æsinum, & inter eremum Camaldulensem super jure episcopali & subjectione ecclesiarum sanctæ Mariæ de Serra, & sancti Jacobi de Eremita sive de Mandriolis, & sancti Georgii ordinis Camaldulensis sitarum in diœcesi Æsina, arbitri insuper electi ab utraque parte pronuntiarunt debere dictas ecclesias præstare quotannis episcopo procurationem cum duodecim personis & novem equitaturis; item numerare solidos XL. pro consecratione episcoporum; teneri pariter ad quartam decimarum ex possessionibus, quas eæ ecclesiæ acquisierunt in diœcesi Æsina, vigore statutorum concilii generalis Lateranensis sub Innocentio III. item quartam eorum mortuorum, qui ex præfato episcopatu in ipsorum ecclesiis sepeliri voluerint; demum vocatos priores eorum monasteriorum debere, nisi legitime præpediti fuerint, accedere ad synodum diœcesanam. Severinum Æsinum episcopum ad annum dumtaxat 1237. ex marmoreo lapide agnovit Ughellius, cujus proinde sedis tempus præveniendum. Richardum autem Fanensem episcopum post Albertum, quem ex Rubeo statuit ad annum 1222. omnino ignoravit. Ammianus [a] quoque in memoriis Fanensibus asserit Anastasium abbatem monasterii sancti Paterniani decessisse anno 1227. ipsique subrogatum fuisse in regimine cœnobii Richardum. Ad annum [b] tamen 1250. scribit Bonum fuisse Anastasii successorem. Vivebat nihilominus hoc anno Anastasius sive Ditnastasius abbas, una cum Richardo Fanensi episcopo in supradicta causa judex, cui etiam abbati non Richardus, neque Bonus, sed Rainaldus successit, quem nominat Teodinus apostolicæ sedis notarius in actis domini Alatrini legati inter commune Fani & inter abbatem sancti Paterniani ad annum 1227. apud eumdem Ammianum [c] his verbis: *Licet ego Teodinus crediderim me restituisse supradictum instrumentum Anastasio olim abbati sancti Paterniani Fanen. tamen domnus Rainaldus abbas dicti monasterii successor ejus accessit Perusium cum præsentia domini Sinibaldi judicis communis Perusiæ, tempore domini Rufini Robacontis potestatis ejusdem asserentis se coram eo, dicens præfatos ordines, quos habebat, quod restitutum fuit in discessu suo instrumentum prædictum, tamen sine authentico, & quod erat ita destructum, quod non poterat legi, ideo ego Teodinus instrumentum præfatum mandato dicti judicis iterum scripsi.* Quæ etiam verba indicant non annum 1227. sed annum multo posteriorem, quo refectum fuit a Teodino instrumentum, quo etiam obierat Anastasius abbas, vivens tamen anno 1230. ex pagina nostra.

Ann. Chr. 1230.

a P. I. pag. 189.

b Pag. 204.

c P. II. Append. p. XLII.

Ventura abbas sancti Johannis-evangelistæ de Ravenna *die penultimo octobris* hujus anni sententiam dixit inter Oddonem præpositum Faventinum aliosque canonicos majoris ecclesiæ, & inter Massarium abbatem monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia super decimis, quas a dicto cœnobio canonici sibi deberi asserebant. Eam sententiam laudat Tonduccius in sua Faventina historia [d].

d Pag. 265.

Die undecima ineunte mense septembri Petrus presbyter & minister ecclesiæ de Agna agnoscens priorem eremi Camaldulensis esse dominum & patronum dictæ ecclesiæ & cujusdam cellæ contiguæ ecclesiæ a latere Camaldulensis curiæ, cum de novo reædificanda esset ea cella, dedit priori plateam seu solum, super quod ipsa erat construenda, tribuente e contra priore Camaldulensi quamdam decimam ecclesiæ Agnensi.

Petrus vicecomes de Bassu rex & judex Arborensis cum voluntate Dianæ vicecomitissæ uxoris suæ, dominæ & reginæ Arborensis donavit hoc anno M. CC. XXX. silvam de Querqueda monasterio sanctæ Mariæ de Bonarcanto, quod erat subjectum monasterio sancti Zenonis Pisarum, testi-

Ann. Chr. 1230.

bus Frodorio archiepiscopo Arborense, Petro de Martis episcopo sanctæ Justæ, & Gontino de Scura episcopo Terralbæ. Donationem lingua Latino-sarda scriptam damus in Appendice ex archivo sancti Michaelis de Burgo Pisarum.

Carum abbatem monasterii sancti Petri de Puteolis exhibet nobis pagina hujus anni extans in tabulario sancti Pontiani de Luca, cujus cœnobii abbati Alberto idem Carus cum consensu Orlandi prioris claustralis, & aliorum monachorum ac commissorum in permutationem dedit aliquot bona sui cœnobii sita in Colline. Mariam vero abbatissam sancti Johannis de Prato-veteri pagina Fontis-boni [a] prodit.

a §. *Emptio* 315. *A.* 3. 11.

LII. Monumentum Burgense.

Ex archivo Castellano episcopali sequens monumentum eduximus spectans ad abbatiam monasterii Burgi-sancti-sepulcri.

In Dei nomine amen. Anno Dominice incarnationis M. CCC. XXX. *nono kalendas aprilis indictione* III. *Cum inter dominum Mattheum Castellanum episcopum ex parte una, & domnum Homodeum abbatem monasterii sancti Sepulcri pro ipso monasterio ex altera, coram domino Pagano preposito Aretino ex delegatione domini pape, questio verteretur super eo, quod dicebat dictus dominus episcopus se debere recipi processionaliter in ipso monasterio, & cantare ibidem Missam secundam, celebrata prima in episcopatu Civitatis Castelli, & dicebat se debere procurari cum tota familia & societate sua eodem die ab abbate & monachis monasterii supradicti secundum veterem & novam consuetudinem episcoporum Civitatis Castelli, volentes iidem ad pacem & concordiam redire, dominus episcopus supradictus accessit ad dictum monasterium processionaliter, & receptus fuit ibi ab Homodeo abbate supradicto, & monachis & capellanis ejusdem monasterii processionaliter cum cereis accensis, cum hoc responsorio: Ecce sacerdos magnus* &c. *Item idem dominus episcopus celebravit eodem die Missam in ipso monasterio, sermocinando verbum Dei ad populum universum Burgi supradicti. Item ibidem chrismavit pueros, & fecit talia, ac exercuit ibidem tamquam episcopus diocesanus. Item dicti abbas & monachi procuraverunt ipsum domnum episcopum, & totam familiam suam cum omnibus, qui secum venerant in dicta abbatia tam in concessione, quam in omnibus aliis.*

Acta apud monasterium Burgi sancti Sepulcri, coram domino abbate de Subcastello, videlicet domno Rainerio, domino Jacobo archipresbytero de Soara, presbytero Rainero de sancto Johanne in Campo de Civitate Castelli, domino Savino canonico Castellano & pluribus aliis testibus.

Ego Ursus notarius omnibus supradictis interfui, & ea scripsi ac in publicam formam redegi.

Ughellius Johanni episcopo Castellano Cortesanum anno 1225. successisse scripserat, Guillelmum episcopum ad annum 1232. statuerat, & ad annum 1234. Matthæum. Lazarus, qui Ughellio notas adjecit, memoriam Matthæi extare ad annum 1229. scribit, ac Guillelmum expungendum ex serie Castellanorum episcoporum docet; quod ex superiori monumento confirmatur.

LIII. Jacobi de Certaldo monachi S. Justi Volaterrarum laudabilis vita.

Claruit hoc tempore in monasterio sanctorum Justi & Clementis urbis Volaterrarum beatus Jacobus a Certaldo, cujus vitam scripsit auctor fere synchronus, rudi quidem sermone, sed quam repertam in bibliotheca dicti monasterii brevi oratione compilavit Raphael Volaterranus, vir omnigena eruditione conspicuus, mittens eam ad Marium prius Aquinatem, inde Cavallicensem episcopum, qui etiam commendatam sibi sanctorum Justi & Clementis Volaterranam abbatiam ex beneplacito pontificio summa cum magnificentia & moderationis laude restituit Camaldulensibus

maldulensibus ut habet Johannes Nicolai commentario ms. de familia Maphæa apud Ughellium [a]. Ipsam proinde Jacobi vitam Mario dicavit Raphael intra annum 1517. quo Marius factus fuit episcopus, & intra annum 1522. quo obiit ipse Raphael. Synopsim hanc habes apud Fortunium, ex quo exscripsimus.

Ann. Chr. 1230.

a T. I. pag. 400.

„ Raphael Maphæus reverendissimo patri domino Mario Maphæo præ„ suli Aquinati & abbati Volaterrano salutem in Domino.

„ Cum nuper apud cœnobitas tuos diverterem, ac per ocium libros „ quosdam semilaceros evolverem, in vitam beati Jacobi unius e colle„ gio quondam vestro forte incidi. Quæ præterquamquod rudi quidem „ sermone conscripta fuerat, adeo vetustate literis intercidentibus obscu„ ra, difficilisque lectu erat, ut vix longo post tempore sensum deprehen„ dere potuerim. Ego vero, ne viri optimi, ac de nostra regione bene„ meriti memoria posteritatis ingratæ negligentia periret (quod tu ex „ nobis, quibus absens rerum tuarum curam delegasti, ægre admodum „ tulisses) sum conatus & gesta, & vitæ cursum brevi quidem oratione, „ non tam illius causa, qui in libro vitæ semel conscriptus his non in„ diget, quam nostra seculis renovare. Ut ex ejus imitatione pariter ac „ laude magis proficere valeamus, & de domestici hujus apud Deum ad„ vocati precibus, vestra imprimis congregatio, deinde urbs tota Vola„ terrana tuta perseveret. Nam & hunc inter Sanctos suos eremus Ca„ maldulensis colit, & apud nos in quadam sancti Justi ara ejus antiqua „ imago more Sanctorum diademata conspicitur. In officiis item divinis „ ejus solitam coli memoriam ex lectionum ordine digestarum argumento „ deprehendimus. Mox tuæ pietatis erit omnia reintegrare, ac ut inju„ riam passus honori pristino restituatur, operam dare.

„ Beatus Jacobus Certaldi oppido ex antiqua Guitiorum familia oriun„ dus extitit. Patrem habuit Albertinum equitem, qui tres suscepit fi„ lios, Guidotum, Ingeramium, & ipsum, de quo agimus, Jacobum. „ Qui quidem Jacobus omnia a teneris annis signa indolem magni futuri „ viri ostendentia præseferens, quod eremo magis quam seculo natus es„ set, haud dubia indicia dare cœpit. Erat enim puer ore venusto, spe„ cie liberali, sensu ætatem præveniente, sermone parcus, natura quietus, „ & a vitiis, quæ illa solet ætas persuadere, omnino procul, solusque „ agens, nil magis quam lectitare seu meditari delectabatur, quo se me„ liorem, Deoque acceptiorem efficere posset. Ut talem vero sese com„ pararet, Christum in corde gestans, ut brevem ac momentaneam „ mundi gloriam despiceret, corporis sui virginitatem Domino Jesu vo„ vit, jamjamque inebriatus dulcedine decoris domus Dei jugiter prophe„ tæ eloquium animo secum repetebat: Beati, qui habitant in domo „ tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te. Erat parentibus do„ micilium in urbe Volaterrarum in vico sanctæ Mariæ; unde cum pa„ rentes ipsi puerum ad templum sanctorum Justi & Clementis secum „ orationis gratia pluries duxissent, & exinde ad cœnobium ascenderent, „ factum est, ut Jacobus puer monachorum vitam contemplatus, quod „ monachum agere posset, consensum patris obtinuerit, habitumque san„ ctæ conversationis a Martino abbate susceperit anno Domini M. CC. „ XXX. Ex quo tempore nudus & armatus in Christo morum gravitate „ præfulgens, exemplum mox virtutis, obedientiæ, & humilitatis ac pa„ tientiæ ceteris cœpit existere fratribus. Nec solum, quæ ipsius erant „ ordinis, sedulus obivit, sed longe majus aggressus propositum arctiore „ se vitæ genere, corporisque exercitatione admodum majore afflixit. In

Ann. Chr. 1230.

„ vigiliis, jejuniis, algore, silentio, oratione perpetua, pertinaci labore, „ obedientia prompta placere Deo continuo studebat. Per quadragesimas „ ter in pane & aqua contentus jejunabat, ante mediam noctem exur- „ gens, aliosque præveniens præstolabatur fratres, hymnos, psalmos, præ- „ sertim beati Michaelis archangeli secunda feria, sabbatis vero beatæ „ Mariæ virginis obiter lectitabat. Eaque modestia præditus erat, ut „ cum fratres ceteros virtute, sanctitateque antecelleret, omnibus tamen „ inferiorem, obsequentioremque se semper præberet. Quem infensissimus „ hostis acri pugna noctes & dies infestans, pubescenti corpori solita ma- „ ximopere voluptatum incendia suggerebat. Cujus tela & aculeos Chri- „ sti famulus Spiritus-sancti gratia suffultus, cilicioque indutus, super hu- „ midam terram cubitans, vigiliis, orationibus ac jejuniis duplicatis, li- „ cet membrorum viribus attenuatus, jugiter explodebat. Satagebat quo- „ que inter preces diutinas divinam studiose deprecari misericordiam, ut „ parens ac fratres uterini ipsi quoque aliquando, quam suavis est Do- „ minus, gustare & videre mererentur; nec in vanum pro illis oravit. “ Cetera de Jacobo alibi.

a Par. II. p. 319.

Observat tamen Brocchius [a] eruditus sacerdos Florentinus in vitis Sanctorum & Beatorum patriæ suæ exploratum non esse Jacobum de Certaldo fuisse ex nobilissima Guidiorum familia, & additum *Guidi* non cognomen esse, sed pertinere potius ad Albertinum patrem Jacobi, ita ut sicut Jacobus filius erat Albertini, ita Albertinus filius esset Guidi.

b Histor. Camal. P. II. p. 59.

Consueverant commissi hujus cœnobii Volaterrani atris vestibus uti, cum monachi albas gestarent. Tradit proinde Fortunius loquens de præfato Martino abbate ejusdem monasterii, quod [b] „ animadvertens is com- „ missos sui cœnobii adhuc retinere habitum nigrum, convenientiam ha- „ bitus albi Camaldulensis in omnibus inductam esse voluit. “ Scribit pariter „ ipsum acquisivisse monasterio suo ecclesiam sancti Angeli in ur- „ be Volaterrana. „ Superfuit Martinus usque ad annum 1248. quo „ successorem accepit Nicolaum abbatem, „ sub quo, subdit idem For- „ tunius, aggregatum fuit cœnobio hospitale Paludis, quique etiam pa- „ trocinio Pagani episcopi Volaterrani defendit studiosissime jura sui cœ- „ nobii, & præsertim bona Lajatici contra Johannem Avitum medicum an- „ no 1233. “ sed legendum 1253. cum anno 1233. abbas esset Martinus; Nicolao autem abbati successit noster Jacobus, ut suo anno videbimus.

Albertus de Monte-acuto & Matthæus, Joachim & Rigo Alberti filii exigentes ab hominibus castri Fatalbeci datia competentia eremo Camaldulensi repressi fuere a communi Arretino, quod [c] pronuntiavit hoc anno juxta statutum ejusdem urbis eremum Camaldulensem pro damnis illatis mittendam esse in possessionem dupli ex bonis mobilibus, quadrupli autem ex bonis immobilibus dictorum dynastarum.

c §. Sententiæ 79. A. 3. 14.

In necrologio Galeatensi legitur ad hunc annum. *Sexto kalendas aprilis obiit Johannes de Galiada, pro cujus anima habemus calicem argenteum & quasdam possessiones.* A. D. M. CC. XXX.

ANNA-



ANNALES CAMALDULENSES

LIBER TRIGESIMUS-NONUS.

Ab anno CHRISTI M. CC. XXXI. *ad annum* M. CC. XXXIX.



MAGISTER Pelagottus canonicus Faventinus judex delegatus anno elapso a Gregorio Romano pontifice in causa vallis Marmortæ aliarumque aquarum, *die undecima exeunte januario anni Domini* M. CC. XXXI. *indictione* IV. *tempore Gregorii pape & Frederici imperatoris*, cum Teuzolinum, qui sindicus electus fuerat monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum, ad rationem reddendam vocatum contumaciter recessisse comperisset, nolleque ipsum obtemperare mandatis, eum, & Uguccionem abbatem ac conventum dicti monasterii auctoritate, qua fungebatur, diris devovit, & a gremio matris ecclesiæ separavit; Clarium e contra sindicum Thederici archiepiscopi & ecclesiæ Ravennatis in possessionem misit ejusdem vallis. Scripsit subinde abbati Montis-armati sub excommunicationis pœna, ut dictos abbatem & conventum sancti Michaelis censura innodatos declararet. Idipsum notum fecit Henrico Bononiensi episcopo, & abbati sanctæ Cæciliæ de Corvaria, ac Rolando episcopo Ferrariensi, & Rolando archipresbytero plebis sancti Venantii de Duliolo. Abbati vero sancti Michaelis excommunicationem a se latam denuntiavit, præcepitque, ut primo die post festum sancti Blasii conspectui suo se exhiberet. Hanc Pelagotti sententiam & denuntiationes reperimus in tabulario archiepiscopali Ravennæ, ex quo edimus in Appendice. Rotlandum episcopum Ferrariensem electum anno 1212. ejusque monumentum ad annum 1218. refert Ughellius, & diutissime vixisse dumtaxat scribit.

ANN. CHR. 1231.

I. Definitio de valle Marmorta contra monast. S. Michaelis Bononiæ.

ALTERAM, & quidem gravissimam litem intentaverat idem archiepiscopus Thedericus monasterio sancti Apollinaris in Classe. Eam [a] ex Rubeo intelligimus. „ Quoniam vero divi Apollinaris in Classe cœnobium ingressus Thedericus Philippum inde abbatem ejecerat, multaque abstulerat, quod diceret, dilapidare eum bona cœnobii, minuere vectigalia, conventum illum corruptis valde moribus laborare, ea disciplinæ

II. Compositio litis acerrimæ inter archiep. Ravennatem, & monast. Classense.

a *Lib. VI. pag.* 400.

„ regu-

Ann. Chr. 1231.

„ regula destitutum, propter quam concessa illi ea bona fuerant, atque „ in illum homicidas, damnatos atque exules convenire; graviter his „ commotus (Gregorius Romanus pontifex) causam Matthæo episcopo „ Tiphernati delegavit. Extant hac de re literæ Laterani nonis maji da„ tæ, quibus id sibi moleste admodum accidisse significat, ob singularem „ suam in Camaldulensem ordinem benevolentiam (hanc autem inde or„ tam puto, quod dum cardinalem pontifex gereret, in solitudinem Ca„ maldulensem abditus aliquamdiu ibidem vitam egisset) Guido prior „ præfectus Camaldulensium, fratrum suorum consensu tam Fontis-boni, „ quam eremitarum, in quibus Paulus, Johannes, Henricus, Gerardus, „ Simon, Lotharingus, Rainaldus & Jacobus, inclusi sua quique cellula „ tunc erant, procuratorem suum fecit Johannem monachum, Thederi„ cus archiepiscopus Severum, sacratorum virorum Ravennatium chorus „ Brandum cantorem. Severus autem mense septembri cum Tiphernum „ venisset, omnes Thusciæ ac Perusii judices suspectos sibi esse dixit, „ ipsumque præcipue Matthæum episcopum, qui & Camaldulensium es„ set amantissimus, & eos frequenter hospitio acciperet, mutuaque pe„ cunia juvaret, ac sponsor pro illis fieret. Itaque cum in integrum re„ stitui abbas & monachi postularent, Bonaguidæ archidiaconi Arretini, „ & Oddi præpositi Faventini arbitrio mandatum est negotium. "

Hæc Rubeus. Sed ex chartis archiepiscopalibus Ravennatibus, & ex nostris Camaldulensibus ea fusius & ad veritatem exactius prosequamur. Post Martinum abbatem Classensem, cui extat Friderici II. Romanorum imperatoris gratiosum diploma concessum anno 1220. de quo etiam mentionem fecimus ad annum 1223. electus fuit abbas ejus monasterii Benedictus, qui die XIV. januarii anni 1227. in manibus Guidonis prioris Camaldulensis coram capitulo dicti cœnobii se regimine abdicavit. Qua abdicatione accepta, & examinatis votis monachorum ipse Guido die sequenti [a] in abbatem nominavit & elegit Johannem monachum ejusdem monasterii. Breve fuit regiminis Johannis tempus, nam suffectum in ejus locum legimus Philippum, cujus mentio sub annis 1229. 1230. & præsenti non infrequens fit in chartis dicti tabularii archiepiscopalis Ravennatis. Varia statim fuere ipsum inter & Thedericum archiepiscopum concertationum acerrimarum fomenta, nam, cum Gregorius IX. anno antecedenti imposuisset collectam omnibus episcopatibus Italiæ pro tuenda Romana ecclesia contra Friderici imperatoris insultus & defectiones; Philippus autem abbas se a solutione imposita monasterio suo ab archiepiscopo Ravennate subtraheret vigore bullæ ejusdem Romani pontificis, qui Camaldulensia monasteria, utpote sponte pro congregatione sua persolventia, ab episcopalibus taxationibus exemerat, reluctans solvere, excommunicationis vinculo fuit ligatus ab archiepiscopo. Similiter alio censuræ vinculo innodatus fuerat abbas, quia neglexerat [b] debita servitia præstare cardinalibus & cantoribus Ravennatibus in vino & aliis apud ecclesiam sancti Vincentii Ravennæ in vigilia & festo ejusdem ecclesiæ; quæ servitia tamen postea, absolutionem petens & obtinens, sollemni sacramento recepit se de cetero non denegaturum. Accessere querelæ ejusdem archiepiscopi de statu monasterii Classensis, & de jactura disciplinæ monasticæ in eo cœnobio. De qua nil mirabitur, qui statum infelicem horum temporum in urbe Ravenna noverit, „ quando tum bellis externis, tum in„ ternis tota urbs arderet, & circumjacentes invasores dilaniarent, & oc„ cuparent quotidie possessiones & jura ecclesiæ Ravennæ, nec esset, qui „ eos arceret, " ut conqueruntur ad annum 1228. Ravennates in literis scri-

a §. *Electio 9. A. 2. 132.*

b §. *Arch. archiep. Caps. F. 2194.*

scriptis ad Romanum antistitem Gregorium apud Rubeum [a]; ipseque Petrus Traversaria bona monasteriorum, ipsiusque cathedralis ecclesiæ subriperet, omniaque armatis & cædibus repleret. Hinc etiam legimus in tabulario Classensi tempore ejusdem Philippi abbatis destructum fuisse penitus & dissipatum hospitale de Media-pineta, eamdem fortunam experta fuisse hospitale Candiani, & hospitale ipsius monasterii Classis; utique ab invasoribus & a civibus perduellibus vel schismaticis, qui adhærebant partibus sacrilegi imperatoris Friderici. Accusatus pariter fuit Philippus, quod bona monasterii Classensis dissipasset, alio asportasset, vel asportari fecisset. Quibus omnibus aliisque ejus generis commotior in ipsum factus & asperior archiepiscopus Thedericus ad monasterium sancti Apollinaris in Classe se contulit [b], congregatisque in capitulo monachis examen instituit tam super disciplina ejus cœnobii, quam super bonorum dilapidatione, recepitque ab abbate & a monachis sacramentum de manifestanda veritate quoad administrationem dicti monasterii, eo quia in ea re essent diffamati. Inconsulto Guidone priore Camaldulensi [c], Philippum abbatem gradu dejecit, aliaque egit, quæ ad prioris officium spectabant, cui tamen promisit se conservaturum monachos, neque loco pulsurum, dummodo eos redigeret ad normam Camaldulensium institutorum. Deses in ipsa re non fuerat Camaldulensis præfectus, qui cum ea sibi jura competere arbitraretur, ex officio suo anno antecedenti die octava octobris [d] egerat contra eumdem Philippum abbatem, potissimum ratione bonorum, quæ monasterium Classense obtinebat in Ravinniana. Quare ne jura miscerentur, interpellavit Guido Romanum pontificem Gregorium, a quo delegatus fuit causæ judex Matthæus episcopus Castellanus, apud quem uterque tam archiepiscopus, quam prior Camaldulensis procuratores suos elegere, qui coram pontificio delegato causam dicerent. Verum cum Thusciæ antistites omnes, ipseque in primis Matthæus Castellanus episcopus, suspecti haberentur ab archiepiscopo, ac propensiores in Camaldulenses, post multos alios judices postulatos, & vel hinc, vel inde rejectos, Guido prior die decima-septima martii hujus anni convocatis eremitis & monachis, de ipsorum consensu Guidonem monachum procuratorem suum destinavit ad eligendos arbitros, qui concertationes terminarent, sicut etiam Thedericus archiepiscopus una cum choro Ravennatis ecclesiæ elegit Severum cantorem. Ii ergo duo communi concordia die kalendarum aprilis in cathedrali ecclesia Castellana coram Matthæo episcopo statuerunt Rolandum vicarium Camaldulensem & Benedictum monachum Classensem compositores & definitores totius controversiæ, cujus judicio stare deberent, nulla oppositione interposita, tam archiepiscopus quam prior Camaldulensis. Subscripserunt triginta-tres ex monachis & eremitis Camaldulensibus, firmataque fuit iterum subscriptio die tertia aprilis. Demum a prædictis electis arbitris post varias discussiones & conventiones, die vigesima-quarta ejusdem mensis sequens prolatum fuit judicium, quod tum ex autographo Classensi, tum ex altera pagina Rangoniana in medium proferimus.

In nomine patris & filii & spiritus sancti, amen. Nos domnus Rolandus vicarius Camaldulensis & domnus Benedictus monachus Classensis arbitri seu arbitratores & amicabiles compositores electi & assumpti a domino Thederico archiepiscopo & choro ecclesie Ravennatis, & Severio syndico ipsius domini archiepiscopi & chori ejusdem ecclesie Ravennatis ex parte una, & domno G.. priore & fratribus Camaldulensibus ac domno Guidone monacho & syndico predictorum Camaldulensium ex altera, super lite & differentia & di-

Ann. Chr. 1231.

a Pag. 397. Lib. VI.

b Capſ. L. 5240.

c Capſ. L. 5160.

d Arch. Fontisboni §. Mandatum 5. A. 3. 7.

Ann. Chr. 1221.

& discordia, que vertebat inter predictas partes, seu verti poterat super monasterio sancti Apollinaris in Classe & ejus pertinentiis, sicut patet per publicum instrumentum manu Ursi notarii factum, & consensu utriusque partis approbatum. Qui quidem predicti Rolandus & Benedictus arbitratores & compositores, ut dictum est, ut concordium & perpetua materia caritatis inter prefatas partes existant de cetero, Domino largiente, Christi nomine invocato, arbitramur, laudamus atque amicabili compositione diffinimus, ut abbates, qui per tempora fuerint in monasterio Classensi ad regimen ipsius monasterii assumpti, circa principium sui regiminis jurent domino archiepiscopo Ravennati vel choro ejusdem ecclesie, quando archiepiscopatus vacaret pastore, & priori Camaldulensi vel ejus vicario, non vendere, nec distrahere, aut donare terras, possessiones vel bona immobilia ipsius monasterii, vel aliquo modo dominium ipsarum rerum in aliquem vel aliquos alienare, sine licentia dictorum domini archiepiscopi, vel chori, quando sedes archiepiscopalis vacaret, & prioris Camaldulensis, vel ejus vicarii, ut dictum est.

Item, ut predicti abbates cum fratribus ejusdem monasterii, qui per tempora fuerint in dicto monasterio Classensi, annuatim in festo omnium Sanctorum dent & solvant perpetuo pro dicto monasterio dicto domino archiepiscopo Ravennati & ejus successoribus vel eorum nuntiis C. libras vel solidos monete Ravenne nunc currentis pro una refectione, propter quod dictus dominus archiepiscopus & sui successores, perpetuo teneantur dicto priori Camaldulensi & ejus successoribus, qui per tempora fuerint in dicto monasterio Classensi, & ipsi monasterio Classensi dare auxilium & consilium in negotiis ipsius monasterii, sed non contra priorem Camaldulensem vel ejus successores.

Item, quod dictus domnus prior Camaldulensis ordinet monasterium Classense de abbate hac vice de persona tantum, quam voluerit dictus archiepiscopus, ita tamen, quod ex hac ordinatione cum voluntate domini archiepiscopi facienda hac vice tantum, in posterum prejudicium non generetur super ordinatione dicti monasterii priori Camaldulensi vel ejus successoribus. Salvo privilegio facto inter ecclesiam Ravennatem & ecclesiam Camaldulensem super monasterio Classensi & ejus pertinentiis, conventionibus & pactionibus, atque concordio olim habito seu facto inter dictum monasterium Classense ex una parte, & dominos cardinales, & canonicos cantores ex altera super obsequio prandii in festo sancti Vincentii, & reverentie & honoris in suo robore & firmitate nihilominus duraturis. Item quod dominus archiepiscopus Ravennas priori Camaldulensi & fratribus suis dictum monasterium Classense cum omnibus juribus suis & rationibus libere restituat & dimittat. Item quod domnus prior Camaldulensis procuret bona fide & det operam, ut ea, que Philippus quondam abbas dicti monasterii & ejus socii de dicto monasterio asportaverint vel asportari fecerunt, eidem monasterio Classensi restituantur.

Hec omnia & singula arbitramur, laudamus & amicabili compositione diffinimus a fratribus predictis in perpetuum observari, sub pena in compromisso adjecta, & sicut in ipso compromisso manu suprascripti Ursi notarii scripto continetur. Latum est & pronuntiatum hoc arbitrium in palatio domini archiepiscopi Ravennatis, presente ipso domino Thederico archiepiscopo Ravennate, & presentibus dominis Johanne archidiacono & Mauro preposito, & presbytero Alberto cardinalibus sancte ecclesie Ravennatis, Johanne de Bononia & Bonfilio de Guizzolis judicibus, Lanbardano & Luizo de la Rovere, Rigone Ursiulo, Johanne Guizzoli, Blasio Johannis Gallando-

landonis, Roboario & multis aliis testibus. Anno Domini M. CC. XXXI. *die* VII. *exeunte aprili indictione quarta.* ANN. CHR. 1231.

Et ego Artusinus Dei gratia sacri imperii & Ravennas tabellio his omnibus presens fui, & sicut superius legitur, mandato supradictorum arbitrorum scripsi & publicavi.

Die itaque trigesima ipsius mensis [a] Guido prior Camaldulensis auditis votis monachorum Classensium elegit in abbatem ejus monasterii ipsum Benedictum monachum & arbitrum, ac ab archiepiscopo postulatum, tradens ei administrationem cœnobii, sacramentumque recipiens ab electo, quod bona monasterii non alienabit, vel distrahet, inconsultis archiepiscopo & priore; hocque factum fuit præsentibus Manzio præposito, & Alberto cardinali ecclesiæ Ravennatis, qui vice archiepiscopi restituerunt ante dictam electionem monasterium cum omnibus suis juribus & pertinentiis priori. Sicque finita fuit acerrima lis, quæ a duobus fere annis maximo dispendio circa monasterium Classense exardebat inter Thedericum archiepiscopum Ravennatem, & inter Guidonem Camaldulensem priorem. *Die* pariter *vigesima junii* ejusdem anni *indictione* IV. præcepit idem Guido Philippo olim abbati, ut manifestaret libros, instrumenta & singula, quæ in recessu suo a monasterio vel asportaverat, vel aliis concesserat; in iis Decretales scriptæ in quaternis duodecim, Historiale, Decreta, & *unum Coretum* fuere recuperata. Actum apud Fontem-bonum coram Orlando vicario, Massario abbate sanctorum Cosmæ & Damiani, scilicet de Urbe, & Guidone cellerario. Ceterum Fortunius [b] Philippum abbatem Classensem laudat de optima administratione. Sed paucis verbis in multos impingit errores. Ait enim: „ Præeminebat cœnobio abbas Gerardus in„ ventionis sacri corporis sancti Apollinaris tempore, cui successit Bene„ dictus, & illi Philippus. Is decimas sancti Zachariæ multo studio per„ secutus annum Domini circiter 1228. magnam sibi invidiam apud non„ nullos nobiles conflavit, quod male administrasset rem Classensem insi„ mulatus. Sed ille reddita ratione villicationis suæ, summa cum laude „ omnem invidiam superavit. Successit ei Aimerius &c. " Corpus sancti Apollinaris inventum est sub Wilielmo abbate. Wilielmo non Gerardus, sed Berardus suffectus fuit, Berardo Andreas, Andreæ Johannes, Johanni Bernardus, Bernardo Grimaldus, Grimaldo Martinus, Martino Benedictus, Benedicto Johannes, Johanni Philippus. Porro hos omnes omittit præter Benedictum Fortunius. Alios autem abbates Classensi monasterio præsedisse ante Aymerium seu Aymericum videbimus. Ex iis etiam, quæ congessimus, neutiquam summa cum laude invidiam nobilium superasse Philippum colligitur, quem immo gradu dejectum, consentiente ipso priore Camaldulensi, novimus.

a §. *Electio* 12 *A.* 3. 17.

b *P. II. l. II. cap.* 10.

III. Camaldulensibus reformationem monasterii Montis-Christi mandat Gregorius IX.

SCRIPSIT hoc anno Romanus pontifex Gregorius IX. electo Massanensi episcopo se ex certa scientia accepisse monasterium sancti Mamiliani insulæ Montis-christi ad Romanam ecclesiam pertinens, & in Massanensi diœcesi constitutum adeo propter malitiam habitantium in eo esse collapsum, ut removeri mererentur monachi ejus cœnobii incolæ. Qui insuper fame, inedia, aliisque corporeis cruciatibus compulerant cedere regimini Comitem abbatem ejusdem loci, qui ipsos ad regularem observantiam inducere satagebat. Visitationem & reformationem ipsius monasterii se quidem ante hac commendasse abbati sancti Pauli de ripa Arni Pisarum, & priori sancti Donati Lucensis diœcesis, sed nullum ipsos confecisse de monasterii statu, & de monachorum nequitia examen. Quare mandavit eidem episcopo, ut in pristinum gradum restituto abbate, mo-

ANN. CHR. 1231.

nachis vero in aliis monaſteriis collocatis, induceret Camaldulenſes monachos, qui inſtituta ſua ibidem efflorere facerent, volenteſque monachos & converſos ſubdere ſe Camaldulenſium diſciplinæ intra ſepta ejuſdem monaſterii immorari permitteret. Datum Reate VI. *idus maji pontificatus* ſui *anno* V. Eadem ſcripſit *idibus maji* ejuſdem anni Guidoni priori Camaldulenſi, præcipiens inſuper, ut cum fuiſſet requiſitus ipſe ab eodem electo epiſcopo, præfatum cœnobium cum ſuis obedientiis & pertinentiis reciperet, ordinique ſuo aggregaret, reformando ipſum tam in capite, quam in membris juxta inſtituta Camaldulenſia. Simile mandatum receperat anno 1217. ab Honorio III. idem Guido, quod effectu, quantum ſcimus, tunc caruit. Albertum Maſſanenſem epiſcopum vixiſſe anno præterito vidimus. Ipſo cedente vel decedente alter fuit electus hoc anno epiſcopus ejus eccleſiæ. Ughellius [a] nomen ipſius ex G.. Guillielmum forte interpretatur, & ſic adnotatum ſcribit legi in regeſto Vaticano Gregorii IX. epiſtola 109. libri quinti, dum ex canonico electus eſt epiſcopus a clericali ſenatu, & ab eodem Gregorio papa confirmatus anno quinto pontificatus, ſecundo nonas auguſti, Chriſti vero anno 1231. de quo affirmat nil aliud ſe reperiſſe apud quempiam. Ex laudatis literis liquet ipſum electum fuiſſe ante diem decimam maji. Parum tamen ſupervixit, juxta eumdem Ughellium, hic Guilliemus epiſcopus in ſede Maſſana, cum affirmet anno ſequenti aſſumptum fuiſſe ad eum pontificatum Hildeprandum vel Aldobrandinum ex canonico Senenſi, & ex priore Monterii. Verum cum Benvoglientius obſervet legi in libello metropolitanæ eccleſiæ Senenſis *anno Domini* M. CC. XXXI. *indictione* IV. Aldobrandinum canonicum Senenſem & priorem de Monterio electum epiſcopum Maſſarum iviſſe ad ſuſcipiendam poſſeſſionem ejus eccleſiæ, & menſe martio ordinatum fuiſſe diaconum, menſe autem aprili presbyterum ab epiſcopo Senenſi, electus nominatus a Gregorio ſub hoc anno menſe majo erit ipſe Hildebrandus, qui immediate ſucceſſerit Alberto, de quo mentionem fecimus anno præcedenti ad diem 28. decembris, excluſo G.. ſeu Guilielmo gratis adſcito ab Ughellio, cuique nullum ſupereſt inter Albertum & Hildebrandum ſedis Maſſanæ tempus.

Die duodecima ſeptembris [b] Sinibaldus olim Ughetti de ſancta Agatha, poſtea vocatus Anaſtaſius, pro anima donavit inter vivos Guidoni priori Camaldulenſi omnes ſuas poſſeſſiones in ſancta Agatha, in Partificiole, & in Penna, & in Billis, & in Podiale comitatus Feretrani & Bobienſis, & ſe obtulit eidem priori in monachum, promittendo obedientiam juxta regulam ſancti Benedicti & conſuetudinem Camaldulenſem, Juliano notario; ex chartis Fontis-boni [c].

a *T. III. col.* 715.

b *Amiſſæ* 382. *A.* 191.

c *Num.* 26.

ANN. CHR. 1232.

IV. Prohibiti Camaldulenſes eo accedere.

ITERUM hoc *anno* V. *kalendas maji pontificatus* ſui *anno* VI. ex urbe Reate Gregorius Romanus pontifex præcepit Guidoni priori Camaldulenſi, ut perſonaliter accedens ad monaſterium ſancti Mamiliani Montis-chriſti, ipſum cum ſuis ſubjectis cœnobiis & obedientiis ſtuderet congregationi Camaldulenſi aggregare, monachos vero vel converſos ejuſdem monaſterii, qui inſtituta Camaldulenſia aſſumere denegarent, transferret ad alia monaſteria; præſertim quia monachi Montis-chriſti procuratorem ſuum ad Urbem deſtinaverant, qui Romanum pontificem certiorem redderet ſe promptos paratoſque futuros ad quemcumque ordinem recipiendum, quem ipſe mallet, & oblatum Camaldulenſem ordinem libenter jam admiſerant. Acceſſit itaque rurſus Guido, ſpem firmam & tutam habens ſe honorifice receptum iri; ſed ipſum, ejuſque monachos armata manu recipientes monachi

nachi præfati monasterii spoliaverunt, auferrique ab ipso fecerunt literas recentes Romani pontificis ab hominibus insulæ Igilii; quamprropter [a] die duodecima julii anni sequentis in monachos Montis-christi excommunicationis jacula intorsit Guido Camaldulensis præfectus, dirisque devovit præfatos homines Igilienses cum candelis accensis usque ad condignam satisfactionem, dum sacra faceret in ecclesia sancti Frigdiani de Pisis.

ANN. CHR. 1232.

a §. *Monitoriales* 1. *A*. 3. 47.

V. Termini constituti parœciæ S. Blasii de Fabriano.

RAYNALDUS abbas sancti Victoris de Clusis hoc anno efflagitavit a Philippo episcopo Camerinensi, ut terminos constitueret parœciales ecclesiæ sancti Blasii de burgo Fabriani, quam asserebat monasterio suo sancti Victoris esse subjectam; ipsos itaque statuit hoc anno episcopus, diplomate dato VI. *kalendas aprilis* apud monasterium Cryptæ Saxi-latronis. Ut vero definitio parœciæ facta ab episcopo Camerinense robur majus obtineret, ab apostolica sede petiit abbas hujus rei confirmationem. Quare ex urbe Spoletana VII. *kalendas junii pontificatus* sui *anno* VI. Gregorius priorem & clericos ejusdem ecclesiæ sancti Blasii literis datis suo patrocinio communivit, ipsisque auctoritate apostolica confirmavit, quæcumque ab episcopo Camerinensi determinata fuerant. Post terminos constitutos parœciæ sancti Blasii Compagnus abbas monasterii sanctæ Crucis de Tripudio Saxo-ferratensis territorii coram eodem Philippo Camerinensi episcopo institit, affirmando præfatam ecclesiam sancti Blasii spectare ad suum monasterium sanctæ Crucis, ædificatamque fuisse, irrequisito abbate sanctæ Crucis, quare expostulavit cassari omnia, quæ facta fuerant ab abbate sancti Victoris; parochianos quoque tributos ab episcopo ecclesiæ sancti Blasii, & subtractos ab altera ecclesia sancti Nicolai, quæ & ipsa subjecta erat monasterio sanctæ Crucis, petiit restitui debere ecclesiæ sancti Nicolai. Videtur tamen abbas sanctæ Crucis decidisse omnino ex causa, cum deinceps semper pertinuerit ecclesia sancti Blasii ad monasterium sancti Victoris, ipsique confirmata fuerit etiam a Martino V. Romano pontifice. Seculo XV. erecta fuit ecclesia sancti Blasii in abbatialem; adjunctis ei monasteriis sancti Romualdi Vallis-castri & sancti Urbani de Æsinante, ac pluribus ecclesiis & bonis monasterii sancti Victoris de Clusis; ecclesia vero sancti Nicolai est nunc altera ex duabus collegiatis Fabriani. Idem Philippus Camerinensis episcopus electus fuit per hæc tempora arbiter & compromissarius inter Virgilium abbatem monasterii sancti Urbani ad Æsinantem, & inter commune Piri pro tradendo eidem communi castro sancti Urbani, quod erat subjectum præfato monasterio. Sed ipsius compromissum effectum non habuit, & anno tantum 1253. secuta fuit concordia inter Benvenutum abbatem Virgilii successorem & inter dictum commune, de qua eo anno agemus. Successit Philippus in episcopatu Camerinensi Raynaldo, de quo ad annum 1227. Erat e comitibus Sabaudiæ, ipsiusque memoriam ex Lilio ad annum 1228. producit Lucentius in supplemento ad Italiam sacram Ughellii, qui eum prætermiserat in episcopis Camerinensibus.

Jacobus abbas sanctæ Mariæ de Monte-armato, qui commissionem acceperat a Gregorio Romano pontifice anno præterito X. *kalendas augusti* ex Reate, ut querelam factam ab abbate & a monasterio sancti Hippolyti de Faventia ordinis Camaldulensis audiret, qui conquerebantur damna sibi inferri ab abbate sancti Benedicti in Alpe sive de Bifurco, ab hæredibus quondam Alberici comitis, & a quibusdam aliis clericis & laicis Faventinæ, Imolensis & Bononiensis civitatum, sententiam tulit pro monasterio sancti Hippolyti, aliaque judicavit in favorem ejusdem cœ-

ANN. CHR. 1232.

nobii ex Bononia, in clauſtro ſanctæ Mariæ de Turlionibus hoc *anno die veneris* VI. *exeunte maji indictione* V.

VI. Ecc. S. Martini de Prata donata Camaldulenſibus.

FRIDERICUS Concordienſis eccleſiæ epiſcopus voluntate capituli ſuorum canonicorum conceſſit hoc anno *indictione* V. *die prima novembris* locum & eccleſiam ſancti Martini conſtitutam inter caſtra Pratæ & Medunæ ſupra flumina Liquentiæ & Medunæ, juxta ſitum, ubi junguntur flumina ab orientali parte, Jacobo priori ejuſdem eccleſiæ recipienti pro eremo Camaldulenſi & pro Guidone generali priore, liberans eam ab omni diœceſano jure, cum ſolo cenſu unius libræ *Maniſii* annuatim in feſto inventionis ſancti corporis protomartyris Stephani patroni Concordienſis eccleſiæ. Actum in Concordia in choro eccleſiæ ſancti Stephani. *Maniſii* vox prætermiſſa a Cangio & ab ejus continuatoribus, & ſignificare videtur incenſi ſpeciem. Pariter decrevit, ut prior loci quotannis vocatus veniret ad capitulum Concordienſe, ſed non obligaretur ad recipienda ſynodalia præcepta, nec gravaretur aut corrigeretur, cum correctio omnimode pertineret ad priorem Camaldulenſem. Integram donationis chartam exhibemus in appendice ex tabulario Fontis-boni. Fridericus epiſcopus erat ex comitibus Pratæ & Purliliarum, ac diutiſſime eccleſiam Concordienſem adminiſtravit.

VII. Monaſterium S. Adalberti in Pereo datum canonicis Portuenſibus.

MONASTERIUM ſancti Adalberti in inſula Pereo, quod ab Ottone III. imperatore, movente ſancto parente noſtro Romualdo, anno 1000. fundatum fuerat, poſt ducentos & triginta duos annos, quibus aluit monachos diſciplina ejuſdem ſancti patris edoctos, unitum fuit præſenti anno domui canonicorum Portuenſium ſancti Jacobi de Cella-Volana prope Comaclum. Antiqua mentio eccleſiæ ſancti Jacobi habetur in pagina tabularii archiepiſcopalis Ravennæ ſub Gualterio archiepiſcopo ad annum 1122. „ Quinto nonas octobris anni 1228. Alogna Fidei filia, aſſentien„te viro ſuo marchione Henrico, ut tradit Rubeus [a], canonicis ſanctæ „ Mariæ in portu Ravennæ integram partem ſuam inſulæ ſilvæque Vola„næ, & multa præterea in Cymaclienſi alibique ſita dono dederat. “ Acriter & diutius de ea inſula controverſum fuit [b] inter Thedericum archiepiſcopum Ravennatem, & inter canonicos Portuenſes; tandem anno antecedenti octavo idus novembris diviſio facta fuerat inter archiepiſcopum & Henricum marchionem, ac Cellæ-Volanæ Portuenſiſque cœnobii præfectos, ſexta ejus inſulæ parte tradita archiepiſcopo, quam Pompoſiano cœnobio emphyteutico jure locaverat. Monaſterio Adalbertino poſt Johannem abbatem, qui in paginis tabularii archiepiſcopalis Ravennæ [c], & in altera monaſterii ſancti Vitalis electus nominatur ad annum 1199. legitur ad annum 1202. præfuiſſe Andreas abbas. Poſt Andream ad annum 1212. occurrit nomen Petri; ſed tamen Johannis præfati vel alterius nomen in aliis paginis perſeverat ad annos [d] 1202. 1206. 1207. 1219. Ad annum 1224. [e] Falcus electus appellatur, quocum controverſias habuere tum Simeon, tum Thedericus archiepiſcopi Ravennates. Ad annum 1230. [f] abbas nominatur Johannes, quo etiam anno monachi Adalbertini Gregorio IX. Romano pontifici expoſuere damna illata ſuo monaſterio a Johanne abbate; an a poſtremo hujus nominis, an a primo? Ea facile opportunitate, & etiam quia in pluribus de abbate & de monaſterio ſancti Adalberti conquerebatur ſæpius Thedericus archiepiſcopus, cogitatum fuerit de monachis pellendis, & de tradendo cœnobio ad reformandum canonicis Portuenſibus, quorum Cellæ-Volanæ ſancti Jacobi reapſe unitum fuit. Reperimus ſub hoc eodem anno in ipſo tabulario archiepiſcopali [g] dictum The-

a *Lib. VI. pag.* 398.

b *Ibid. pag.* 401.

c *Capſ.* I.4196.

d *Capſ.* I.3916. D.956. D.943. H.3271.

e *Capſ.* E.1477.

f *Capſ.* P.8584.

g *Capſ.* E.1232.

ANN. CHR. 1232.

Thedericum constituisse Bernardum monachum sancti Vitalis procuratorem suum in causa, quæ vertebat inter ecclesiam Ravennatem, & inter canonicam Cellæ-Volanæ super juribus, quæ idem archiepiscopus sibi asserebat pro eodem monasterio sancti Adalberti. De ipso cœnobio iterum ad annos 1234. & 1237.

VIII. Monumenta aliquot Camaldulensia & Avellanensia.

ABBATIBUS monasteriorum sancti Salvatoris de Ficiclo, & sanctæ Mariæ de Adelmo mandavit hoc anno Gregorius papa IX. ut inducerent Ildebrandum episcopum Fesulanum in possessionem ecclesiæ sanctæ Mariæ in Campo, ut scribit Ughellius [a].

Idem *anno pontificatus* sui *sexto* ex Anagnia determinavit numerum sanctimonialium Rosanensium, duodecim nimirum velatarum & sex servientium. Numerum hunc confirmavit *anno primo pontificatus* Clementis V. Neapoleo cardinalis sancti Adriani apostolicus legatus *tertio nonas octobris* in urbe Foro-liviensi. Anno 1228. sub sua protectione monasterium ipsum idem Gregorius receperat. Hæc intelligit de Rosanensibus nostris in Florentino vel Fesulano territorio sitis [b] Ferdinandus del Migliore; Wadingus [c] vero explicat de Rossanensibus sanctimonialibus in Calabria.

Guido prior Avellanensis vendidit præsenti anno ecclesiam sancti Claudii prope Fulginium cum omnibus suis bonis Jacobo Rabuini procuratori Romani pontificis Gregorii pro monialibus Damianistis introductis ab eodem pontifice in vicinum monasterium de Caritate, sive sanctæ Mariæ Vallis-Gaudii Fulginii. Jacobillius [d] instrumentum vidit. Hoc facile anno cesserunt omni juri suo Avellanenses, locumque vacuum sanctimonialibus reliquerunt. Guidonis prioris obitus in necrologio Avellanensi ponitur sub die tertia januarii: *Obiit domnus Guido sacerdos & monachus, & prior eremi.*

In archivo sanctæ Catharinæ de Fabriano extat libellus emphyteusis factus hoc anno a Raynaldo abbate sancti Victoris de Clusis, & a Bono presbytero ac capellano ecclesiæ sancti Paterniani de Claris monacho ejusdem monasterii. Raynaldus, qui & anno 1226. & anno 1231. legitur abbas hujus cœnobii, successor datus fuerat Morico, ipsi vero alter Moricus suffectus fuit anno sequenti.

Die XXVI. novembris octo testes ex parte Benigni prioris monasterii Anglariensis producti fuere, qui asseruerunt, quod tempore Henrici VI. imperatoris patris Friderici II. tunc imperantis, cum Henricus Fassus tamquam comes comitatum Castellanum regebat, semper tradita fuit tertia pars redituum jurisdictionalium, atque judiciorum dicti castri & ejus curiæ prioribus dicti monasterii, exceptis judiciis sanguinis, quæ attestationes publicatæ fuere mandato Uberti judicis in comitatibus Arretino & Castellano pro Gaboardo totius Italiæ pro Friderico imprratore legato. Nominantur etiam comes Albertus de Stoffolis, & potestates Anglarienses, qui locum rexerant per sexaginta annos. Legatus imperialis in alia charta Senensi hujus anni appellatur Gaybardus de Arnesten [e] apud Muratorium.

Rigo olim Vicedomini *de porta foris Aretium* donavit eremo Camaldulensi jus-patronatum ecclesiæ & hospitalis de Petia cum aliquot bonis positis in villa Letarcle, ubi ecclesiam sancti Martini obtinebant Camaldulenses.

Orlandinus vero de Valenzano hoc anno emit pro monasterio sancti Clementis de Arretio domum & plateam prope ecclesiam sancti Juliani, quæ una cum eodem sancti Clementis cœnobio juris manualis erat abbatiæ Prataliæ, ut constat ex electionibus rectorum ejusdem ecclesiæ

factis,

[a] T. III. col. 251.
[b] Zibad. mss. p. 97.
[c] Ann. T. II. p. 310.
[d] T. III. pag. 349.
[e] Antiq. med. ævi T. IV. col. 484.

factis annis 1276. & 1296. quæ supersunt in tabulario Fontis-boni.

Ann. Chr. 1232. IX. Antonius de Padua adscribitur Sanctorum canoni.

Inter ceteros qui ab episcopo, potestate & a populo Paduano cum literis supplicibus missi fuere hoc anno ad Romanum pontificem Gregorium IX. pro flagitanda canonizatione sanctæ memoriæ Antonii Patavini, qui in ea urbe ad cœlum evolaverat die XIII. junii anni antecedentis, recensentur Gregorius prior sanctæ Mariæ de Monte-crucis, qui eo officio fungebatur jam ab anno 1216. & Spinabellus monachus, qui ex chartario nostro sancti Michaelis de Muriano erat monachus sanctæ Mariæ Porciliæ de Padua. *Anno* M. CC. XXXIII. *domnus Compagnus prior ecclesie sancte Marie de Porcilia de voluntate Prosdocimi, Castellani, Basilii, Johannis, Francisci presbyterorum, Acerbi, Benedicti clericorum, & Spinabelli* &c. *diaconorum* &c. *locat* &c. Eadem monachorum nomina leguntur & ad annum M. CC. XXXIV. Ipsos memorat idem Romanus pontifex in literis ad eosdem episcopum, potestatem & populum ex Spoleto scriptis *kalendis junii pontificatus* sui *anno sexto*, quibus declarat se maxime sollicitum de adscribendo Antonio Sanctorum canoni. Eas literas haud editas a Wadingo, quas humaniter ad nos transmisit Brunatius noster, hic libenter publici juris facimus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo & dilectis filiis .. potestati & populo Paduano salutem & apostolicam benedictionem. Literas, quas per dilectos filios G.. priorem sanctæ Mariæ de monte Crucis .. archidiaconum J.. canonicum, fratrem Gerardum, & fratrem Spinabellum, ac nobiles viros Squinellam & Ubertum comites, Paschalem & Carolum Paduanos nuntios vestros vestra nobis devotio destinavit, paterna benignitate recepimus, & tam ipsarum seriem, quam ea, quæ nobis duxeritis humiliter supplicandum, ut cum Dominus tantam sanctæ memoriæ beato Antonio contulerit gloriam, ut ad dandam scientiam primæ stolæ felicis immortalitatis illius, & certum judicium de secunda, sepulcrum ejus tot & tantis det coruscare miraculis, quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia est indignum, ipsum Sanctorum catalogo ascribere curaremus. Nos, etsi Romana ecclesia in tam sancto negotio non sic subito, sed cum gravitate & maturitate plurima consueverit procedere hactenus, tamen sinceræ fidei vestræ zelum & devotionem, quam ad nos & eamdem ecclesiam habere noscimini, attendentes, ad confundendam hæreticam pravitatem, & fidem catholicam roborandam, ipsum catalogo Sanctorum de fratrum nostrorum consilio, & omnium prælatorum apud sedem apostolicam existentium duximus adscribendum. Volentes igitur, ut civitas Paduana, quasi lucerna super candelabrum posita lumen præbeat aliis per exemplum, universitatem vestram rogamus, monemus attentius & hortamur, ac in remissione vobis injungimus peccatorum, quatenus in timore divini nominis, & amore ac devotione apostolicæ sedis immobiliter persistatis. Nos enim cum vos geramus in visceribus Jhesu Christi, ad honorem & profectum vestrum libenter, quantum cum Deo poterimus, intendemus.

Datum Spoleti kalendis junii pontificatus nostri anno sexto.

In necrologio monasterii sanctæ Mariæ Carcerum adnotatur sub hoc anno ad diem XXIV. februarii *consecratio altaris sancti Blasii.*

Ann. Chr. 1233. X. Lites eremi Camald. cum priore S. Margaritæ de Tosina.

Finis impositus fuit hoc anno acerrimæ & diuturnæ concertationi, quam pro servandis juribus Camaldulensis eremi substinuerat Guido prior contra Henricum plebanum Pomini, & priorem simul ecclesiæ seu canonicæ sanctæ Margaritæ de Tosina, qui detrectabat subjectionem debitam eidem priori. Die XXIX. *julii anni* M. CC. XXXI. examen pro-

processumque instituerat Guido contra eumdem Henricum, ipsumque strinxerat, ut in conspectum suum daret scripturas omnes spectantes ad dictum prioratum, rationemque redderet suæ administrationis. Renuentem parere Henricum amoverat ipse prior ab administratione spirituali & temporali canonicæ; canonici vero & conversi ipsius ecclesiæ ultro obedientiam & subjectionem præstiterant juxta instituta Camaldulensia coram pluribus testibus. Depositus Henricus impetraverat a Gregorio IX. ex urbe Reate *anno* v. sui *pontificatus*, scilicet ante biennium *die* XXVI. *septembris* breve directum abbatibus sanctæ Mariæ de Florentia, & Cunei Volaterranæ diœcesis, qui postremus erat congregationis Vallis-umbrosanæ, ut de jure decernerent in hujusmodi causa. Dicti abbates subdelegarunt Pillium plebanum Legrensem, qui *die* XI. *octobris* ejusdem anni notam fecit Guidoni priori Camaldulensi suam subdelegatam commissionem, quam receperat. Definivit Pillius, stetitque pro Henrico priore Tosinæ; quare *die* XXIX. ipsius *mensis indictione* v. mutata septembri per Benedictum sindicum appellavit Guido ad sedem apostolicam. *Die* XI. *martii anni* M. CC. XXXI. sed more Florentino, hoc est communi M. CC. XXXII. sententiam suam retractavit Pillius plebanus, & nullam declaravit, partesque audire se paratum professus fuit. Verum per appellationem Guidonis res delata fuit ad Simonem presbyterum cardinalem tituli sancti Laurentii in Lucina, cui Romanus pontifex examen causæ injunxit. Hic priorem Tosinæ ad diem dicendam evocavit, qui præsentiam suam subtraxit. Quare literas dedit Simon cardinalis ad Ardingum episcopum Florentinum, quatenus Henrico terminos statueret quindecim dierum, quibus ad suam præsentiam accederet; alias ad judicium & ad litis decisionem se venturum pronuntiavit. *Quarto nonas decembris* ipsius *anni* M. CC. XXXII. *indictione* VI. similiter mense septembri mutata, literas episcopi Florentini sigillo munitas Henricus recepit, quo tamen renuente comparere, demum causa ex integro definita fuit pro Guidone priore Camaldulensi a Simone cardinali & legato.

Ann. Chr. 1233.

Porro Guido volens eidem canonicæ providere de viro idoneo capitulum indixit, ut ad novam monachi & canonici electionem devenirent. Electus fuit in ejus ecclesiæ priorem Julianus canonicus Pistoriensis & plebanus Carmignani. Verum Guido prior Camaldulensis, ad quem electionis confirmatio de jure spectabat, eam minus canonicam, neque juxta formam concilii generalis esse deprehendit; idcirco *die tertia septembris* hujus anni scripsit eidem Juliano, quatenus intra decem dies Florentiam ad monasterium sancti Salvatoris Camalduli ejusdem urbis se conferret, ubi ageretur de ejus secuta electione. Expensa ad canones reperta fuit deficiens, quare irrita declarata est, coram Fede priore sancti Stephani de Florentia, Pulliesco priore sancti Jacobi, & Donato priore monasterii Camalduli de Florentia aliisque; iterumque communicato prius consilio cum Ardingo episcopo Florentino aliisque probis viris *die* XXIII. *septembris* elegit Guido Albertum Corsini a Gangalandi canonicum sancti Martini ejusdem loci, ipsi sollemnem possessionem tribuens ecclesiæ sanctæ Margaritæ, & imperans canonicis & conversis loci ipsius, ut Alberto obedientiam præstarent, sicut ipsi Guidoni sacramentum obedientiæ & subjectionis præstitit idem Albertus. Fasciculus chartarum hujus litis adservatur in tabulario monasterii sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia, cui unita fuit canonica sanctæ Margaritæ, dicta modo de Borsellis, a numero 99. ad 113.

XI, Aliæ acriores cum ep. Bononiensi.

HENRICUS episcopus Bononiensis gravabat monasteria Camaldulensia, & una

Ann. Chr. 1233.

& una cum magistro Tancredo archidiacono capituli sancti Petri ejusdem Bononiensis urbis jus sibi vindicabat eligendorum rectorum in ecclesiis subjectis monasterio sancti Michaelis de castro Brittorum. Decimas etiam possessionum & terrarum repetebat, quas idem cœnobium obtinebat in plebatu sancti Petri Bononiensis urbis, & in altero sancti Petri de Medicina. Idipsum requirebat a monasterio sancti Damiani sito ad pontem ferri in civitate Bononiensi, ab asceterio sanctæ Christinæ de Septem-fontibus, a monasterio similiter monialium sanctæ Mariæ de Bethleem, ab eremo Bononiensi de Burellis, & ab hospitali sanctæ Mariæ de Ravone; quæ tamen monasteria privilegiis pontificiis & imperialibus nullo mediante, nisi solis eremo & priore Camaldulensi, pleno jure pertinebant ad apostolicam sedem. Asserebat e contra episcopus id sibi juris competere partim de jure communi, partim ex aliis privilegiis plebi sancti Petri concessis a Romanis pontificibus. Reapse [a] Alexander papa III. anno 1159. & Urbanus III. anno 1187. confirmaverant capitulo Bononiensi, & subjectas declaraverant plebatui de Medicina ecclesias sanctæ Mariæ in Garda & sancti Johannis in Fontana, quæ ad monasterium sancti Michaelis spectabant, & ab abbate ejus loci de rectoribus providebantur. Quare etiam super postremas has ecclesias jura spiritualia sibi arrogabat episcopus, & una cum capitulo canonicorum plurimum negotii diutius & acrius facessiverat præfatis monasteriis. Die prima martii [b] hujus anni induxit Bonifacium abbatem sancti Michaelis, qui Ugiccioni successerat, & quosdam ipsius monachos ad sponsionem octo corbium frumenti solvendarum capitulo pro decimis, & ad cedenda jura spiritualia in prædictas ecclesias archidiacono & capitulo Bononiensis ecclesiæ. Expostulavit statim Guido prior Camaldulensis, suaque jura lædi conquestus est; ac die quarta [c] ejusdem mensis per Bencivennem sindicum suum coram episcopo appellavit ad sedem apostolicam, graduque movit, qui facile cesserat episcopi suasionibus, Bonifacium abbatem. Verum cum hic die sexta ipsius mensis [d] apud eremum Bononiensem palam confessus fuisset se subjectum esse correctioni prioris Camaldulensis, & monasterium suum tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia teneri parere ejus institutis & legibus, die nona ab excommunicatione fuit absolutus, & iterato administratione monasterii donatus. Sollemnius subjectionem suam testatus fuit abbas die decima-tertia julii, promittens eidem Guidoni se non daturum instrumenta & jura sui monasterii, nec consilium aut favorem præstiturum episcopo Bononiensi contra monasterium, nec contra eremum Camaldulensem, iterumque spopondit priori obedientiam, & prior regimen dictæ abbatiæ ei confirmavit, remisitque omnes offensas & injurias. Nihilo tamen secius vel turbæ novæ exortæ fuerint in monasterio sancti Michaelis, vel episcopus abbatem & monachos acrius arctaverit, mensis decembris die decima-tertia [e] iterum depositus fuit Bonifacius, & de voluntate monachorum eadem die electus loco ipsius in abbatem dicti monasterii Henricus abbas sancti Michaelis Pisarum. Quid plura? Cum etiam Henricus [f] noviter electus tractatus haberet cum episcopo in damnum monasterii, & in præjudicium jurisdictionis eremi Camaldulensis, diris devotus fuit & ipse una cum suis monachis a Benedicto vicario Camaldulensi sollemniter cum candelis accensis die quarta-decima januarii anni sequentis. Loco motus etiam prior eremi Bononiensis [g], qui episcopo favebat, & in ipsius locum suffectus Bonus major claustri Fontis-boni. Quæ demum compositio secuta fuerit Henricum episcopum inter & Guidonem priorem Camaldulensem ignoramus chartarum defectu; illud unum scimus insigne

olim

a Ex cod. dell' Asse capit. Bon. pagg. 15. 18.

b Ibid. pag. 152.

c §. Appellatio 6. A. 3. 61.

d §. Promissio 7§. A. 3. 48.

e §. Electio 13. A. 3. 54.

f §. Monitoriales 1. A. 3. 66.

g §. Electio 14. A. 3. 53.

olim monasterium sancti Michaelis antiquum suum splendorem præsertim amisisse intra paucos annos, & demum etiam congregationi Camaldulensi fuisse hoc seculo subtractum, ut fusius dicemus suo loco. Ugiccio etiam olim abbas dicti monasterii ad regendam ecclesiam sanctæ Mariæ in Garda de Medicina fuerat destinatus. Tancredus demum archidiaconus Bononiensis celeberrimus erat ea tempestate juris canonici interpres, & auctor quintæ collectionis Decretalium, quæ continet constitutiones Honorii papæ III. & fuit edita anno 1645. ad Innocentio Cironio Tolosæ.

ANN. CHR. 1233.

XII. Monast. S. Cosmæ de Urbe datum & ablatum Camaldulensibus.

PRÆSENTI anno *millesimo ducentesimo trigesimo tertio* Gregorius IX. Romanus pontifex tradidit Clarissis monasterium sancti Cosmæ in Mica-aurea, quod erat situm in regione Transtiberina. Ipsum antea tradiderat incolendum Camaldulensibus, verum cum innocenter Guido prior Camaldulensis coloniam ibidem traduxisset monachorum, qui minime attenta amplitudine Urbis, in qua vivebant, parumque cordi habentes regularem observantiam, opprobrium potius quam decus pariebant Camaldulensi nomini, optimum factu putavit sapientissimus pontifex ipsos monachos loco nuper adepto privare, & substituere Clarissas, quæ extrema rerum paupertate gravatæ, honestate vitæ tamen toti orbi prælucebant. Conquestus fuit ea de re apud summum pontificem Guido prior Camaldulensis; verum literis ratione plenis, simulque dilectionem & æstimationem, quam de ceteris Camaldulensibus monachis & eremitis alebat, indicantibus, idem supremus ecclesiæ hierarcha animum Guidonis sedavit. Eas literas ex ipsius regesto anni VII. integras subjicimus [a].

a Pag. 232.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & fratribus eremi Camaldulensis & monachis Fontis-boni salutem & apostolicam benedictionem. Quia illos vere diligimus, quorum patienter ineptias non portamus, & sanitas in toto non læditur, cum subortis in parte languoribus obviatur, non est, in quo vestra caritas offensam reputare se debeat, si nostræ dilectionis affectus vobis adversantia non acceptat, si Camaldulensis ordinis decus obfuscari non patimur, si virtutes vestras perfectius æmulantes vitiis indignamur. Nam & Deus omnipotens a principio lucem communicare tenebris non perpessus, durum vibravit in Angelorum pravitate judicium, sed unde pars reproba corruit, inde confirmata, quæ non peccaverat, exultavit. Hominum quoque delinquentem protinus correxit originem, & eorum, cum quibus esse delicias reputat, culpas sine pœnitentia non relaxat. E contra vero Jerusalem, quam repulerat, jam non irascitur, nec ejus adulteriis ac fornicationibus adversatur. Et cum Pharao post desideria sui cordis ire dimittitur, occulto sed metuendo judicio per eum, e quo relinquitur, induratur. Non est igitur adversum nos juxta vobis occasio murmuris super hiis, quæ de monasterii sancti Cosmæ negotio retulistis, quod ea nunc intentione subduximus, qua vobis antea dederamus. Volentes enim decori vestro procurare virtutem, in optimo Urbis solo curavimus vestræ vitis plantare propaginem, quæ correcta regularis falcibus disciplinæ, ac alligata nexibus præceptorum, uberes perseverantiæ luxuriaret in palmites, frondes produceret honestatis, botros dulcedinis ederet, & vinum jocunditatis communi expectationi & desiderio propinaret. Sed personæ, quas ibidem innocentiæ vestræ pace servata, minus provide direxistis coram apostolica sede, Urbis multitudine vel Orbis ad Romanam curiam confluentis monasticæ religionis odorem fœtere fecerunt, plus scandali, plus horroris & tristitiæ suscitantes, quam illaturi nobis ædificationis, suavitatis & gaudii putabantur. Nullis igitur nisi vestris id, quod secutum est, imputetis, quia nos ex dispensatione divina facti judices omnium, in scandalum multitudinis errata tueri

Ann. Chr. 1233.

non possumus aliquorum. In ceteris vero congregationis vestræ negotiis sedem apostolicam consueta fiducia requiratis, ex eo potius nos credentes in priori circa profectus & affectus vestros proposito & caritate persistere, quo memoratas injuriarum causas festinavimus amputare; quia impunita temeritas prædictorum nimis in dolorem nostrum, scandalum plurimorum & vestrum crevisset opprobrium, si non esset ei taliter obviatum. Datum Laterani III. *nonas julii anno septimo.*

Monasterium sancti Cosmæ de Urbe aliquo tempore incoluisse Camaldulenses notum habemus etiam ex charta tabularii Fontis-boni, *quo anno* M. CC. XXXI. *die undecima aprilis indictione* IV. Guido prior Camaldulensis *pro utilitate ipsius divine domus*, hoc est Camaldulensis, *& nominatim pro solvendis debitis monasterii sui sancti Cosme de Urbe*, confessus fuit se mutuo recepisse a Matthæo Cavalchæ libras centum quinquaginta denariorum Pisanorum. Massarium pariter olim abbatem sanctorum Cosmæ & Damiani de Urbe testem in quadam charta tabularii Fontis-boni contra Philippum abbatem Classensem protulimus ad annum 1231.

Eodem anno ipse Romanus pontifex *duodecimo kalendas novembris pontificatus* sui *anno septimo* ex Anagnia indulsit monasterio sancti Zenonis urbis Pisanæ, ne de cetero per literas apostolicas compelleretur provisiones præstare, nisi specialiter mentio de ipso in iisdem fieret, ut legitur in regesto anni septimi epistola 323.

XIII. Chartæ spectantes ad plura monasteria Camald.

Thedericus archiepiscopus Ravennas hoc anno *kalendis maji indictione* VI. investivit Guidonem abbatem sanctæ Mariæ in Vangaticia & tres ejus successores de bonis ecclesiæ Ravennatis constitutis in territorio Gavellense. Successerat Guido in abbatia Vangaticiensi Orlando post annum 1228.

Jacobus episcopus Paduanus elegit *decima die exeunte septembri* hujus anni Petrum Bonum monachum monasterii sancti Benedicti de Padua in priorem & rectorem monasterii & loci sanctæ Mariæ de Orbisio, quæ ecclesia ad ipsum episcopum spectabat, pro eo quod in dicto loco non erat collegium sive conventus, mandans Philippo archidiacono in montanis, ut ipsum Petrum Bonum in possessionem immitteret. Ipsa tamen ecclesia de Orbisio una fuit ex illis, quæ hoc seculo peculiarem congregationem monachorum alborum constituerunt, quæque tandem seculo sequenti eremi Camaldulensis disciplinam amplexa est. Instrumentum hocce exscriptum fuit *anno* M. CC. LXXIV. *indictione secunda die lune*, *sexto exeunte martio*, consentiente Rolandino de Canossa Paduano potestate.

Benvenutus abbas sancti Urbani de Æsinante libellum emphyteusis concessit hoc anno Matthæo priori ecclesiæ sanctæ Mariæ de Serra positæ in Æsina diœcesi, prope quam ædificatum erat Camaldulense monasterium.

Cum conquesti fuissent monachi sancti Savini territorii Pisani plebanum de Tojano & quosdam alios clericos & laicos Pisanæ, Florentinæ & Lucanæ civitatum molestias inferre eorum possessionibus, decimis, mortuariis & redditibus, Gregorius Romanus pontifex hoc *anno* ex Anagnia XIII. *kalendas novembris pontificatus* sui *anno* VII. mandavit præposito sancti Georgii Lucanæ urbis cognitionem hujusmodi causæ.

Eodem anno *temporibus Gregorii pape* IX. *& domini Frederici imperatoris die* XIV. *exeunte novembri indictione* VI. Martinus Æsinus canonicus vicem agens Severini Æsini episcopi, & Montenarius vice Raynaldi abbatis sanctæ Mariæ de Plano, quibus episcopo & abbati causam commiserat Gregorius Romanus pontifex V. *idus julii pontificatus* sui *anno* VII. judicarunt de querela abbatis & monasterii sancti Victoris de Clusis, quibus qui-

quidam presbyteri & milites, & quidam alii Æsinatis & Camerinensis diœcesis injurias inferebant. Judicarunt pariter causam inter præfatum monasterium & inter Moricum clericum ecclesiæ sancti Petri de Vimbricellis, qui detinebat res mobiles & immobiles ejusdem ecclesiæ. Verum quia Moricus suspectum habebat Severinum Æsinum episcopum & Raynaldum abbatem sanctæ Mariæ de Plano, quia hic prius fuerat abbas monasterii sancti Victoris, eidem Morico præceperunt iidem judices, ut compareret coram abbate sancti Savini & Jacobo priore sanctæ Crucis, & coram priore sancti Benedicti de Serradiliosis, qui recusationem ipsius, an recta esset, cognoscerent. Quod quidem cum facere detrectasset Moricus, & renuisset novorum judicum sistere se præsentiæ, decreverunt hi Bonum sindicum monasterii sancti Victoris de Clusis mittendum esse in legitimum dominium præfatæ ecclesiæ sancti Petri, præcipientes Gerardo presbytero ecclesiæ sanctæ Mariæ in Campo, ut ipsum in possessionem induceret.

Bertholdus Aquilejensis patriarcha permisit hoc anno *die duodecimo exeunte junio* Oddoni episcopo Feltrensi & Bellunensi ac comiti, ut concederet de bonis sui episcopatus Bellunensis latifundia monasterio sancti Gervasii de Belluno. Quare *die decima-sexta octobris* idem Oddo consensu canonicorum suorum donavit Salomoni priori ejus domus & ecclesiæ ac fratribus & sororibus, qui eo in loco Domino deserviebant, plura prædia & decimas ad ipsorum liberam voluntatem; sin vero desierit is locus esse regularis, tunc voluit, ut dicta bona reverterentur ad episcopatum. Utramque paginam proferimus ex tabulario ejusdem parthenonis.

Ex commissione Gregorii papæ facta fuit hoc anno taxatio procurationum solvendarum legatis apostolicis a Johanne priore monasterii sancti Galgani, & ab abbate sancti Salvatoris de Spongia, præsentibus Ardingo episcopo Florentino, Guidone priore Camaldulensi, Bartholomæo abbate sanctæ Mariæ de Florentia aliisque. Inter cetera monasteria imposita fuit collecta abbatiæ de Camaldulis, abbatiæ de Candiculis, monasterio Montis-muri, parthenoni sancti Petri de Luco, alteri de Rosano, & monasterio sancti Johannis de Prato-veteri, & monasterio de Poplena & canonicæ sanctæ Margaritæ de Tosina, quæ erant in episcopatibus Florentino & Fesulano Camaldulensibus subjecta. Sic pariter taxata fuere monasteria Vallumbrosanorum, Nigrorum aliaque, ut fuse legitur in chronico abbatiæ Florentinæ apud Puccinellium [a].

XIV. Belæ regis Hungariæ privilegium pro monast. Ravennate S. Petri in Vincula.

Bela Hungariæ rex & filius Andreæ regis novo privilegio auxit hoc anno monasterium sancti Petri ad Vincula Ravennatis territorii, quod extructum fuerat a sancto Stephano primo Hungarorum rege. Ipsum ex Rubeo [b] hic subjicimus: *Bela Dei gratia Rex primogenitus regis Ungariæ omnibus præsentem paginam inspecturis salutem in salutis omnium auctore. Ad universorum tam præsentium, quam posterorum notitiam tenore præsentium volumus pervenire, quod cum dominus pater noster Andreas illustris rex Ungariæ donationem & pium statutum sancti Stephani regis Ungariæ, quod fecerat ecclesiæ sancti Petri ad Vincula in territorio Ravennæ, per adjutorium ejusdem Sancti, ad consilium sancti martyris Gerardi tunc Morisiensis episcopi, quod modo nos Canadinum vocamus, constructæ & per manus dicti martyris Gerardi auctoritate sedis apostolicæ consecratæ, secundum quod per singulos annos tam a camera ipsius regis sancti, quam omnium successorum suorum regum Ungariæ pro tempore regnantium* XXV. *marchas puri argenti pro fracturis dictæ ecclesiæ reparandis ædificiorum, & indumentis fratrum sunt, competentes expensas in eundo & redeundo factas, præfatæ ecclesiæ abbas, vel certus ejus nuncius percipiat, ratum & firmum ha-*

a *Pag.* 262.

b *Lib. VI. pag.* 405.

ANN. CHR. 1233. *habuerit, ac privilegium suum, aurea scilicet bulla confirmaverit, nos ad petitionem ac mandatum praenominati patris nostri huic tam laudabili statuto gratum praebentes assensum, hoc idem per praesens nostrum privilegium confirmamus: Statuentes insuper quemadmodum ipse pater noster statuit, quod si praedicti loci abbas vel ejus nuncius annuatim pro recuperanda pecunia non venerit, quocumque postmodum anno venerit, tam illius anni, quam aliorum, in quibus soluta non fuerit, insimul & sine diminutione percipiat. Ut igitur nostrae confirmationis series salva semper & inconcussa permaneat, nec processu temporis in irritum revocari possit, in ampliorem fidem & cautelam praesentem concessimus paginam sigilli nostri in perpetuum munimine roboratam, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio. Datum per manus Mathiae Zagabriensis praepositi aulae nostrae cancellarii, Ponsa magistro Tavareucorum, Andrea filio Seraphim dapiferarum, Ponsa filio Ssoulum agasonum, Belud filio Osliae pincernarum magistris existentibus, Dionysio filio Dionysii Vermanica Transilvano existentibus, & aliis quampluribus magistratus & comitatus tenentibus.* Abbas dicti monasterii post biennium erat Petrus ex monumento ad eum annum referendo.

XV. De Martino monacho Avellanensi & episcopo.

OBIISSE praesenti anno die ultima februarii Martinum doctum monachum Avellanensem, factum episcopum Arretinum anno 1225. affirmat Jacobillius. Quot verba, tot errores. Martinus electus fuit episcopus Arretinus ex praeposito ejus ecclesiae anno 1213. obiit vero anno 1236. Quare ad alium Martinum alteriusque ecclesiae episcopum pertinet obitus relatus in necrologio Avellanensi ad eam diem, qui fuerit antea monachus ejus monasterii: *Obiit domnus Martinus episcopus & monachus nostrae congregationis.*

In parvo necrologio monasterii sanctae Mariae ad Carceres ponitur sub eodem anno decessus Johannae comitissae & uxoris marchionis Azzonis ad diem decimam-nonam novembris.

ANN. CHR. 1234. XVI. Bullae Gregorii IX. ad hunc annum spectantes.

FACULTATEM fecit hoc anno *die vigesima-prima januarii pontificatus* sui *anno septimo* ex Laterano Gregorius IX. Guidoni priori Camaldulensi impendendi beneficium absolutionis juxta formam ecclesiae monachis suis ac conversis, qui violentas manus injecissent, dummodo prius violentiam passis satisfecissent; mitterentur tamen absolvendi ad sedem apostolicam ii, qui graviter & enormiter in ea flagitia incurrissent. Copiam pariter fecit expiandi detentores proprii, vel transgressores obedientiae, & conspirationis reos, simoniacos quoque, & eos, qui hujusmodi vel aliorum criminum labe infecti sacros recipere ordines, vel divina officia celebrare praesumpsissent; scientes tamen & audentes celebrare per biennium ab ordinum exercitio suspenderentur, injuncta ipsis interim salutari poenitentia. Mandavit quoque, ut monachorum peculia in manibus ipsius prioris resignarentur in utilitatem ecclesiae Camaldulensis convertenda. Saepius repetitae fuere a subsequentibus Romanis pontificibus hujus generis facultates prioribus Camaldulensibus, quae communes tunc temporis erant aliis rectoribus congregationum monasticarum, & etiam mendicantium.

Quinto kalendas februarii ejusdem anni ex eodem loco scripsit abbatibus & prioribus subjectis disciplinae eremi & congregationis Camaldulensis, ut subsidiis relevarent ecclesias Fontis-boni & eremi, quae erant onere aeris alieni praegravatae, auxiliumque & opem eorum matri praestarent.

Ea ipse die eidem priori Guidoni potestatem contulit visitandi omnia

monasteria sui ordinis, quæ subjiciebantur pleno jure congregationi, ibidemque providendi, instituendi, & destituendi prælatos, monachos corrigendi, ceteraque faciendi, quæ sibi bona visa fuerint, districte inhibens episcopis aliisque ecclesiasticis viris, ne omnino auderent impedire ipsius regulares provisiones. Ann. Chr. 1234.

Ex Spoleto *decimoquinto kalendas septembris* scripsit abbati sancti Mercurialis Foro-liviensis urbis, archipresbytero sancti Petri de Galeata, & præposito ecclesiæ Foro-popiliensis, ut arbitrium latum olim, nempe anno 1231. a Rollando vicario Camaldulensi, & a Benedicto monacho Classensi in causa, quæ viguerat inter Thedericum archiepiscopum Ravennatem & inter Guidonem priorem Camaldulensem coram Matthæo episcopo Castellano super monasterii sancti Apollinaris in Classe ejusque pertinentiarum dispositionem, facerent inviolabiliter ab utraque parte observari, ne discordiæ semina iterum pullularent. Varias sedes mutabat sanctissimus pontifex coactus urbem deserere ob multiplices vexationes, quas a senatu & a populo Romano patiebatur per hæc tempora.

Octavo autem *kalendas novembris pontificatus* sui *anno octavo* ex Perusio Philippo Volaterranæ urbis sancti Petri in Silice priori dedit in mandatis, ut querelam cognosceret abbatis & monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum, qui expostulaverant cœnobium suum pati molestias ab abbate sancti Viti, a Bonaccurso, a Cane milite, & a quibusdam aliis clericis & laicis Pisanæ, Lucensis & Volaterranæ diœcesum. Inter cetera quoque tulit sententiam idem prior, ut presbyter Abbas, qui erat capellanus ecclesiæ sancti Jacobi de Mercato-Pisano, annuatim in festivitate sancti Michaelis tempore, quo cantabatur Missa major, propriis manibus in signum subjectionis & agnitionis juris-patronatus dicti monasterii poneret super altare sancti Michaelis tres libras ceræ novæ, & abbatem dicti cœnobii teneret in omnibus & perpetuo admitteret in patronum suæ ecclesiæ. Lata sententia *kalendis decembris indictione nona*, hoc est anno sequenti, & mutata indictione mense septembri.

Ex eadem urbe *nonis octobris* Gratiadeo Berlingherii Pistoriensi episcopo sequentes dedit literas pro monasterio sancti Savini ejusdem Pisani territorii, quas ex codice membranaceo cœnobii sancti Michaelis ipsius urbis proferimus. XVII. Idem monasteria apostolicæ sedi subjecta eximit a subsidiis erogandis.

Gregorius episcopus servus servorum Dei ven. fratri .. episcopo Pistoriensi salutem & apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum .. abbatis & conventus sancti Savini Camaldulensis ordinis Pisanæ diœcesis recepimus continentem; quod cum olim ven. fratri nostro .. archiepiscopo Pisano duxerimus indulgendum, ut prælatos suæ civitatis & diœcesis ad præstandum sibi subsidium ad debita persolvenda, quibus propter expensas, quas ad sedem apostolicam fecisse dinoscitur, dicitur obligatus, auctoritate apostolica cobarctaret, idem occasione hujusmodi ad ipsos, qui nobis dicuntur immediate subesse, manus extendens, eos ad præstandum sibi hujusmodi subsidium nititur cogere, & quasi jure censeantur eodem, suis conatur subditis adæquare. Verum cum nostræ intentionis non fuerit, ut ab illis, quos ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinere dinosceret, ipse præfatum subsidium postularet, eidem nostris literis damus in mandatis, ut, si est ita, a prædictis abbate & conventu nominatum subsidium occasione hujusmodi non requirat; ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si rem inveneris ita esse, dictum archiepiscopum ad id auctoritate nostra appellatione remota prævia ratione compellas.

Datum Perusii nonis octobris pontificatus nostri anno VIII.

LEGI-

Ann. Chr. 1234.

XVIII. Res ad varia Camaldulensia monasteria facientes.

Legimus apud Angelum Manriquez [a] eumdem Romanum pontificem *anno pontificatus* sui *octavo die* XXVI. *junii* ex Reatina urbe concessisse ordini monachorum Cistercensium & magistro Petro veterem abbatiam nostram sancti Salvatoris Montis-acuti dioecesis Perusinæ ad reformandum, ac dilargitum fuisse indulgentias monasterium & ecclesiam reficientibus. In amplissimo bullario patrum Prædicatorum anno 1237. [a] quidam divinitus inspirati elegerunt regularem suscipere habitum in dicto monasterio, & spoponderunt se daturos possessiones & latifundia pro construendo alio monasterio in urbe Perusina, in quod se reciperent uxores filii & consanguinei eorum.

a T. IV. cap. 10. §. 8. & 10.

Hoc etiam anno *indictione* VII. idem Gregorius Almericum abbatem monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia delegavit judicem in causa, quæ vertebat inter cœnobium sanctæ Mariæ foris portam ejusdem urbis, & inter aliquos clericos.

Mense martio hujus anni *indictione* VII. Ugolinus abbas monasterii sancti Benedicti in Alpibus, præsente & consentiente Alberto Faventino episcopo, concessit Blanco archipresbytero plebis sancti Stephani de Tugurio ecclesiam sancti Jacobi de Mercatello, & hospitale cum suo cœmeterio & possessionibus suis in annos centum. Inter ceteros testes interfuit *Guido quondam bullator domini papæ*. Tonduccius in historia Faventina [b] conjicit hunc fuisse Guidonem Negusanti Faventinum, dictum in alia pagina anni 1237. *olim bullatorem domini papæ Innocentii III.* promotum postea ab Innocentio IV. ad episcopatum Nucerinum anno 1252. Hujus emphyteusis Bifurcensis paginam, ex qua in cognitionem venimus aliquot ecclesiarum, locorum & possidentium in territorio Faventino damus in Appendice ex autographo extante penes canonicos Florentinos sancti Laurentii.

b Pag. 438.

Eodem *anno* M. CC. XXXIIII. *die* VIII. *intrante julio indictione* VII. Thedericus archiepiscopus Ravennas, præsentibus & consentientibus presbyteris, diaconibus & subdiaconibus, cardinalibus ac cantoribus suæ ecclesiæ, & Jacobus prior Cellæ-volanæ cum consensu suorum monachorum, nomine & vice dictæ Cellæ, & etiam nomine monasterii sancti Adalberti in Pereo, compromiserunt in Johannem archidiaconum & in Julianum præpositum dictæ ecclesiæ Ravennatis tamquam in arbitros de omni lite & quæstione, quæ inter eos vertebat, occasione præfati monasterii sancti Adalberti tam in reverentiis, obedientiis & subjectionibus præstandis ecclesiæ Ravennati, quam in renovationibus conscribendis ab eadem ecclesia prædicto monasterio. *Die* X. *intrante julio* ejusdem anni idem Thedericus archiepiscopus dilargitus fuit præfato Jacobo priori Cellæ-volanæ recipienti pro ecclesia sancti Adalberti monasterium sancti Michaelis archangeli situm in territorio Comaclensi, quod vocabatur *Alione*, prope terram sanctæ Mariæ in Pado-veteri, sub pensione unius libræ ceræ. Die sequenti idem Jacobus petiit a præfato archiepiscopo confirmationem electionis sui in priorem ecclesiæ sancti Adalberti, quem per librum & stolam de spiritualibus & temporalibus investivit archiepiscopus post obedientiam & reverentiam sibi præstitam.

Ad monasterium sanctæ Mariæ de Adelmo in territorio Volaterano spectabat ecclesia sanctorum Andreæ, Salvatoris & Agathæ *de la Pietra*. „ Cum ergo patroni ejusdem ecclesiæ IX. *kalendas decembris* hujus anni „ *indictione* VIII. elegissent ad honorem Dei & *Sanctorum meritorum* ec„ clesiæ prædictæ, & domini Pagani Volaterrani episcopi & suorum con„ sortum, & ad honorem hominum dicti loci, in rectorem & dominum

„ præ-

„ præfatæ ecclesiæ Albertum subdiaconum filium quondam Uguccionis, „ Bonbonus monachus monasterii de Adelmo & prior canonicæ sive ecclesiæ sancti Mariani & sancti Bartholomæi ordinis Camaldulensis in „ claustro ejusdem abbatiæ, præsente Jacobo abbate dicti monasterii, „ ipsum Albertum confirmavit in rectorem ejus ecclesiæ. Die IV. februarii anni sequentis] electus fuit [a] abbas Adelmensis Ildebrandus monachus.

ANN. CHR. 1234.

Benignus prior monasterii sancti Bartholomæi de Anglario [b] *die trigesima octobris* elegit in potestatem & rectorem communis dicti castri Ildebrandum de Petramala civem Arretinum a proximo festo sancti Martini ad integrum annum, ex tabulario Fontis-boni. Ante Ildebrandum legitur Anglariensis potestas Ternus de Busto.

a §. *Electio*. 17.
b §. *Amissæ* 403. *A*. 1. 119.

Ex eodem archivo Camaldulensi *die decima octava martii* [c] Gregorius monachus Fontis-boni factus fuit abbas Silvæ-mundanus, & *die decima-quarta septembris* Benedictus ex Vicario Camaldulensi electus fuit abbas sanctæ Mariæ de Urano. Vivebat adhuc Ugo ad diem vigesimam-septimam augusti appellatus *quondam abbas monasterii Urani*, cui ad vitam concessa fuit ex monasterii redditibus provisio. Mirum quod post quinquaginta annos adhuc viveret Ugo electus abbas Uranensis circa annum 1181. & depositus anno 1188. sed forte alius est, & distinguendus a primo. Hugoni abbati Uranensi anno 1228. Ægidius Popiliensis episcopus donavit, ut eo anno diximus, capellas sancti Benedicti, sancti Petri, & sanctæ Mariæ in Lacu.

c §. *Electio* 15. 16.

Petrus abbas Valle-castrensis contulit Salvo clerico ecclesiam sancti Martini de Fracta Perusinæ diœcesis, quæ erat membrum monasterii sui. Triviense tabularium nomen exhibet sub hoc anno Aldebrandi abbatis Montis-cornarii & sanctæ Mariæ in Trivio. Johannes episcopus Cerviensis sal concessit ex salinis ecclesiæ suæ in perpetuum exsolvendum eremo Camaldulensi & Guidoni priori hoc *anno* M. CC. XXXIV. *die quarta novembris indictione* VII., *quia tu idem prior*, inquit, *me recepisti in orationibus & officiis tuæ ecclesiæ, omniumque tuarum obedientiarum, & me de eis participem facis*.

In veteri necrologio parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia ad diem VI. kalendas junii legitur: *Obiit domna Jacobina abbatissa sanctæ Christinæ*. Successit Jacobinæ Scholastica.

OBTINUERAT Vitalis archiepiscopus Pisanus ab apostolica sede indultum, quo posset adigere prælatos subjectos ad erogandam sibi pecuniam pro solvendo ære alieno conflato ratione itinerum & expensarum suarum. Siquidem ut jura suæ Pisanæ ecclesiæ servaret, in Sardiniam trajecerat, deinde Romanam urbem petierat. Vi itaque ejus indulti pecuniam repetebat etiam ab abbatibus monasteriorum nostrorum sancti Savini, sancti Zenonis, sancti Michaelis in Burgo, sancti Frigdiani & sancti Stephani de Cintoria, quæ erant immediate subjecta apostolicæ sedi, ideoque exempta. Eo usque processerant nomine ejusdem archiepiscopi canonici Pisani, Guido in primis de Curtibus, & Malpilius ac Rainerius de Casina, ut acrioribus verbis exceperint Henricum electum sindicum in ea causa a dictis monasteriis, & Rainerius insuper comminationibus, & percussionum infligendarum jactationibus eumdem jura sua dicentem a se expulerit. Quare Henricus sindicus, Guido quoque prior Camaldulensis appellavere ad apostolicam sedem. Gregorius IX. itaque post alias literas scriptas pro cœnobio sancti Savini episcopo Pistoriensi, quas attulimus anno antecedenti, ex Perusio hoc anno *idibus januarii pontificatus*

ANN. CHR. 1235.
XIX.
Extensio exemptionis a subsidiis præstandis factæ monasteriis subjectis apostolicæ sedi.

Ann. Chr. 1235. *catus* sui *anno octavo* mandavit præposito Pratensi ejusdem diœcesis Pistoriensis, ut si quas Vitalis archiepiscopus excommunicationis sententias tulisset in dicta monasteria subsidium denogantia, eas ipse irritaret; se eadem super re scripsisse insuper præfato archiepiscopo, ut ab inferendis molestiis dictis monasteriis temperaret, ac censuras, quas promulgaverat, revocaret. Præpositus Pratensis his temporibus erat Zonghellus, de quo videatur Ughellius [a] in præpositis ejus ecclesiæ.

a T. *III. col.* 335.

Azzo marchio Estensis donavit præsenti anno monasterio sanctæ Mariæ ad Carceres decimas Gazii & Vighizoli, ut legitur sub die XII. julii in parvo necrologio ejusdem cœnobii; similiter consentiente Adelice matre sua aliquot latifundia dilargitus fuit eidem sacro loco; postremam donationis paginam jam protulit Muratorius [b] in Antiquitatibus medii ævi. Vivebat adhuc Adelis seu Ailis mater Azzonis, quæ cum filia esset Raynaldi Antiochiæ principis nupserat anno 1205. Azzoni patri Azzolini novelli seu Azzonis marchionis his temporibus dominantis.

b T. *I. col.* 443.

XX. Formula juramenti, quod præstabatur hoc seculo ecc. Romanæ ab abbatibus.

Idem Muratorius [c] afferens formulam juramenti, quod archiepiscopi, episcopi & abbates præstabant Romano pontifici anno 1235. & subsequentibus annis, nominat inter ceteros Petrum abbatem regii monasterii sancti Petri in Vinculis Ravennatensis diœcesis. Formula autem erat sequens.

c T. *VI. col.* 268.

Ego frater Petrus abbas &c. ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ, & domino meo papæ Gregorio suisque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut in consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credituri sunt per se aut per nuntios suos, sive per literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum & regalia beati Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum, salvo meo ordine contra omnem hominem. Legatum apostolicæ sedis in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina annis singulis visitabo aut per me aut per meum nuntium, nisi apostolica absolvar licentia. Possessiones vero ad mensam mei monasterii pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano pontifice. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia.

XXI. De Forte priore Avellanensi.

Fortis ab Eugubio successor Guidonis in prioratu Avellanensis monasterii hoc anno cum Compagnone priore claustrali, Oliverio sacrista, Salvo ministeriali, Rainaldo hospitalario, Mariano, Rainerio, Benvenuto, Petro, altero Rainerio, & Munaldo monachis suis in emphyteusim tradidit quamdam possessionem sui monasterii Bartolo Guiduccii, ut ex instrumento archivi Font-avellanensis scribit Jacobillius, qui male tamen ipsum obiisse tradit anno 1244. cum anno 1242. prior Avellanensis esset Berardus, immo etiam anno 1239. ut ad dictum annum 1242. videbimus. Fortis nomen recensetur in necrologio ejusdem loci ad diem nonam octobris: *Obiit domnus Fortis prior eremi.*

In excerptis tabularii Fontis-boni hæc leguntur sub præsenti anno [d]: „ *Anno* M. CC. XXXV. *mense septembri* Blancus de Colalto & Orlandinus „ ejus filius & Amanatus olim Manentis confessi sunt se tenere ab ere„ mo Camaldulensi, & a monasterio sancti Bartholomæi de Subcastello, „ & tenuisse spatio XXX. & plus annorum a quolibet monasterio pro di„ midia parte plures terras, pro *quibus tenentur annuatim facere servi*„ *tia, quæ faciunt homines dominis suis, Rainerio abbati de Subcastello,*

d §. *Amissæ* 412. *A.* 126.

& Ri-

„ & *Rigoni vicecomiti Camaldulensi.* “ *Die pariter* XXIII. *octobris* [a] Ri-
„ golus conversus & gastaldio pro eremo curiæ de Motina, vice Guido-
„ nis prioris Camaldulensis, presbyterum Mercatum posuit in sede ple-
banatus de Micciano, qui die XIX. novembris obedientiam manualem præstitit eidem priori pro assequenda administratione dictæ plebis. Legitur etiam in eodem tabulario Simonem monachum sancti Frigdiani in priorem hujus monasterii constitutum fuisse voluntate monachorum, & Sismundorum patronorum ipsius cœnobii *die* [b] *tertia junii.*

ANN. CHR 1235.

a *Ibid.* 413. *A.* 126.

b *Ibid.* 18. *A.* 3. 90.

Die vero tertia junii exeuntis, tempore Gregorii pape IX. *& Friderici imperatoris* Berardus prior ecclesiæ sancti Salvatoris de Aqua-pagana cum consensu fratrum suorum libellum emphyteusis scripsit. Erat Berardus prior ejusdem monasterii diœcesis Camerinensis vel Spoletanæ etiam anno 1240. quo recepit aliquot monachos ad conversionem juxta regulam sancti Benedicti, & congregationem Valle-castrensem, cui parebat monasterium de Aqua-pagana.

ANN. CHR. 1236.

XXII. Amoti monachi Montis-subasii. De ecc. S. Mariæ-novæ Fani.

IN ecclesia monasterii sancti Silvestri de Monte-subasio, amotis ab ea monachis Camaldulensibus, institui jusserat Gregorius Romanus pontifex præpositum & clericos seculares, qui loco monachorum ipsi inservirent, executionemque suæ voluntatis mandaverat episcopo Spoletano, qui hoc anno, ut pontificiis decretis pareret, eisdem præposito & clericis bona dictæ ecclesiæ tradidit, aliquot tamen ex ipsis bonis reservatis & tributis monasterio Clarissarum Vallis-gloriæ juxta præcepta ejusdem Romani antistitis, qui nonnulla prædia ipsis monialibus assignaverat ad earum inopiam & paupertatem relevandam. Aliquo tempore exulare a loco suo coacti fuere monachi Subasiani, sed in pristinum locum restitutos videbimus sub Innocentio IV.

Idem Romanus pontifex *decimo-sexto kalendas julii pontificatus* sui *anno* X. ex urbe Interamnæ confirmavit abbati & monasterio sancti Apollinaris in Classe ecclesiam sanctæ Mariæ-novæ Fanensis diœcesis cum pertinentiis suis, *quam*, inquit, *canonice obtinetis*, *& juste ac pacifice possidetis.*

XXIII. Guidonis prioris Camald. res gestæ.

GUIDO prior Camaldulensis arbiter electus inter priorem abbatiæ Poplenæ, & inter rectorem ecclesiæ sanctæ Mariæ de Petra-ficta Fesulanæ diœcesis pronuntiavit priorem Poplenæ habere jus electionis, correctionis & visitationis ecclesiæ Petræ-fictæ, & annuatim in diebus assumptionis & nativitatis beatæ Mariæ virginis posse ibi sacra mysteria peragere; rectorem Petræ-fictæ eligendum esse ex abbatia Poplenæ, vel ex conventu Camaldulensi, qui teneretur vitam suam componere ad instituta Camaldulensia; liceret tamen ipsi appellationem interponere ad priorem Camaldulensem, si gravatum se sentiret a priore Poplenæ.

Prædictus prior Camaldulensis hoc *anno* M. CC. XXXVI. *indictione* IX. *pridie nonas maji* cum consilio Bartholomæi archipresbyteri Pisani, magistri Gaitani canonici Pisani, & Paganelli prioris sanctæ Mariæ foris portam de Luca, fratris quoque Bonajunctæ & fratris Henrici ordinis Prædicatorum, & fratris Lucæ custodis ordinis Minorum de ecclesia sancti Francisci ratam habuit electionem Philippi monachi in abbatem monasterii sancti Zenonis Pisarum; cui inter cetera sollemniter commendavit hospitalitatem, & erga infirmos caritatem. Interfuerunt huic confirmationi Urbanus sancti Savini, Martinus sancti Michaelis, Benedictus sanctæ Mariæ de Morrona abbates, Bene sancti Stephani in Cintoria, Simon sancti Frigdiani, & Petrus sancti Andreæ in Silva monasteriorum priores; ex codice membranaceo monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum.

Ann. Chr. 1236.

Benedictum abbatem cœnobii sancti Salvatoris de Cantiniano in diœcesi Lucensi exhibet nobis pagina [a] tabularii sancti Pontiani ejusdem urbis, qui permutavit hoc anno bona cum monachis monasterii Guami. Electus is fuerat abbas dicti monasterii die XIV. aprilis hujus anni ex camerario ejusdem monasterii a Guidone priore Camaldulensi, consentientibus patronis.

a *V. n.* 63.

In juramentis præstitis hoc & sequenti anno a judicibus Sardis ecclesiæ Romanæ testis interfuit abbas monasterii Sacrariensis apud Muratorium in Antiquitatibus medii ævi [b].

b *T. VI. col.* 9. *& seqq.*

XXIV. Obitus Vilani ep. Eugubini.

Ad hunc circiter annum, saltem aliquanto ante annum 1240. statuendus est obitus Vilani sanctissimi episcopi Eugubini ex Avellanensi monacho. Vestigia sequentes Sartii nostri animadvertimus Godefridum Henschenium post Jacobillium asserere Vilanum mortalitate solutum anno 1230. Anno tamen 1233. erat adhuc in vivis, quo prolata sententia definivit causam quamdam matrimonialem. Angelinus scriptor Eugubinus ipsum sanctum episcopum puellare sancti Angeli de Cotis ad annum 1237. condidisse tradit. Titulus quidem ad aram sancti Vilani in ecclesia cathedrali Eugubina positus prodit annum 1230. pro ipsius anno emortuali; legitur enim: *Divo Vilano ecclesiæ Eugubinæ præsuli, egregia bonitate, mira temperantia, singularique integritate prædito anno ab orbe redempto* M. CC. XXX. Verum non admodum antiqua est hujusmodi inscriptio, & in Lazarelli alterius scriptoris Eugubini catalogo ad calcem synodi Eugubinæ Alexandri Sperelli pro anno M. CC. XXX. habetur annus M. CC. XL. addito insuper anno ætatis sancti Vilani septuagesimo. Quæ omnia obscura esse & incerta observat idem Sartius, sicut etiam diem ipsius postremam. Nonis maji obiisse scribunt Jacobillius, Henschenius & Ferrarius; pridie nonas maji ipsius festum adnotatur in kalendario veteris breviarii ecclesiæ Eugubinæ; forte translatum fuit ad diem sequentem propter festum sancti Johannis ante portam Latinam, quod occurrit die sexta ejus mensis. Cultum antiquitus in ecclesia Eugubina obtinuisse Vilanum, nunc beatum, nunc sanctum dictum, exploratissima res est, ipsius nunc corpus integrum & incorruptum super aram ejus nomini dicatam pariter jacere, sed nullum modo de sancto Vilano ecclesiasticum officium agitur. Verum consulatur ipse Sartius [c], ex cujus libro de episcopis Eugubinis ista deprompsimus.

c *Pag.* 134.

Gabriele de Camino postulante utpote patrono Anselmus abbas sanctæ Mariæ de Follina hoc anno possessionem ecclesiæ sancti Titiani de villa Faravi tradidit. Ab anno 1205. usque ad præsentem monumenta supersunt Anselmi abbatis, post quem annum nomen legitur Ayulfi abbatis ejus monasterii.

In visitatione monasterii de Vivo depositus fuit hoc anno [d] Petrus, qui electus fuerat anno 1229. prior ejusdem loci. Ad annum 1239. Guilielmus monachus abbatiæ Senensis postulatus legitur [e] ad locum regiminis suscipiendum monasterii & eremi Vivensis.

d §. *Visitatio* 5. *A.* 3. 113.

e §. *Electio* 21. *A.* 3. 148.

In paginis tabularii parthenonis sancti Petri de Luco festiva dies præscribitur ad hunc annum sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis & martyris. Alidosius autem nominatur dominus oppidi Luci.

Ann. Chr. 1237.

XXV. Monasterium Montis-Christi committitur reformandum abbati de Candiculis.

Cum oleum operamque perderet Guido prior Camaldulensis in reformando monasterio sancti Mamiliani insulæ Montis-christi, quod ipsi traditum fuerat a Gregorio IX. derelinquens cœnobium liberum veteribus monachis, qui ipsum olim incolebant, monachos suos & conversos,

quos

quos transmiserat, ad propria redire jussit; de qua re commotior factus idem Romanus pontifex ex Laterano hoc *anno* sui *pontificatus undecimo* VI. *idus decembris* abbati sancti Andreæ de Candiculis ejusdem Camaldulensis ordinis & Florentinæ diœcesis præcepit, ut accedens ipse ad idem monasterium corrigeret, & reformaret tam in capite, quam in membris omnia, quæ correctione & reformatione indigerent, & nimis collapsum cœnobium repararet. Abbas sancti Andreæ de Candiculis ad annum 1228. erat Guido.

ANN. CHR. 1237.

XXVI. Compositio litium inter Thedericum archiep. Ravennatem & canonicos Portuenses.

VIGEBAT jam ab anno 1224. sub Simeone archiepiscopo Ravennate, & acrius ab anno 1228. initiis archiepiscopatus Thederici Ravennatis inter ipsum archiepiscopum, & inter monasterium sancti Adalberti in insula Perei gravis controversia circa subjectionem, quam archiepiscopus exigebat ab abbate & a monachis ejus cœnobii; atque ab eo anno literas impetraverat Ravennas antistes a Gregorio Rom. pont. scriptas *quinto kalendas septembris* ex Perusio Martino & Pelagotto canonicis Faventinis, qui causam cognoscerent. Variæ subinde ortæ concertationes & delegationes. Sublati fuere interea monachi, monasteriumque sancti Adalberti cessit, ut vidimus, circa annum 1232. canonicis sanctæ Mariæ in Portu, qui Cellam-volanam incolebant. Præsenti anno die XII. *intrante septembri* archiepiscopus Thedericus auctoritatem suam dedit Johanni de Rosa judici, ut posset arbitrari cum Johanne archidiacono & Juliano præposito ecclesiæ Ravennatis ex una, & cum Liberio præposito & sindico canonicæ sancti Jacobi Cellæ-volanæ ex altera, super permutatione ecclesiæ sancti Pauli de Ferraria; qui pronuntiarunt, quod electus prior sancti Adalberti reciperet investituram deinceps per librum tantum & non per stolam; quod idem prior archiepiscopo Ravennati cederet ipsam ecclesiam sancti Pauli; archiepiscopus vero remitteret in perpetuum prioribus Cellæ-volanæ & sancti Adalberti annuam procurationem, quam archiepiscopus consueverat ab iisdem recipere cum numero sexdecim equorum & vigintiquinque personarum, & relaxaret sex sextaria grani, denarios & libras ceræ pro iisdem monasteriis, retentis dumtaxat duabus libris ceræ annuatim solvendis pro ecclesiis sanctorum Cosmæ & Damiani, & sancti Michaelis de Pado-veteri. Post quorum judicum decisionem ipsa die Liberius præpositus Cellæ-volanæ præsentavit Thederico archiepiscopo Johannem de Roma, qui per librum tantum investitus fuit prior monasterii sancti Adalberti. Ipsius loci historiam de cetero relinquimus canonicis Portuensibus, in quorum jus monasterium sancti Adalberti transiit.

XXVII. Donationes Sardæ; & de monasterio de Marola.

PETRUS de Laccono judex Arborensis & vicecomes de Basso cum voluntate Dianæ uxoris suæ reginæ Arborensis renovavit monasterio sanctæ Mariæ de Bonarcanto donationem, quam fecerat Ugo de Basso pater suus, & Pretiosa de Laccon, cum jure piscationis in mare, testibus Frodorio de Muru archiepiscopo Arborensi, & Gontino de Scuru episcopo Terræ-albæ, & Petro de Martio episcopo sanctæ Justæ, aliisque; quam renovationis chartam edimus ex apographo, quod olim extabat apud canonicum Pisanum Octavium-angelum Abrahamium. Frodorius archiepiscopus Arborensis Trogodorius appellatur in chartis hujus & antecedentis anni apud Muratorium [a], Gontinus episcopus Terralbensis vocatur Constantinus, Petrus vero episcopus sanctæ Justæ legitur etiam in juramento, quod in atrio ecclesiæ sanctæ Mariæ de Bonarcanto præstitit idem judex Petrus Arborensis ecclesiæ Romanæ præsenti *anno* M. CC. XXXVII. *indictione* XI. *tertia die exeunte mense aprili anno undecimo Gregorii pape* IX. Prior autem monasterii sanctæ Mariæ de Bonarcanto, qui eidem juramento,

a T. VI. col. 16.

Ann. Chr. 1237.

to aliisque pluribus sacramentis & actibus judicum Sardorum hoc & antecedentibus annis interfuit tamquam testis, appellatur Nicolaus. In aliis eidem Romanæ ecclesiæ præstitis sacramentis ab Hubaldo judice Turritano & Gallurensi, ac ab Adelisia regina Turritana, & habitis in palatio ejusdem regni Turritani de Ardera testes adfuere etiam abbas Sacrariensis, & Orlandus monachus ejusdem monasterii.

Cum ex parte G., abbatis monasterii sanctæ Mariæ de Marola Rhegiensis diœcesis & Camaldulensis ordinis, quod immediate pertinebat ad apostolicam sedem, supplex libellus exhibitus fuisset Gregorio IX. Romano pontifici, ut quandoquidem ipse ad senilem deductus ætatem adeo debilis & impotens esset effectus, quod impar ad prosecutionem officii sui foret, de successore providere dignaretur, mandavit idem Romanus antistes *duodecimo kalendas junii pontificatus anno undecimo* ex urbe Viterbii Stephano ordinis Prædicatorum provinciali Lombardiæ, ut ipsius abbatis resignationem exciperet, & injungeret conventui ejusdem monasterii, quatenus virum idoneum sibi sufficerent in abbatem. At si electio per monachos non fieret, ipse provincialis provideret. Mandaverat insuper eidem Stephano visitationem dicti monasterii, & reformationem in ordine suo, & rursus *decimo-septimo kalendas octobris* commisit electionem personæ idoneæ in abbatem. Primum & unicum hocce penes nos superest monumentum de Camaldulensi abbatia Marolæ sive Maraulæ, vel Magolæ in montibus Rhegiensibus fundata a comitissa Mathilda, ut apud Ughellium [a] auctor est Bonus senior Rhegiensis episcopus in charta donationis & consecrationis ecclesiæ dicti monasterii, qui hæc habet. *Dum itaque hujus intentionis fervore ducti*, visitationis nimirum ecclesiarum suæ diœcesis, *tam sanctæ operationis studio operam daremus, ad consecrandam eremi ecclesiam, quam venerabilis memoriæ comitissa Mathildis in prædio apud silvam Maraulam pro remedio animæ suæ suorumque parentum construxerat, multisque beneficiis ditaverat, invitati accessimus a fratribus tunc inibi religiose sub fratre Stephano venerabili eremita atque presbytero conversantibus* &c. Abbatiam hanc inter cetera monasteria & ecclesias Alberio episcopo Rhegiensi confirmavit anno 1144. Lucius papa II. Spectabat ad monasterium de Marola alterum de Columbario Mutinensis diœcesis. Inter utrumque longi eousque fuerant litigiorum circuitus, & præterea in monasterio Columbariensi disciplina valde collapsa fuerat, ut spes non esset de cetero, quod per semetipsum assurgere valeret. Præceperat itaque idem pontifex Gregorius xv. *kalendas junii* hujus anni eidem Stephano provinciali, ut accedens ad ipsum monasterium, una cum juribus & pertinentiis suis concederet illud fratribus de Campaniola, & eorum ordini adnecteret reformandum per ipsorum statuta, constitutis monachis Columbariensibus in cœnobio de Marola, vel in ejus obedientiis, & tradita tertia parte possessionum monasterii Columbarii monasterio Marolæ, vel loco possessionum numeratis mille libris imperialibus, prout Marolenses magis eligerent, traditis quoque cruce, & textu evangeliorum deaurato, antiphonariis & breviariis. Assignatus pariter fuit alius habitationis locus, & statuta substentatio congrua Rolando priori Columbariensi, contra quem etiam divexantem fratres sanctissimæ Trinitatis de Campaniola voluit idem supremus antistes excitari potestatem & consiliarios urbis Mutinensis, ut ipsum a molestiis inferendis compescerent. Unita postea fuisse invicem monasteria de Marola, de Columbario, & de Campaniola sub Alexandro IV. legimus ad annum 1258. visitanda quolibet triennio per fratres ordinis Prædicatorum, ac in ipsis viguisse regulam sancti Augustini. Hæc ex Lubi-

[a] T. II. col. 286.

Ann. Chr. 1237.

Lubino [a] in notitia abbatiarum, sed præsertim ex Bullario [b] patrum Prædicatorum addiscimus, cum ceteroquin nos lateat, an a loci fundatione evocati ad eremum vel ad abbatiam Marolensem fuerint monachi vel eremitæ Camaldulenses, an posteriori tempore dumtaxat; ex una enim parte in frequentibus Romanorum pontificum & imperatorum diplomatibus seculi duodecimi nulla fit mentio monasterii Marolensis in enumeratione monasteriorum Camaldulensium, ex alia autem parte abbatia Marolæ fuit prius eremus & eremitarum sedes; sed ad hæc tempora locum incoluisse Camaldulenses ex dictis sit exploratum. Tempore Alexandri III. anno 1169. monasterium Marolæ pluribus indigebat, & *abbas & fratres dicti monasterii majoris religionis* habebantur, ut ipse scripsit Ildebrando basilicæ duodecim Apostolorum presbytero cardinali, qui propterea terram Sortis de Fano, quam Guelfo filius Guelfonis ducis monasterio dicto olim concesserat, eidem cœnobio confirmavit contra Canusinum abbatem, apud Muratorium in Antiquitatibus medii ævi [c]. Apud eumdem [d] tempore Gualterii archiepiscopi Ravennatis anno 1132. Johannes prior monasterii Marolensis *pactus est cum consensu suorum fratrum cum Dodone episcopo Mutinensis ecclesie hanc obedientiam, & reverentiam & synodum, ordinem clericorum & monachorum ibidem commorantium, & consecrationem abbatis ejusdem loci ipse & sui successores prefato Dodoni Mutinensi episcopo suisque catholicis successoribus exhibere de ecclesia, que debet consecrari in honorem sancti Jacobi in loco, qui dicitur Columbario*. En origines monasterii Columbariensis. De Benedicto priore præfecto & de fratribus Columbariensibus diœcesis Mutinensis ordinis cœnobii de Marola mentionem ingerit etiam Rubeus [e] ad annum 1277. quo recusantes Bonifacium archiepiscopum Ravennatem recipere & tributa solvere, ipse Bonifacius apud plebem sanctæ Mariæ de Rocca diœcesis Mutinensis in præsentia Francisci e Lavania canonici Furnensis & aliorum sacris interdixit.

a *Pag.* 199.
b T. I. *pagg.* 94. 98. 362. & T. VII. *p.* 14.
c T. IV. *col.* 204.
d T. V. *col.* 981.
e *Lib.* VI. *p.* 454.

XXVIII. Chartæ Insulanæ & Vallecastrenses.

Jacobus & Philippus de Rondenaria donarunt hoc anno Uguiccioni abbati sanctæ Mariæ Insulani monasterii totam jurisdictionem, quam ipsi habebant in villa Spongiæ *cum guaitis* castri, & cum collecta denariorum, cum venationibus, piscationibus, aliisque juribus & servitiis.

Petrus abbas Valle-castrensis cœnobii, adsentiente Adpradino capellano ecclesiæ sanctæ Luciæ de Foresto in pertinentiis Cingulani territorii, concessit Morico quondam Ugolini, Ugoni & Raynaldo terras aliquot dictæ ecclesiæ. Actum in villis Cinguli ante ecclesiam sancti Superantii *die* VII. *exeunte aprili indictione* X. Ecclesia sancti Exsuperantii juris erat monachorum Avellanensium.

XXIX. De Zenone monacho Burgense.

Zeno monachus Camaldulensis promulgavit hoc anno de mandato abbatis Burgi-sancti-sepulcri decretum contra presbyteros usurarios ejusdem loci; ex qua pagina dignoscitur jurisdictio abbatis Burgensis etiam in clericos Burgi; ipsa asservabatur apud Raphaelem Dottum civem Burgensem. Patritius vero vir Florentinus Johannes Baldovinettus ejusdem fratris Zenonis sequens obtinet in suo museo sigillum, quod ipsi dono dedit canonicus Cortonensis Sellarius.



In

ANN. CHR. 1237.

In serie abbatum Burgensium reperitur ad annum 1281. Zeno abbas sancti Johannis-evangelistæ Burgi-sancti-sepulcri; sed inverisimile videtur Zenonem monachum Camaldulensem & vicarium anno 1237. abbatis Burgensis fuisse post quadraginta & quatuor annos abbatem ejus loci. Zeno monachus alius erit proinde ab abbate Zenone.

In tabulario Fontis-boni [a] fit mentio ad hunc annum Jacobi prioris sancti Benedicti de Costatasara, qui monasterium sancti Viti de Vicetia nomine Guidonis prioris Camaldulensis visitavit. Prioratus Costatasaræ Camaldulensi subjectus in diœcesi Cenetensi, erat haud procul a Conegla-no, appellatus modo de Fileto, & unitus nunc cum monasterio sancti Mathiæ de Muriano. Seculis posterioribus altera prope eum locum accrevit Monte-coronensium nostrorum eremus, appellata & ipsa de Fileto. Mentio fit ejusdem Jacobi prioris & ipsius prioratus etiam ad annum 1233. quo Acellus quondam Sicarami a Fileto terras aliquot donavit eidem loco ex tabulario præfati monasterii sancti Mathiæ [b].

a §. *Visitatio* *7. A. 3. 126.*

b *Caps. S. Vincentii n.* 1.

XXX. Monumentum abbatiæ S. Petri in Campo.

TESTIS quidam interrogatus hoc anno in causa acerrimæ litis, quæ vigebat inter monasterium sancti Salvatoris de Monte-amiato, & inter abbatiam sancti Petri in Campo occasione cujusdam ecclesiæ sitæ prope terram Radicofani, hæc deposuit de Johanne abbate monasterii sancti Petri in Campo, qui suscipere volebat vestes & instituta Cistereiensium monachorum, quando introductus fuit ordo Cisterciensis in monasterium Amiatinum: *Interrogatus dixit, quod cum domnus Johannes, qui nunc est abbas sancti Petri in Campo, stetisset præpositus in præpositura Montis-pinzuti pro abbatia sancti Salvatoris, antequam ipsa abbatia data fuisset ordini Cisterciensi, & prius & postquam ipsi ordini data fuit, ipse domnus Johannes tunc præpositus quadam die in ecclesia sancti Angeli ipsius castri licentiaret se publice a populo ipsius castri, & diceret, quod volebat dimittere illum locum, & ire ad ordinem Cisterciensem, & sumere habitum ipsius ordinis, & stare in abbatia sancti Salvatoris, set prius ire Senas ad emendas vestes illi ordini convenientes. Rogavit propterea eumdem testem, cum esset ejus compater, ut iret cum eo usque Montalcinum ad associandum eum, quia volebat ire Senas pro vestibus ipsis emendis.* Et postea: *Nescio quid fecerit ... quia non rediit ille ad castrum Montis-pinzuti, nec sumpsit habitum & ordinem Cisterciensem, sicut dixerat, sed reversus est ad monasterium de Vivo, unde fuerat.* Nimirum circa hæc tempora, hoc est anno 1229. Gregorius IX. amotis nigris monachis, Cisterciensibus monasterium Amiatinum reformandum tradiderat, ante quam reformationem ex testimonio suprarelato Amiatini & Vivenses monachi, illi quoque sancti Petri in Campo fœderatione simul juncti ex uno ad alterum monasterium, vel ex ecclesiis unius ad ecclesias alterius cœnobii regendas passim transibant. Montis-pinzuti seu pizzutuli mentio fit hoc ipso anno in compositione Pisani episcopi Clusini cum Manfredo Amiatino abbate; scilicet rationum suarum super ecclesias Arcidossi, Montis-pizzutuli, Montisque-nigri arbitrarios judices constituit abbas Maphæum sanctæ Floræ plebanum, & Rotlandum Arcidossi capellanum, qui anno M.CC.XXXVII. indictione decima idibus februarii in oppido Radicofani apud xenodochium sancti Petri in Campo Malburgo Malmibacci pro abbate sententiam tulere, ut legitur apud Ughellium [c]. Johanni abbati sancti Petri in Campo successor datus fuit Burgognonus, de quo ad annum 1243. Successerat autem Rainerio, sub quo abbatia in protectionem communis Senensis anno 1226. data fuerat. Superiora Cl. V. Peccii humanitate comperta habuimus.

a *T. III. col.* 636.

Ecclesiam sanctorum martyrum Viti & Modesti de Arretio consecratam

tam fuisse hoc anno a Marcellino episcopo Arretino tradit Ughellius [a]. Ea ecclesia in monasterium postea evecta copulata fuit una cum aliis monasteriis & ecclesiis Arretinæ urbis & diœcesis cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum de Florentia. Marcellinus vero translatus ex Asculana cathedram Arretinam implebat per obitum Martini episcopi defuncti anno antecedenti.

ANN. CHR. 1237.

a T. I. col. 422.

DOMINI de Petramala proceres Arretini male merebantur de Camaldulensibus, damna & injurias ipsis rependendo, licet hi de illis optime essent meriti, utpote qui eos in potestates castrorum & locorum suorum eligebant, & præcipue castri Anglariensis, quare, ut his malis occurrerent, coacti fuere Camaldulenses contra proceres impetrare literas a Romano pontifice Gregorio IX. qui causæ judices dedit Similiantem priorem sancti Laurentii, & Deotefecem priorem sanctæ Mariæ-majoris de Florentia, quibus commissum fuit, ut darent operam, quatenus dicti proceres damna illata repararent. Iidem proinde proceres, nempe „ Ildebrandinus de Petramala, Tarlatus & Bertholdus fratres, ipsius Ildebrandini nepotes & filii quondam domini Tarlati Arretini cives constituerunt Sestaurum filium olim Deotesalvi in ipsorum procuratorem in omnibus suis causis, quas habebant cum Guidone priore Camaldulensi, & cum Basilio eremi sindico coram S.. & D.. prioribus ecclesiarum sancti Laurentii & sanctæ Mariæ-majoris de Florentia domini papæ judicibus delegatis ad recuperandam possessionem datam eidem sindico cujusdam domus positæ in Planetolo juxta murum castri, & viam, & ad satisfaciendas expensas ipsis impositas ob eorum contumaciam, & ad recipiendam absolutionem ab excommunicatione; nam die vigesima-quinta novembris de mandato ipsorum judicum Benignus prior Anglariensis in possessionem ejus domus misit sindicum Camaldulensem [b].

ANN. CHR. 1238.

XXXI. Repressa damna allata eremo Camald.

Gerardinus canonicus Arretinus judex delegatus a Marcellino episcopo Arretino die XXV. februarii [c] denuntiavit monachis sancti Januarii Campi-leonis, ne molesti essent eremo Camaldulensi super decimas villæ Largniani.

b §. *Amissæ* 428. *A.* 114.

c §. *Amissæ* 423. *A.* 93.

In quadam charta emptionis tabularii Fontis-boni [d] legitur sub hoc anno ad diem tertiam-decimam maji Christophorum priorem abbatiæ de Cocciano vendidisse eremo Camaldulensi terras sitas in curte Fojani. Monasterium hocce in Cortonensi territorio exsurgebat.

d §. *Emptio* 351. *A.* 3. 14.

In annalibus Servorum beatæ Mariæ virginis [e] legimus præsenti anno Gaufridum Castillionæum S. R. E. cardinalem & Gregorii IX. legatum, deinde ejus successorem in pontificatu sub nomine Cœlestini IV. eremum Camaldulensem visitasse.

e *T. I. pag.* 29.

Lis super decimis Placentiæ incœpta sub abbate Vangaticiensi Bonajuncta, & pluries agitata sub Orlando ejus successore contra priores monasterii Carcerum finem accepit hoc anno [f] *die quinta maji*, promittente Guidone abbate Vangaticiæ se super dictis decimis molestiam non ulterius illaturum. Guidonis Orlandi successoris nomen in tabulario ejus loci adnotatur ab anno 1228. ad annum 1241. Anno 1242. primum legitur ejus successor Ugo.

f *Senesi pag.* 55.

CUM Benedicti Poloni martyris & eremitæ, de quo una cum Andrea Zoerardo ejus magistro, & utroque discipulo discipulorum Romualdi plura in medium protulimus ad annum 1010. sanctitas per totam Hungariam pervagaretur, eo loci, quem vivens incoluerat, monasterium ordinis

XXXII. Belæ regis Hungariæ diploma pro monast. erecto in honorem S. Benedicti eremitæ.

Ann. Chr. 1238.

nis sancti Benedicti erectum fuerat, ut diximus anno 1232. Ipsi recens extructo cœnobio præsenti anno Bela Hungariæ rex sequens diploma concessit ex Cupero in Actis Sanctorum ad diem XVI. julii.

Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Cumaniæque rex omnibus Christi-fidelibus præsentem paginam inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad universorum tam modernorum, quam posterorum notitiam horum serie volumus pervenire, quod cum nos ad locum, qui Sckalka dicitur, in comitatu de Trinchin, ubi sanctus Benedictus martyr eremiticam vitam Deo gessit, divertissemus, cernentes fratres loci illius in Dei servitio permanentes nimiam pati penuriam & indigentiam, pro animi affectu misericordia moti, volentes eorum paupertati subvenire, ut divinæ contemplationi desudantes temporalibus beneficiis substententur, mediam partem cujusdam terræ nomine Geztec ad castrum de Trinchin pertinentis, quæ certis metis fuerat divisa, & in parte castrensibus de Trinchin de villa Bork, & in parte hospitibus ejusdem castri de villa Geztec assignata, illam partem, quæ dictis hospitibus fuit assignata, contulimus sæpedictis fratribus de Sckalka libere & perpetuo possidendam sub iisdem metis, cum quibus erat divisa, & hospitibus antedictis assignata. Ut igitur hujus nostræ collationis beneficium temporum progressu perpetuum firmitatis robur obtineat, præsentem paginam duplicis sigilli nostri munimine jussimus roborari. Datum anno gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo-octavo, nono kalendas julii, regni autem nostri anno tertio.

Agnes priorissa parthenonis sancti Benedicti urbis Arretinæ, quod erat subjectum alteri monasterio sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri constituit cum suis monialibus arbitrum litium, quas habebat cum capellano dicti loci, Paganellum conversum Prati-veteris; ex charta hujus postremi monasterii [a].

Nominatur [b] ad hunc annum ecclesia sanctæ Julianæ & sanctæ Mariæ de Urbana, pro qua, tum etiam pro ecclesia sanctæ Mariæ de Porcilia Compagnus prior Porciliensis emit a Valfredo portiones terrarum. Etiam ecclesia sanctæ Julianæ pertinebat ad congregationem monachorum alborum sancti Benedicti de Patavio. Sed plura de ea congregatione mox dicimus sub anno sequenti.

[a] *Num.* 28.

[b] *Caps.* 34. 15. *archiv. S. Mich. Mur.*

Ann. Chr. 1239.

XXXIII. Capitulum monachorum alborum Patavii.

CELEBRATUM fuit præsenti anno generale capitulum in urbe Patavina & in monasterio sanctæ Mariæ de Porcilia a prioribus ordinis sancti Benedicti habitus albi, & constituentibus peculiarem congregationem ejusdem ordinis. *Die* itaque x. *intrante januario indictione* XII. in præsentia Dolacoræ archipresbyteri Patavini, magistri Uguccionis canonici ejusdem ecclesiæ, fratris Alberti ordinis Prædicatorum ecclesiæ sancti Augustini de Patavio, Widonis & Matthæi de Ricio ejusdem ordinis, Agordini ministri fratrum Minorum ecclesiæ sanctæ Mariæ matris Domini præfatæ urbis, aliorumque, convenerunt in dictum Porciliæ monasterium Compagnus prior ejusdem ecclesiæ de Porcilia cum Castellano monacho pro suo conventu, Johannes prior ecclesiæ sanctæ Mariæ de Vantio cum Ægidio socio suo, Amizolus prior ecclesiæ sancti Jacobi de Ponte-corbo cum Alberto, Albericus prior ecclesiæ omnium Sanctorum cum Carlaxare, Jacobus prior ecclesiæ sanctæ Mariæ de Monte-crucis cum Bonifacio, Andreas prior ecclesiæ sancti Johannis de Monte-vinearum Montis-filicis cum Leuzo, Fulco prior ecclesiæ sanctæ Julianæ de Urbana cum Fazabene, Albertus prior ecclesiæ sanctæ Margaritæ de Pulveraria cum Paduano, & Ugo prior ecclesiæ sanctæ Mariæ de Trexone de Pulveraria cum Willi-

liri.

lirico, qui cum simul essent, statuerunt quatuor viros, duos ex numero priorum, & duos ex sociorum sive conventualium, nempe Compagnum priorem Porciliensem & Jacobum priorem Montis-crucis, Ægidium monachum sanctæ Mariæ de Vantio, & Paduanum monachum sanctæ Margaritæ de Pulveraria in definitores, qui statim in visitatores dictæ congregationis elegerunt Johannem priorem sanctæ Mariæ de Vantio, Albertum priorem de Pulveraria, Castellanum monachum Porciliæ, & Gallesum monachum Montis-crucis, quibus plenam potestatem dederunt corrigendi, visitandi & removendi priores, fratres & sorores omnium monasteriorum suæ congregationis, de auctoritate capituli simul & Jacobi Patavini episcopi.

XXXIV. Constitutiones in eo editæ.

EODEM anno in dicto monasterio sanctæ Mariæ de Porcilia hujusmodi constitutiones edidere; ut capitulum celebraretur semper quotannis dominica die post ascensionem Domini, & præmissis exhortationibus, sapientibus etiam viris pro consiliis habendis adhibitis, referrent visitatores, quæ correctione indigere crediderint, ipsi vero capituli præsidentes proclamationes & pœnitentias merentibus injungerent; tribus autem diebus capitulum absolveretur. Uniformitas in omni domo servaretur, scilicet in modo professionis faciendæ, in officio divino, in victu & vestitu, in jejunio & labore. Mortuo priore domus, prior claustralis obitum denuntiaret visitatoribus, qui curarent, ut conventus cito eligeret novum priorem. Statuerunt petere caput seu præsidem generalem suæ congregationis cum consensu episcopi Patavini, ne congregatio acephala esset, quod caput appellaretur pater ordinis. Decreverunt, ut priores, qui in monasteriis suis fratres & sorores habuerint, possent tribus diebus in hebdomada eas visitare, & *etiam* plus, si fuerit necesse, similiter pro unctione facienda & pro communione ministranda, & cum magistris *in aliquo opere facientibus*, non tamen cum extraneis sive clericis, sive religiosis, sive secularibus. Hujus congregationis monachorum alborum constitutiones integras ex codice membranaceo monasterii nostri sancti Michaelis de Muriano edemus in Appendice tomi sexti.

Eodem mense januario Isaac prior ecclesiæ sanctæ Mariæ de Riveria Pulverariæ, & frater Augustinus pro se & pro eodem conventu petierunt ab iisdem visitatoribus se recipi in eorum ordinem; statimque subposuerunt se & monasterium suum visitationi & correctioni ipsorum. Ipso mense Natikerius prior ecclesiæ sancti Johannis de Ponte-longo & frater Ægidius idipsum postularunt, & monasterium subdiderunt eidem ordini. Convocatis deinde monachis presbyteris & clericis sanctæ Mariæ de Porcilia, sanctæ Mariæ de Vantio, Omnium-Sanctorum, & sancti Jacobi de Pontecorbo, lecta fuerunt coram ipsis statuta facta in eorum generali capitulo, quæ a circumstantibus laudata & recepta fuere.

XXXV. Abbati S. Michaelis Pisarum demandata reformatio monasterii Montis Christi.

CUM Guido prior Camaldulensis significasset Gregorio IX. se quidem juxta ipsius mandata accessisse ad monasterium Montis-Christi, & monachos & conversos ejus loci Camaldulensem ordinem quidem suscepisse, sibi & abbati, quem illis præposuerat, obedientiam & reverentiam præterea juramento præstitisse, sed postmodum superbiæ spiritu concitatos eosdem monachos subtraxisse se ab obedientia, ipsumque priorem aliquandiu arcta custodia detinuisse, & adhærentes sibi fame, inedia diversisque contumeliis affecisse, abbatem ipsum cum fratribus, ablato sigillo, propulisse a monasterio & ab Obedientia etiam sancti Mamiliani de Somasso, & ab aliis membris cœnobii; cum itaque hæc Guido prior Camaldulensis nota fecisset Romano pontifici, dedit is in mandatis Martino abbati

Ann. Chr. 1239.

sancti Michaelis Pisarum Henrici successori, ut accederet ipse ad præfatum monasterium, ac abbatem & fratres in illud ejusque Obedientias reduceret. Scripsit præterea ex Laterano *nonis martii pontificatus* sui *anno* XII. potestati & communi de Plumbino, ut cum forent requisiti ab abbate sancti Michaelis pro domanda malitia monachorum & conversorum Montis-Christi præsto adessent. Legimus in chartis ejusdem monasterii sancti Michaelis, quod rejecto legitimo abbate Comite elegerant sibi monachi Montis-christi in præfectum Sinibaldum, qui una cum Johanne monacho & Brunicardo converso defectionis erant præcipui incentores; attamen ipsos quinta-decima augusti, obstinatione relicta, comitante eodem Martino abbate sancti Michaelis in Burgo Pisarum, cui vices suas tribuerat Guido generalis, ad eremum Camaldulensem se contulisse, ubi in manibus ejusdem Guidonis abbatis titulum repudiavit Sinibaldus, subjiciendo se obedientiæ ipsius secundum regulam sancti Benedicti, & constitutiones ordinis Camaldulensis.

XXXVI. Chartæ Forolivienses, Anconitanæ, Vivenses.

Lite vertente inter Gregorium abbatem monasterii sancti Mercurialis de Foro-livio, & inter Rodulphum priorem ecclesiæ sanctæ Mariæ de Camaldulo ejusdem urbis, delegavit Gregorius IX. Johannem abbatem monasterii sancti Rophilli Popiliensis diœcesis, qui componeret controversias ortas occasione sepulturæ, & pœnitentiarum parochianorum dicti monasterii sancti Mercurialis. Statuit itaque Johannes abbas terminos domuum & personarum, quibus Camaldulenses possent ministrare sacramenta. Si vero aliæ personæ vel pœnitentias, vel sepulturam apud ipsos eligerent, medietas proventuum traderetur monasterio sancti Mercurialis. Item teneretur prior Camaldulensis per suum nuntium denuntiare abbati sancti Mercurialis nomina defunctorum, ipsumque invitare ad funus. Interfuere huic concordiæ factæ præsenti anno *die* IV. *intrante mense novembris indictione* XII. Ægidius Foro-popiliensis episcopus, & Massarius abbas sanctæ Mariæ de Urano, promisitque Rodulphus prior sanctæ Mariæ se curaturum, ut *prior magnus de Camaldulo* ejusque conventus consentirent instrumento concordiæ, pro quo consensu habendo nuntium suum misit etiam Gregorius abbas sancti Mercurialis ad Guidonem priorem Camalduli.

Qui Guido *die* VI. *intrante mense maji anni* sequentis *indictione* XIII. confirmavit & approbavit concordiam præfatam, rogatis testibus eodem Massario abbate de Urano, Augustino abbate sancti Apollinaris in Classe, & Josepho priore eremi Camalduli-majoris. Quæ omnia eduximus ex codicibus præfati monasterii sancti Mercurialis. Ægidium Foro-popiliensem episcopum saltem ad hunc annum pervenisse ex monumento allato fit compertum. Massario locum fecerat Benedictus abbas Uranensis, de quo ad annum 1234. Augustinus autem Classensis abbas suffectus fuerat Benedicto electo abbati anno 1231.

a §. *Promissio* 76. *A*. 3. 157.

Perseval seu Rerseval episcopus Anconitanus promisit hoc anno [a] *die decima nona septembris* Guidoni priori Camaldulensi, quod tempore vitæ suæ non erit molestus, neque molestias permittet fieri ecclesiæ sanctæ Luciæ Anconitanæ diœcesis, quæ evaserat monasterium Camaldulensium, neque gravabit, aut gravare faciet spiritualiter aut temporaliter eam ecclesiam. Etiam hujus episcopi nomen omittitur in serie episcoporum Anconitanorum ab Ughellio, qui proinde reponendus erit inter Ruffinum & Johannem Bonum.

b §. *Electio* 21. *A*. 3. 148.

Die undecima maji [b] a monachis & ab oblatis eremi tam superioris, quam inferioris de Vivo electus fuit Guillielmus monachus abbatiæ Senensis in priorem Vivensem confirmatus subinde a Guidone priore Camaldulensi. Is tamen anno sequenti sexta augusti officium dimisit, Basiliumque

excepit,

ANN. CHR. 1239.

excepit, de quo monumenta afferemus annis sequentibus. Item Petrus [a] prior sancti Paterniani de Ferracciano electus fuit abbas Insulanus.

a Ibid. 22. A. 3. 155.

XXXVII. De Albertino patre B. Jacobi de Certaldo.

„ ALBERTINUS [b] beati Jacobi de Certaldo pater fama sanctitatis fi-
„ lii adductus, qui in monasterio sanctorum Justi & Clementis urbis Vo-
„ laterrarum virtutum insignibus florebat, ut scribit in synopsi ipsius vi-
„ tæ Raphael Maphæus, simulque vi cœlesti adactus ex improviso
„ quasi a profundo seculi somno expergiscitur, tactusque quadam corpo-
„ ris & animi dulcedine sese beatissimum fore secum cogitare incipit, si
„ reliquum vitæ apud filium transigat. Quapropter ad ipsum festinabun-
„ dus concedens, ut oblatus & conversus a Martino abbate in monaste-
„ rio recipitur ad tertium nonas julias anni M. CC. XXXIX. Qua die suum
„ novissimum nuncupativum testamentum condidit, quod in cœnobio as-
„ servatur, per quod Guidotto, Ingheramio filiis hæredibus institutis, eis-
„ dem, quandocumque sine filiis discederent, monasterium pleno jure sub-
„ stituit; manu Ubaldini Tedestii notarii: " Ad breve tempus supervixit
„ in monasterio Albertinus. Quo posthæc feliciter defuncto, eoque inter
„ filii lacrymas sepulturæ tradito, Jacobus monachus animarum parœciæ
„ jussu abbatis curam suscipere coactus fuit. " Cetera prosequemur suis
annis.

b Ap. Fortun. P. II. lib. II. pag. 61.

Almericus ex abbate sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia electus fuit abbas sancti Michaelis de castro Brittorum. Ipsi inter cetera præceptum fuit, ut librum Consuetudinum Camaldulensium sibi conscribi faceret, quo monasterium illud carebat.

„ Quidam Manvolbis quondam Amati Arretinus per vim detinebat
„ monasterium sancti Quirici de Rosis; quare de violentia sua pœnitens
„ anno 1234. promiserat vicecomiti eremi Camaldulensis, ad quam per-
„ tinebat dictum monasterium, restitutionem ipsius infra statutum termi-
„ num cum omnibus suis pertinentiis, salvo semper periculo ignis, &
„ hostium imperatoris & comitis. Actum in palcho claustri sancti Mi-
„ chaelis. Hoc anno refutavit Michaeli majori eremi pro Guidone prio-
„ re recipienti & pro Orlando priore sancti Quirici ipsum monasterium,
„ & omnia jura sibi competentia; " ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus [c].

c Numm. 151., 161.

In necrologio sanctæ Mariæ ad Carceres legitur ad diem tertiam aprilis: *Obiit reverendissimus domnus Jacobus Paduanus episcopus.*

ANN. CHR. 1240.

XXXVIII. De Simone venerabili eremita Camald.

VIVEBAT per hæc tempora in Camaldulensi eremo venerabilis eremita, nomine Simon, sæpe in chartis tabularii Fontis-boni memoratus, nunc inter apertos, ut vocabant, nunc inter inclusos eremitas, de quo, ejusque sanctitate hoc egregium testimonium legitur in vita beatæ Æmilianæ sive Humilianæ de Cerchiis Florentinæ viduæ, quæ hoc ipso tempore magna sanctimoniæ opinione florebat, & obiit anno 1246. cujus res gestas collegit coævus frater Minorum Vitus Cortonensis apud Papebrochium in Actis Sanctorum [d]. *Amabilis*, de ipsa Humiliana dicitur, *dilectrix sponsi omnes veros amatores ipsius fideliter diligebat, & illum magis, quem sciebat majori caritate fervere. Quapropter quemdam sanctum virum ordinis Camaldulensis nomine Simonem, quem nunquam viderat, sed quia intellexerat eum amore divino ardere, non modicum diligebat, cujus reverentia volens scire aliquod ejus sanctitatis vestigium, orationi cœpit affectuose insistere, ut Deus benignus suæ benignitatis gratia aliquid illius sibi ostenderet sanctitatis. Cujus Deus vota exaudiens, ostendit ei prædictum virum rutilanti facie decoratum valde, duobus candentibus & decoris an-*

d T. IV. Maji pag. 395.

Ann. Chr. 1240.

gelis ad lævam & dexteram sociatum, de cujus propera visione gaudio magno repleta est, & exinde divina gratia repleta rapta est, & dilecti Jesu dulcedinem degustavit abundanter in tantum, quod tribus diebus continuis in ipsa vacans dulcedine, corporalem cibum minime degustavit. Presbyter Franciscus Cionnaccius Florentinus, qui etiam ipse historiam sanctæ Humilianæ adornavit, & post eum Grandius noster, existimarunt Simonem eremitam Camaldulensem eumdem esse cum illo, de quo sermonem instituunt Fortunius, Minius & Ractius, quique excipiebat confessiones beati Peregrini alterius eremitæ Camaldulensis, defunctus autem anno 1292. ad diem XVII. septembris, & sepultus in eremo Camaldulensi. Utrumque confundit etiam Brocchius [a] in suo opere de vitis Sanctorum & Beatorum Florentinorum, & novissime unum eumdemque faciunt ad diem XIX. septembris inter prætermissos celeberrimi collectores Actuum Sanctorum. Verum nos duos Simones eremitas Camaldulenses, & quidem inclusos, distinguimus, neque Simonem eremitam, de quo visionem habuit beata Humiliana, ad annum 1292. vitam produxisse arbitramur; ut enim mox innuebamus, in chartis Camaldulensis archivi, præsertim ad §. *Mandatum* reperitur inter ceteros eremitas Simon inclusus sub Guidone priore Camaldulensi ad annos 1223. 1227. 1230. 1239. & 1240. & ad §. *Ratificatio* ad annum 1240. diem vero XVI. septembris; postremo [b] ad annum 1246. sub *die* II. *aprilis indictione* IV. quo cum ceteris inclusis consensit electioni sindicorum pro accipiendis ad mutuum pecuniis; post quos annos ulterius nomen ejus non apparet usque ad annos 1274. 1275. 1279. 1280. & 1285. quibus alter Simon eremita inclusus memoratur, qui a confessionibus fuit beati Peregrini, ex quibus paginis argumentum desumere licet primum Simonem proxime post annum 1246. ad superos abiisse, parumque distasse ejus obitum ab illo beatæ Humilianæ defunctæ, ut creditur, eodem anno 1246. Tertius Simon eremi Camaldulensis vicarius legitur ad annum 1206. qui facilius idem erit cum Simone viro sancto paulo post hæc tempora defuncto, & beatæ Humilianæ de vitæ sanctitate cognito.

a P. I. pag. 123.

b Num. 237.

XXXIX. De ms. Missali pretioso Camald.

Quandoquidem de eremo Camaldulensi est sermo, non injucundum erit subnectere vetus monumentum spectans ad hunc annum, exaratum ad calcem Missalis in pergamena descripti & signati litera Q. V. 4. bibliothecæ Fontis-boni; ex quo tum eremitarum & monachorum Camaldulensium hujus temporis diligentia, tum quanto in pretio haberentur mss. codices, innotescit: „ In nomine Domini; amen. Anno ab in„ carnatione M. CC. XL. Breve recordationis pro futuris temporibus ad „ memoriam retinendam, qualiter ego domnus Consilius monachus Fon„ tis-boni a domno Jacobo eremita ordinis ejusdem pœnitentiario accepi „ literas deputativas ad quosdam abbates destinatos, quorum memoria „ dicetur inferius, quatinus intuitu misericordiæ, & vinculo suæ ducti „ dilectionis de bonis sibi a Deo collatis ad hunc librum faciendum ali„ quid ex caritate dignarentur largiri. Quapropter ego jamdictus Consi„ lius cupiens obedire, præsertim cum obedientia melior quam victima „ reputetur, ad hoc opus institutum faciendum, conscientia teste apud „ Dominum, pure operam dedi, nimio desudando labore, ut ad perfe„ ctionem perduceretur, atque personas eleemosynas largientium eorum„ que dona præsenti libello scribere curavi, ut tam præsentes, quam fu„ turi congregationis Camaldulensis jamdictos donatores suis reddant pre„ cibus commendatos, ita quod quando de hac luce illos migrare conti„ gerit, Deum queant recipere placatum. Isti vero sunt, quorum auxilio

„ & hor-

„ & hortatu liber iste factus est. In primis abbas de Vulterris XL. flo- ANN. CHR. 1240.
„ renos, domnus Jacobus, qui tunc erat abbas de Cerreto, V. florenos,
„ abbas Urbanus sancti Savini XV. florenos, prior sancti Frigdiani flore-
„ nos XX. abbas sancti Michaelis florenos XII. abbas sancti Zenonis flore-
„ nos XX. domnus Dignus hospitalarius sancti Frigdiani florenos X. do-
„ mnus hospitalarius Henricus ejusdem loci IX. florenos & dimidium;
„ domnus Bene, qui tunc abbas erat de Cantignano, florenos XX. do-
„ mnus Paulus abbas ejusdem loci florenos XX. abbas de Puteolis florenos
„ XX. abbas de Cintorio florenos XX. & totum sericum & corrigias, æ-
„ reas fibulas & manutergium similiter, cum quo est coopertus. Item
„ domnus Consilius libras XIV. sine proficuo dictorum, & sine expensis
„ suis eundo & redeundo, & sine ligatura prædicti libri. Item pro cam-
„ bio dictorum florenos VI. Item de exitu ad memoriam retinendam scri-
„ ptum facio. In primis dedi in chartulis libras XIV. item pro scriptu-
„ ra libras XVII. item Marco pictori libras XVI. Pax bona sit justis, in-
„ justis recta voluntas. Ego frater Consilius, qui mere operam dedi hoc
„ opus incipiendo & perficiendo, Dominum contestor, ut aliquis male
„ attentando asserens, quod plura receperim, quam in præsenti reciten-
„ tur scriptura, mecum contendat in judicio ante tribunal Christi." Consilius monachus olim sancti Savini Pisarum, inde Fontis-boni, major fuit etiam eremi, & a prioribus Camaldulensibus destinatus sæpius monasteriorum visitator. De aliis monachis & eremitis scriptoribus, qui utili occupatione tempus transigebant, non infrequens erit dicendi occasio seculis sequentibus.

XL. Chartæ Camaldulenses, Valle-castrenses & Bononienses.

IN eodem Fontis-boni tabulario antiquior memoria, quæ extet Mediceæ nobilissimæ familiæ, occurrit in mandato facto hoc anno *die vigesima-prima julii* a Guidone priore Camaldulensi, qui constituit procuratorem suum Benedictum camerarium Fontis-boni ad mutuo recipiendas tot pecunias, quibus solveretur æs alienum conflatum apud Clarissimum de Medicis & ejus fratrem cives Florentinos, manu Matthæi notarii.

Albertus presbyter sancti Jacobi de Modiona, mandato Nicolai canonici Arretini & pro-vicarii Guillielmini archidiaconi Arretini dedit possessionem ecclesiæ sancti Blasii de Pratali Tedesco clerico, ad honorem Dei & sancti Blasii, prioris Camaldulensis, cui subjecta erat dicta ecclesia, plebani de Partina, & abbatissæ sancti Johannis-evangelistæ de Prato-veteri die undecima augusti. Hi omnes videntur jus-patronatus obtinuisse in dictam ecclesiam.

Benvenutus Hugonis, qui erat capellanus ecclesiæ sancti Michaelis de Lappurano & conversus monasterii sancti Victoris de Clusis, omnia sua bona mobilia & immobilia tradidit hoc anno dicto monasterio, cujus abbas Gratia suffectus fuerat in locum Morici. Eodem anno abbas monasterii Vallis-castri erat adhuc Petrus, ut liquet ex præcepto, quod ipse fecit hominibus sui cœnobii. Eremum autem sanctæ Mariæ Camaldulensem de Bononia regebat Bonus, qui circa hunc annum enumerationem confecit omnium possessionum suæ ecclesiæ, quam scripsit *ad honorem summi pontificis, & Guidonis prioris eremi Camaldulensis, & communis Bononiæ, & scholarium in civitate Bononia commorantium, scilicet Gallicorum, Flandrensium, Pictaviensium, Hispanorum, Anglicorum & Normandiorum, tempore papæ Gregorii & Frederici imperatoris.* Ex quo monumento dignoscitur, quantum tunc temporis artium & literarum studium in urbe Bononiensi floreret, ad quod ex omni Europæ regione confluebant scholares, licet aliquo tempore Fridericus imperator infensior in Bonon-

nonien-

ANN. CHR. 1240.

nonienſem urbem nullam operam non præſtitiſſet, ut ſtudium ab ipſa removeretur. Seriem autem priorum ejuſdem Bononienſis eremi dat Bonus; ad annum 1200. Martinum, ipſo & ſequenti anno Samſonem, anno 1205. Richardum, 1211. Uguccionem, 1218. & 1227. Guidonem, 1231. Joſephum, 1232. Mainictum. Nominantur etiam in ea pagina *miniſtrales ſocietatis Ultramontaneorum*, *cinapriatores*, *miniatores*; cujus prolixi monumenti aliqua excerpſimus, quæ exhibemus in Appendice ex autographo parthenonis ſanctæ Chriſtinæ de Bononia.

a §. *Electio* 23.

Depoſitò Ventura [a], quem ſibi elegerant in priorem monachi & converſi monaſterii ſanctæ Mariæ de Aveſa prope Veronam, ſuffectus fuit in ejus locum Nicolaus monachus, cui prius data fuerat cuſtodia dicti cœnobii a Guidone priore Camaldulenſi.

b *Arch. Ravenn. H.* 3219.

Abbati Galeatenſi præcepit hoc anno [b] Thomas prior canonicæ ſanctæ Mariæ de Rheno Bononiæ ex commiſſione cardinalis legati, ne una cum archiepiſcopo Ravennate Thederico, & epiſcopo Sarſinate ullum ſubſidium ferret provinciæ Romandiolæ ſub pœnis &c. De Thoma celebratiſſimo priore videatur Trombellius [c] in hiſtoria ejuſdem canonicæ domus.

c *Pag.* 283.

Hoſpitalis ſancti Jacobi de Spata urbis Patavinæ primam mentionem reperimus ſub hoc anno in charta Porcilienſis monaſterii. Nominatur etiam in aliis chartis Patavinis ad annum 1295. Erat hocce hoſpitale in burgo ſanctæ Crucis ejuſdem Patavinæ urbis, ſubjectum poſtea monaſterio noſtro ſancti Michaelis de Muriano eo loci, ubi modo erecta eſt eccleſia ſanctæ Mariæ de Salute, quæ æque ſubjicitur eidem cœnobio.

XLI. Donationes Fullinates. De hoſpitali Altipaſcii.

EXTANT in tabulario ſanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina Cenetenſis diœceſis donationes factæ hoc anno in provincia Cadubrii dicto monaſterio, alteri quoque ſanctæ Juſtinæ de Serravalle, & demum hoſpitali ac manſioni ſancti Jacobi de Altopaſſu. Abbas cœnobii de Fullina erat Ayulfus Anſelmi ſucceſſor, qui die VI. exeunte aprili hujus anni [d], in præſentia Sulimani abbatis hoſpitalis de Plavi, Schinellæ filii quondam Enſediſii comitis & aliorum a Biacquino de Camino filio quondam Guecelli, & a Guecello filio Biacquini traditionem cujuſdam vaſſallatici accepit; & anno ſequenti [e] cum litem haberet coram Manfredino epiſcopo Vicetino contra priorem ſancti Bartholomæi de Vicetia ordinis ſancti Marci, ſindicum, qui pro ſuo monaſterio ageret, creavit. Celeberrimi autem hoſpitalis de Altopaſſu vel Altopaſcio in diœceſi Lucana hiſtoriam illuſtravit Cl. V. Johannes Lamius in ſuis Deliciis Eruditorum productis veteribus documentis, cujus collectioni, ex authentico [f] ejuſdem Fullinatis monaſterii, addi poterit inſtitutio procuratoris facta a magiſtro generali anno antecedenti pro recipiendis legatis piis in Venetiarum finibus; ſcilicet per hoc tempus fratres dicti hoſpitalis longe lateque ſe extendebant. Ejus ſindici electio eſt hujuſmodi.

d *Num.* 1448.

e *Num.* 1421.

f *Lib. G. n.* XI.

In nomine altiſſimi Jeſu Chriſti viventis in ſecula amen. Ex hac publica ſerie literarum fide indubitali teneant univerſi, quoniam qui in die ambulat, non offendit, & qui male agit, odit lucem. Ideo dominus Galligus miſeratione divina magiſter & cuſtos hoſpitalis ſancti Jacobi Altipaſſus volens omnem dubitationis ſcrupulum a mentibus hominum removere & omnia in luce facere, cum conſilio, conſenſu & voluntate fratrum & conventus ejuſdem manſionis ad ſonum majoris campane dicti hoſpitalis more ſolito congregati, & ipſi iidem fratres & conventus fecerunt & conſtituerunt Bontempum fratrem dicti hoſpitalis eorum & dicte manſionis procuratorem & verum nuncium ad querendas & recipiendas helemoſinas in Padua, in Vincentia, & in Feltri & Belluno, & in Treviſi, & in Ceneda,

neda , & in Concordia , & in episcopatu predictarum civitatum , & per totum patriarchatum Aquilee , & per Istriam & Sclavoniam , & ad faciendas confratrias , investitiones & promissiones , & ad petenda & recipienda judicia & legata , & alias liberalitates , que in predictum pium locum ab aliquo fideli fuerint deputata vel collata , & ad constituendum alios nuncios pro predictis querendis , recipiendis , faciendis & promittendis , & ad petendum , causandum & exigendum totum & quidquid ipsi mansioni debetur quocumque jure vel modo , & ad capiendum , si quos invenerit , falsatores helymosinam pro dicto hospitali injuste petentes. Promittentes dicti magister , fratres & conventus firmum & ratum habere & tenere ea omnia & singula , que dictus frater Bontempus de omnibus suprascriptis & quolibet suprascriptorum fecerit & constituerit . Valitura hec procuratio de hinc ad kalendas maii proximas. Acta sunt hec in dicto hospitali coram Petro quondam Tarpini , & Ricardino quondam Servilli , Benetto filio Reguli & Pratese quondam Calendini rogatis testibus. Anno nativitatis Domini millesimo ducentesimo trigesimo nono indictione tertiadecima quintodecimo kalendas novembris. ANN. CHR. 1240.

Diomeldiede imperialis aule judex & notarius omnibus suprascriptis interfui , & rogatus scripsi & publicavi.

Ego Wacelus sacri palatii notarius hoc instrumentum &c. exemplavi & corroboravi.

XLII. Origo parthenonis S. Margaritæ de Torcello & historia.

EIDEM Fullinati monasterio subjiciebatur monasterium sanctæ Margaritæ de Torcello ex apostolica commissione , cujus ædificatio ad hæc tempora pertinet. Ipsum in vinea, quam ære proprio comparavit , construi præcepit Agnes Longo Veneta matrona , quæ assumptis in propositi societatem nonnullis religiosis mulieribus , ibidem monasterium sub beati Benedicti regula fundare constituit . Surgenti vix cœnobio acriter vigore privilegiorum suorum obstitere Cistercienses monachi , qui proximum divi Thomæ cœnobium incolebant . Lis dirimenda Petro Pino Castellano episcopo commissa fuit a Gregorio papa IX. is pro sanctimonialibus sententiam tulit. Verum monachis sancti Thomæ interposita appellatione ad sanctam sedem a judicio reluctantibus , idem summus pontifex appellationem remisit abbati sanctæ Trinitatis de Brundulo in Clodiensi diœcesi *die prima decembris hujus anni* M. CC. XL. *pontificatus sui anno* XIV. qui cum Cisterciense institutum profiteretur recens in suo monasterio introductum, loci novi possessionem monachis adjudicavit . Itaque coactæ sanctimoniales etiam ipsæ apostolicam sedem adire , ad Gregorii successorem Innocentium IV. provocavere, qui W.. episcopo Clodiensi , archidiacono Torcellano, & P.. plebano Litoris-majoris *die* XXII. *decembris pontificatus sui anno primo* , hoc est anno 1243. dedit in mandatis , ut revocata in statum debitum omni actione post appellationem temere præsumpta , causam eamdem prævia ratione deciderent . Clodiensis episcopus & P.. plebanus Litoris-majoris Thomam Arimundum canonicum ducalis basilicæ sancti Marci Venetiarum sudelegarunt , qui testibus examinatis , cum comperisset Agnetem monasterium sacrarum virginum cum ecclesia & officinis suis sumptibus construxisse , causam sanctimonialibus victam dedit , perpetuumque silentium Cistercienfibus monachis sancti Thomæ indixit anno 1244. cui sententiæ accessit robur confirmationis apostolicæ post duodecennium per Alexandrum IV. *anno* M. CC. LVI. *die* XI. *julii* mandantem priori monasterii sanctæ Mariæ de Virginibus Venetiarum ordinis sancti Marci , ut firmiter observaretur judicium ab Arimundo latum . Dum hæc agebantur, sanctimoniales sanctæ Margaritæ, quæ jam ordinem Cister-

Ann. Chr. 1240. Cisterciensem amplexatæ fuerant, sub apostolicæ sedis protectione recepit idem Innocentius IV. *die* XXVIII. *septembris anni* M. CC. XLIV. *pontificatus sui anno secundo*. *Anno* sequenti M.CC.XLV. *octava die augusti* Lugduni existens indulgentiam concessit visitantibus earum ecclesiam; *Anno* autem IX. sui regiminis, *Christi* M. CC. LII. *die* XI. *februarii* roboravit apostolico diplomate exemptiones ab episcopo Torcellano eidem monasterio concessas. Commiserat idem Romanus pontifex Alberto Ayulfi successori, abbati sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina, ut visitationis officium impenderet præfatis sanctimonialibus semel in anno; verum abbas licet pluries requisitus hactenus efficere neglexerat; quare iterum præfatum visitationis munus ipsi demandavit X. *kalendas martii pontificatus sui anno* X. *Christi* M. CC. LIII. ex urbe Perusio, & adhuc renuentem & surda aure pertranseuntem abbatem tertio præcepto in virtute obedientiæ adegit, ut inobedientiam præcedentem per obedientiam redimens mandata apostolica adimpleret. Datum *Laterani* VI. *idus aprilis anno pontificatus sui undecimo*, nempe anno M. CC. LIV. Denuntiavit abbati Sanæ-vallensi pontificium præceptum Cæcilia prima abbatissa sanctæ Margaritæ post Agnetem fundatricem. Certam deinde de injunctis pœnitentiis remissionem indulsit omnibus adjutrices ædificationi monasterii & ecclesiæ manus porrigentibus Thomas Francus Castellanus post Petrum Pinum episcopus, & post annum 1260. & etiam indulsere Guilliemus Arcadiensis & Angelus Civitatis-novæ episcopi.

Ceterum perduravit correctio, reformatio & visitatio hujus monasterii facta ab abbatibus Fullinatibus duobus fere seculis. Verum seculo XV. Petrus abbas ejusdem cœnobii in alterum abbatem sancti Thomæ de Torcello visitationem hujusmodi transtulit, obtento beneplacito apostolico ab Eugenio IV. dummodo in alterius præjudicium id non redundaret. Hanc tamen translationem cum in jurium suorum præjudicium & enormem læsionem redundasse conquestus esset apud Nicolaum V. Eugenii successorem S. R. E. tituli sancti Marci presbyter cardinalis Petrus Barbo, monasterii sanctæ Mariæde Fullina abbas commendatarius, Nicolaus irritavit, revocatis tum Petri abbatis cessione, tum Eugenii IV. literis, & præfatum monasterium de Fullina quoad visitationem, reformationem & correctionem parthenonis sanctæ Margaritæ in pristinum statum redintegratum & redactum voluit anno M. CCCC. LIII. die octava julii. Petrus cardinalis die XXVI. augusti ejusdem anni Laurentium Justinianum patriarcham Venetiarum vicarium suum, præsidentem & locum-tenentem elegit, cum ampla potestate gubernandi, visitandi, & secundum statuta Cisterciensis ordinis corrigendi, impartiendi etiam consecrationis munus quinque sanctimonialibus ejusdem asceterii die XV. septembris anni M. CCCC. LIV. Factus summus pontifex idem Petrus sub nomine Pauli II. monasterium sanctæ Margaritæ exemptum declaravit ab omni Cisterciensis ordinis obedientia, subjecitque Johanni Baroccio patriarchæ Venetiarum. Demum monasterium vetustate dirutum, & aeris insalubritate noxium Leo papa decimus anno M. D. XXI. die XVII. januarii univit & adnexuit alteri parthenoni sancti Matthæi de Majurbio, deductis ad istud octo sanctimonialibus reliquis sanctæ Margaritæ. Has omnes notitias acceptas referimus Cl. viro & præstantissimo Senatori Flaminio Cornelio, qui tum historiam relati monasterii, tum chartas historiam confirmantes protulit parte prima ecclesiarum Torcellanarum paginis 309. & 350. & sequentibus.

XLIII. Renovatio privilegii Gregorii M. facta a Gregorio IX. monasterio S. Gregorii de Urbe.

Renovavit hoc anno Gregorius papa IX. privilegium nimia vetustate prope consumptum antecessoris sui homonymi, magni scilicet Gregorii,

gorii, datum Maximo abbati sancti Andreæ apostoli ad clivum Scauri, quod integrum etiam inseruit suæ confirmationis bullæ, & ex regesto epistolarum ejusdem Gregorii IX. anni sui pontificatus XIV. epistola C. LXXIV. ex bibliotheca Vaticana hic edimus.

Ann. Chr. 1240.

Gregorius episcopus servus servorum Dei .. abbati & congregationi sancti Gregorii de Urbe salutem & apostolicam benedictionem.

Nuper in nostra præsentia privilegium a beatissimo Gregorio papa vestro concessum monasterio exhibentes nobis humiliter supplicastis, ut cum illud, quod est in papyro conscriptum, esset jam præ nimia vetustate pene deletum, ipsum sub bulla nostra apostolicis annotari literis mandaremus. Nos igitur vestris precibus benigno condescendentes assensu, & eidem monasterio, quantum cum Domino possumus, providere volentes, tenorem præfati privilegii præsentibus fecimus de verbo ad verbum literis exarari; dictus autem tenor talis est: Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectissimo filio Maximo abbati monasterii sancti Andreæ apostoli, qui appellatur Clivi Scauri, cunctæque ejus congregationi Deo ibidem servienti in perpetuum. Conversionis meæ primordia reducens ad animum multum me monasterio sancti Andreæ apostoli, cujus esse abbas dignosceris, invenio debitorem, propterea quod in eo monasticum habitum & conversandi sumpsi divinæ potentiæ gratia protegente principium, cui licet multa, sicut præfatus sum, debeam, hoc tamen munusculum privilegii humili interim offerre devotione prospexi. Statuo enim, & a meis successoribus observandum sine aliqua refragatione constituo, ut tam tibi, quam cunctis, qui in eodem monasterio gesserint abbatis officium, nullique de congregatione liceat loca vel prædia, quæ ante hos tres annos suprascripto monasterio meo donare visum sum, seu in antea a quibusdam ibidem sunt donata, ex hoc distrahere liceat cuicumque, vel qui antistes fuerit ejus, cui Deo auctore ecclesiæ deservimus, aut quicumque homo potens, vel inferior alienare visus fuerit, vel auferre conatus, nisi in proprium reduxerit, ante Domini nostri Jesu Christi in examine diei magni adventus ejus tribunal mecum ibidem rationem erunt facturi. Ipsum enim judicem peto, qui est retributor omnium secundum proprios actus suos, ut qui inventus fuerit monasterium meum defendere justitiæ tramitem sectans, a dextris inveniatur in loco lucis constitutus, quæ ad hoc me concedendum devotione affulsit. Quia vero perpetuo tempore hæc servari desidero, adjiciens decerno, ut hæc semper in sua firmitate permaneant; & hoc constitutum nullus qualibet exquisita nitatur arte dissolvere. Quod si quis hac in re contrariam temtaverit mentem ostendere, cum beato Andrea apostolo & mecum se ante omnipotentem Deum rationem habere cognoscat, de cujus molitur liminaribus hæc, quæ a nobis sunt ordinata, destruere. Deus te custodiat incolumem dilectissime fili †. Nulli ergo &c. nostræ annotationis &c. Si quis autem &c.

Datum Laterani decimo-septimo kalendas decembris anno XIV. *pontificatus nostri.*

Ex hujus Gregorii M. privilegio liquet Maximum monasterio sancti Andreæ præfuisse tempore pontificatus ipsius Gregorii. Evidentissimum etiam argumentum desumitur monachatus summi ejusdem pontificis in eodem monasterio, quam provinciam jam executi sunt clarissimi viri, dum in minoribus esset, & ipsius donationum factarum eidem cœnobio. Abbas hujus monasterii ad annum 1230. erat Petrus, iterum ad annum 1260. & sequentes abbas erat idem, vel alter Petrus, cujus nomine signantur paginæ codicis Gregoriani ad ea tempora, siletur tamen abbatis nomen in superiori Gregorii IX. privilegii confirmatione.

Ann. Chr. 1240. XLIV. Monumenta vetera ejus monasterii.

Data occasione disserendi de monasterio Sant-andreano, sive Gregoriano ad clivum Scauri, nolumus præterire hic loci veterem inscriptionem, cujus characteres redolent indolem hujus XIII. seculi, quæ prostat in atrio sacræ ædis beatæ Mariæ dicatæ ad dexteram partem ecclesiæ Gregorianæ, quæque proinde inscriptio vel ex veteri fuerit restituta, vel primum apposita occasione facile reaptationis ejusdem sacelli, ad antiquioris historiæ cognitionem.

LOCVS. HIC. EST

QVEM. JOHANNES. DIACONVS

FONTEM. GREGORIANVM. ADMIRABILEM

ET. SALVBERRIMVM. VOCAT

E. CVIVS. TECTO

DOMINICVS. MONASTERII. PRAEPOSITVS

AD. MALVM. VSVM. TEGVLAS. AVFERENS

SANCTVM. GREGORIVM. SENSIT. VLTOREM.

Historiam ceteroquin putidam enarrat Johannes diaconus [a] de hoc Dominico Gregoriani monasterii præposito, tempore Zachariæ episcopi Agnanini rectoris ejusdem cœnobii sub Johanne VIII. Romano pontifice; Dominicus scilicet carnis fragilitate corruptus post constupratam quamdam Eupraxiam sanctimonialem, ut furnum ipsi & latrinam construeret, non dubitavit ligna & tegulas subripere saluberrimi fontis Gregoriani dicti, quam temeritatem inultam non reliquit sanctus loci sui protector Gregorius, nam verberibus dilaniatum sexto die miserabiliter interire fecit Dominicum, ut fuse prosequitur idem Johannes diaconus.


a Vit. S. Gregor. cap. XCVII.


Copiose quoque primo horum Annalium tomo disseruimus de codice Gregoriano nuperrime redempto, magnaque fortuna postliminii jure donato, & redeunte ad idem monasterium, ad quod primitus spectabat, ex quo multa vetera monumenta in Appendice produximus, & etiam in consequentibus producemus. Cum paginis aliquot careat, ipsum supplemus in partem ex codicibus Vaticanis, & ex mss. Onuphrii Panvinii extantibus penes nobilissimum & clarissimum marchionem Pompejum Frangepanium Romanum, qui singulari, qua est præditus, comitate exscribere permisit, & utinam ocius pervenissent ad nos ea vetera monumenta, quæ proinde cum locis & annis suis inserere non licuerit, collecta ultimo loco in Appendice damus, constituuntque cum aliorum aliquot monasteriorum monumentis alteram quodammodo Appendicem. Prima pagina ex Panvinii ms. opere de gente Anicia continet donationem Gregorii factam monasterio Sant-andreano anno 588. Secunda, tertia, quarta & quinta ex codice Vaticano num. 6883. donationes exhibent factas annis 984. 992. 998. & 1019. Illustratur ex iis chorographia agri Romani. Sed in tertia, quæ Ottonis III. privilegium exhibet, notæ chronicæ sunt omnino vitiatæ. Sexta pagina pertinet ad annum 1051. & tum ex codice Vaticano num. 6168. tum ex Panvinio lib. II. ms. de gente Maxima profert locationem castrorum Pauli, & Sancti-Johannis factam a Benedicto abbate Johanni nobilissimo comiti. Septima ex Panvinio de gente Matthæja, pretiosum est monumentum pluribus historicis notitiis respersum spectans ad annum 1139. quod querelam continet Petri abbatis San-gregoriani contra Odonem de Polo, & judicata Innocentii II. Romani pontificis in ea causa pro eodem monasterio.

Eadem

Eadem opportunitate adjecimus ex codice Vaticano-Alexandrino num. 378. paginam donationis Petri ducis & comitis filii Saveri comitis, & Actiæ comitissæ ejus uxoris factæ anno 973. monasterio sancti Apollinaris-novi de Ravenna; tempus ex ipsa addiscitur introductionis monachorum in eam basilicam; placitum quoque Gualterii archiepiscopi Ravennatis pro Martino abbate sancti Apollinaris-novi contra Johannem abbatem sancti Apollinaris in Classe ad annum 1127. Postremo loco proferimus chartas omnes ad canonicam olim, nunc Camaldulensium monasterium, sancti Marci de Mantua spectantes. Ann. Chr. 1240.

In necrologio monasterii sanctæ Mariæ ad Carceres sub hoc anno, & die VII. septembris legitur: *Decollatus fuit dominus Alidutus, qui advocatus dicebatur, a domino Thebaldo Francisco vicario imperatoris in civitate Paduæ.*





ANNALES CAMALDULENSES

LIBER QUADRAGESIMUS.

Ab anno CHRISTI M. CC. XLI. *ad annum* M. CC. L.

ANN. CHR. 1241.
I.
Parisii monachi Camald. sanctæ actiones.



LOREBAT his temporibus in Tarvisina urbe beatus Parisius, qui prope centenarius curam gerebat sanctimonialium Camaldulensium sanctæ Christinæ. Dolendum vetera non existere monumenta, ex quibus haurire possemus certa sanctitatis ipsius documenta. Anno 1748. vitam sancti Parisii una cum veteribus memoriis monasterii sanctæ Christinæ typis edidimus, & in ipsis observavimus antiquiorem ipsius vitam eam fuisse, quam se legisse asserit Ambrosius Traversarius præses noster generalis in suo Hodœporico, cum visitaret anno 1433. dictum sanctæ Christinæ monasterium. Forte ipsam vidit & Nicolaus Malerbius monachus sancti Mathiæ de Muriano, & abbas sancti Michaelis de Lemmo in Histria, qui cum ceteris Sanctorum vitis anno 1475. vitam edidit sancti Parisii collectam ex processu facto anno post obitum sancti viri ab Alberto Ricco episcopo Tarvisino. Ipsam itaque Malerbii vitam ex vulgari & italico idiomate hic vertimus in Latinum. „ Missus fuit Parisius „ ad locum monialium sanctæ Christinæ de Tarvisio tamquam earum cu„ stos & rector, in quo loco magna cum honestate & laudabili vita de„ git annis circiter octuaginta. Ipsius vita admirabilis fuit ratione jeju„ niorum, vigiliarum, orationis, & laboris manuum suarum, & afflictio„ num corporis. Panem otiose non comedebat. “ Refert deinde examen habitum ab eodem Tarvisino episcopo, ex quo dignoscitur ejus vitæ ratio. Ex ipso itaque colligitur, „ quod integre, & ordinate regulam suam „ observavit, obedientiam præstitit majoribus suis, immo abbatissis ipsis „ monasterii & monialibus, honeste & caste absque ulla suspitionis nota „ conversatus est, sanus & infirmus nil proprii habuit, jejunia regulæ & „ constitutionum Camaldulensium perfecte adimplevit etiam temporibus „ malæ valetudinis, subtrahens sibi cibum, & pauperibus impertiens, ve„ stitus dormivit, laboravit manibus suis, semper assiduus orationi & ec„ clesiasticis officiis; charitatis amore dilexit sorores monasterii, confor-

„ tans

„ tans & instruens omnes tam in sacramentis suscipiendis, quam in iis „ excitandis ad Dei servitium. Cum prope monasterium sanctæ Christinæ extructum esset hospitale pro excipiendis pauperibus & peregrinis, „ ipsorum sollicitam & amore plenam curam gerebat, & moniales provocabat ad eamdem sollicitudinem. Temporibus vetitis silentium continuum servabat. Cum centum & pluribus annis esset gravatus, neque „ stare aut sedere posset, jejunia complebat, licet episcopus urbis ipsum „ ab eorum obligatione exemisset, ac hortaretur, ut ratione infirmitatis „ cibis salubribus vesceretur. Claram memoriam, luculentam intelligentiam & laudabilem discretionem ad mortem usque retinuit &c. “ Hæc ex Malerbio est depositio facta coram episcopo ab abbatissa; idipsum confirmarunt ceteræ moniales. Reliqua de Parisio ignorantur. Affirmatur quoque, quod frequentes conciones ad populum Tarvisinum habuerit, stimulatus ab ardenti caritate, qua flagrabat, & cum non valeret occultare cœleste prophetiæ donum, prædixerit cædes omnes & ærumnas, quæ urbi Tarvisinæ imminebant, & inter cetera præviderit ruinam sui monasterii, quod postea ex suburbio seculo XIV. intra urbem translatum fuit. Parisii miracula, dum viveret, ad alios annos amandamus. Interim animadvertimus etiam monasterium sanctæ Christinæ de Tarvisio fuisse unum ex duplicibus, in quo separatis habitationibus degebant monachi & moniales. Specimen hujus rei habemus ad annum 1267. [a] quo die vigesima-quarta octobris Hieremias prior monasterii sanctæ Christinæ se abdicavit ab officio prioratus in manibus Angeli prioris generalis; subinde alii hujus monasterii priores leguntur, licet mense aprili ejusdem anni describantur nomina sanctimonialium, quæ in eodem parthenone vivebant. An Parisius officium gesserit prioris ante Hieremiam non liquet, sicut constat ipsum sacrarum virginum confessiones sacramentales excepisse, & pabulo verbi Dei fovisse prælongo octuaginta annorum curriculo.

Ann. Chr. 1241.

a. Regest. I. pag. 124.

II. De cardinalibus & episcopis captis a Friderico II. imp.

Præsenti *anno millesimo ducentesimo quadragesimo-primo*, *quinto idus februarii pontificatus* sui *anno decimo-quarto* Romanus pontifex Gregorius ex Laterano renovavit Guidoni priori Camaldulensi privilegium absolvendi ab excommunicatione eos, qui aliquibus criminibus gravati ad religionem Camaldulensem confugiebant, & aliquo censuræ genere essent innodati. Post hæc sollicitus in primis pro congregando œcumenico Lateranensi concilio contra Fridericum II. imperatorem Romanæ ecclesiæ semper perduellem, licet ætate prope centenaria gravatus, nulli non parcebat operæ, ut quietem toti ecclesiæ restitueret. Res infelicem tamen exitum sortita est; ex charta enim Pisana novimus Martinum abbatem monasterii sancti Michaelis ejusdem urbis hoc *anno* M. CC. XLII. more Pisano, *indictione* XIV. *quarto idus junii* numerasse Ricovero camerario Vitalis Pisani archiepiscopi libras decem denariorum Pisanorum pro impositione sibi facta ex mandato Jacobi Prænestini epicopi, & Oddonis diaconi sancti Nicolai in carcere Tulliano cardinalium apostolicæ sedis legatorum, occasione procurationum & expensarum factarum a præfato archiepiscopo pro dictis legatis, aliisque prælatis *nuper infortunio miserabili captis*. Fridericus siquidem metuens, ne in concilio de ipsius depositione ageretur, Entium nothum filium suum cum classe maritima contra prælatos ad concilium venientes destinavit, quos captivos fecit, legatos imprimis Gregorii pontificis cardinalem Jacobum de Pecoraria Placentinum & episcopum Prænestinum, ac Oddonem Blancum filium Guillelmi III. marchionis Montis-ferrati diaconum cardinalem, quamplurimos præterea episcopos, aliosque Galliarum, Hispaniarum ceterorumque regnorum præsules, qui supra tri-

Ann. Chr. 1241.

triginta Januensium triremes Urbem adibant concilium celebraturi, quæ miserabilis captura contigit juxta insulas vocatas Igilium & Planosam, non longe a Liburni litoris ora. Hos sub arctis custodiis per Neapolitani regni arces disperdidit, atque maceravit crudelis imperator, usque dum Balduini Constantinopolitani imperatoris petitionibus post biennium utrique cardinali, & sancti Ludovici IX. Galliarum regis postulationibus commotus paucis iis episcopis, qui gravibus ærumnis supervixerant, justam libertatem restituit. Iis aliisque adversis summe mœrens & afflictus, pergrandi etiam ætate pressus Romanus pontifex Gregorius die vigesima-prima augusti hujus anni dies suos clausit, mundo memorabile exemplum relinquens perfracti virilisque animi in corpore doloribus annisque effœto. Ipsius obitus in necrologio parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia refertur ad diem sequentem, quæ fuit depositionis dies. *Undecimo kalendas septembris obiit bonæ memoriæ domnus Gregorius papa nonus, qui cellam suam in heremo consecravit.* Ipsius memoria viguit semper, vigetque ad hodiernam diem apud nos, sed potissimum in eremo Camaldulensi, ubi cella ab ipso consecrata nomen retinet cellæ domini papæ. Præter scriptores omnes nostros, Gregorium IX. Camaldulensem, accommodatitio profecto adjuncto, faciunt Arnoldus Wion, & Gregorius Kolb in serie Romanorum pontificum, aliique. Revolvantur etiam, quæ de ejus Subasiani monasterii regimine ante Romanæ ecclesiæ dignitates alibi collegimus; quo regimine admisso, potiori ratione & fundamento ad Camaldulenses pertinebit sanctissimus pontifex.

III. Sanctimoniales introductæ in monasterium Buldronense.

Circa hunc annum in monasterio Buldronis tertio ab urbe Florentia lapide, de quo monasterio seu eremo multa loquuti sumus ad annum 1191. instituta fuit sacrarum virginum congregatio, ubi hactenus monachorum seu eremitarum fuerat domicilium. „ Refloruit sacrum virginum „ collegium, scribit Fortunius, a suis exordiis tantum eremiticæ vitæ no„ vitate, ut vix semel in anno parentes, cognatos & affines alloquendi „ cuiquam permitteretur facultas, sicuti ex monimentis Guidonis genera„ lis vidimus. " Aliqua deinde profert de beata Elisabeth Salviata abbatissa hujus monasterii; sed hæc vixit seculo xv. De Philippa itidem Biblenense narrationem instituit, de qua, quandoquidem ignoratur tempus, quo floruit, hæc pauca ex eodem Fortunio exscribimus. „ Ea, Philippa „ nimirum, ad Deum migrante, Ormanotti Detii filia capillos in villa „ non longe e cœnobio sita ad solem abstergebat. Hæc autem ejus ani„ mam in medio duorum angelorum cum candelis accensis ad cœlum de„ ferri videns, ad domesticos, ut ad mysterium respicerent, inclamabat, „ quando mater, dum pro *Avemaria*, quod ajunt, pulsarent sanctimonia„ les, ad cœnobium veniens, sponsam Christi ad cœlum evolasse compe„ rit. " Si hæc ex Guidonis generalis monimentis decerpsit Fortunius, obitus Philippæ statuendus est inter præsentem annum, & inter annum 1248. emortualem Guidonis. Prosequitur historicus noster: „ Extendit „ deinceps palmites suos olim Buldronis congregatio ad monasterium san„ ctæ Mariæ Querceti vici sancti Galli, (de quo nos seculo sequenti) „ & ad monasterium sanctæ Trinitatis Florentiæ ad portam Faventiæ, „ quorum alterum xenodochio Bonifacii copulatum est, alterum ædifica„ tioni arcis cessit urbis, ficut publicis instrumentis ibi vidimus. His „ enim monasteriis abbatissæ ex Buldrone mitti consueverunt, quemad„ modum & cœnobio Genistæ apud Montem-varchi, ubi Helena Bischari „ præfecta est abbatissa circa annum 1445. "

Exemplum manumissionis servi factæ hoc anno a Scholastica abbatissa sanctæ

sanctæ Christinæ de Septem-fontibus proferimus in Appendice ex autographo conventus sancti Francisci Bononiensis urbis.

ANN. CHR. 1241.

IV. Obitus Alberici & Stephani Vendanorum eremitarum.

OBIERUNT hoc anno post triginta-duos solitudinis illustres Vendani eremitæ Albericus de Burgo-ricco & Stephanus de Trimignone; de quibus multa diximus ad annum 1162. ex relatione Petri Marcelli Patavini antistitis. Edidere Marcelli narrationem tam Ughellius tomo V. Italiæ sacræ [a] in episcopis Patavinis, quam Secundus Lancellottus [b] in historia Mont-olivetana, sed, ut Marcelli relatio sibi constet, in Ughellio corrigenda est dies obitus sancti eremitæ Alberici. De ipsis enim hæc habet Marcellus. „ *Isti beati patres sanctissimam vitam eremiticam duxerunt usque ad finem, & feliciter consummatis in sancta conversatione simul triginta-duobus annis, in eodem anno secundus post primum quadraginta sex diebus interpositis, sicut fuerant a Domino ad eremiticam vitam vocati, sic pariter ad æternam vitam beato fine feliciter transierunt*. Et inferius: *Beatus Albericus migravit ad Dominum anno* M. CC. XLII. *idibus augusti, post cujus felicem obitum beatus Stephanus ejus socius secutus est illum die* XVI. *septembris, & sic diebus paucis post alium mortuus est*. Porro a die quinta-decima augusti ad diem sextam-decimam septembris non quadraginta-sex, sed triginta-tres dumtaxat decurrunt dies. Quare post Lancellottum & Buccellinum in Menologio, Grandius noster in Agiologio ms. legit pro idibus augusti *die secunda augusti*, qua die statuit Albericum decessisse, Stephanum autem die decima-sexta septembris. Apud eumdem Ughellium deest memoria digiti sancti Johannis-baptistæ, qui venerationi expositus erat in ecclesia Vendana, sive typographi oscitantia, sive auctoris consilio, ne Florentinis concivibus suis eumdem digitum (nam indicem dexteræ manus etiam Vendani se habere gloriantur) possidere prætendentibus aliquod præjudicium inde fieret; lectio itaque Lancellotti est præferenda, qua etiam nos ad annum 1162. usi sumus, & in qua exprimitur memoria existentiæ digiti sancti Johannis-baptistæ in monasterio Vendano.

[a] Col. 442.
[b] Pag. 167.

Hæc pauca ad varia monasteria spectantia excerpsimus ad hunc annum. Juncta vicecomes & sindicus Camaldulensis [c] *die decima-nona septembris* publice pro eremo iniit possessionem castri de Planetulo & omnium domorum & platearum ipsius castri. *Die decima-quinta octobris* [d] Benedictus camerarius Camaldulensis electus fuit abbas Morronensis. Vergelinus [e] prior monasterii sancti Romani de Ferraria delegatus domini G.. de Monte-longo sedis apostolicæ legati litem quamdam definivit pro monasterio sanctæ Mariæ Camalduli de Bononia, committens abbati sancti Stephani ejusdem urbis, ut in possessionem rerum controversarum mitteret idem monasterium. Uguccio Paduanus canonicus cum consensu & voluntate Guillielmi Adriensis episcopi *die decima junii* causam terminavit inter abbatiam Vangaticiensem & Guidonem ejus abbatem, & inter tutores duorum pupillorum circa decimam villæ Venezæ, quam asseruit pertinere ad monasterium Vangaticiense; extat ipsa apud Silvestrium in Paludibus Adrianis [f].

[c] §. Amissa 433. A. 157.
[d] §. Electio 25.
[e] §. Tenuta 7. A. 3. 16.
[f] Pag. 164.

ANN. CHR. 1242.

V. Chartæ monast. S. Mamiliani Montis-Christi.

JUXTA postrema præcepta Romani pontificis Gregorii, dum viveret, sedata fuerat antecedentibus annis defectio, & repressa protervia monachorum Montis-christi per Martinum abbatem monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum, ope etiam postulata potestatis & communis Plumbini, atque cœnobio restitutus fuerat abbas inde fæde a monachis ejectus. Is videtur fuisse Comes, post quem factus abbas Paulus, qui, ut damna abbatiæ illata reficeret postremis præsertim temporibus, omnem navavit

operam,

Ann. Chr. 1242.

operam, ut tum spiritualem profectum, tum temporalia bona ejusdem cœnobii redimeret, potissimum intentus hoc eodem anno, ut recuperaret decimas, quas canonici ecclesiæ Marianensis in insula Corsicæ debebant singulis annis solvere dicto monasterio, & ut etiam emendaret fraudem, quam iidem canonici fecerant in centum libris Januensis monetæ. Lis acta fuit coram Pandulpho episcopo Marianense, qui pronuntiavit canonicos teneri pro fraude deferre statim ad monasterium triginta staria grani, omni autem anno debere solvere decimas de omnibus rebus & animalibus, & laboribus eorum sine ulla contradictione procuratoribus & nuntiis, quos abbas Montis-christi miserit pro decimis colligendis. *Actum apud sanctam Luciam de la Bacaraccia mense martii*. Etiam Albertus prior monasterii sanctæ Mariæ de Canovaria, quod erat subjectum prædicto cœnobio Montis-christi, adiens anno sequenti Opizonem, qui appellatur *potestas rationis in Corsica*, sententiam obtinuit pro monasterio suo, ut ei restituerentur aliquot bona violenter ablata. Utramque paginam proferimus ex veteribus exemplis tabularii sancti Michaelis Pisarum, & postrema prodit etiam judiciorum formam, qua utebantur Corsi. Nominantur in hac quidam Johannes de Campillione, qui erat *confalonerius loci dicti de Tavagna*, & Marcus rector ecclesiæ sanctæ Mariæ de Petra-corbaria de Tavagna *Anno* M. CC. XLIII. *indictione* XVI. Imperitorum notariorum, qui post quintam-decimam indictionem non regrediebantur ad unitatem, sed prosequebantur numerare indictiones, exemplum alterum affert Grandius [a] in appendice Monumentorum ad suam epistolam de Pandectis; anno enim sequenti decurrebat indictio prima.

[a] Pag. 270.

Ad eadem præterpropter tempora reduci debet donatio facta præfato Paulo abbati sancti Mamiliani Montis-christi ab Alberto de Cinerchia, licet pagina, juxta morem ceterarum, omnino sit vitiata in chronicis notis. Legitur enim facta *anno Dominice incarnationis* M. XXXIV. *indictione* VIII. *sexto kalendas julii*, quo anno usurpabatur indictio II. Indictio VIII. postulat vel annum 1234. vel 1250. nisi etiam in indictione lateat error. Albertus itaque donavit ecclesiæ sanctæ Juliæ de Tavaria subjectæ eidem monasterio in manibus Pauli abbatis Montis-christi totum locum ejusdem Tavariæ nomine appellatum. Ceterum Pandulphus episcopus Marianensis, qui concordiæ fuit auctor inter canonicos suos, & inter abbatiam Montis-christi, ceteris episcopis Marianensibus Ughellio ignotis est adjungendus. Legitur in nova Italiæ sacræ editione Opizonem Cortinchum nobilem Corsum ab Honorio III. Marianensem episcopum renuntiatum fuisse anno 1219. Post quem ex veteri editione sexto loco ponitur Rodulphus anno 1242. sed ejus verum nomen innotescit ex superius nominata pagina, quæ nonnihil illustrat ipsius memoriam, vel ante Rodulphum Pandulphus est statuendus.

VI. Præceptum Friderici II. imp. pro monast. Fontis-avellanæ.

Fridericus imperator hoc *anno Dominice incarnationis* M. CC. XLII. *mense julio quinta-decima indictione ex castris prope Aneganum in Telino* (loca facile provinciæ Apuliæ, in qua degebat hoc tempore imperator) privilegium concessit ad instantiam R.. hoc est Raynaldi Ostiensis & Velitrensis episcopi S. R. E. cardinalis priori & conventui sanctæ Crucis de eremo Fontis-avellanæ, quo ipsum monasterium recepit sub sua imperiali protectione una cum omnibus cœnobiis & ecclesiis Avellanensis juris. Nomen prioris Fontis-avellanæ erat Berardus notatus in chartis tabularii ejusdem monasterii ab anno 1239. ad annum 1244. qui successerat Forti priori, cujus nomen superest usque ad annum 1235. Ejusdem Berardi nomen sub hoc anno legitur etiam in chartulario monasterii sanctæ Mariæ foris-

por-

portam de Faventia in charta, qua Bartolum monachum eremi Avellanensis procuratorem suum constituit quoad negotia dicti cœnobii sanctæ Mariæ; & etiam ad annum 1244. in alio libello emphyteutico monasterii Avellanensis. Berardum obiisse magno sanctitatis nomine ad annum 1254. asserit Jacobillius [a]. Plures Berardi adnotantur in necrologio veteri ejusdem loci, sed nullus legitur prior ejus nominis. Ad diem nonam aprilis: *Obiit domnus Berardus sacrista venerabilis eremita;* ad diem vero undecimam februarii: *Obiit domnus Berardus & Baruntius sacerdos & monachus nostræ congregationis & prior heremi*. Facile, quia eadem die uterque Berardus & Baruntius obiit, & uterque fuit prior, alteri tribuitur, quod fuit utrique commune. Raynaldus autem S. R. E. cardinalis assumptus fuit anno 1254. ad regimen universalis ecclesiæ sub nomine Alexandri IV.

ANN. CHR. 1242.

a T. III. pag. 350.

VII. Obitus Verdianæ inclusæ virginis.

OBIIT kalendis februarii hujus anni juxta receptiorem sententiam Veridiana seu Verdiana virgo in Castro-Florentino nata, & in solitario recessu inclusa anno 1208. Eam Franciscus Lahierius in Menologio Gallico Virginum, ductu & præceptionibus Camaldulensium monachorum vitam exegisse scribit. Arturus receptam ipsam tradit ad statum Tertii ordinis a sancto Francisco. Ceteri, Ractius nimirum, Wion, Menardus, Ferrarius, Bzovius, Curtius & Locatellus habitum recepisse Vallis-umbrosæ congregationis affirmant a plebano Castri-Florentini. Floruit ipsa temporibus Ardingi episcopi Florentini; ipsiusque vita extat apud Bollandum in Actis Sanctorum ad diem primam februarii.

VIII. Chartæ ad varia monasteria spectantes.

IN parvo necrologio veteri abbatiæ Carcerum legitur, quod *die secunda aprilis* hujus anni *monasterium combustum est*; ad *diem* autem *vigesimamquintam martii* habetur: *Montagnana tota combusta est per Dei flagellum*.

Septima die exeunte mensis decembris Rodulphus abbas monasterii sanctorum Martini & Ægidii de Campriano diris devovit omnes homines incidentes ligna silvæ, quæ erat consita prope suum monasterium.

Rogerius dominus de Accola filius Thomæ, & patronus monasterii sanctæ Mariæ de Serra, quod erat in comitatu Auximano seu Æsino, vindicabat sibi jus electionis prioris ejusdem loci; Guido e contra prior Camaldulensis, ad quem de jure spectabat hujusmodi electio, irritum declaravit [b] quidquid ab ipso tentatum fuisset, atque ratam habuit, quam tempore visitationis electionem fecit prioris dictæ ecclesiæ Consilius major claustri Fontis-boni, & nomine suo visitator generalis provinciarum Romandiolæ & Marchiæ. Verum cum Acto, qui ex priore alterius loci, nempe sancti Matthæi de Aquæ-perellis, electus sanctæ Mariæ de Serra prior a prædicto Consilio nulla ratione posset adduci ad hujusmodi onus suscipiendum, & Rogerius alia ex parte perfracte vellet suo marte, suaque voluntate priorem dictæ ecclesiæ constituere, has ad ipsum Rogerium literas dedit constanti animo Guido prior Camaldulensis.

b §. Electio 28. A. 3. 39.

Ego G.. peccator monachus Camaldulensium fratrum servus nobili & prudenti viro R.. de Accola. Quia vestris literis nos rogastis, ut ecclesiæ nostræ sanctæ Mariæ de Serra domnum Actonem priorem Aquæ-perellis deberemus concedere pro priore, ut fecimus per publica instrumenta, & per domnum Consilium visitatorem nostrum, a quo licet constrictus per juramentum & excommunicationem, tamen nullo modo acceptare voluit, ad quod & nos precibus & præceptis non potuimus inclinare. Volentes igitur præfatæ sanctæ Mariæ de Serra de persona idonea providere, vestram nobilitatem deprecamur, ut sinatis patienter, salvo in omnibus jure vestro, nos ecclesiæ memoratæ de persona idonea providere. Quod autem nobis significastis, vos velle

Ann. Chr. 1242.

velle sine nostro consilio & licentia priorem eligere & confirmare in dicta ecclesia, nobis displicuit in summum; dixistis etiam, quod si non concederemus vobis domnum Actonem priorem, facietis alium secundum vestræ arbitrium voluntatis, quod esset in nostrum præjudicium & gravamen, & contra sacrorum canonum instituta. Unde si id feceritis, eumdem excommunicamus, & dictam sanctæ Mariæ ecclesiam ponimus sub interdicto, & ad apostolicam sedem vel alium competentem judicem appellamus. Vos tamen rogantes attente, ut sitis nobis, quod antecessores vestri cum antecessoribus nostris fuerunt. Cum vero in sua sententia persisteret Rogerius, Consilius visitator ad sedem apostolicam appellavit, elegitque in priorem Raynaldum ex priore sancti Jacobi de Mandriolis. Cessit Rogerius, & reperimus in eodem tabulario Fontis-boni ipsum anno sequenti die xv. decembris [a] liberasse Johannem Raynaldi successorem in prioratu dictæ ecclesiæ ab omnibus servitiis & usibus, angariis & perangariis sibi debitis, retento tantum jure-patronatus sub pœna centum librarum Ravennatum. De Rogerio Accolæ domino, & de castro Accolæ egit etiam Sartius noster in sua epistola de Cupra-montana [b], ubi hæc habet: „ Est locus „ in Massatiensium finibus, ad divæ Luciæ appellant, ubi pervetus ca„ strum fuisse & consentiens hominum fama & conspicua castrensium mu„ rorum vestigia declarant. Accola dictum est id castrum, nomenque ad„ huc loco hæret. Olim suos dominos habuit de Accola vel Accolæ co„ mites dictos, qui una & Fellonicam obtinebant, vicum nunc plane di„ rutum, & Accolæ vicinum Æsium versus. Ad annum 1251. Corradu„ tius filius domini Rogerii Thomæ Arlocti Accolæ & Fellonicæ domi„ nus societatem cum Æsinis iniit *&c.* Fuit is ultimus Accolæ dominus; „ inde Accolani se Staphylanis dedidere ad annum 1286. demum arx „ Accolæ diruta ad annum 1447. solumque & ager adjacens emptum ab „ Æsinis, & postremo a Massatiensibus &c. “

Marcus abbas Prataliensis [c] patronus ecclesiæ sancti Clementis de Pezza, vacante ipsa ecclesia, una cum parœcianis elegit arbitrum Bencevenem rectorem ecclesiæ sancti Martini de Gello ad eligendum rectorem in ea ecclesia, qui arbiter ad honorem Dei & beatæ Virginis, & divi Clementis, & ad honorem domini electi Arretini, domini archidiaconi, domini plebani de Biblena, & domni Marci abbatis de Pratalia & patroni dictæ ecclesiæ, & ad honorem omnium patronorum, parochianorum & benefactorum ipsius elegit in rectorem ejusdem Bonfiliolum clericum quondam Martini Boncii de villa sancti Zenonis. Episcopus Arretinus appellatur electus, quia post exilium ab urbe Arretina inustum Marcellino, & etiam post dirum ipsius fatum (jussu enim imperatoris Friderici sacrilege strangulatus fuit anno 1249.) nullus Guillelmo vel Guillelmino de Ubertinis in ejus locum ex archidiacono electo Arretino antistiti episcopatus honos a Romana sede adjudicatus fuit usque ad annum 1256. quo justis de causis Alexander IV. Romanus pontifex ipsius electionem adprobavit. Hinc semper ad eum annum solo electi nomine in publicis paginis donatus fuit, ut ex aliis monumentis nostris compertum fiet. De Marcellini infanda cæde legatur Matthæus Parisius in historia Anglicana [d], qui epistolam cujusdam cardinalis ea super re narrationi suæ inserit.

a §. *Refutatio.* 94. *A.* 3. 65.

b *Pag.* 68.

c *Arch. S. Mar. in Grad. n.* 171.

d *Pag.* 1249.

Ann. Chr. 1243.

IX. Erectio eremi S. Mathiæ de Muriano.

Primordia eremi sive monasterii sancti Mathiæ de Muriano in diœcesi Torcellana, in quo ad hodiernam diem viget, viguitque semper perfectio vitæ primum eremiticæ, postea vero monasticæ, sunt ad hunc annum referenda. Anno 1220. constructa fuit ea ecclesia ad hono-

rem

rem sancti Apostoli a Conrado de Verona subdiacono, cui eo anno *indictione* IX. mutata mense septembri, Angelus Marinus presbyter aliique pii viri in viciniis ejusdem loci commorantes obtulerunt quamdam portionem terræ vacuæ positæ in Muriano, loco dicto *Foco-morto*, pro hospitali ibidem erigendo ad refugium & salutem infirmorum & pauperum. Anno 1224. non solum ecclesia sancto apostolo Mathiæ dicata constructa fuerat, sed existebat etiam ei adhærens monasterium, in quo sanctimoniales degebant, quarum una Andruzana seu Andrusiana vocata eo anno „ aliam „ portionem terræ vacuæ sitæ in confinio domini Salvatoris de Muriano „ a Seraphino Lombardo consanguineo suo sibi donatam accepit juxta „ paludem sancti Nicolai, donationis tabulas roborante Paschale Ardizo- „ no presbytero & notario *anno* M. CC. XXIV. *mense februario*. " Nullam deinceps harum sanctimonialium memoriam reperimus; quare vel extinctis primis sanctimonialibus, vel ad alium locum commigrantibus, hoc *anno* M. CC. XLIII. Stephanus Natalis Torcellanus episcopus sub *die* XIV. *intrante mense octobri indictione* II. mutata similiter septembri, & Petrus etiam plebanus sanctæ Mariæ de Muriano, eamdem ecclesiam incolendam tradidere Johanni & Gerardo fratribus eremitis ordinis Camaldulensis, ex eremo Camalduli-majoris Murianum missis a Guidone priore generali *propter salutem animarum maxime commorantium in memorata vicinia*. Statuit episcopus Stephanus, ut numerus eorum, qui se ipsis associare voluerint, non excederet numerum quaternarium. Imposuit autem ipsis & eorum successoribus nomine obsequii pensionem quotannis duarum ampullarum meri vini ante festum sancti Mathiæ; in festo vero sancti Hermacoræ, cum Gradum ipse adierit, unum storium, demum in mense martii quindecim blancos, salvis *aliis* obsequiis, quæ præstare tenebantur ex conventione plebi sanctæ Mariæ de Muriano. Liquet ex hac pagina episcopos Torcellanenses quotannis consuevisse adire Gradum ad patriarchium pro celebranda festivitate sanctorum martyrum Hermacoræ & Fortunati patronorum ejusdem patriarchatus, ut etiam episcopi provinciæ Æmiliæ adibant Ravennam pro sancti Apollinaris & sancti Vitalis sollemnitatibus peragendis. Iverunt in desuetudinem hæc obsequia post bullam Leonis X. qui congregationem Camaldulensem exemit ab omnibus gravaminibus & pensionibus solvendis episcopis. Ex dictis constat etiam error eorum, qui a Ludovico Coronario ædificatam fuisse ecclesiam sancti Mathiæ pro eremitis Camaldulensibus scripsere, cujus erroris æquivocationem detexit doctissimus senator Flaminius Cornelius in suis ecclesiis Torcellanensibus.

Ann. Chr. 1243.

Quæ mox dicimus, ad annum 1247. refert Fortunius noster, cum tamen Stephani episcopi charta annum habeat 1243. Prosequitur vero idem historicus, & vitam præfatorum primorum eremitarum loci sancti Mathiæ de Muriano ob oculos ponit [a]. „ Igitur, inquit, venerabiles patres Johan- „ nes & Gerardus in sacro loco consistentes, duas principio angustas cel- „ las in morem sacræ eremi sibi statuere, rigorem eremiticæ observantiæ, „ quam secum ex sacra eremo tulerant, nihil remittentes. Quocirca odo- „ ra religiosissimi propositi unguenta talia & ipsi in tota Venetia efflare „ visi sunt brevi tempore, ut eremitis sancti Michaelis æquatis, multis „ religiosæ vitæ facti sint magistri, salutisque animarum inter undas se- „ culi propugnatores clari. Quo factum est, ut locus non minus eremi- „ tici instituti fama atque familiæ numero, quam ædificio fortunæ- „ que bonis, piis civibus opem ferentibus, paulatim caput extule- „ rit. " Sed de San-mathianis eremitis & monachis frequenter agemus imposterum.

a P. II. lib. III. c. V.

Ann. Chr. 1243. X. Abbatia S. Petri in Campo supposita Monti-politianensibus cum aliis.

Basilius prior monasterii & eremi de Vivo hoc *anno millesimo* cc. *quadragesimo tertio indictione prima* viii. *idus aprilis*, *imperante domino Frederico* II. *Romanorum imperatore & semper augusto*, ad honorem ipsius imperatoris & communis civitatis Florentiæ, & ad bonum statum monasterii sancti Benedicti de Vivo, ac prioris ejusdem monasterii, nec non totius communis Montis-politiani, consentientibus omnibus monachis & conversis loci, quorum nomina & varia officia recensentur, supposuit aliquot terras, castra & curtes sui monasterii eidem communi Montis-politiani, abbatiam quoque sancti Petri in Campo cum suis villis, castris & hominibus, abbatiam sancti Benedicti de Mojano, plebem sancti Martini, & ecclesiam sancti Proculi ad Clanas, Guasco sindico dicti communis recipiente, qui promisit nomine ejusdem communis se defensurum monasterium Vivense, omniaque ipsi adjuncta, & ejus bona, ac habiturum priorem ejusque successores, monachos, conversos & familiares ejusdem monasterii pro castellanis Montis-politiani. Conventionis chartam edimus in Appendice ex libro, cui titulus *le Coppe*, prædictæ urbis Montis-politiani. Vidimus ad annum 1226. abbatiam sancti Petri in Campo traditam fuisse protectioni civitatis Senensis, quam ex Senensi ad Montis-politianensem tutelam transtulit Basilius hoc anno, nimirum partibus & urbibus victricibus se tradebant loca minora, & dominium vel protectionem mutabant pro varia ipsarum partium fortuna. Reperimus ulterius in tabulario Fontis-boni [a] die nona julii hujus anni eumdem Basilium cedentem locum fecisse Nicolao abbati Montis-muri, qui electus fuit prior de Vivo, collatis vocibus a monachis & a conversis Vivensibus in Rolandum majorem eremi superioris de Vivo, in Burgognonum abbatem sancti Petri in Campo aliosque electores; ipsius autem Nicolai electionem ratam habitam fuisse in monasterio Camalduli-Florentini a Guidone priore Camaldulensi.

a §. *Electio* 30. *A.* 3. 53.

XI. Chartæ Camaldulenses Silvæ-mundanæ & Prataliensies &c.

Die nona maji indictione prima Friderico II. imperante, in plebe Micciani, præsentibus Mercato plebano dictæ plebis, & presbyteris Ugone ecclesiæ de Vulterena, & Bene ecclesiæ de sancto Crescentino aliisque, Albertus & Ubertinus fratres filii quondam domini Alberti de Monte-acuto pro eorum tertia parte, & Guilia uxor quondam domini Tebaldi de Monte-acuto pro se, filiis suis, scilicet Ubertino, Alberto, Berardo & Balduccio pro altera tertia eorum parte promiserunt Guidoni priori Camaldulensi se parituros mandatis ipsius prioris, & observaturos quidquid eis præcipiet occasione medietatis castri Castillionis & ejus curiæ, medietatem cujus castri idem prior concesserat in feudum progenitoribus eorum, scilicet Alberto, Matthæo, alterique Alberto de Monte-acuto; manu Munaldi notarii.

b §. *Sententiæ* 34. *A.* 49.

„ Bezza [b] plebanus Partinæ, & Bonedeus de Biblena filius Ugonis electi arbitri a Marco abbate Pratalienſi, & a Munaldo filio olim Spinelli de Banzena, & a filiis ipsius Ildebrandino & Munaldino ex altera super bonis & hæreditate prædicti Spinelli dividenda, cujus medietas pertinebat ad dictum monasterium ex persona Orlandi monachi filii ejusdem Spinelli, adjudicaverunt die quarta maji hujus anni dicto monasterio medietatem palatii in Banzena, medietatem turris ejus castri, & medietatem quarti podii de Banzena & totius districtus, medietatem quoque quartæ partis, quam ejus filii habebant in ecclesias sancti Donati, sancti Angeli, sancti Zeni, sancti Johannis de Tremogiano, de Vespro, & in illas de Gello, de Offiniano, de Serra & in ecclesiam de Monte-silvestro. Item medietatem domorum & hominum, vinea-

„ rum

„ rum, & molendinorum, & terrarum, & bonorum omnium, quæ habe- „ bat die obitus sui Spinellus; manu Viviani Ubertini notarii. " Hæc excerpsit Baroncinius.

Ann. Chr. 1243.

Hoc anno [a], *Innocentio*, *ut dicebatur*, *electo papa*, ad reformandum monasterium Silvæ-mundanum constitutus fuit abbas ejus cœnobii Nicolaus vicecomes Camaldulensis Plani-Arretii. Scilicet universali pastore vacaverat ecclesia Romana a mense novembri anni 1241. quo obiit Cœlestinus IV. usque ad diem vigesimam-quartam junii hujus anni, qua electus fuit in Romanum pontificem Sinibaldus Fliscus ex comitibus Lavaniæ cardinalis tituli sancti Laurentii in Lucina. Die tertia januarii [b] hujus anni factus fuit abbas Insulanus Braimanus monachus ejusdem cœnobii. Johanni priori monasterii sancti Viti de Vicetia decimæ concessæ fuere a Johanne archipresbytero & a ceteris canonicis ecclesiæ majoris Vicetinæ.

Cum monasterium sanctæ Mariæ de Fullina exemptum esset a defensione castri Costæ, Ricardus sindicus dicti monasterii postulavit a Biacquino de Camino comite Cenetensi, ut idem cœnobium declararet immune; quod fecit comes Biacquinus *die martis indictione prima quarto exeunte julio* hujus anni.

Die XI. *exeunte novembri* quidam Munaldus refutavit Mainardo monacho sancti Victoris de Clusis jus in quamdam terrarum portionem, præsentibus fratre Silvestro monacho sive rectore eremi Montis-fani, Ventura Ugolini de Fabriano monacho ejusdem loci, Gerardo dominæ Mariæ, & Rolando monacho sancti Victoris. Charta extat in tabulario sancti Blasii de Fabriano. Frater Silvester monachus sive rector eremi Montis-fani ipse est sanctus institutor monachorum ordinis sancti Benedicti, congregationis a suo nomine appellatæ *Silvestrinorum*, qui tunc vivebat & sanctitate florebat. Is abjecto canonicatu Auximano, vanitatem mundi agnoscens, post mutatas varias sedes ad Montem-fanum locum prope Fabrianum consedit, ubi cœtum virorum collegit anno 1231. Simius in catalogo venerabilem patrum Silvestrinorum congregationem ramum appellat arboris Vallumbrosanæ; Ciacconius agens de Benedicto VIII. Romano pontifice, nullo fundamento, quod sciamus, ex congregatione Camaldulensi monachorum Silvestrinorum cœtum emanasse scribit. Constitutiones, quas novis eremitis Silvester præscripsit, approbatæ fuere ab apostolica sede anno 1248. Natus seculo præterito obiit nonagenarius miraculis in vita & post obitum clarissimus. Andreas vitæ sancti Silvestri scriptor refert [c] cuidam ejus miraculoso prodigio cæci illuminati præsentes fuisse Ægidium monachum Camaldulensem, & Johannem a Baculo Silvestri discipulum, quos *homines sanctissimos & fide dignissimos* appellat. De Ægidio monacho Camaldulensi nihil præterea scimus; celeberrimus autem est apud Silvestrinos monachos sanctus vir Johannes a Baculo.

Episcopo Civitatis-novæ & abbati sanctæ Mariæ de Plavi commisit hoc *anno pontificatus* sui *primo*, *octavo kalendas octobris* Innocentius IV. Romanus pontifex, ut confirmarent, si fructuosum translationi judicarent, Raynaldum episcopum Ithiensem, quem capitulum canonicorum Caprularum postulaverat in suum episcopum apud Ughellium [d].

Johannem sancti Johannis de Verdaria, Albertum sanctæ Margaritæ de Pulveraria, Galzignanum Omnium-Sanctorum, Ægidium sanctæ Mariæ de Trixonibus priores; Compagnum autem priorem sanctæ Mariæ de Porcilia & Johannem priorem Vantii, Galisium fratrem Montis-crucum, & Blasium sanctæ Margaritæ de Pulveraria definitores ordinis sancti Benedicti de Padua in pleno capitulo generali exhibet alia carta Patavina apud Bru-

a §. *Electio* 31. *A*. 3. 55.

b *Ibid*. 29. *A*. 3. 43.

c *Pag*. 36.

d *T*. *V*. *Ital*. *col*. 1338.

Ann. Chr. 1243.

Brunatium, qua deciditur quædam controversia inter abbatissam sancti Jacobi de Monte-silicis, & inter abbatissam sanctæ Agnetis de Pulveraria.

In necrologio sanctæ Mariæ de Carceribus ad diem nonam julii hujus anni legitur: *Comes Bonifacius de Panigo decollatus est a Galvano vice imperatoris Frederici in civitate Paduæ.*

Ann. Chr. 1244.

XII. Monast. S. Mariæ de Toma suppositum Camaldulensibus.

CUm parthenon sanctæ Mariæ de Toma Senensis vel etiam Arretinæ diœcesis esset graviter collapsum tum in spiritualibus, tum in temporalibus, supplicem libellum porrexerunt sanctimoniales ejusdem loci Innocentio IV. Romano pontifici, ut in ipsum inducere dignaretur Camaldulensem ordinem. Earum precibus annuens Romanus antistes, Guidoni priori Camaldulensi literas dedit III. *idus januarii anno pontificatus* sui *primo* ex Laterano, ut prædictum asceterium congregationi Camaldulensi aggregaret, ipsumque juxta sua instituta reformaret, deputando visitatorem, qui ipsarum confessiones audiret, easque institueret regularibus disciplinis. Accedens propterea Guido ad dictum monasterium [a] *die duodecima aprilis* accepit possessionem ejus loci de manibus Luciæ abbatissæ & suarum monialium & conversarum, quæ promiserunt ipsi obedientiam, & inhærendo mandato pontificis petierunt aggregari eidem Camaldulensi congregationi. Prædictus Romanus pontifex eidem Camaldulensi priori *anno pontificatus* sui *secundo* mandavit, ut procederet contra abbatem Montis-christi; id quod demonstrat nondum sub antecessore Romano pontifice Gregorio pacem in eo monasterio firmatam fuisse, quæ tandem sub Innocentio IV. solidius introducta quietos per plura secula in possessione ejusdem cœnobii reddidit Camaldulenses.

[a] *S. Tenuta II. A. 3. 73.*

XIII. De ecc. S. Mariæ de Tega subjecta monast. Silvæ-mundano.

Idem Guido prior arbiter constitutus ab abbate Silvæ-mundano Arretinæ diœcesis Gregorio ex una parte, & ex altera a nobilibus proceribus de castello Focognano Teuzone & Rainaldo circa conrroversias, quæ inter ipsos vigebant quoad ecclesiam sancti Stephani de Tega, resque ad ipsam spectantes, dum dicti domini confitebantur quidem eam ecclesiam spectare ad abbatiam Silvæ-mundanam, sed se esse patronos, ac tempore vacationis ipsius ecclesiæ fas sibi esse rectorem eligere & exhibere, electionemque factam pronuntiare; definivit propterea ecclesiam dictam juris esse abbatiæ Silvæ-mundanæ, sed nobiles de Focognano jus habere patronatus, simulque debere tam abbatem, quam ipsos nobiles convenire ad electionem rectoris, qui assumeretur ex abbatia, vel si ibi non adesset vir idoneus, ex ordine Camaldulensi, & rector electus, post præstitam obedientiam abbati Silvæ-mundano, sequeretur tam in officiis, quam in aliis ritibus Camaldulensem ordinem, ac abbas jus obtineret correctionis, institutionis & destitutionis rectoris & monachorum ipsius ecclesiæ sancti Stephani. Latum fuit arbitrium a Guidone priore apud plebem de Socana, testibus Uberto abbate sanctæ Mariæ de Adelmo aliisque *anno* M. CC. XLIV. *indictione* II. *quinto nonas maji Innocentio papa residente*, *Frederico imperatore*; quod damus integrum in Appendice ex autographo archivi Gaddiorum humanitate præstantissimi viri Roscii-antonii Martini patricii Florentini.

Martino abbati monasterii sancti Michaelis in burgo Pisarum Guilielmus marchio Massæ Lunensis filius quondam Andreæ marchionis pro se & pro Alberto ejus germano, & pro Conrado marchione ipsius consorte dedit ad pensionem terras positas in confinibus Salviani. Actum Pisis *anno* M. CC. XLIV. *indictione* II. *quinto idus januarii*. Lanfrancus Friderici Romanorum imperatoris notarius authenticum exemplum confecit ex commissione domini Amithi de Strada Pisarum potestatis consilio Senatus.

Con-

CONSTITUERAT Guido prior Camaldulensis supradictum Ubertum abbatem Adelmensem in visitatorem & reformatorem omnium monasteriorum ordinis Camaldulensis in Anconitana marchia, qui inter cetera præsenti anno *indictione* II. visitationem instituit monasterii sanctæ Helenæ ad flumen Æsinum, ubi post interrogationes status & morum Benedicti abbatis & monachorum ipsius, perquisivit ab abbate, „ si quando ipse electus fuit consul & rector, juravit regimentum dicti castri, & si fecit regimentum ipsius, sicut consueverunt facere alii rectores seculares castri, tam in datiis & collectis pro imperatore Friderico, quam in aliis negotiis; ad quæ respondit abbas, quod juravit bona fide regimentum & potestariam ejus castri, & omnia adimplevit per totum annum, ut alii rectores seculares facere consuevere. Item interrogatus, si homines castri præstiterunt ei sacramentum, & obedierunt præceptis & mandatis suis pro imperatore, quam pro aliis negotiis faciendis, respondit, quod sic, & dixit, quod fecit causa juris monasterii sui. Item inquisitus, si post dictum sacramentum Missam & alia Divina celebravit, respondit, quod sic. Interrogati fuere de iis etiam ceteri monachi. Pariter interrogatus, si fecit vel fecit fieri sacramentum fidelitatis imperatori vel suis nuntiis; reposuit, quod Benvenutus in valle sancti Clementis pro imperatore vicarius constitutus venit personaliter ad monasterium sanctæ Helenæ, & omnibus fratribus congregatis ex parte imperatoris & regis Henrici præcepit tam abbati, quam aliis fratribus, ut sibi pro imperatore recipienti fidelitatem jurarent, & obedire ac observare deberent mandata domini imperatoris. Et statim dictus Benvenutus computavit tam abbati, quam aliis fratribus sacramentum, affirmantibus ipsis sacramentum per veram obedientiam & Spiritus-sancti virtutem, sicut vicarius eis denuntiabat. Verumtamen in fine sacramenti non eos permisit manus super librum ponere. Demum interrogatus eodem modo, si fuit rector & consul castri Massaccii anno præterito, quando homines dicti castri erant excommunicati, & in omnibus observabant mandata & præcepta imperatoris contra libertatem ecclesiæ, respondit, quod sic. " Hæc, sed brevius affert [a] Sartius in sua Cupra-montana, quæ nos ex archivo sancti Blasii integra damus in Appendice ex autographo, quod consuluimus, in quo nomen Uberti, non Petri, ut habet Sartius, abbatis Athalmensis prostat. Ubertus Athalmensis abbas non aliunde quærendus; ipse est abbas sanctæ Mariæ de Adelmo seu Adelmensis in territorio Volaterrano, quem testem in supralaudata concordia Silvæ-mundanæ abbatiæ vidimus. Sacramentum præstitum ab abbate sanctæ Helenæ Benvenuto vicario imperatoris contigit ante annum 1242. quo juxta Riccardum a sancto Germano obiit Henricus rex filius Friderici II. imperatoris, immo ante annum 1236. quo carceri addictus fuit idem Henricus a patre ob defectionem, & arma contra ipsum assumpta. Creatus autem fuerat rex Germaniæ a Friderico patre anno 1220.

ANN. CHR. 1244.
XIV.
Visitatio monasterii S. Helenæ ad flumen Æsinum.

a Pag. 95.

CUM a Classensibus monachis sancti Apollinaris de Ravenna, obeunte vel cedente facile Augustino [b], quem abbatem vidimus ad annum 1239. non expectato mandato & nuntio Guidonis prioris Camaldulensis, electus fuisset in monasterii abbatem Finus, depositus fuit die octava augusti hujus anni; verum cum post injunctam ei pœnitentiam, iterum canonice ac unanimiter nominatus fuisset a monachis in abbatem ejus monasterii, rata fuit habita ejus electio die decima octobris. Post quadriennium [c] rursus monachi Classenses alterum Fino subrogarunt abbatem Petrum, cujus æque electio vitiosa & in præjudicium Camaldulensis domus fuit declarata;

XV.
Electiones Classensium abbatum. Alia monumenta Camaldulensia.

b §. Electio 33. 35. A. 3.77.81.
c Ibidem 38. A. 3. 105.

ANN. CHR. 1244.

ta; quare die sexta ejus anni legitime electus est in abbatem Classensem Aimericus ex abbate monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum, quod cœnobium saltem ab anno 1240. regebat idem præsul. Depositus quoque fuit hoc anno 1244. die decima-quarta augusti [a] Johannes prior monasterii sancti Michaelis de Muriano, denuo tamen assumptus ad recipiendum onus ipsius monasterii die undecima januarii [b] anni 1249.

[a] Ibid. 34. A. 3. 78.

[b] Ibid. 44. A. 3. 113.

Tedescus [c] rector ecclesiæ sancti Blasii de Pratali executor Deodati archipresbyteri plebis Arretinæ & Bonaguidæ Arretini præpositi vicarii delegati a M.. hoc & a Marcellino episcopo Arretino possessionem dedit cujusdam molendini eremo Camaldulensi. Licet in locum Marcellini exauctorati electus fuisset episcopus Arretii Guilielminus, adhuc tamen perseverabat auctoritas apud vicarium exulantis episcopi, quia ab omnibus recepta non fuerat Guilielmini electio, ut & ipse Guilielminus per plures annos in chartis non effertur nisi nomine episcopi electi.

[c] §. Tenutta 10. A. 3. 72.

Bernardus presbyter & capellanus ecclesiæ sanctæ Mariæ de Pedemonte, consensu Benvenuti abbatis sanctæ Mariæ de Plano Æsinæ diœcesis patroni dictæ ecclesiæ libellum emphyteusis scripsit.

Ecclesia sancti Petri de Risano & Rolandus ipsius rector nominantur in charta locationis hujus anni confecta *die secunda exeunte aprili*, consentiente Gratia abbate sancti Victoris de Clusis, ex tabulario monasterii Vallis-castri.

In vitis Romanorum pontificum & S. R. E. cardinalium a Ciacconio primum collectis, & postea plurium doctorum virorum adnotationibus auctis, hæc ad annum 1244. de Albo Italo cardinale proferuntur [d]. „ Albus natione Italus, patria Viterbiensis, olim in montibus Apenninis „ eremiticam duxit vitam, deinde monasterium in honore sancti Martini, studio & impensis Rainerii Capoccii cardinalis erexit, & ordini „ Cisterciensi concessit, habitumque ipse Cisterciensem induit. Post multos pro suo ordine & pro Romana ecclesia exantlatos labores ab Innocentio IV. anno Dominicæ incarnationis 1244. sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis renuntiatus, ad cœlum paulo post evolavit, & sepultus „ Viterbii in ecclesia sanctæ Mariæ ad Gradus prope amicum suum Rainerium Capoccium cardinalem, ut ejusdem ecclesiæ chronicon, & monumenta monasterii sancti Martini testatum reliquerunt. De hoc nulla „ extat mentio apud Panvinium, Ciacconium & Aubery. Primus omnium, qui e tenebris cardinalem hunc in lucem protulit, fuit Gaspar „ Jongelinus in Purpura divi Bernardi, cujus notitiam se habuisse fatetur a Ferdinando Ughellio. " Nomen Albi, genus vitæ eremiticæ ab ipso exercitæ in montibus Apenninis in eam nos conjecturam deducunt ipsum in Camaldulensis eremi palæstra profecisse, cujus nomen cum ignoraretur, ab albedine vestium nomen ipsi factum fuerit, & antonomastice Albus appellatus fuerit. De Albo mentionem ingerit in sua Viterbiensi historia [e] Felicianus Bussius, qui ipsum ad annum 1215. floruisse scribit, quo anno incœpta fuit ædificatio ecclesiæ sanctæ Mariæ ad Gradus propter visionem Rainerii episcopi & cardinalis, quam interpretatus fuerat Albus solitarius proximæ terræ sancti Martini. Agit etiam de monasterio sancti Martini [f]; sed de Albi cardinalitia dignitate omnino silet. Post seculum etiam Benedictus XII. Romanus pontifex ex Cisterciensi familia, dum cardinalis esset, antonomastice *cardinalis albus* vocabatur, ut fidem facit inscriptio ipsius sepulcralis in urbe Avenionensi in ecclesia principe.

[d] T. II. col. 133.

[e] Pag. 138.

[f] Pag. 112.

Ann. Chr. 1245.

XVI. Innocentii IV. bulla pro Camaldulensibus. Alia pro Stephano Hungariæ rege.

INNOCENTIUS IV. Romanus pontifex [a] ex Laterano hoc anno *pontificatus* sui *secundo die decima martii* inhibuit, ne quis auderet pro decimis molestus esse priori Camaldulensi, vel ecclesiis ejus congregationis super rebus per quadraginta annos bona fide possessis.

Idem *die* VII. *maji pontificatus* sui *anno pariter secundo* ex Urbe mandavit Gregorio de Monte-longo notario suo & apostolicæ sedis legato, ut taxam imponeret aliquot monasteriis, ecclesiis & locis pro substentatione Stephani filii Andreæ II. regis Hungariæ & Beatricis Estensis, & licet viam universæ carnis ingressa fuisset tunc Beatrix, voluit, ut ad Stephani ejus filii provisiones taxarentur etiam ea monasteria, quæ olim taxata pro Beatrice obtinuerant indultum apostolicum, ne ulterius taxarentur. Quare Gregorius legatus *quinto kalendas julii* hujus anni inter cetera monasterio sanctæ Mariæ de Vangadicia taxam imposuit annuam quadraginta solidorum, monasterio sanctæ Mariæ de Carceribus triginta, Cellæ Volanæ pro transactis temporibus libras tres, & deinceps annuatim viginti solidos. Ceterorum monasteriorum taxationes leguntur in ejusdem Gregorii Monte-longi mandato apud Muratorium [b] in antiquitatibus medii Ævi. Licet utraque ex his Innocentii bullis data dicatur ex Urbe anno secundo pontificatus Innocentii IV. utraque tamen pertinet ad annum antecedentem. Innocentius IV. electus fuit Romanus pontifex die XXIV. vel XXVI. junii anni 1243. Die itaque decima martii, & septima maji hujus anni adhuc perseverabat secundus annus ejus pontificatus. Verum iis mensibus ipse Romanus pontifex Lugduni commorabatur, ubi pervenerat post multa itinera & pericula die secunda decembris anni 1244. Vel itaque in relatis bullis emendandus est annus ejus pontificatus, & pro II. substituendus est I. & tunc eæ bullæ spectabunt ad annum antecedentem, vel corrigendus est locus, ex quo datæ sunt, cum ceteræ omnes bullæ hujus anni datæ legantur ex Lugduno anno II. ejus pontificatus usque ad diem XXIV. junii, vel anno III. post eam diem. Beatrix filia Aldrevandini marchionis Estensis nupserat anno 1234. Andreæ Hungariæ regi, qui brevi decedens gravidam reginam reliquit. Post Andreæ obitum Bela ejus filius ex alia uxore Beatricem novercam contumeliis afficiens coegit in Italiam redire, quæ peperit Stephanum, qui postea prius neptem Pauli Traversarii, subinde Thomasinam Maurocenam matrimonio sibi junxit, ex qua filium suscepit Andream III. qui fuit rex Hungariæ. Præsenti anno occubuerat Beatrix, pro cujus filii alimoniis Innocentius IV. subsidii præfati impositionem renovavit.

a §. *Amissæ* 441. *A.* 1. 229.

b T. *V. col.* 1057.

XVII. Charta Bifurcensis.

ROGERIUS de Presenzano judex dilargitus est Ugolino abbati monasterii sancti Benedicti in Alpibus seu de Bifurco omnes actiones, redditus, servitia & jura, quæ filius suus obtinebat in plebe sancti Cassiani in Apennino occasione electionis factæ per curiam dicti filii sui in archipresbyterum ejusdem plebis, reservata tamen sibi pro filio medietate fructuum possessionum dictæ ecclesiæ hujus anni, & etiam anni sequentis, si personaliter in Romandiola ipse fuerit, non vero si discesserit; immo neque eas habere deberet, si pax fieret ante fructuum perceptionem. Alludit ad bella tunc vigentia in Romandiola, de quibus vide Rubeum ad hunc annum, quo Thedericus archiepiscopus Ravennas in carcerem olim missus a Friderico imperatore, indeque liberatus, urbes Romandiolæ & loca archiepiscopatui Ravennati subjecta recuperare contendebat.

XVIII. Aliæ Porcilienses & Bononienses.

COMPAGNUS prior monasterii sanctæ Mariæ de Porcilia Paduanæ urbis, cum consensu fratrum suorum de litibus, quas habebat monasterium suum contra alterum sancti Marci de Porcilia sanctimonialium, ejusque abba-

Ann. Chr. 1245.

abbatissam, compromisit in Jacobum priorem sanctæ Mariæ de Monte sanctæ Crucis, & in Galzignanum priorem omnium Sanctorum, & in Martinum priorem sancti Johannis de Verdaria. Charta extat apud Brunatium [a].

a Pag. 1919.

Jacobus Boncambio Bononiensis episcopus concessit hoc anno, *nono intrante martio indictione tertia* „ lapidem primarium ponendum in loco „ & in ecclesia sanctæ Christinæ, quæ erat construenda in urbe Bononiæ „ prope circlam inter stratam majorem, & stratam sancti Stephani in loco, ubi dicitur Fondaccia, Jacomello de Varignano sindico Scholasticæ „ abbatissæ & sanctimonialium sanctæ Christinæ de Septem-fontibus, " quæ ex montanis se in urbem hoc eodem anno receperant; statuitque ipsis censum unius libræ ceræ quotannis persolvendæ. Cum autem anno sequenti [b] die nona junii Jacobus & Petrus eremitæ visitatores a Guidone priore Camaldulensi constituti sanctimoniales ea super re objurgassent, ipsæ declaraverunt se id non fecisse, ut se subjicerent episcopo Bononiensi, & si quid fecissent, quod in præjudicium ipsarum & sui monasterii verteretur, totum revocabant; præceperuntque ipsis visitatores, ne quemlibet contractum deinceps facerent, nisi nomine veteris sui monasterii de Septem-fontibus. Hinc anno 1247. iterum idem episcopus Jacobus permisit sanctimonialibus Septem-fontium, ut habitationem transferre possent ad urbem Bononiæ prope eumdem locum vocatum Fundaccia, ubi sub invocatione sanctæ Christinæ novum monasterium fuit fundatum, censusque impositus ratione obtenti primarii lapidis.

b §. *Visitation.* 13. *A.* 3. 87.

„ Rogerius comes filius olim comitis Marcovaldi Thusciæ Palatinus „ donavit Sophiæ abbatissæ sancti Johannis evangelistæ de Prato-veteri medietatem pro indiviso omnium hominum, manentium, colonorum, adscriptitiorum & alterius cujuslibet generis, qui fuerunt dicti monasterii, & sibi evenerant pro parte in divisione celebrata inter comitem „ Marcovaldum patrem suum, & inter comites Guidonem, Tetgrimum, „ Rogerium & Aghinolphum fratres, profitens se recepisse a dicta abbatissa meritum justum secundum legem, scilicet orationem & participationem bonorum operum atque remissionem peccatorum suorum & patris sui. Actum apud Empoli per Bonensegnam. " Hæc leguntur in excerptis tabularii ejusdem parthenonis [c].

c *Num.* 29.

Aliottum Arretinorum potestatem indicat nobis sub hoc anno tabularium Fontis-boni [d].

d *Num.* 228.

Ann. Chr. 1246. XIX. De B. Antonio Peregrino Patavino.

PERTINET ad hæc circiter tempora excessus e patria Antonii communiter dicti Peregrini, qui in urbe Paduana ex nobili gente Manzonia natus, decennis parentes & natale solum relinquens, & per quinquennium sacris peregrinationibus operam dans, reversus demum in patriam, incognitus apud suos manens, oblatorumque vitam agens in monasterio sanctæ Mariæ de Porcilia, post aliquod tempus in sanctis operationibus, pœnitentiis carnisque macerationibus exactum ad Deum transiit anno 1267. miraculorum gloria ab obitu statim celeberrimus. Pater ipsius Marsilius, mater Dulcina, soror Daniota exprimuntur in veteri vita existente in tabulario sanctimonialium Patavinarum, quæ modo ob possessionem ipsius sacri corporis dicuntur moniales beati Antonii Peregrini, translatæ ex Porciliensi suburbano parthenone. In altera vero vita seculo XIII. conscripta ibidemque asservata effertur tantum *Antonius, cui progenies de Padua satis clara quondam de Manzio usque nunc publice nominatur.* Porro quoad tempus, quo patriam dereliquit, operæ pretium facturos arbitra-

tramur, si auctorem secundum vitæ ipsius describamus, quem tamen dolemus, sicut uberrime miracula ejus intercessione patrata digessit, ita parcissimum fuisse in in enarrandis ipsius gestis, vitæque actionibus. Ipsum e tenebris ejusdem asceterii eruit amantissimus nostri Brunatius, in perquirendis monumentis, quæ ad ecclesiasticam Patavinam historiam faciunt, apprime sollicitus, & nobiscum summa humanitate communem fecit. Auctor igitur ita proloquitur: *Justissimo Deo universorum judice permittente, cum immundis flagitiis exigentibus, & usque ad cœlum clamoribus elevatis vindicem manum quasi dissimulantis Domini marchia Tarvisina requireret, temporibus Friderici condam imperatoris, qui alter Jebu tyrampnorum omnium pervicacia tyrampnus nomine vicarii dicti principis velut gladius limatus & exacutus Ecelinus de Romano in dicta patria surrexit ad faciendam utique vindictam in nationibus illis vice principis memorati, & increpationes in populis illis ad alligandos principes in compedibus, & nobiles ejus in manicis ferreis, ac etiam judicium durum Domini ex ipsa gente sumendum. Eja igitur temperate, dum tyrampni præfati rabies in prædictis partibus inardesceret, & ultra credulitatem audientium immaniter in illorum cervicibus grassaretur, itaut non solum ad circumjacentes provincias, verum ad barbaras nationes hujusmodi fama sonaret, in visceribus acrius Marchianis tam enormiter debacchavit, ut supra modum beatos lætosque putaret, cui plures plura delationis nephandæ gravissima crimina suorum & aliorum sæpius reperissent. Et quod gravius est & absurdius, qui proprii sanguinis poterant contra naturæ sedem excipere propriis manibus ultionem.* Exploratum est infelicissimis his annis Eccellinum suam sævitiem potissimum exacuisse, excommunicationis propterea jaculis perfossum post biennium ab Innocentio IV. Romano pontifice. Sed auctoris narrationem prosequamur:

Ann. Chr. 1246.

Interim gratissimus Deo simplicitatis & innocentiæ novus flosculus ceu e silvestribus fructetis oriri visus est, alienus prorsus a seculo, gente ac prole sua, Antonius videlicet, cui progenies de Padua satis clara quondam de Manzio publice usque nunc nominatur. Qui quamvis libere satis licitis & propriis perfrui potuisset, nihil de mundo voluit possidere. Hic quidem Divina se gratia gubernante commissam sibi animam sortitus est bonam, ipsamque ad salutaria sic eduxit, ut spretis omnibus mundi ejus pompis atque deliciis, soli Deo placere desiderans, nil optaret proprium vel jocundum, adeo ut & ipso proprio corpore spreto, in amplexum spiritus exardescens ruentem ac fugientem mundum conspiciens & contemnens, ac in patriis laribus jam deficientem considerans, decennis de terra sua & de domo patris sui peregre proficiscitur. Seque peregrinum & hospitem reputans super terram ad peregrina loca Domino dirigente deducitur. Æternam enim Domini domum inhabitare desiderans, & non manufactam, cœlos mente conspiciens cum sua pompa propria jam despexit, non habens hic manentem civitatem, sed futuram votis omnibus concupiscens. Igitur devotus adolescentulus recto itinere Bauzanum usque pervenit, cum timore Domini mendicans ipse sibi alimoniam vitæ. Ubi etiam cuidam devoto sacerdoti cohærens fideliter per triennium ministrabat eidem: Et qui ad victus quotidiani stipendia sumere necessaria videbatur, hæc libratis obsequiis versa vice sollicite compensabat, spiritualibus & temporalibus muniis obsequendo, & in sudore vultus sui panem suum manducans. Is etiam, dum juxta gentis illius laudabilem consuetudinem cerneret plures utriusque sexus itinera propria versus Apostolorum limina certatim dirigere temporibus opportunis, cœpit & ipse consimili desiderio spiritu Domini disponente, dirigere gressus suos, & ea

Ann. Chr. 1246.

ea devotione deduci, qua æternorum contemplatione mentaliter levabatur. Tandem optatis desideriis prædotatus, summa cum affectione loca circuivit veneranda, jejuniis & orationibus semper vacans, & imbecillia membra debita cum servitute domans pariter & æque substentans. Si quas ultra necessitatem eleemosynas a fidelibus accepit, in usus distribuit sodalium egenorum. Post beatam sanctarum reliquiarum visitationem, ulteriores partes terræ adolescens confortatus aggreditur per multiplicium viarum diversa discrimina, & per terras ignotas penitus & extraneas, castigans acrius corpus proprium, & fortius subjiciens servituti, ad beati apostoli Jacobi patriam, quæ Gallæcia nominatur, attingit. Quo votis optatis piissime persolutis ad tempus, invictumque spiritum cum ipso corpore non relaxans, Coloniam properat, ut sanctarum undecim millium virginum gloriosis pignoribus congauderet. Sed & sanctorum Magorum corpora beatis conspicit oculis, & cetera loca sancta, quæ ex summa devotione nocte & die sub frigoribus nimiis, ac etiam æstivis caloribus non cessans, inque laboribus & ærumnis corpus domat proprium contra lasciviam mundi hujus. Humilis & patiens in cunctis actionibus suis, verecundus in omnibus, timens semper & verens omnia opera sua, in socios pauperiores receptas eleemosynas libenter distribuens. Karitatis vinculis solidatus æque omnes ut seipsum sibi copulaverat votis & operibus manifestis. Orationi vacans assidue soli Deo placere gestiens, lubrica quoque conspiciens, cor stabile fide confixum catholica inconcussa mente solido fundamento firmavit. Reverentiam in sacerdotibus & Dei famulis habens Missis & horis canonicis ac etiam prædicationibus solerter intererat. Cor & corpus per confessiones emundans frequenter, diabolo & pompis ejus perfecte renuntiavit; nunquam otio torpens, non marcens ignavia, scurrilia quoque devitans exemplar se sanctæ conversationis exhibuit. Gravitatem induens verbis & operibus parcus in omnibus & modestus. Hæc de Antonio tradit scriptor ejus vitæ tempore suæ peregrinationis. De regressu in patriam alibi.

XX. Donationes Camaldulenses.

Cum [a] Henricus abbas sancti Savini Pisarum recepisset ab Othinello de Romena terras pro hospitali sancti Savini de Chio territorii Arretini, eas obtulit eremo Camaldulensi *die* XXV. *martii*. In abbatia sancti Zenonis ejusdem urbis electus fuit a Guidone priore Camaldulensi hoc anno *die undecima decembris* [b] abbas Johannes, antea eremita Camaldulensis, recepto consensu nobilium de Vicecomitibus, qui erant patroni ejus monasterii, & cassata anteriori electione, quam fecerant monachi sancti Zenonis ipso inconsulto.

Johannes electus ecclesiæ sanctæ Columbæ, sive Johannes prior eremi sancti Johannis-baptistæ Cellarum inter Ambas-paras legitur in tabulario Fontis-boni sub hoc anno *die secundo julii* [c].

a §. *Amissæ* 445. *A.* 40.
b §. *Electio* 36. *A.* 3. 95.
c §. *Emptio*. 361.

Ann. Chr. 1247.

XXI. Parisii miracula, dum viveret.

Parisii miracula patrata tempore, quo adhuc in terris degebat, collegerunt Malerbius & Fortunius. Hæc ex ipsorum verbis in medium adducimus vulgari Malerbii narratione Latina facta. „ Famulus „ monasterii vitem amputans ex arbore pendentem infeliciter ad terram „ decidit, & crus sibi fregit. Parisius accurrit, & signum crucis faciens „ super crus illius, integram sanitatem impartivit, ad opus suum illum „ remittens, ac imperans, ne cui diceret mirabilem curationem. Benve„ nuta una ex monialibus ejusdem monasterii afflictabatur gravi ariditate „ in pede dextero, itaut curvum genu & attractos haberet digitos pedis. „ Orationibus se commendavit magistri sui, & mirabilem sanitatem rece„ pit, ita ut par evaderet ferendis omnibus officiis monasterii sui. An-

„ dreas

„ dreas a Piro acutiſſimis doloribus in humero & in brachio ſiniſtro ve- Ann. Chr.
„ xatus ſuppliciter expetiit Pariſium, ut Deum pro ipſo exoraret, ac 1247.
„ tangeret membra ſua. Quo facto laudes Deo reddidit ob recuperatam
„ ſanitatem. Juvenis lignarius parœciæ ſancti Andreæ podagra affictaba-
„ tur, nec ſe movere poterat, licet remedia plura illi præſtitiſſet qui-
„ dam Abrianus illuſtris eorum temporum medicus. Signo crucis a ſan-
„ cto viro munitus momento ſalutem priſtinam recepit. Poteſtatem in-
„ ſuper receperat Pariſius ſuper corpora a dœmonibus obſeſſorum, quos
„ invocatione nominis ſancti Dei fugabat, ſanos & liberos patientes re-
„ linquens." Hæc miracula ex multis in ſcripta redacta fuere, & pro-
ducta eo tempore, quo Pariſii geſta examini ſubjecta ſunt ſtatim poſt ejus obitum ab epiſcopo Tarviſino Alberto. Præſenti anno nonaginta & ſex annos vitæ numerabat ſanctus vir, aliis viginti ſupervixit, uſque ad annum 1267. qui fuit ipſius emortualis.

XXII. Conradus ep. Juſtinopolitanus concedit decimas monaſterio S. Michaelis de Muriano.

Conradus Juſtinopolitanus epiſcopus electus, conſiderata devotione, quam prior monaſterii ſancti Michaelis de Muriano urbis Venetiarum ejuſque fratres monachi eo tempore & præteritis annis declaraverant erga eccleſiam Juſtinopolitanam, obſequia pariter ab ipſis ſibi & canonicis ſuis præſtita, de conſenſu capituli ſui conceſſit eidem monaſterio omnes decimas & jus decimationis domus eorum novæ ſitæ in Grema, eaſque omnes, quas in urbe Juſtinopolitana vel in ejus confinio habebant, vel poterant futuris temporibus adipiſci, retenta ſibi penſione dimidiæ libræ piperis tempore vindemiarum. *Anno Domini* M. CC. XLVII. *indictione* V. *die ſecundo intrante octubri;* manu magiſtri Riccardi Juſtinopolitani, & inclyti B.. marchionis notarii. Conradus aſſeritur ab Ughellio ex canonico Juſtinopolitanæ eccleſiæ electus epiſcopus ejus ſedis anno 1245. Non præſenti dumtaxat anno 1247. ſed etiam ad annum 1249. apud Muratorium [a] appellatur electus. B.. marchio eſt Bertholdus patriarcha Aquilejenſis, qui in Hiſtriæ & Carinthiæ marchia jus dicebat. Priores monaſterii ſancti Michaelis poſt Laurentium, ſub quo anno 1221. conſecrata fuit eccleſia, cujuſque nomen ſupereſt in chartis noſtris ad annum 1224. fuere Dominicus ad annos 1226. & 1228. Ugo ad annum 1230. Vido ad annum 1235. Ugo iterum ad annum 1236. Anno 1244. prior erat Johannes eo anno depoſitus, ſed reſtitutus anno 1249. Quis regimini dicti cœnobii hoc anno præſideret, defectu chartarum non liquet.

[a] T. IV. *Antiq. col.* 458.

Davinus electus in priorem monaſterii ſancti Andreæ in Silva Lucanæ diœceſis a Guidone priore Camaldulenſi, confirmatus fuit a Benigno ejus vicario in eccleſia ſancti Salvatoris de Oriſtallio ejuſdem diœceſis.

Bona Camaldulenſia ſita in capite burgi ſancti Geneſii legimus in tabulario Fontis-boni [b] locata fuiſſe Meliori Guaſtavillano & Ricordato Chiandolfini. Ea erant in plano ſancti Miniatis in loco dicto Strata, & in via de burgo ſancti Geneſii.

[b] §. *Amiſſæ* 447. *A.* 181.

Ex eodem tabulario novimus compoſitas fuiſſe lites, [c] quæ vertebant inter eremum Camaldulenſem de Bononia, & inter ſocietatem ſanctæ Mariæ de Camaldulo, appellatam *Spalvadorum*, mediatione magiſtrorum Johannis de Deo & Berengarii de Senis, qui arbitrati fuere, ut dicta ſocietas in futurum diſponeret ad libitum de terris, quas acquiſierat in curia de Villanova nomine eremi Camaldulenſis, cum penſione annui cenſus eremo ſolvendi, & de cetero poſſet eadem ſocietas convocationes ſuas facere & comeſtiones, ubicumque voluerit.

[c] §. *Transactio* 8. *A.* 3. 100.

Poſt Winizonem monachum prælatum monaſterii ſancti Salvatoris de Popani, ſive ſancti Johannis-decollati de Saxo ad annum 1089. & Placidum

ANN. CHR. 1247.

dum abbatem ad annum 1101. Ugonem ad annos 1132. & 1154. Ubertum ad annum 1199. seculo præsenti leguntur abbates ejusdem monasterii ad annum 1211. Albertus, qui eo anno jus recepit in capellam Gloriæ & in alteram Agnani; Aldebrandus ad annos 1213. & 1224. & 1227. Johannes autem ab anno 1231. ad præsentem annum, quo ex tabulario sanctæ Mariæ Angelorum sindicum creavit in causa contra quosdam homines coram G.. hoc est Guillielmo, abbate de Tiphio. In paginis a Cl. V. Petro-joseph Galletto exscriptis Johannis nomen perdurat etiam ad annum 1256.

Biacquinus dominus de Camino vendidit Alberto abbati sanctæ Mariæ Sanæ-vallis de Fullina decem mansos sitos in villa Mareni, quæ erat prope castrum Costæ dicti domini comitis Biacquini, pretio librarum mille denariorum Venetorum, *indictione* V. *intrante augusto die lune*.

ANN. CHR. 1248.

XXIII. Obitus Guidonis II. prioris generalis; electio Martini III.

POST quadraginta & duos annos regiminis dierum & meritorum plenus obdormivit in Domino hoc anno, ineunte martio, Guido II. hujus nominis, prior Camaldulensis, in eremo sepultus, vir sanctus & laudabilis, sub quo tum plures factæ fuerant accessiones eremo & congregationi Camaldulensi, tum varia fuit ejusdem congregationis monasteriorum fortuna. In necrologio parthenonis sanctæ Christinæ de Bononia ipsius obitus ponitur pridie kalendas martii: *Obiit dompnus Guido venerabilis prior Camaldulensis sepultus in ecclesia heremi Camaldulensis*. Inter cetera Guidonis prioris statuta tempore sui officii hæc leguntur ad calcem alterius necrologii Vangaticiensis: *Cum sancta & salubris sit cogitatio pro defunctis exorare, generali capitulo approbante statuimus, & firmiter præcipimus, ut jugiter sexta feria novem psalmi cum tribus lectionibus & responsoriis debeant sollemnissime decantari*.

In Guidonis locum die octava paschæ electus fuit Martinus ejus nominis III. ex abbate monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum, cujus prima monumenta in tabulario Fontis-boni habentur ad diem sextam maji, qua deputavit quosdam prælatos, qui vice sua præessent electionibus habendis. Martini autem locum in eo monasterio Pisano replevit Mainittus, cui hoc *anno* M.CC.XLIX. more Pisano *indictione septima* mutata septembri, *quarto idus novembris* operarii ecclesiæ sancti Laurentii de Rivolta licentiam petierunt construendi carnarium seu cœmeterium ad reponenda pauperum cadavera.

XXIV. Aliqua ad varia monasteria pertinentia.

IN suprarelato necrologio sanctæ Christinæ III. *idus aprilis* adnotatur obitus Scholasticæ abbatissæ ejusdem parthenonis, quæ prima decessit in novo monasterio constructo intra urbem. Electa ipsa fuerat anno 1234. in locum Jacobinæ abbatissæ defunctæ VI. kalendas junii. Die sexta maji [a] cassata quadam electione illegitima visitatores deputati a Martino priore Camaldulensi ad reformandum novum Bononiense asceterium, scrutatis monialium votis, sollemniter elegerunt in abbatissam Imiliam.

Lucia postrema abbatissa monasterii sanctæ Mariæ de Toma [b] translata fuit ad regimen novi parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone, in quo eousque monachi vel eremitæ degerant. Monasterium autem sanctæ Mariæ de Toma conversum fuit in domicilium monachorum, primo abbate electo Jacobo vel Josepho priore claustrali de Vivo, *anno* M.CC.XLVIII. sed more Florentino, *indictione* VII. *die decima martii*, hoc est primis mensibus anni M.CC.XLIX.

Die decima octava julii [c], deposito Nicolao abbate Berardingorum suffectus fuit Bartholomæus prior sancti Salvatoris de Camaldulo Florentiæ a Martino priore Camaldulensi, qui post electionem requisivit assensum patro-

a §. *Electio* 37. *A*. 3. 104.

b *Ibidem* 42. *A*. 3. 111.

c *Ibid*. 39. *A*. 3. 106.

tronorum ejus monasterii, scilicet domini Guiniscii de Monasterio, & Bernardini Ugonis de Valcortese. Decima-sexta augusti electus est abbas sanctæ Jucundæ Guido, assentientibus patronis ejusdem monasterii [a]. Ann. Chr 1248.

a *Ibid.* 41. *A.* 3. 108.

XXV. Octaviani card. legati privilegium monachis S. Mathiæ.

Cum Johannes & Girardus eremitæ Camaldulenses caritate & ceterarum virtutum insignibus efflorerent in recens extructa eremo sancti Mathiæ de Muriano, & plures ad eos confugerent, qui eorum exemplo moti peterent vitam cum ipsis in eadem eremo instituere, quod facere prohibebantur decreto Stephani Natalis episcopi Torcellani, qui quaternarium numerum eisdem eremitis præscripserat, Octavianus de Ubaldinis apostolicus Innocentii IV. in Italia legatus amplam ipsis facultatem fecit augendi taxatum eremitarum numerum sequenti decreto, quod ex autographo tabularii ejusdem monasterii damus.

Octavianus miseratione divina sanctæ Mariæ in Vialata diaconus cardinalis apostolicæ sedis legatus viris religiosis .. priori & fratribus ecclesiæ sancti Mathiæ de Muriano Camaldulensis ordinis diœcesis Torcellanæ salutem in Domino. Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Cum igitur, sicut referentibus vobis accepimus, venerabilis pater Torcellanus episcopus ob vestri ordinis reverentiam ecclesiam sancti Mathiæ de Muriano diœcesis Torcellanæ cum pertinentiis suis vobis sub annuo censu duxerit concedendam, nos vestris justis supplicationibus annuentes, quod ab eodem episcopo provide factum est in hac parte, & in confecto exinde instrumento dicitur contineri, auctoritate, qua fungimur, confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus sine juris præjudicio alieni. Concedentes vobis nihilominus & successoribus vestris ibidem sub obedientia prioris Camaldulensis Domino famulantibus, ut non obstante numero quatuor fratrum, quem in ecclesia ipsa idem episcopus statuit, & prohibuit augmentari, cum quanto resederitis plures ibidem, tanto uberiores possint in ea Domino laudes exsolvi, numerum ipsum augere imposterum, prout ejusdem ecclesiæ facultates excreverint, valeatis. Nulli ergo omnino hominum &c. *Si quis* &c. *Datum Bononiæ quarto kalendas septembris, pontificatus domini Innocentii papæ IV. anno sexto.* Octavianus cardinalis tunc temporis urbes Romandiolæ retrahebat a dominio Friderici imperatoris, & Bononiensium ac ceterorum populorum exercitibus eas ad Romanam ecclesiam revocabat.

XXVI. Obitus B. Jordani prioris S. Benedicti de Patavio, & de ecclesiis Patavinis.

Ad Deum evolavit hoc anno, juxta receptiorem sententiam, beatus Jordanus Forzateus, qui ex priore monasterii Patavini sancti Benedicti, quod fundaverat, exul & extorris a patria factus anno 1237. a sacrilego tyranno Eccellino, variis in locis latuerat, donec Venetias se recipiens ad monasterium sanctæ Mariæ, vulgo appellatum *de la Celestia*, vitam duxit per aliquot annos cœlestibus meditationibus suavem, & ab hominum consortio remotam. Post Scardeonium Ughellius, Wion, Menardus, Buccellinus & Ferrarius ipsius obitum referunt ad annum 1228. sed res ipsius gestæ, exilium, & vetera monumenta ad hunc annum sanctum virum pervenisse declarant. Jacuit aliquot annis in præfata ecclesia tumulatus, donec anno 1256. translatum fuit ipsius sacrum corpus Patavium. Libenter memoriam de ipso facimus, quia si non fuit fundator congregationis novæ monachorum alborum sancti Benedicti de Patavio, saltem fuit unus ex illustrioribus ejus cœtus viris, qui insuper sacros promeruit honores, & habitus semper fuit inter cœlites patronos Patavinæ urbis.

Non abs re ex autographo tabularii nostri sancti Michaelis de Muriano subjungimus testamentarias tabulas hoc anno ad favorem monasterii sanctæ Mariæ de Porcilia scriptas a Jacobo filio quondam Rolandini, in

qui-

Ann. Chr. 1248. quibus testator beneficus fuit erga multas ecclesias vel urbis, vel territorii Patavini; in iis vero præcipuæ illæ sunt sive monachorum, sive sanctimonialium, quæ eamdem congregationem monachorum alborum constituebant, quarum his temporibus, potissimum post exilium præfati Jordani prioris sancti Benedicti & obitum, tamquam oculus & dextera manus erat beatus Compagnus ejusdem Porciliensis cœnobii prior. Tabulæ propterea sunt hujusmodi. [a]

a Caps. 15. n. 13.

In nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo quadragesimo octavo indictione sexsta die tertio intrante julio, presentibus dompno Castellano, fratre Philippo, fratre Armengerio, fratre Paulo, magistro Henrico Todesco medico, magistro Raimundo, fratre Sansone, fratre Patavino & fratre Bonaventura presbyteris & fratribus ecclesie sancte Marie de Porcilia & aliis testibus rogatis & specialiter convocatis a testatore. Jacobus filius quondam Rolandini merzarii, licet infirmus corpore, sane tamen mentis, timens, ne ab intestato decederet, suum per nuncupationem condidit tale testamentum sic dicens. In primis elegit sibi sepulturam apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia, & de suis bonis pro anima sua reliquid libras ducentas denariorum Venetorum, & hoc in dispositione prioris sancte Marie de Porcilia, & prioris sancti Augustini, qui nunc sunt vel per tempora fuerint, & sororis sue domine Palme, de quibus reliquid libras vigintiquinque den. Venet. super sepulturam. Item reliquid ecclesie sancte Marie de Porcilia libras LX. *den. Venet. Item reliquid lib.* X. *ecclesie sancti Spiritus. Item reliquid ecclesie sancti Augustini lib.* XX. *den. Venet. pro quibus teneantur facere ejus anniversarium. Item reliquid solidos centum den. Venet. fratribus minoribus de sancto Antonio. Item solidos* C. *sororibus Celle. Item reliquid sol.* XXXX. *den. Ven. fratribus de Busco Item sol.* XL. *fratribus sancti Willielmi. Item reliquid lib.* X. *den. Ven. ecclesie sancti Johannis de Verdaria pro sorore sua Ricarda. Item sol.* LX. *ecclesie sancte Marie de Vancio reliquid. Item solidos* XL. *ecclesie sancti Jacobi de Pontecorbo. Item ecclesie sancti Mathie sol.* XL. *Item ecclesie Omnium Sanctorum solidos* XL. *Item ecclesie sancti Marci solidos* XL. *Item ecclesie sancti Bernardi solidos* XL. *Item ecclesie sancte Cecilie sol.* XL. *Item ecclesie sancte Agathe solidos* XL. *Item ecclesie sancte Marie Magdalene solidos* XL. *Item ecclesie sancti Francischi solidos* XL. *Item ecclesie sancti Prosdocimi solidos* XL. *Item ecclesie sancte Marie de Porcilia libras* X. *denar. Ven. pro animabus patris & matris sue. Item ecclesie sancte Malgarite de Pulveraria solidos* XL. *Item ecclesie sancte Marie de Trixone solidos* XL. *Item ecclesie sancte Agnetis solidos* XL. *Item ecclesie sancte Marie de Riveria solidos* XL. *Item ecclesie sancti Viti solidos* XL. *reliquit &c. In Padua in dormitorio ecclesie sancte Marie de Porcilia.*

† *Ego Albertus quondam Paschalini de Robertis imperialis aule notarius his interfui, jussu dicti testatoris rogatus hec scripsi.*

Plures aliæ ecclesiæ Patavinæ nominantur etiam in altero testamento Ymiciæ uxoris domini Azochi de sancto Zenone confecto anno 1251. & servato in eodem sancti Michaelis chartario [b]. Hæc reliquit præfato Compagno, Porciliensi priori ecclesiæ sanctæ Mariæ, apud quam humari voluit, centum libras, alias vero centum ab ipso distribuendas ecclesiæ de Cella, ecclesiæ sancti Bernardi, ecclesiis sancti Prosdocimi, sancti Augustini, sancti Francisci, sanctæ Mariæ-magdalenæ de ora sanctæ Crucis, sanctæ Mariæ de Misericordia, sanctæ Agathæ, sancti Antonii, sancti Mathiæ, sancti Marci de Porcilia, dominis de Venda, sororibus de Salarolo, sororibus Humiliatorum de Este; item hospitalibus sancti Spiritus,

b Caps. 15. n. 31.

ritus, sancti Pauli, sancti Jacobi de Spata, sancti Lazari, sancti Salvatoris, sanctæ Mariæ de Crucieriis, & sanctæ Crucis. Nonnihil his monumentis illustrabitur memoria monasteriorum & ecclesiarum Patavinarum hujus temporis. Ann. Chr. 1248.

Ex charta restitutionis quarumdam terrarum factæ hoc anno monasterio Valle-castrensi liquet ecclesiam sancti Angeli de Muris ad jus pertinuisse ejusdem cœnobii.

Monasterium vero sancti Apollinaris in Classe Ravennæ causam habuisse cum Guidone comite Thusciæ colligitur ex examine & responsionibus testium interrogatorum hoc anno, quæ existunt in tabulario [a] archiepiscopali Ravennæ.

a *Caps. H.* 3037.

Ann. Chr. 1249.

XXVII. Constitutiones eremi S. Mathiæ de Muriano.

PRÆSENTI anno *indictione* VII. *die secunda maji* in urbe Venetiarum erat Martinus III. præses generalis congregationis Camaldulensis, juxta monumenta tabularii Fontis-boni [b]. Inter cetera loca ejus urbis visitavit novam exsurgentem sancti Mathiæ eremum, fratresque loci institutores Johannem & Girardum invisit, qui in ipsius manibus obedientiam secundum regulam beati Benedicti, & consuetudinem Camaldulensem polliciti sunt. Johanni administrationem eremi commisit, seu potius confirmavit, chartam roborante Donato presbytero & notario. Singularem insuper ipsi tradidit in scriptis eremiticam vivendi formam, quæ nonnihil remissior esset illa, quæ in Camalduli eremo ex traditione sancti patris Romualdi, & ex constitutionibus Rodulphi prioris quarti servabatur, eamque inscripsit Constitutiones eremi sancti Mathiæ de Muriano. Eas utpote non adeo prolixas subjicimus ex veteri codice nostro membranaceo seculi XIV. & ex Fortunio [c], qui eas refert ad annum antecedentem; ex ipsa quoque narratione fundatorum ejus monasterii laudes & merita innotescunt.

b §. *Obedientia* 2. *A.* 3. 118.

c *P. II. lib. III. pag.* 106.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, amen. Anno ejusdem M. CC. XLVIIII. IIII. *kalendas junii consuetudo heremitarum sancti Mathiæ de Murano.*

Excellentiorem viam caritatis perfectæ cum perfectis eligere cupiens felicis memoriæ dompnus Guido eremi Camaldulensis prior, ut per ipsam viam ad regna cœlestia conscendere mereretur, non quærens, quæ sua sunt, sed quæ aliorum, venerabiles fratres nostros dompnum Johannem & dompnum Girardum Camaldulensis eremi eremitas vita & religione ferventissima renitentes, proximorum utilitate inspecta, Venetiarum partes eorum exemplo salutifero decrevit laudabiliter illustrare. Nam cum prædicti fratres insigni religione per longa tempora in Camaldulensi eremo tamquam duæ olivæ fructiferæ, & duo candelabra coram Deo & hominibus radiantia refulgerent, proximorum precibus inclinatus dictus prior, ut olim præcellentissimus Benedictus totus visceribus affluens caritatis beatum Maurum ad Gallias destinavit, memoratos Johannem & Girardum cum suis literis ad locum sancti Mathiæ de Murano repletus benigna caritate transmisit, hanc ipsam peregrinationem in remissionem suorum omnium peccatorum misericorditer indulgendo. Qui ad locum pervenientes præfatum, ecclesiam tantum cum quadam domuncula palea coopertam, collapsam in spiritualibus & temporalibus repererunt, quam a venerabili patre Stephano Torcellano episcopo, & Petro plebano de Murano acquirere procurarunt, & sic prælibatam ecclesiam gratia Dei fulti, & bonorum virorum Venetorum civium potentia adjuti ad statum laudabilem spiritualiter & temporaliter perduxerunt, juxta quam duas cellulas construentes se ipsos in illis, affectantes solitudinem, devotissime recluse-

Ann. Chr. 1249. *cluserunt, in quibus vitam eremiticam cum magno religionis fervore ducentes sua conversatione laudabili Venetorum populum devotione multiplici attraxerunt, locum ipsum tam in ornamentis ecclesiæ, quam in ædificiis honorabiliter augmentantes. Quorum famam laudabilem nos frater Martinus Camaldulensis prior suaviter odorantes ad ipsos in odorem unguentorum suorum curavimus paterna sollicitudine festinare. A quibus cum quibusdam nostris fratribus devote suscepti, & ab eis humiliter exorati, vitam ipsorum, & aliorum, qui Deo in prædicto loco decreverunt famulari, de fratrum nostrorum consilio, videlicet abbatis sancti Hippolyti de Faventia, & sancti Michaelis de Murano & Camalduli de Foro-livio priorum, atque domni Michaelis Camaldulensis eremi eremitæ, aliorumque nostrorum fratrum, taliter duximus ordinandam.*

In primis videlicet, quod prædictus locus sancti Mathiæ de Murano de cetero eremus nuncupetur, & fratres eremitæ existentes in eremo prædicta vitam eremiticam faciant, & reclusi morentur, & per omnes horas simul in ecclesiam conveniant, divinum officium integraliter & devote celebrando, secundum quod in ordine Camaldulensi regulariter est statutum.

De duabus quadragesimis, sancti Martini videlicet & majoris.

In duabus igitur quadragesimis videlicet sancti Martini & majoris quilibet frater medium psalterium dicat omni die, præter qui fuerint ad dandas pœnitentias, vel alia exercitia utilia constituti; aliis vero diebus quinquaginta psalmos ad minus quilibet dicere non omittat, & qui fuerint sacerdotes, Missas studeant dicere omni die, nisi fuerint justa occasione aliqua præpediti; & dicant diebus ferialibus duas Missas, scilicet unam pro vivis, & aliam pro defunctis.

Quod eremitæ non sint ociosi.

Et quia ociositas inimica est animæ, caveant dicti fratres, ne in cellulis ociosi existant, sed semper aut legant, aut orent, seu aliquid utile faciant, ut diabolus semper eos inveniat occupatos, nam laborantem monachum unus dæmon infestat, ociosum autem mille. Venire quippe ad eremum summa perfectio est, sed non recte vivere summa damnatio est.

De silentio.

Et quia silentium est cultus justitiæ, & ubi silentium non est, ibi nulla justitia est, in duabus quadragesimis, tribus diebus in hebdomada continuum silentium fratres teneant usque ad vesperam, idest mortuorum officium secunda videlicet, quarta, & sexta feria, præter illos, qui fuerint ad aliquod officium cum prioris licentia constituti, vel alia justa causa occupati. Aliis vero diebus usque ad Tertiam silentium teneant, & nullus loquatur alteri, etiamsi fuerit de conventu Camaldulensi, sine prioris licentia speciali. Et nullus eremitarum solus cum sola loquatur muliere, nisi illi sacerdotes tantum, qui fuerint constituti ad pœnitentias imponendas, vel de licentia prioris; & nullus ingrediatur cellam alterius sine prioris licentia.

Quod nullus det aut accipiat.

Ut autem peculiare vitium ab hoc loco penitus auferatur, ordinamus mandantes, quod nullus eremitarum istius loci aliquid dare vel accipere præsumat vel etiam tenere, sine prioris licentia speciali; & si aliquid alicui fratri directum fuerit, priori præsentetur, & ipse dispenset, sicut viderit expedire, & singulis mensibus per se ipsum vel alium visitare studeat cellas fratrum, & nullus petat aliquid alicui sine prioris licentia speciali.

De vestibus.

Item fratres prædicti eremitæ vestes habeant de panno, quod vilius comparari

parari possit, prout in beati Benedicti regula continetur, & desuper habeant cucullas villosas, vel de panno socano, nisi forte ab aliquo fuerit datus pannus melior intuitu pietatis, tantummodo de licentia prioris; & qui voluerint clamides de sacco, subtalares ordinatos habeant. Pro lecto habeant sagum & capitale, & qui voluerint, utantur pellibus, dummodo sint villosæ. ANN. CHR. 1249.

De jejunio ab idibus septembris usque ad quadragesimam sancti Martini.

Jejunia observent dicti fratres ab idibus septembris usque ad quadragesimam sancti Martini, omnibus diebus utantur vino cum pulmentis, præterquam in VI. *feria, & vigiliis Sanctorum, in quibus vino cum adjectione acruminum & pomorum utantur tantum, nisi quis fuerit aliqua infirmitate vel debilitate prægravatus, & si festum* XII. *lectionum in prædicta* VI. *feria venerit, vinum cum pulmentis fratribus ministretur. Idem fiat ab octava epiphaniæ usque ad principium quadragesimæ majoris,* II. *&* IV. *feria & sabbatis more quadragesimali fercula præparentur; feria* VI. *ut supra, die Dominico,* III. *feria &* V. *caseus & ova prædictis fratribus misericorditer tribuantur. Ad edendum cum sagimine non fiat ullo tempore aliqua comestio, sed cum oleo, nisi causa infirmitatis vel debilitatis.*

De infirmis.

Et quia infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, pro ut in beati Benedicti regula continetur, ordinamus, ut infirmis fratribus tam in esu carnium, quam in aliis cibariis usque ad reparationem provideatur honeste secundum possibilitatem loci præfati, & unus servitor timens Deum infirmis fratribus a priore largiatur.

De minutione sanguinis.

Minutionem sanguinis ter in anno faciant, videlicet in octava epiphaniæ, circa festum sancti Michaelis, & post octavam resurrectionis, & tribus diebus, quando minutionem faciunt, habeant misericordiam, comedendo bis in die, quæ sibi fuerint præparata, præter aliquod pulmentum coctum cum sanguine, quod prohibitum est sanis penitus comedere in loco isto.

De rasura fratrum.

De rasura fratrum dicimus, quod a kalendis novembris usque in pascha resurrectionis semper XX. *dies interponantur. A pascha vero resurrectionis usque ad prædictas kalendas novembris* XV. *interponantur.*

De abstinentia in quadragesima sancti Martini.

In quadragesima sancti Martini feria II. *&* IV. *vino cum adjectione acruminum & pomorum fratres reficiantur. Si festum* XII. *lectionum in dictis feriis venerit, tunc quidquid eis Dominus dederit vel occurrerit, vinum, & pulmentum coctum tribuatur. Si vero sollemnitas fuerit vel occurrerit, tunc quidquid eis Dominus dederit, cum gratiarum suscipiant actione. Feria* VI. *in pane & aqua jejunent & sale; si festum* XII. *lectionum in dicta feria venerit, vinum cum adjectione acruminum & pomorum apponatur. Diebus Dominicis,* III. *&* V. *feria, sabbatisque pulmentis utantur & vino. Feria* VI. *facta generali confessione recipiant in capitulo disciplinam; & similiter fiat in quadragesima majori, sicut fieri diximus in quadragesima sancti Martini.*

De nativitate Domini usque ad octavam epiphaniæ.

A nativitate Domini usque ad octavam epiphaniæ jejunium observetur, sed abstinentia relaxetur. Ab octava epiphaniæ usque ad initium quadragesimæ majoris, jejunium & abstinentia observetur, sicut fieri diximus ab idibus septembris usque ad quadragesimam sancti Martini.

Ann. Chr. 1249.

De vigilia nativitatis Domini.

In vigilia nativitatis Domini , sabbato sancto , vigilia ascensionis , & in sabbato pentecosten prædicti fratres vino & pulmentis utantur propter reverentiam paschatis , & laborem.

De quadragesima majori.

In quadragesima majori jejunium , silentium , psalmodia , & abstinentia integraliter observentur , sicut fieri diximus in quadragesima sancti Martini.

Qualiter agatur per octavam resurrectionis.

Per octavam resurrectionis bis in die comedant fratres , præter quam in VI. *feria & sabbato, in quibus ad Nonam reficiant , vino cum pulmentis utentes.*

Modus servandus ab octava resurrectionis usque ad idus septembris.

Ab octava resurrectionis usque ad idus septembris continuum teneant fratres jejunium . Feria quoque VI. *per idem tempus a piscibus fratres abstineant , nisi forenses supervenirent , per quos pictantia fieret , vel nisi prior vellet ex misericordia dispensare , vel nisi occurreret festum* XII. *lectionum , & fratres sive fuerit dies abstinentiæ , sive misericordiæ, simul semper comedant cum silentio & lectione divina , nisi quis fuerit infirmitate corporis prægravatus.*

De abstinentia quarumdam vigiliarum.

Ordinamus etiam , ut has vigilias in pane , & aqua & sale fratres jejunent , videlicet omnes vigilias sanctæ Mariæ , Omnium Sanctorum , sancti Andreæ & sancti Thomæ . Item si duo dies immediate occurrerent, major observetur & minor dimittatur . Item de festo sancti Mathiæ dicimus , quod sive extra quadragesimam , sive intra quadragesimam venerit , vinum cum fructibus in vigilia fratribus ministretur.

Qualiter debet fieri prior hujus eremi.

Eremo itaque suprascripta, priore vacante, fratres ejusdem loci priori Camaldulensi quamcitius per suum nuntium studeant intimare , qui ad locum præfatum per se vel per alium fratrem idoneum procuret accedere, & vota fratrum diligenter inquirat , & illum eligat , & confirmet, atque instituat , in quem major & sanior pars concordaverit fratrum ; & si in eodem loco reperitur idoneus, de ipsis fratribus assumatur, qui vitam ereimiticam ducere possit & velit secundum statuta superius ordinata.

De obedientia & modo satisfactionis.

Ut autem prædicta integraliter observentur , & rigor religionis de bono in melius auctore Domino in dicto loco tam a præsentibus , quam futuris augmentetur , ordinamus obsecrantes in Domino Jesu-christo , quod fratres existentes in hac eremo communem vitam faciant , priori suo humilem obedientiam & reverentiam exhibendo , & omni die ad capitulum conveniant , & quilibet pro suis excessibus se accuset , si necesse fuerit , & tractent de suo ordine in caritate , & prior secundum modum culpæ unumquemque corrigat , prout viderit expedire ; & omni VI. *feria per totum annum facta generali confessione recipiant in capitulo disciplinam , si vero festum* XII. *lectionum , aut præcipuum* VI. *feria venerit , tunc disciplina in vigilia dicti festi suscipiatur , sabbato vero quilibet frater de suis excessibus , negligentiis & offensionibus humiliter se sub tribus veniis accuset cum confessione , cui prior pœnitentiam injungat , prout viderit expedire.*

De pœnitentiis imponendis.

Et quia devotioni fidelium prompta debemus benignitate occurrere , prioribus & fratribus , quos ad hoc idoneos reputaverint , licentiam condonamus ,

donamus confessiones clericorum & laicorum audiendi, & secundum discretionem sibi a Deo concessam pœnitentiam imponendi, venerabilium tamen patrum episcoporum aliorumque prælatorum licentiam duximus tribuendam, ut suos benefactores recipiant in beneficiis spiritualibus ordinis Camaldulensis, & eos vice nostra de memoratis beneficiis faciant participes & consortes. ANN. CHR. 1249.

Quod prior hujus eremi potest in omnibus dispensare.

Hæc omnia ordinamus & observari mandamus tam a præsentibus, quam a futuris, indulta dumtaxat licentia priori, ut in omnibus valeat dispensare, secundum quod suæ discretioni visum fuerit, & si quis in aliquo prædictorum transgressor fuerit deprehensus, non ad culpam, sed ad pœnam sibi potius imputetur.

Animadvertenda inter cetera hæc duo in his consuetudinibus, quod eremitæ Murianenses, licet solitudini addicti, vitam etiam activam adjungebant, confessiones peccatorum laicorum excipiendo & pœnitentias dando; alterum, quod perseverabat usus duas Missas celebrandi diebus ferialibus.

XXVIII. Stephani ep. Torcellani & Gregorii de Monte-longo legati indulgentiæ concessæ ecclesiæ ejusdem eremi.

QUOD autem non soli contemplativæ vitæ generi vacarent eremitæ Murianenses, sed de proximorum etiam salute solliciti partim prædicationibus, partim caritatis operibus optime mererentur de populo ejus diœcesis, testimonium omni exceptione major est Stephanus Natalis Torcellanensis episcopus, qui sequentes literas dedit fidelibus suæ diœcesis.

Stephanus miseratione divina episcopus Torcellanus universis Christi-fidelibus tam clericis, quam laicis per Torcellanam diœcesim constitutis salutem in salutis auctore. Cum igitur monasterium ad honorem Dei & beati Mathiæ apostoli in capite Muriani sit situm, in quo quidam eremitæ agentes pœnitentiam transeuntibus inde caritatis obsequia impendendo credant Deo acceptam ducere vitam. Universitatem igitur vestram monemus & exhortamur in Domino, atque in remissionem peccatorum vestrorum vobis injungimus, quatenus quibuscumque ad eorum prædicationem venerint, de omnipotentis Dei misericordia & gloriosæ virginis matris ejus adjuti patrocinio & ea, quam nobis concessit, auctoritate confisi omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ob hoc ad locum accesserint supradictum, necnon etiam & qui manum suam eidem porrexerint caritativam, XXXX. dies de injuncta sibi pœnitentia pro criminalibus, & quarta parte venialium misericorditer relaxamus.

Gregorius quoque de Monte-longo apostolicæ sedis legatus indulgentiam quinque annorum impartitus est iis, qui in die festo sancti apostoli Mathiæ eamdem ecclesiam visitarent, datis hujusmodi literis:

G.. Monte-longo apostolicæ sedis legatus universis Christi-fidelibus per Torcellanam civitatem & diœcesim constitutis salutem in Domino. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi, prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem messionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino, cum multiplicato fructu recolligere debeamus in cœlis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Hinc est, quod universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, quatenus cum ecclesiæ debeant in terris ab hominibus honorari, ut hi, in quorum nomine sunt constructæ, intercessores pro eis existant apud summum Patrem, qui non obliviscitur bene sperantibus dignæ retributionis meritum impertiri, ad monasterium sancti Mathiæ de Murano Torcellan. singulis annis in ipsius festivitate petituri misericordiæ divinæ suffragium accedatis, ut per hæc & alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, possitis ad æternæ felicitatis gaudia pervenire. Nos

Ann. Chr. 1249. *enim de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in festo ejusdem & ad octavas ipsius cum devotione ad monasterium accesserint memoratum, quinque annos auctoritate, qua fungimur, de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus, præsentibus post quinquennium minime valituris. Datum Venetiis* VII. *idus julii.*

Abbas sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia erat Bonifacius; prior autem sancti Michaelis de Muriano Johannes restitutus ad regimen monasterii ejusdem hoc anno die undecima januarii a Massario abbate Uranensi; prior demum Camalduli Foro-liviensis Rodulphus, quorum præcipue consilio confecit superiores constitutiones pro eremitis sancti Mathiæ Martinus præses generalis.

XXIX. Devastatio ecclesiæ & urbis Nucerinæ.

INTER ceteras Italiæ urbes a Friderico imperatore depopulatas non postrema fuit urbs Nucerina, ubi corpus jacebat beatissimi episcopi Raynaldi. Stragem ejus urbis enarrat auctor synchronus, vel saltem vetus vitæ ejusdem sancti viri. *Temporibus subsecutis*, inquit, *cum Fredericus imperator loca munitiora circa Nuceriam occupasset, ac cives Nucerini mallent ad pontificis Romani obedientiam redire, Germani ac Fulginates illis infensi e castellis munitioribus urbem Nuceriam invasere, eamque civibus depulsis anno* M. CC. XLIX. *destruxere, servata sibi arce altissima, quam turribus mœnibusque fortissimis cinxerunt. Fuerunt tunc quotquot ecclesiæ fidi erant canonici, monachi, sacerdotes, clerici multis undique injuriis agitati, dum tandem desertis ecclesiis fuga sibi salutem quærerent. Tunc cathedralis Nucerina expilata, & Germanorum militum prædonumque spelunca & bestiarum stabulum facta est, in qua absque ulla corporis beati Raynaldi aliorumque episcoporum, quorum illic sepulcra visebantur, reverentia excubiæ militares exercebantur, impudici homines pro suis uxoribus & concubinis cubicula lectosque collocarant. Demum quæcumque fuerunt ecclesiæ sacra vasa atque ornamenta cum libris direpta sunt atque ablata, quorum omnium erit coram Dei tribunali cognitio. Mortuis Frederico anno* M. CC. L. *ejusque postea filio Conrado rege* (hic decessit anno 1254.) *& occisis in bello Manfredo* (anno 1266.) *& Conradino* (huic jussu Caroli regis Neapolis amputatum fuit caput anno 1268.) *pax a Deo sanctæ ecclesiæ reddita est, quando Nucerini reversi mœnia turresque arcis destruxerunt, ac civitatem instauraverunt, cui inclusa est cathedralis ecclesia, in qua corpus sancti Raynaldi eadem, qua olim fuerat, in veneratione deinceps habitum.* Videantur etiam, quæ dicemus ad annum 1254. tempore Philippi Nucerini episcopi.

XXX. De hospitali S. Angeli de Tressa.

THEODORA uxor quondam Ugolini Quintavallis subjecerat per testamentarias tabulas monasterio sancti Salvatoris Berardingorum hospitale sancti Angeli de Tressa Vallis-Arbiæ, quod ædificatum fuerat ab eodem Ugolino viro suo *anno* M. CC. XXVI. *sexto kalendas martii indictione* XV. in honorem sanctæ Mariæ & sancti Michaelis prope castellum sancti Angeli a Tressa. Cum diutius occasione hujus subjectionis disceptatum fuisset inter dictum monasterium, & inter archinosocomium sanctæ Mariæ ante gradus Senensis majoris ecclesiæ, tandem præsenti *anno* M. CC. XLIX. *die* V. *kalendas augusti indictione* VII. Maurus abbas sancti Salvatoris suffectus in locum Bartholomæi, consensu habito suorum monachorum, oblatorum & conversorum monasterii, licentia etiam obtenta a Martino priore Camaldulensi, tradidit & concessit Ranerio Caccianevi rectori ejusdem hospitalis Schalæ possessiones omnes, & res prædicti hospitalis sancti Angeli de Tressa, cum omnibus hominibus, villanis & servitiis, quæ fuere olim Ugolini Quintavallis, excepta quadam domo, quam obtinebant filii comitis Baroncelli, & ex mera liberalitate transtulit totum jus suum

in nosocomium Senense, tradens eodem tempore testamentum Ugolini, & chartam subjectionis, quam confecerat Theodora. Traditionis paginam integram edimus ex tabulario ejusdem Senensis hospitalis.

Ann. Chr. 1249.

XXXI. Bulla Innocentii IV. pro monast. S. Gregorii de Urbe.

MONASTERIA Italiæ his temporibus adeo gravata erant ære alieno ob frequentes & eas gravissimas impositiones statutas tam contra Fridericum rebellem imperatorem, quam pro substentandis legatis apostolicis, qui contra ipsum agerent, nec non in providendis iis, qui bonorum jacturam fecerant sub impio principe, ut cogerentur ad apostolicam sedem confugere pro relevatione gravaminum. Exemplo sit monasterium sancti Gregorii de Urbe olim tam dives, bonisque & possessionibus pluribus abundans, cujus abbati confugium habenti sequens ex Lugduno rescriptum dedit summus pontifex Innocentius IV.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & conventui monasterii sancti Gregorii de Urbe salutem & apostolicam benedictionem. Monasterio vestro, quod, sicut narrantibus vobis accepimus, adeo gravatum est onere debitorum, & in temporalibus diminutum, quod ejus substantia vix existat, paterno compatientes affectu, & ex hoc alicujus relevationis solatio vos gaudere volentes, auctoritate præsentium indulgemus, ut ad receptionem seu provisionem alicujus in pensionibus aut ecclesiasticis beneficiis per literas sedis apostolicæ vel legatorum ejus compelli de cetero non possitis, absque mandato sedis ejusdem faciente plenam de tenore istius indulgentiæ mentionem. Nulli ergo hominum &c. Si quis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Lugduni duodecimo kalendas junii pontificatus nostri anno sexto.

Post mensem amplissimo diplomate monasterium ipsum, omnesque ecclesias ei subjectas, bonaque ipsius sub apostolicæ sedis protectione suscepit; quarum ecclesiarum libenter seriem subjungimus; locum ipsum, in quo præfatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sanctæ Mariæ de Manu, sanctæ Mariæ in Petroccia, sancti Jacobi in Orrea, sanctæ Trinitatis de Scottis, sanctæ Mariæ de Metriis cum omnibus pertinentiis earum; munitionem, quæ Septem-solia nominatur, dominium turris de Arcu, & Trali prope turrem eamdem, castrum dictum Molarupta, & sanctæ Mariæ ac sancti Apollinaris ejusdem castri ecclesias; dominium castri de Arena, & ecclesiam sanctæ Mariæ castri ejusdem; castrum Guidonis & ecclesiam sanctæ Mariæ ejus castri; castrum Mezzani, & sancti Nicolai & sancti Benedicti ipsius castri ecclesias; dominium castri Vetuli, & ecclesiam castri; dominium Orciani & ecclesiam sanctæ Mariæ dicti castri; sanctæ Fortunatæ in civitate Sutrina, sancti Georgii in suburbio; castri Flajani, sancti Andreæ in Tibure, & sancti Severini de Utriculo, turrem de Arcione, & Palumbarium prope Urbem, terras & prata ibidem sita; castrum Fustinani, & ecclesiam sanctæ Mariæ castri ejusdem; sancti Gregorii & Casacorbulæ castra cum ecclesiis ipsorum, villam dictam Castelluciam cum ecclesia sanctæ Mariæ ejus villæ; molendina, terras & prata in loco dicto Barbiliano, hortos in loco vallis de Butojo &c. Sed integrum diploma dabimus ad annum 1299. quo Bonifacius VIII. insertum Innocentianum ratum habuit, novoque robore munivit.

XXXII. Nonnulla ad historiam aliquot monasteriorum.

BONIFACIUS abbas monasterii sanctorum Hippolyti & Laurentii de Faventia ad honorem domini Zuliani electi Faventini episcopi elegit rectorem ecclesiæ sancti Michaelis de Trebana, quæ pleno jure ad monasterium suum pertinebat, unaque erat ex iis, quas anno 1181. recensuerat in privilegio concesso eidem monasterio Alexander III. Zuliani nomen desideratur in Ughellio ad episcopos Faventinos. Sedit is inter Albertum

Ann. Chr. 1249. bertum, cujus postremam memoriam attulimus ad annum 1234. & inter Gualterium, cujus monumenta extant ad annum 1251.

a Ex tabul. Vallis-castri. Nominatur ecclesia S. Laurentii de Collina tamquam subjecta monasterio sancti Victoris de Clusis in charta [a], qua hoc anno die prima martii Gratia abbas ejusdem monasterii fecit quamdam liberationem.

b §. Electio 43. A. 3. 112. Nicolaus electus prior eremi de Vivo anno 1243. translatus fuit [b] ad abbatiam sanctorum Justi & Clementis urbis Volaterrarum a Martino priore Camaldulensi *anno* M. CC. XLVIII. *ab incarnatione*, *die decima martii indictione* VII. hoc est anno Florentino, qui erat M.CC.XLIX. more Romano.

c Ibid. A. 3. 116. 117. Electio rectorum ecclesiarum sanctæ Mariæ & sancti Nicolai de Serravalle, & sancti Georgii de Contra facta fuit hoc anno [c] a Marco abbate Pratalienſi, cujus monasterio eæ ecclesiæ erant subjectæ, ad honorem etiam electi Arretini episcopi Guillielmini.

Ann. Chr. 1250. XXXIII. Bulla Innocentii IV. pro monachis S. Mathiæ.

POST diœcesani episcopi, & legati apostolici indulgentias anno antecedenti obtentas, accesserunt monachi sancti Mathiæ etiam ad Romanum pontificem, a quo receperunt protectionis apostolicæ gratiam, quam ex tabulario ejusdem monasterii proferimus.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & fratribus sancti Mathiæ de Murano Camaldulensis ordinis Torcellanensis diœcesis salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem præbere assensum, & vota, quæ a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, quæ impræsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis præstante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, specialiter autem terras, domos, & alia bona vestra, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *Datum Lugduni* III. *idus junii pontificatus nostri anno* VII.

Ceterum Johannis primi prioris sancti Mathiæ a Martino III. instituti memoria habetur in tabulario ejusdem monasterii etiam ad annum sequentem, immo supervixit saltem ad annum 1259. quo post obitum ejusdem Martini III. die XXIX. octobris postulatus fuit prior generalis totius congregationis, sed cum majora numero suffragia stetissent pro Jacobo pœnitentiario, huic locum cessit, rediens ad suam Murianensem solitudinem. Post ejus sanctam mortem facile eremi regimen commissum fuit Gerardo alteri loci illius fundatori; sed monumenta non supersunt. Utrumque Beatorum fastis accensent post vetera kalendaria auctores omnes nostri, sed nullum sepulturæ ipsorum remanet vestigium, moreque ceterorum eremitarum Camaldulensium in communi cœmeterio tumulati beatam expectant resurrectionem. Ad annum 1268. primum ex regestis Camaldulensibus memoria habetur Andreæ prioris ejusdem monasterii.

XXXIV. De monasteriis S. Mariæ de Toma & Buldronensi. d §. Obedientia 3. A. 3. 2. LUCIA [d] olim abbatissa sanctæ Mariæ de Toma, destinata vero ad reformationem novi parthenonis sancti Johannis-evangelistæ de Buldrone, hoc anno non petita licentia Martini prioris Camaldulensis, iterum cum sanctimonialibus suis se recepit ad vetus asceterium de Toma; quare visitata ab abbatibus Uranensi & Monasteriensi excommunicationis pœna fuit perculsa; verum promittens obedientiam & reversionem ad monasterium Buldronense, censuræ vinculo fuit soluta die decima-sexta decembris. E contra [e] statim de mandato ejusdem Martini generalis Benignus, qui electus fuerat prior de Vivo in Nicolai locum, inductus fuit in possessionem

e §. Tenuta 12. A. 3. 21.

ejus-

ejusdem monasterii de Toma a Compagno priore ecclesiæ sancti Vigilii, mandatumque fuit monachis Tomensibus, ut priori de Vivo obedientiam præstarent, reservata priori Camaldulensi facultate visitandi & corrigendi prædictum monasterium. ANN. CHR. 1250.

Cum comites Brittonorienses [a] plura damna intulissent bonis monasterii sancti Apollinaris in Classe, archiepiscopus Ravennas Philippus Fontana, qui successerat Thederico defuncto anno antecedenti, de illis conquestus fuit, coegitque eos damna reparare dicto cœnobio illata.

[a] *Arch. archiep. Ravenn. Caps. P.* 8550.

XXXV. Lites monachorum S. Gregorii de Urbe pro ecc. S. Fortunatæ de Sutrio.

THOMASIUS monachus cœnobii sancti Gregorii de Urbe, & abbas sanctæ Fortunatæ de Sutrio, quod monasterium subjectum erat San-gregoriano, testes in medium protulit, qui jurarent dictam ecclesiam sanctæ Fortunatæ esse obedientialem divi Gregorii, neque unquam rectam fuisse a canonicis secularibus, quia quidam Angelus puer sexennis filius Oddonis Baccalerii petebat recipi in dicta ecclesia tamquam canonicus, & provideri de beneficio ecclesiastico a Petro Capoccio cardinali apostolicæ sedis legato, qui delegaverat Petrum canonicum Sutrinum. Ita etiam post multos alios testes protestatus fuit Petrus monachus & sindicus monasterii sancti Gregorii; alias appellationem interposuit apud Romanum pontificem. Actum in claustro sanctæ Mariæ de Sutrio, præsentibus Constantino abbate sancti Benedicti, Nicolao priore sancti Angeli de Monte Filizani, & Thomao clerico sancti Iohannis

XXXVI. Aliæ pro quadam hæreditate.

CIRCA eadem tempora aliam litem sustinuere monachi Gregoriani, & Petrus eorum abbas coram Thodino episcopo Tiburtino occasione cujusdam hæreditatis, quam adierant ex testamento Tolomæi de Polo filii Oddonis de Polo, qui monasterio reliquerat castra sua, nempe Castellumnovum, podium de Jennasii, & medietatem Morellæ in diœcesi Tiburtina, quæ fines habebant cum Capranicæ castro, cum civitate Prænestina, & cum castro sancti Viti, cum castro Guadagnoli, & cum castro Poli, dum infirmus existeret in castro Vallis-montonis prope ecclesiam sancti Stephani. Fragmentum haud spernendum processus, quo interrogati fuere varii testes, afferimus ex codice ejusdem monasterii, ex qua pagina detegitur Theodinus episcopus olim Tiburtinus, quem per totum præsens seculum non agnovit Ughellius, neque agnovere scriptores rerum Tiburtinarum. In eo processu nominatur frater Felix de ordine Minorum. Idem Ughellius [b] scribit sub Berardo electo episcopo Tiburtino anno 1253. exceptos fuisse in urbe Tiburtina fratres Minores.

[b] *T. I. col.* 1309.

In necrologio Galeatensi ponitur pridie idus octobris: *Obiit domnus Rodulphus abbas monachus frater noster anno Domini* M. CC. L. Jacobillius [c] ad hunc annum refert etiam obitum Philippi episcopi Firmani, de quo hæc leguntur in necrologio Avellanensi ad diem vigesimam-quartam maji: *Obiit domnus Philippus episcopus Firmanus monachus nostræ congregationis.*

[c] *T. III. pag.* 350.

Ecclesia sancti Antonii in capite cursus Brittonorii, quam dimisit Guillielmus [d], collata fuit Jacobo de Rufeno presbytero converso Camaldulensi a Massario abbate monasterii Uranensis, cui ea ecclesia parebat.

[d] *§. Oblatio* 11. *A.* 3. 4.

XXXVII. Visitatio monast. SS. Floræ & Lucillæ de Arretio.

SUBJICIMUS visitationem & statuta facta circa hunc annum pro monasterio sanctarum Floræ & Lucillæ de Arretio ex tabulario ejusdem cœnobii; quæ cujus mandato, & a quibus condita fuerint, ceteroquin ignoramus.

Præcipimus, quod monachi sanctæ Floræ abbati suo cum omni reverentia obediant tamquam patri, & e converso abbas eisdem tamquam filiis dilectionem impendat. Caveant autem omnino, ne verbis injuriosis vel inhonestis & inreligiosis invicem procaciter & proterve contendant, sed si aliquis abbati suo inobediens fuerit, vel alio quocumque modo peccaverit, secundum regu-

ANN. CHR. 1250.

regulam puniatur. Illud autem prohibemus omnino, ne abbas monachos sibi obliget juramentis vel fidejussoria, vel pignoraticia cautione. Item præcipimus, ut monachi deferant habitum monachalem, scilicet cucullam vel scapulare, cappas autem clausas probibemus omnino, nisi quando equitant; lineis non utantur ad carnes, jejunent secundum quod in regula continetur. A carnibus autem abstineant, nisi sint omnino debiles vel infirmi, non discurrant per civitatem sine abbatis licentia, & non sedeant in publico otiosi, sed vel intus intra ambitum monasterii vel in ecclesia spiritualibus exercitiis occupentur. Simul autem comedant & eadem cibaria, lectionem cum silentio habeant in mensa, & unus monachus ceteris comedentibus serviat. Item præcipimus, ut omnes horæ in ecclesia cantando dicantur. Completorium autem statim post pulsationem dicatur, & exinde servetur silentium usque post Missam sequentis diei. Item præcipimus, ut aliquis discretus ponatur ad custodiam portæ, qui dicto completorio utramque portam cum clavi obfirmet. Item probibemus aliquorum alienationem fieri vel aliquid novum debitum contrahi ante reditum nostrum; pro vestibus autem vel aliis expensis permittimus res mobiles de consensu monachorum alienari, qui si forsan non consenserint, sine consensu eorum possit accipere usque ad X. libras. Item præcipimus, ut domus, quæ sunt juxta ecclesiam, scilicet stabulum equorum & porcorum destruantur, usque ad festum sancti Michaelis proxime venturi, & construatur murus ab angulo oratorii usque ad murum novum ecclesiæ, ita quod factum sit decima-quinta die mensis octobris.

Hoc quoque statuimus in monasterio sanctæ Floræ; in primis præcipimus ut nullum secum teneat, præterquam duos, qui sint bonæ famæ & honestæ conversationis, & qui nullo tempore arma portent intra septa monasterii; habeant autem servitores ecclesiasticos vel conversos, qui sibi & monachis tam in die, quam in nocte serviant. Item præcipimus, ut abbas jaceat in dormitorio cum monachis, vel aliquem monachum habeat secum in camera cubicularium ... qui sit testis honestatis ipsius. Similiter quando equitat, semper habeat unum monachum senem. Item præcipimus, ut abbas semper comedat in refectorio cum fratribus, nisi forsan cum hospitibus, sicut in regula continetur. Item præcipimus, ut abbas habitum ordinis Camaldulensium habeat, quem professus est. Probibemus autem ipsum staminia uti ad carnes, scapulare autem stamineum habere concedimus, tantummodo quando celebrat. Similiter prohibemus omnino, ne guarnatia utatur &c.

Vel itaque hoc tempore monasterium sanctarum Floræ & Lucillæ reformandum datum fuerat Camaldulensibus, vel quod animadversione est dignum, abbas vestibus albis utebatur, monachi autem atris; id quod confirmat sententiam nostram propositam in præfatione, maximam scilicet primis seculis necessitudinem inter monasteria ordinis sancti Benedicti intercessisse, licet variæ congregationis forent, assumptosque fuisse ex monasteriis albi coloris monachos & abbates ad regendos monachos nigri coloris, & sic vicissim. Abbas hujus monasterii anno 1242. erat Hugo [a] ex tabulario sanctæ Mariæ in Gradibus.

a *Num.* 169.

AP-



APPENDIX
TOMI QUARTI
ANNALIUM
CAMALDULENSIUM

Vetera Monumenta & Diplomata complectens.

I.

Alexander III. Rom. pontifex prohibet, ne laici se ingerat in electionibus præsulum Camaldulensium.

Circa annum 1161. XIII. kal. junii.

Ex tabulario Vangaticiensi exemplum anni 1318.

Ad lib. XXXI. n. 4.



Lexander episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Gregorio & universis fratribus Camaldulensibus salutem & apostolicam benedictionem. Que canonicis sanctionibus obviare noscuntur, & que a statutis conciliorum sunt penitus aliena tamquam perniciosa corruptela sunt propensius evitanda, & de medio ecclesie magna sollicitudine extirpanda, ut auctoritas canonum observari, & cetus servorum Dei bonis operibus liberius possit vacare, & in conditoris servicio firmius permanere. Cum enim laicorum presumptio electioni & promotioni se impudenter ingereret clericorum, & juxta sue voluntatis arbitrium de rebus sacris disponere niteretur, summorum pontificum & sanctorum patrum est promulgatum decretum, & diversorum conciliorum emanarunt statuta, ne laicis personis quantumcumque sint potentes vel magni, electioni vel promotioni clericorum temere interesse, seu de rebus ecclesiasticis presumptionis ausu disponere ulla ratione liceret. Ait enim beatus Adrianus papa secundus: Nullus laicorum principum vel potentum semet inserat electioni vel promotioni &c. Auditu vero audivimus, quod quidam laici occasione patronatus semet electioni abbatum ordinis vestri contra sanctorum patrum edicta inserere non formidant, & non permittunt vos in vestris monasteriis electiones canonicas celebrare. Vestigiis ergo predecessorum nostrorum Romanorum pontificum inherentes, & sanctorum patrum instituta sequentes, auctoritate beati Petri, & nostra statuimus, & penitus inhibemus, ne aliqua laicalis persona patronatus seu alia occasione electionibus abbatum vel priorum vestrorum semet ulla ingerat ratione, omnibusqne laicis in vestrorum electionibus prelatorum voces duximus obstruendas, & canonicas ac liberas electiones celebrandi secundum regulam beati Benedicti, & consuetudinem congregationis vestre liberam vobis auctoritate apostolica concedimus facultatem. Ut autem hec nostre constitutionis & concessionis pagina futuris tem po-

poribus debeat inviolabiliter observari, nos eam apostolice sedis auctoritate confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Anagnie XIII. kal. junii.

II.

Encyclica ejusdem, ne divexetur eremus ad Vivum.

Anno 1161. xv. kal. julii.

Ex autographo penes comites de Cervinis.

Ibid. n. 5. Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus episcopis & dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, plebanis, archipresb. & aliis ecclesiarum prelatis per Tusciam constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis & plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, & canonice sententie severitas enervatur, ut viri religiosi, & hii maxime, qui per apostolice sedis privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, & pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii .. prior & fratres heremi de Vivo Camaldulensis ordinis Clusine diecesis tam de frequentibus injuriis, quam de ipso cotidiano defectu justitie conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent, & pressuris vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus illos, qui possessiones vel res seu domos predictorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos fratres vel ipsorum aliquem contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserit promulgare, vel decimas de nutrimentis animalium suorum, spretis apostolice sedis privilegiis, extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice candelis accensis singuli vestrum in diocesibus & ecclesiis vestris excommunicationis sententia percellatis. Si vero clerici aut canonici regulares seu monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec predictis fratribus plenarie satisfaciant, & tam laici quam clerici seculares, qui pro violenta manuum injectione in se ipsos vel ipsorum aliquem anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi.

Dat. Anagnie xv. kl. julii pontificatus nostri anno secundo.

Pendebat plumbeum sigillum.

III.

Refutatio jurium in ecclesiam de Zagonaria facta Bernardo abbati Faventino.

Anno 1161. die x. augusti.

Ex autographo monast. SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus M. C. LXI. die x. mensis augusti indictione IX. in broilo monasterii sanctorum Laurentii & Ypoliti tempore Friderici imperatoris. Ego quidem Mattheus pro me meisque successoribus & pro omni persona summissa vel summittenda a nobis definio, & postpono & remitto tibi donno Bernardo abbati supradicti monasterii accipienti vice & nomine monasterii sanctorum Laurentii & Ypoliti pro toto collegio ipsius ecclesie, qui nunc sunt vel erunt perenniter ad serviendum Deo & suis hominibus sanctis omne omnino jus prorsus & actiones & pertinentias ac defensiones seu exceptiones quantascumque habemus vel habere sperabamus quocumque jure vel titulo, & omnem litem & querimoniam, quam habebam vel requirebam in toto illo tenimento vel propter tenimentum, quod ego cum matre mea Gema olim dedi & donavi supradicto monasterio pro redemptione Ibid.

ani-

anime fratris mei Ugonis, qui fuit ibi sepultus, quod tenimentum positum est in fundo seu loco vocato Zagonarhi, & VIIII. tornatorias territorio Faventino plebatus Barbiani, a primo latere detinent filii Ugoni de Dominico, a secundo Rodulfus Tise, a tertio Guido Seniorelli de Uberto, a quarto quondam ...... Hoc itaque supradictum tenimentum remitto & pospono & definio cum omnibus actionibus &c, Scripta manu Gerardi Faventini notarii rogatu nostrorum supradictorum contrahentium.

Testes fuere huic contractui Petrus Ugolini de Bolognano manu investitor, & Mannitus judex sacri palatii Frederici imperatoris, presbyter Guido ecclesie sancte Crucis, presbyter Ubertus, Unganellus, Baldus, Guichettus de Trebana.

† Signa manuum prefati Matthei rogantis, & omnia ista firmantis.

IV.

Donatio terræ pro acquæ-ductu construendo facta Maximillæ abbatissæ S. Petri de Luco.

Anno 1162. tertio kal. januarii.

Ex autographo ejusdem parthenonis Sacc. D. 71.

Ibid. n. 9.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo sexagesimo secundo tertio calendas januarii indictione undecima. Constat nos Ildebrandinus filius Guinildi tam pro me, quam pro Carulo absente fratre meo ejusque filio Aliotto, quos mihi heredes esse disposui, atque pro uxoribus eorum, scilicet Passerina, & Sanduccia & Caronciana uxore ejus Ildebrandini jamdicti; sed ego Caronciana maritali videlicet consensu atque legitima Johannis judicis ordinarii interrogatione cum congruenti responsione precedente, atque Uguccionis filii ejusdem Guinildi & fratris ipsius Ildebrandini insimul, hoc donationis & offersionis instrumento in presentiarum perfecti dominii & proprietatis ac possessionis pro Dei timore & remedio animarum nostrarum, omniumque parentum nostrorum atque peccatorum nostrorum remissione inter vivos donasse & obtulisse atque tradidisse tibi Alberto ven. presbitero accipienti procuratorio nomine in honorem Dei & ecclesie atque monasterii sancti Petri de Luco, atque in honorem prioris Camaldulensis totiusque conventus vice atque nomine Massimille comitisse atque venerabilis abbatisse ipsius monasterii omniumque abbatissarum in futurum sibi succedentium in perpetuum, videlicet integra sex brachia terre juste mensurata per latitudinem sive per amplitudinem in duobus petiis terrarum, que sunt juxta flumen, quod nominatur Bussus, & per longitudinem, sicuti ipsa petia sunt, cum suis finibus pro aqueducto faciendo ad ducendam aquam de ipso flumine Busso ad ipsum monasterium, & ad ejus officinas, ubicumque in predictis petiis terrarum & rerum hominibus atque sanctimonialibus ipsius monasterii nunc & in futurum utilius sive commodius ad ipsam aquam ducendam visum fuerit. Confines &c. Preterea nos prenominati Ildebrandinus & Caronciana uxor ejus & Ugo tam pro nobis, quam pro Ciurlo, filioque ejus Aliotto & uxoribus eorum Passerina & Sanduccia servitutis jure tibi presbitero Alberto prefato vice ipsius monasterii atque abbatisse jamdicte per stipulationem constituimus atque concedimus jus eundi & redeundi per ipsas petias terrarum usque ad viam publicam, & jus purgandi, firmandi atque reficiendi ipsum aqueductum, & imponendi atque firmandi clusum in ipso flumine, & in jamdicta petia terre, que sunt juxta flumen ipsum, quandocumque hominibus seu sanctimonialibus ipsius monasterii utile visum fuerit.

Actum a la Rena.

Signa manuum predictorum Ildebrandini & Caronciane atque Uguccionis, qui hanc cartulam donationis & offersionis fieri rogaverunt.

Signa manuum Johannis filii Guidonis & Tiniosi filii quondam Brunetti, & Parentis filii olim Baldoli seu Baldacciani & Martini, qui Mozzo vocatur, filii Johannis, & Ugonis filii Cavature rogatorum testium.

Ego Johannes ordinarius judex hec omnia, ut supra sunt, rogavi & predictam mulierem interrogavi ideo me subscripsi.

Ego Guido judex & notarius hoc instrumentum ex mandato domini Johannis jamdicti subscripsi.

V.

Raynaldi Coloniensis archiep. & legati imper. privilegium concessum Franciano abbati Burgensi.

Anno 1163. VII. idus septembris.

Ex codice ms. urbis Burgensis.

Ibid. n. 11.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti, amen. Raynaldus Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie electus, Italie cancellarius & imperatorie majestatis legatus. Sacratissimi jura imperii quanto studio investiganda, quantaque reverentia & devotione sint ab omnibus honoranda, licet nec lingua, nec scripto sufficienter valeat exprimi, ea tamen, que ad ejus exaltationem vigilanti cura gerimus, ad posterorum notitiam scripture perennitate transfire dignum ducimus. Noverint igitur universi presentes atque futuri, quod cum in legatione domini nostri Frederici gloriosissimi Romanorum imperatoris ad Burgum sancti Sepulcri situm prope comitatum Castellanum pervenissemus, assidente coram nobis principum ac procerum Thuscie non parva multitudine, quesitum est per nos, cujus ditioni abbatia sancti Sepulcri & Burgus ejus attineret. Revolutis igitur in conspectu antiquis imperialium atque regalium preceptorum privilegiis eidem abbatie collatis invenimus, & presentiali confessione venerabilis abbatis ecclesie sancti Sepulcri, videlicet Franciani, quem imperii fidelissimum esse experti sumus, manifeste cognovimus eamdem abbatiam & Burgum cum omnibus suis personis & pertinentiis soli domino imperatori temporaliter attinere, & preter eum neminem mortalium dominium ibi obtinere. Hec siquidem audientibus & assistentibus Widone & Rigone marchionibus in presentia autem publice relatum ac firmatum est, eos patresque ipsorum, videlicet Widonem & Uguccionem marchiones nihil unquam juris in Burgo illo habuisse, preter quod abbas ejus Burgi Tebaldus quondam tempore, dum ipse & Burgenses tribulationes maximas a capitaneis paterentur, & murus Burgi destructus esset, & fossatum, dedit prescriptis marchionibus senioribus, videlicet Widoni & Uguccioni, domum & campum ac vineam in Burgo illo, & de pecunia sua quadraginta libras ad hoc, ut juvarent eum ad Burgi reedificationem & abbatiam Burgi quoque defenderent; marchionesque, ut certiores essent de Burgensibus illos vassallicium prestare fecerunt, ac versa vice abbati & Burgensibus juraverunt, quicquid jurare requisiti sunt, suosque jurandos similiter juraturos promiserunt. Cognita igitur a nobis evidentissime abbatis illius & Burgi ejus libertate, nos domino imperatori & imperio suam perpetuo proprietatem conservare cupientes abbatem Francianum & abbatiam prenominatam sancti Sepulcri & Burgum ejus auctoritate imperiali, ut pro debito nostre legationis, sub tuitione & in dominio imperii & domini nostri invictissimi imperatoris specialiter recepimus & constituimus, precipientes firmissime, ac perenni edicto inrefragabiliter statuentes, ut nullus unquam archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, & nulla unquam major minorque persona in abbatia illa vel Burgo ejus aut in aliquibus ejus personis aut pertinentiis aliquid sibi juris audeat adscribere, vel fodrum aliquod vel dationem seu aliquam publicam functionem ab eis exigere vel recipere, sed abbatia illa & Burgus & Burgenses nulli mortalium teneantur infra Burgum respondere vel servire, nisi soli domino imperatori aut abbati illius Burgi vel domini imperatoris nuntio, & per universum imperium eundo & redeundo salvi sint atque securi, neque in personis, neque in rebus suis eos injuste aliquis audeat inquietare vel molestare. Statuentes etiam inviolabiliter, ut capitanei, qui sunt habitatores ejusdem Burgi & eorum masnadi ea, que juraverunt huic abbatie & ejus Burgo, & ejus confines ac pactiones, quas fecerunt, firma perpetuo teneant & illibata ipsi & eorum heredes. Castella quoque, que sua voluntate destruxerunt, de cetero non reedificent, & nec ecclesiam, nec aliquod edificium deinceps faciant, nec fieri permittant infra terminos in hac conventione denotatos. Quicumque autem liber homo in Burgo illo habitare voluerit, vel nunc in eo habitet, omnis sua ratio & justitia in omni loco sit salva & secura, & nulli teneatur vel in placito vel de aliquo servitio infra Burgum respondere, nisi tantum domino imperatori, aut abbati ipsius Burgi, vel nuncio imperiali. Preterea si qui capitanei vel liberi homines sponte voluerunt sua castra relinquere, aut spontanea voluntate destruere, atque in Burgo sancti Sepulcri habitare, abbas & Burgenses auctoritatem & licentiam ex magnificentia imperiali habeant illos in Burgo recipiendi & colligendi. Preterea universis & singulis

gulis tam preſentibus, quam futuris Chriſti atque imperii fidelibus notum eſſe volumus, quod prenominatum venerabilem abbatem Francianum publice in conſpectu omnium, qui aderant, fidelitatem domino imperatori jurare fecimus, & vice domini imperatoris eum inveſtimus abbatia & Burgo ſancti Sepulcri, & omni honore & jure, quod ab imperio tenere debet tam infra, quam extra Burgum ſancti Sepulcri. Conceſſimus etiam ei auctoritate imperiali omne plateaticum & theloneum, placitum atque diſtrictum & bampnum, totamque juriſdictionem Burgi ſancti Sepulcri, & omnium pertinentiarum ejus, quam de jure tenere debet, & ut juſtitiam faciat in Burgo, & in omnibus pertinentiis ipſius abbatie & Burgi ejus vel per ſe, vel per alium, & ut in Burgo illo conſules nulli eligantur vel ſtatuantur aliquo tempore, niſi conſenſu & voluntate abbatis ſancti Sepulcri. Nulla etiam eccleſiaſtica ſeculariſve perſona de cetero eccleſiam aliquam vel hoſpitale in Burgo ſupradicto vel ejus diſtrictu ſine voluntate hedificet ſepedicti abbatis. Preterea univerſas eccleſias, poſſeſſiones, tenimenta & juſtitias & maſſaritias alioſve homines, & generaliter omnia jura vel bona, que eccleſie illi ſancti Sepulcri ab imperatoribus vel regibus, aut ab apoſtolicis aliiſque perſonis collata ſeu confirmata ſunt, & adhuc Deo annuente conferentur, ei auctoritate imperiali ac noſtra perpetuo confirmamus, firmiterque precipimus, ut nulla magna vel parva mediocriſve perſona ex hiis aliquid audeat violenter auferre, vel imminuere, vel ablata retinere. Si quis autem aliquid tenet, & infra XL. dies poſtquam tertio fuerit requiſitus ab abbate ſupradicto vel Burgenſibus, ei ſatisfactionem non adimpleverit, ſit in bampno domini imperatoris, & eccleſie ſit juſtitia reſtituta. Precipimus etiam, ut Burgus ille non creſcat unquam, nec extendatur, niſi in allodium abbatie ſancti Sepulcri. Et Burgus idem quantumcumque poteſt & voluerit, augmentetur & protendatur infra allodium abbatie ex omni parte. Ad hec clareat univerſis quoſdam ex fratribus Camaldulenſis eccleſie ad monaſterium Burgi ſancti Sepulcri veniſſe ad reformandam in eo monaſterio religionis integritatem, que ante ipſorum adventum nimis ibidem deperierat, qui illic in tali propoſito remanentes ſatis annuimus. Nolumus tamen & omnino prohibemus, ut aliquam habeant Camaldulenſes in hoc ſancti Sepulcri monaſterio poteſtatem deponendi vel conſtituendi abbatem ſine domini imperatoris licentia & permiſſione. Hec omnia de abbate & abbatia ſancti Sepulcri & Burgi ejus omniumque pertinentiarum ipſius rata ſemper permanere firmiter, perenniterque precipimus. Si quis autem, quod abſit, magnus vel parvus contra hujus ſtatuti decretum venire preſumpſerit, vel ipſum Burgum a domino imperatore vel ab hac ſancti Sepulcri abbatia alienare temptaverit, pene mille librarum argenti puri & examinati ſubjaceat, earumque medietatem camere imperiali, alteram medietatem prenominate abbatie & abbati perſolvat. Utque verius credatur, & a cunctis omni tempore hoc preceptum diligentius obſervetur, preſentem paginam manu propria roborantes ſigillo noſtro juſſimus inſigniri. Inſuper conſulibus Aretine civitatis & Caſtellane preſentibus & futuris, & toti populo univerſo, quam communi Anglarienſium ſub debito fidelitatis & ſacramenti, quo domino imperatori tenentur adſtricti, firmiſſime precipimus, ut abbati & abbatie ſancti Sepulcri ejuſque Burgenſibus bona fide fortiam, adjutorium, & conſilium tribuant ad defendendum ſe, ſi quis marchio vel aliquis magnus aut parvus ipſis ſupradictum libertatis aut ſecuritatis beneficium infringere, vel a domino imperatore hanc ſuam proprietatem alienare auſus fuerit. Nec pretermittendum duximus, quod voluntas atque preceptum noſtrum eſt, ut ſi quis Burgenſem aliquem ſancti Sepulcri in Burgo illo, vel in ejus diſtrictu ſuper aliqua re impetierit, & ſecuritatem in manu abbatis ſancti Sepulcri preſtare noluerit, Burgenſis ille non teneatur ſub alio aliquo reſpondere. Teſtes hujus rei, qui preſentes & conſcii fuerunt Johannes Albanenſis epiſcopus & cardinalis, Hieronymus epiſcopus Aretinus, & Aicardus epiſcopus Parmenſis, Guido & Rigo marchiones, Opizo Buccafollis conſul Papienſis & judex, comes Cazaconta, Senobaldus vicecomes de Campilio, & Ugolinus de Scol. . frater ejus, Bonbarun. . conſul civitatis Caſtelli, Blundoniſius judex, & Machabeus judex, & Thedelgardus conſul Aretinus, & inſuper comitum & capitaneorum & populi copioſa multitudo.

Loco † ſigilli.

Datum Aretii VII. idus ſeptembris anno Dominice incarnationis M. C. LXIII. indictione XI. imperante domino Frederico Romanorum imperatore invictiſſimo anno regni ejus XII. imperii VIIII. in nomine Domini feliciter, amen.

VI.

VI.

Confirmatio ejusdem edicti facta a Friderico I. imp.

Anno 1163. VIII. idus novembris.

Ex codice Mediceo-laurentiano clas. LXVI. n. 33. pag. 6.

Ibid. n. 12. IN nomine sanctissime & individue Trinitatis Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Neglecta diu predecessorum nostrorum imperatorum seu regum tempore sacratissimi jura imperii nostri ubicumque in Thuscie partibus per gloriosum principem nostrum Raynaldum illustrem Coloniensem electum in nostre serenitatis legationem juste & legaliter ad pristinam integritatem revocata sunt, excellentie nostre auctoritatis perenni munimine corroborare dignum ducimus, quantum in nostrorum temporum gloriam felicissime adjicit, quod sub nostre tranquillitatis imperio in antiquum eminentis sue prerogative statum imperialis respublica reformatur. Noscat igitur universorum sub imperio nostro degentium, presentium videlicet ac futurorum, sinceritas, quod omnia, que prenominatus fidelis noster Coloniensis electus, Italieque archicancellarius de abbatie Burgi sancti Sepulcri site prope comitatum Castellanum & Burgum ejus libertate & justitia ordinavit, presenti nostre auctoritatis preceptali pagina propria confirmamus. Abbatem quoque Francianum, omnesque ipsius subcessores & abbatiam prenominatam sancti Sepulcri & Burgum ejus sub tuitionem dominiumque imperii ac nostrum specialiter recipimus. Precipientes firmissime ac perenni edicto irrefragabiliter sancientes, ut nullus unquam archiepiscopus, episcopus, dux vel marchio, & nulla unquam major minorve persona in abbatia illa vel Burgo ejus, aut in aliquibus ejus personis seu pertinentiis aliquid sibi juris audeat adscribere, vel feudum aliquod aut dationem aut aliquam publicam functionem ab eis exigere vel recipere, alicui hominum non sit licitum ab imperii dominicatu ea tollere & sub alterius potestate collocare, & si aliquando sub alio constituta fuerit, & in aliquo publico instrumento recepta, in irritum totum revocamus. Quia non decet, ut specialis domus nostra in debitum aliene servitutis substineat; sed abbatia illa & Burgus ejus, & Burgenses nulli mortalium teneantur infra Burgum respondere vel servire infra Burgum vel infra finem Burgi, nisi nostre majestati tantum vel abbati illius Burgi aut nostro imperio, & per universum imperium nostrum eundo & redeundo cum omnibus suis rebus salvi sint & securi, & neque in personis, neque in rebus suis eos injuste aliquis audeat inquietare & molestare, Idem dicimus de liberis hominibus infra fines Burgi domos habentibus, quamvis in Burgo non habitent. Statuimus etiam inviolabiliter, ut capitanei, qui sunt habitatores ejusdem Burgi, & eorum masnadi, ea que juraverunt huic abbatie & ejus Burgo, & fines [ac pactiones, quas fecerunt, firma perpetuo teneant ipsi eorumque heredes. Castella quoque, que sua voluntate destruxerunt, de cetero non reedificent, & nec ecclesiam aut aliquod edificium deinceps faciant, nec fieri permittant infra terminos in hac conventione denotatos. Quicumque autem liber homo in Burgo illo habitare voluerit, vel nunc in eo habitat, omnis sua ratio & justitia in omni loco sibi salva sit ei secura, & nulli teneatur vel in placito, vel de aliquo servitio infra Burgum & fines ejus Burgi respondere, nisi tantum nobis, vel nostro nuncio vel ejusdem Burgi abbati & domino. Preterea noster archicancellarius abbatem sancti Sepulcri Francianum solempniter vice nostra investivit, ita nos eum investimus, ejusque successores de abbatia & Burgo sancti Sepulcri omni honore, quem a nobis & ab imperio tenere debent tam infra, quam extra Burgum sancti Sepulcri. Concedimus etiam atque largimur ei omne plateaticum & theloneum, placitum atque districtum, & bampnum totamque jurisdictionem Burgi sancti Sepulcri & omnium pertinentiarum ejus, que de jure tenere debet, & ut justitiam faciat in Burgo illo & in omnibus pertinentiis ipsius abbatie, vel sepedicti Burgi ejus vel per se, vel per alium, & ut in Burgo illo nulli consules eligantur vel statuantur aliquo in tempore nisi consensu & voluntate abbatis sancti Sepulcri. Nulla etiam unquam ecclesiastica secularisve persona de cetero ecclesiam aliquam vel hospitale in Burgo supradicto vel ejus districtu sine voluntate sepedicti abbatis edificet. Preterea universas ecclesias, possessiones & tenimenta, justitias atque massaritias quoque aliosve homines, & generaliter omnia jura vel bona, que ecclesie illi sancti Sepulcri ab imperatoribus vel regibus, apostolicisve aliis personis collata

seu

ſeu confirmata ſunt, aut adhuc Deo annuente conferentur ei auctoritate noſtre celſitudinis perpetuo confirmamus firmiter, & precipiendo ſancimus, ut nulla magna parvave perſona ex his aliquid valeat violenter auferre vel imminuere, vel ablata detinere. Res quoque & poſſeſſiones omnes Burgenſium, quas nunc habent, vel in antea cum voluntate abbatis monaſterii ſancti Sepulcri legaliter acquiſierint, & ſimiliter omnes ejuſdem monaſterii res ac poſſeſſiones juſte ac rationabiliter acceptas ſeu accipiendas ab omni mala infeſtatione liberas & abſolutas eſſe intendimus & decernimus. Si quis vero de rebus ſeu pertinentiis hujus eccleſie nunc aliquod injuſte tenet, & infra XL. dies, poſtquam tertio fuerit requiſitus a ſupradicto abbate ejuſque ſucceſſoribus, niſi ſatisfecerit ſecundum juſtitiam, bampno noſtro ſubjaceat, & abbati liceat intrare noſtra auctoritate in tenimentum, quouſque plena exequatur juſtitia. Nihilominus precipimus, ut Burgus ille non creſcat unquam, nec extendatur niſi in allodium abbatie ſancti Sepulcri, & Burgus ille quantumcumque poterit & voluerit, augmentetur & protendatur infra allodium prenominate abbatie ex omni parte. Nolumus autem & omnino prohibemus, ut aliquam habeant Camaldulenſes in hoc ſancti Sepulcri monaſterio deinceps poteſtatem. Volumus inſuper ac preceptum noſtrum eſt, ut ſi quis Burgenſem aliquem ſancti Sepulcri in Burgo illo vel in ejus diſtrictu ſuper aliqua re impetierit, & ſecuritatem in manu abbatis ſancti Sepulcri preſtare noluerit, Burgenſis ille non teneatur ſub alio aliquo reſpondere. Hec omnia ſupradicta de abbate & abbatia ſancti Sepulcri ac Burgo ejus & omnium pertinentiarum ipſius rata ſemper ac firma permanere firmiter perhenniterque precipimus, ſalva in omnibus noſtra imperiali juſtitia. Si quis autem, quod abſit, magnus vel parvus contra hujus auguſtalis noſtri edicti ſtatutum venire preſumpſerit, vel ipſum Burgum a noſtra ſpeciali proprietate, vel ab hac ſancti Sepulcri abbatia alienare attemptaverit, pene mille librarum argenti puri & examinati ſubjaceat, earumque medietatem camere imperiali, & alteram medietatem abbatie prenominate perſolvat atque abbati, & hoc preceptum in ſua ſtabilitate permaneat. Ad hec conſulibus civitatum Aretine & Caſtellane preſentibus & futuris, & toti populo earumdem civitatum & toti communi Anglarienſium ſub debito fidelitatis & ſacramenti, quo nobis tenentur adnixi, firmiſſime precipimus, quatenus abbati & abbatie ſancti Sepulcri ejuſque Burgenſibus bona fide fortiam & adjutorium atque conſilium ad defendendum ſe tribuant. Si quis marchio vel alia magna, parva mediocriſve perſona ipſis ſupradictum libertatis ac ſecuritatis beneficium infringere, aut a nobis hanc noſtram proprietatem alienare auſus fuerit *&c.* Utque verius a cunctis credatur, & ab univerſis omni tempore ſerenitatis noſtre preceptum obſervetur, preſentem hujus ſacre ac perpetue noſtre juſſionis paginam manu propria roborantes majeſtatis noſtre ſigillo precipimus inſigniri.

Signum domni Frederici Romanorum imperatoris invictiſſimi.

Loco † ſigilli.

Ego Raynaldus ſancte Colonienſis eccleſie electus, Italie archicancellarius recognovi.

Datum Laude VIII. idus novembris anno Dominice incarnationis M. C. LXIII. indictione XII. imperante domno Frederico Romanorum imperatore invictiſſimo regni ejus XII. imperii VIIII. in nomine Domini feliciter, amen.

VII.

Privilegium ejuſdem Friderici pro Caſtellanis epiſcopis contra Camaldulenſes.

Anno 1163. VIII. idus novembris.

Ex autographo tabularii canonicorum Caſtellanorum.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis, amen. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator & ſemper auguſtus. Deſiderium nobis eſt, ut ſub piiſſimo noſtro imperio cunctorum proficiat fortuna, ſcilicet eorum precipue, qui non ſolum noſtre majeſtati devotiſſimi fuerunt, & ſumme colende divinitatis obſequio ſpecialiter ſunt dicati. Ideoque *&c.* interventu glorioſi principis noſtri Raynaldi illuſtris Colonienſis electi, Italie archicancellarii *&c.* atque ipſius electi perſonam Caſtellani & prioris Rainerii, & fratrum ejus perſonas *&c.* ſub imperiali noſtra protectione ſpecialiter recipimus. Plebes quoque omnes univerſas Caſtellani epiſcopatus, capellas, & capellam ſancti Stephani de Anglari in epiſcopatu Aretino ſitam *&c.* eccleſiam quoque caſtri Planetuli & alias duas capellas a predeceſſore prenominati *Ibidem.*

elc-

electi Camaldulensibus injuste venditas, ipsi electo imperiali auctoritate restituimus, id nihilominus irrefragabiliter sancimus, ut Camaldulenses predicti ecclesias illas nunquam habeant, nec aliquas aquirant, neque novas construant in tota plebe Soaria. Preterea volumus, ac perenni edicto statuimus, ut neque Camaldulenses, neque aliud aliquod monasterium in toto episcopatu Castellano ecclesiam aliquam edificare vel edificatas aquirere aliquo modo audeant aut valeant sine consensu ac licentia predicti electi Castellani, ejus vel successorum *&c.*

Signum manus Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Loco † sigilli.

Ego Raynaldus sancte Coloniensis ecclesie electus Italie archicancellarius recognovi.

Loco † sigilli magni cerei.

Data Laude VIII. idus novembris anno Dominice incarnationis M. C. LXIII. indictione XII. regnante domino Friderico Romanorum imperatore invictissimo anno regni ejus XII. imperii VIIII. in nomine Domini feliciter. Amen.

VIII.

Ejusdem diploma pro monachis S. Apollinaris de Classe.

Anno 1164. V. idus februarii.

Ex autographo Classensi.

Ibid. n. 172 IN nomine sancte & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus. Ratio suadet & justitia exigit, quod clementia imperialis fidelium suorum justis precibus aures benignas accommodet, nec permittat illos precipue a suo desiderio fraudari, quorum pia devotio circa honorem imperii, & frequens orationum famulatus pro nostra nostrorumque antecessorum perpetua salute cum omni sinceritate apud Deum perseverat. Eapropter cognoscant universi fideles imperii per Ytaliam constituti presentes & futuri, quod nos pro nostra & omnium parentum nostrorum salute, ac pro sedula peticione dilecti & fidelis nostri Gualfredi venerabilis abbatis monasterii sancti Apollinaris in Classe ipsam ecclesiam sancti Apollinaris, quæ nostra specialis & libera est, & ad nostram solam jurisdictionem cum omni jure & honore pertinet, ipsumque predictum abbatem & omnes sui monasterii fratres & universas res ac possessiones quascumque idem monasterium intus & extra in presenti juste possidet, vel imposterum Deo juvante rationabiliter & legitime aquirere poterit, sub nostram imperialem protectionem ac defensionem suscipimus, ipsumque abbatem jamdicti monasterii & omnes suos legitimos successores ab omni publica functione, sola excepta nostra imperiali majestate, liberos permanere decernimus. Preterea omnes pertinentias & possessiones, que ab antecessoribus nostris regibus & imperatoribus Romanis juste & rationabiliter eidem monasterio concesse sunt & confirmate, sicut in eorum privilegiis per ordinem continetur, nos quoque nostra imperiali auctoritate predicto abbati & ejus monasterio concedimus & confirmamus, salva per omnia imperiali justitia, quecumque habet in tota Marchia vel per totius imperii nostri provincias & loca, videlicet in Perusino comitatu ecclesias quinque, & quidquid habet in comitatu Eugubino; in Firmano vero curtem integram, que dicitur Campolongo cum omnibus suis pertinentiis, & monasterium sancti Petri, quod dicitur in Butrio cum omnibus bonis, que fuerunt Johannis filii quondam Azonis, & fundum ..... *&c.* cum suis edificiis & ecclesiis, & omnibus sibi pertinentibus, & etiam cum suis muris; in comitatu Auximano sextam partem castri, quod vocatur Monsaureus, cum eadem parte curtis tam in civitate, quam extra; in comitatu Senogallie locum integrum, qui dicitur Merlaria, & alium, qui dicitur Mauri, & tres fundos scilicet Englati, Arile, & Donatianum cum omnibus sibi pertinentibus; in civitate Fanense ecclesiam sancti Apollinaris cum casis, hortis circa se positis, & in comitatu castrum unum, quod dicitur Albignanum cum fundo ejus & omnibus suis pertinentiis; locum etiam integrum, qui dicitur Ravignana cum castris & villis & ecclesiis & cum omnibus pertinentiis, & insulam, que dicitur Calese, cum suis terminis; septem quoque mansos in Biturita; in comitatu Forosinfronii ecclesiam sancte Sophie cum suis pertinentiis; in Pensaurensi comitatu quidquid eidem monasterio pertinet, & quidquid habet in curte Florentiole, & fundum, qui dicitur Runcus Ravennatum. Quidquid etiam ei pertinet in civi-

civitate Arimini & in comitatu. Locum etiam, qui dicitur Fontana Sabbatina in integrum, & Bulgaria nova, & fundum Faturium, & castrum Gahii cum sua integra curte, & massam Uzani cum villis & cum omnibus pertinentiis. Quidquid etiam habet & detinet, & ei pertinet in castro Lonzhani, & in curte .... quod ei provenit a ..... Petri Azonis, & castrum montis Albani, & locum qui dicitur Fontana Calderaria. Quidquid etiam regale est in Castagneto & in Bulgaria. Curtem etiam Sale veteris & nove cum terris, silvis, pratis & ceteris pertinentiis & cum suis terminis. In comitatu vero Cesenate curtem integram, que dicitur Pissatellus, & massam integram, que dicitur Cazano cum loco, qui dicitur Credacio, & curtem integram, que dicitur Succugnano cum omnibus rebus, que inde proveniunt predicto monasterio a Johanne archidiacono Ravennatis ecclesie. In comitatu Saxenate ecclesiam sancti Arcangeli cum curte, que dicitur Plano, & castrum Civorii cum tota sua curte. In comitatu Populiense curtem integram, que dicitur Bagnolo. In comitatu Liviense locum integrum, qui dicitur Castrutius, & massam Barisani & Pertusiacum cum terris, vineis, silvis, pratis & cum ceteris pertinentiis. In comitatu Faventino Lacum & Presentianum, & castrum quod vocatur Pergula cum tota sua curte. In territorio Corneliense massam de Quinto & limitem Altum, & massam, que dicitur Solustra cum fundis & casalibus & suis certis in terra finibus & pertinentiis. In comitatu Ficoclense quascumque terras vel salinas vel edificia prefatum monasterium juste tenere videtur. In territorio Ravennate ecclesiam sancti Martini cum tota curte, que dicitur Aqualonga, sanctam Mariam in Bazano, & sanctam Mariam in Peratello, & curtem totam, que dicitur Gamellaria, & ecclesiam sancte Felicule fundatam in muro predicti monasterii sancti Apollinaris cum omnibus pertinentiis ..... Damus etiam & confirmamus eidem monasterio terras, silvas, pascua .... piscationes circumpositas cum certis finibus & terminis, scilicet a primo latere Padarenus, a secundo Ripa ursaria, a tertio litus maris, a quarto puteus Tresti, & Vangaticia usque ad confinium sancti Severi. Hec itaque omnia cum fundis, casalibus, appenditiis, edificiis, pertinentiis cum areis, castris, capellis, silvis, pratis, pascuis, salictis, olivetis, vinetis, montibus, planiciebus, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, venationibus, paludibus, salinis, & cum omni utilitate, que nominari vel scribi potest, prefato monasterio concedimus, & sicut prescriptum est, salva per omnia imperiali justitia, confirmamus. Adjicientes quoque firmiter jubemus, ut de prefato monasterio sancti Apollinaris vel de bonis aut possessionibus ejus archiepiscopus Ravennas nullo modo se intromittat, sive per donationem, sive per concessionem, sive aliquo alienandi titulo; & si aliquid de his presumpsit vel fecit, totum in irritum revocamus; de possessionibus etiam monasterii firmiter precipimus, ut quicumque homines illas habent vel tenent, eas a monasterio alienandi, vendendi, vel aliquo modo transferendi nullam habeant potestatem, & si quid inde factum est, totum similiter in irritum reducimus; de cetero precipientes statuimus, ut nec archiepiscopus, nec episcopus, nec dux, nec marchio, nec comes, nec vicecomes, non aliquis publicus exactor, nulla etiam persona magna vel parva in prediis vel possessionibus vel hominibus ejusdem monasterii teloneum aliquod aut functionem publicam vel invasionem, vel minorationem, vel depredationem exigere vel facere presumat. Si quis vero contra hoc nostre auctoritatis & confirmationis preceptum ausu temerario venire presumpserit, sciat se pro pena compositurum auri optimi centum libras, mediam partem fisco nostro, & dimidiam prelibato abbati monasterii & ejus monasterio. Hec igitur omnia supradicta intuitu pietatis & ex debito gratie predicto fideli nostro abbati & ejus monasterio sancti Apollinaris ideo concessimus, tum quia noster regalis & dilectus & specialis abbas est, tum quia ipsum & ejus monasterium & omnia sibi pertinentia pre ceteris majori favore & dilectione studiosius manutenere debemus & conservare. Hujus rei testes sunt Conradus Maguntinus electus, Albertus Tridentinus episcopus, Albericus Laudensis episcopus, Hermanus Hersfeldensis abbas, Heinricus comes de ..... sse, Cunradus comes de Revvestein, comes Werhnerus de Hobert, & alii plures.

Signum domni Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Loco ✠ *sigilli.*

Ego Christianus cancellarius vice Rainaldi Coloniensis archiepiscopi & Ytalie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini M. C. LXIIII. indictione XII. regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus XI. imperii vero VIIII.

Datum in castro sancti Archangeli quinto idus februarii.

IX.

Alterum pro monachis S. Severi in Classe.

Anno 1163. IV. idus februarii.

Ex autographo Classensis tabularii.

Ibidem.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Quamvis omnibus, qui imperatorie libertatis filii fore dinoscuntur, tutela imperialis patrocinium de jure impendere debeamus; illi tamen quadam specialis dilectionis prerogativa a nobis sunt amplectendi, & brachiis consolationis fovendi, quorum fides & sincera devotio circa nos & imperium evidentibus experimentis laudabiliter claruerunt. Nam si ea, que ab antecessoribus nostris regibus & imperatoribus religiosis personis concessa sunt, nos pro eorum & nostra perpetua salute confirmamus, proculdubio in eterna nobis vita majorem gloriam provenire minime dubitamus. Qua propter cognoscant universi imperii nostri fideles per Italiam constituti presentes & futuri, quod nos ex consueta benivolentie nostre gratia, & pro sedula petitione dilecti & fidelis nostri Petri venerabilis abbatis ecclesie sancti Severi de Classe, ipsam ecclesiam sancti Severi & predictum abbatem & omnes sui monasterii fratres, & universas res & possessiones, quas idem monasterium intus & extra in presenti juste possidet, vel imposterum Domino largiente rationabiliter adipisci poterit, sub nostram imperialem protectionem atque tutelam suscepimus. Concedimus quoque & confirmamus jam dicto monasterio ejusque rectoribus, que per precepta & privilegia antecessores nostri concesserunt, videlicet, ut in insula nostra donicata utantur piscationibus & pascuis, & dimidiam portam sancti Laurentii cum ripis fluminum, & omnia mobilia & immobiles possessiones & jura, que idem prefatum monasterium sancti Severi habet modo, vel de cetero juste poterit adipisci in civitate Ravenna vel in suburbiis, & in episcopatu vel in comitatu Anconiensi, & quicquid habet in comitatu Esi, vel in Senogalie, vel in Pesauriensi, vel Ariminensi, vel in Ficoclensi, vel in Cesinensi, vel Populiensi, vel Liviensi, vel Faventino, vel Ymolensi, vel Bononiensi, vel Ferrariensi, vel Comaclensi, vel Gobiensi, aut in comitatu Callensi, vel in Castellanensi Felicitatis, vel Bobbiensi, vel in quocumque loco nostri imperii juste optinet vel optinebit. Volumus etiam & precipimus predictum monasterium ab omni datione, functione, albergaria, pedagaria, & ripatico liberum esse & absolutum. Insuper vero eidem sancto loco concedimus, ut ab hinc aldionis sive aldiones, sive quilibet residentes ad nullum placitum vadant, nullamque districtionem, nisi in dominium & districtionem abbatis ejusdem monasterii, sed liceat abbatem & monachos pro Dei amore animeque nostre remedio sub nostre tuitionis protectione quiete vivere, & Deo famulari, & pro nobis Dominum deprecari, omnium hominum contradictione remota. Sancimus quoque ex nostra imperiali auctoritate, ut quicumque de possessionibus predicte ecclesie sancti Severi aliquid habet vel per feudum, vel per enphyteosin, vel aliquo modo, non liceat ei dare vel derelinquere, vel alienare in alium venerabilem locum, & quod factum est, in irritum revocamus. Volumus preterea, ut ab illa gravi & importabili collecta, quam marchiones, comites, proceres, valvasores eis suisque hominibus imponunt, eos liberos esse. Statuentes & firmiter precipientes, ut de cetero nullus archiepiscopus, nec episcopus, neque dux, neque marchio, nullus comes vel vicecomes, nulla civitas vel potestas, nullaque persona magna sive parva sepedictum monasterium sancti Severi ejusque rectores in bonis vel possessionibus suis molestare vel inquietare seu disvestire presumat. Si quis vero ausu temerario hujus nostre auctoritatis edictum violare presumpserit, C. libras auri se pro pena compositurum cognoverit, medietatem fisco nostro, & medietatem prefato monasterio. Ut autem hoc verius credatur, & ab omnibus inviolabiliter observetur, hanc paginam scribi, & nostri sigilli impressione injunximus premuniri.

Signum domni Frederici Romanorum imperatoris invictissimi.

Ego Christianus cancellarius vice domini Rainaldi Coloniensis archiepiscopi

scopi

scopi & Ytalie archicancellarii recognovi.

Loco ✠ signi.

Actum quoque est anno Dominice incarnationis M. C. LXIIII. indictione XII. regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus XI. imperii vero VIIII.

Datum in castro sancti Arcangeli IIII. idus februarii.

Signum ✠ sigilli cerei deperditi.

X.

Homines castri Guillarini refutant jus in ecclesiam S. Andreæ de Zagonaria.

Anno 1164. XXIX. novembris.

Ex autographo S. Hippolyti de Faventia.

Ibid. n. 19. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejusdem M. C. LXIV. die XXIX. mensis novembris indictione XII. in ecclesia Guarcinorum, tempore Frederici imperatoris. Nos quidem Ugo de Bolognano, & Mattheus, Guido Guithoti, & Almericus & Spinabellus, Dominicus & Farulfus, Guilielmus, Albertinus Guidolini, nos omnes majores de castro Guillarini in dicta curte damus & donamus & concedimus & irrevocabiliter confirmamus pro nobis nostrisque heredibus & successoribus in perpetuum tibi domno Clementi abbati accipienti vice & nomine ecclesie sanctorum Laurentii & Ypoliti, & pro toto collegio ipsius ecclesie, quod nunc est vel erit ad serviendum Domino & pauperibus Christi, idest omnes res mobiles & immobiles quantacumque nos vel parentes nostri dederunt & donaverunt prelibate ecclesie, & insuper ecclesiam Zagonarhi, & omnes actiones & pertinentias, quantacumque nos habemus vel habere sperabamus, concedimus & confirmamus & cum omnibus pertinentiis & actionibus, quibus parentes nostri dederunt & concesserunt prelibatis ecclesiis, scilicet ecclesie sanctorum Laurentii & Ypoliti, & sancti Andree de Zagonarhi meliori & libero modo vel titulo, & ita habeatis potestatem de predicta ecclesia de Zagonarhi & de omnibus suis possessionibus & pertinentiis ordinandi & disponendi, sicuti soliti estis facere. Preterea promittimus & obligamus nos nostrosque filios vel nepotes & abnepotes & trinepotes, qui erunt procreati ex nobis & eorum progenie a quindecim annis supra dare & sepelire corpora nostrorum & eorum, ubicumque fuerint in episcopatu Imolensi vel Faventino, ad ecclesiam sanctorum Laurentii & Ypoliti in perpetuum, nisi pro communi voluntate nostra & vestra, nostrorum vestrorumque successorum remansisset. Et tu prenominatus abbas cum fratribus tuis vestrisque successoribus, qui erunt administratores prelibate ecclesie, debeatis portare predicta corpora, & sepelire vestro dispendio, & mittere brevia per congregationem Camaldulensem per unumquemque nostrorum mortuorum. Hec omnia supradicta promittimus pro nobis nostrisque filiis & heredibus & successoribus firmum tenere & ratum habere, & non contravenire, & nullam molestiam vel controversiam facere de supradictis omnibus rebus, sicut superius legitur, & si qua pars nostrorum supradictorum omnia supradicta non observaverit, promittimus ad invicem; & si qua persona omnia supradicta non observaverit, det alteri parti observanti nomine pene XX. libras Lucenses, stipulatione subnixa pro interrogatione & responsione promissa, & soluta pena maneat firmus contractus.

Scriptum a Gerardo Faventino notario rogatu nostrorum supradictorum contrahentium, & actum in presentia Albertini Bulgarelli & Lazarelli, & Petri Adalasie, Gratiani Marie presbyteri, Benedicti Calegarii, Guidonis Balducci, Pauci Rodulfi, Petri Adalasie, isti autem fuerunt rogati pro futuro testimonio ab utraque parte supradictorum obligatorum.

Signa manuum prefatorum Ugonis de Bolognano, & Matthei & Guidonis Guithoti, & Almerici, & Spinabelli, domini Farulfi, Guilielmi, Albertini, Guidolini rogantium & omnia supradicta firmantium.

XI.

Friderici gratiosum diploma pro Camaldulensibus.

Anno 1164.

Ex autographo tabularii Fontis-boni §. Privilegia n. 38.

FRedericus divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Quamvis omnibus, qui impera- *Ibid. n. 16.*

ratorie libertatis filii fore dinoscuntur , majestati nostre de jure debeamus exhibere subsidium, quadam tamen spirituali prerogativa dilectionis , & brachiis consolationis illi a nobis sunt amplectendi , qui universis secularibus spretis mundano se presidio armorumque suffragio non defendunt , sed preclaris operum virtutibus premuniti pro nostra omniumque perpetua salute sedulas nostro creatori preces effundunt. Quia vero nostre serenitatis auribus intimatum est Camaldulenses heremite universos mundi actus postponentes in cellulis suis contemplativam vitam ducunt , omnibus imperii nostri fidelibus per Ytaliam constitutis presentibus & futuris dignum duximus intimandum , quod nos ex benignitatis nostre gratia predictos fideles Christi Camaldulenses heremitas & proprios eorum homines eis servientes , omniaque bona & possessiones , que specialiter ad eorum usus deputate sunt , sub nostre pietatis protectionem atque tutelam benigne suscepimus , fideli nostro Aretino episcopo, universis legatis nostris, & aliis imperii fidelibus per Ytalie partes constitutis firmiter sub optentu gratie nostre precipientes, quatenus jamdictos heremitas , & omnia bona , & possessiones eorum tueantur & custodiant , eos injuste non fatigent vel conturbent , & quicquid eis contra justitiam abstulerunt, sibi cum integritate restituant *&c.*

Actum anno Dominice incarnationis M.C.LXIIII. indictione XII. regnante domino Frederico Romanorum imperatore serenissimo anno regni ejus XI. imperii vero VIIII.

XII.

Atho episc. Castrensis donat ecclesias in Sardinia Gregorio priori Camald.

Anno 1164.

Ex apographo misso ab episcopo Castrensi anno 1626.

Ibid. n. 18.

Atho Dei gratia sancte Castrensis ecclesie humilis episcopus dilecto patri GG. priori Camaldulensi , suisque successoribus in perpetuum . Oportet omnes Christiane fidei amatores religionem diligere , & loca venerabilia cum ipsis personis divino servitio mancipatis attentius confovere . Quapropter ego Atho Dei gratia supradicte ecclesie episcopus ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus-sancti, & beate Marie semper virginis , & omnium Sanctorum , cum rogatu , consilio , & voluntate domini Barusonis Turritani regis & judicis , nec non & viri religiosi domini Alberti archiepiscopi, suorumque coepiscoporum pro remedio anime mee, meorumque successorum , & ut Camaldulenses fratres nobis , in his que ad Deum sunt , debitores semper existant , do, concedo , atque ex authoritate beate Marie & nostra charitative trado , videlicet ecclesiam sancti Saturnini de Usolvisi , & ecclesiam sancte Marie de Anela , & ecclesiam sancti Georgii de Analeto cum omni jure & pertinentiis suis, ecclesie sancti Salvatoris de Camaldulensi heremo ad sustentationem pauperum omnipotenti Deo ibi servientium . Quatenus Camaldulensis prior , qui eidem sacre eremo pro tempore preerit , ecclesias ipsas ex nostra datione atque cessione habeat , teneat , possideat, suoque jure disponat , suumque rectorem ibidem secundum congregationis sue ordinem statuat . Ordinatus autem rector hanc reverentiam nobis , nostrisque successoribus exhibebit , ut videlicet Castrensi se episcopo representare debeat ad capitulum , & sanctum chrisma conficiendum, & ecclesiarum consecrationes, nec non ad festum matricis ecclesie veniat , & visitantem parochie sue ecclesias episcopum cum honore suscipiat . Libram quoque argenti , que pro legato Romane ecclesie hactenus dari consueverat , cum legatus venerit, & episcopo placuerit, cum integritate persolvat . Ceteras autem dationes & gravamina ejusdem sancte eremi ex charitate remitto . Decernimus itaque , ut nulli judici episcoporum, aut curatorum, nulli prorsus aliqua dignitate predito fas sit hanc nostre donationis paginam infringere , vel in aliquo perturbare, sed quecumque huic dicte heremo donata & concessa sunt , & inscriptionis nostre pagina roborata , firma semper , illibataque permaneant , eorum , pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt , usibus profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica , seculari sve persona contra hanc nostre donationis paginam venire tentaverit, secundo, tertiove commonita , si de presumptione sua congrua satisfactione non correxerit , omnipotentis Dei maledictionem incurrat, & a sacratissimo corpore Dei , & Domini nostri redemptoris Jesu Christi aliena fiat . Cunctis autem servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi , quatenus & hic fructum bone

bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen.

Hoc autem actum est consilio & auctoritate domini Alberti Turritani archiepiscopi Sardinie primatis, ac sedis apostolice legati, necnon Petri diaconi cardinalis sancti Eustachii anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, indictione XII.

Ego Atho Castrensis episcopus hoc scriptum a me factum confirmo, corroboro & confirmo.

XIII.

Christiani imperialis cancellarii edictum pro Camaldulensibus.

Anno 1165. VI. kalendas martii.

Ex autographo archivi Camaldulensis §. Privilegia n. 39.

Ibid. n. 21. CHristianus Dei gratia imperialis aule cancellarius & legatus. Ex quo gloriosissimus dominus noster Fredericus Romanorum cesar augustus divina miserante clementia terreni imperii gubernacula adeptus est, hoc fuit plenum votum & intimum desiderium suum, ut honesta loca & religiosas personas in gremio benignitatis sue protegat & defendat, & omnes ad pietatem sue majestatis devote redire volentes, in plenitudinem gratie sue benignissime semper recipiat. Nos autem in quantum possumus ejus prestantissimis vestigiis inherentes, notum facimus, & universis imperii fidelibus & presentibus & futuris, quod nos intuitu retributionis eterne omnes fratres de Camaldula, qui in servitio ecclesie Dei & imperii perseverare voluerint, & omnia bona & possessiones eorum, quas modo rationabiliter habent, vel imposterum adipisci poterunt, sub imperialem protectionem & nostram omni tempore defendenda suscepimus, eisque omnia tam a nobis, quam ab aliis imperatorie majestatis legatis intromissa, vel sibi ablata sunt, que juste & rationabiliter habere vel possidere solebant, & quecumque alia ad predictos fratres pertinent, vel legitime pertinere debent, integre restituimus, & auctoritate imperiali & nostra confirmamus atque roboramus, videlicet Montione, Bagolum, Soci, Condolise, Monte, & quicquid habent in curte de Partina, & quecumque alicubi eorum juris & rationis esse noscuntur. Statuentes igitur firmissime jubemus, ut nulla de cetero persona magna vel parva, secularis vel ecclesiastica predictos fratres in bonis & possessionibus suis molestare vel perturbare, aut inquietare presumat. Si quis vero de cetero contra hoc preceptum nostrum fecerit, & eos ausu temerario molestare presumpserit, sub banno domini imperatoris positus, & centum marcas puri argenti pro pena se compositurum cognoverit, dimidium camere imperiali, & dimidium jamdictis fratribus.

Datum Soci in domo Blanci medici VI. kalend. martii anno M. C. LXV. indictione XIII. regnante domino Frederico Romanorum imperatore serenissimo anno regni ejus XII. imperii vero X.

XIV.

Donatio facta monasterio S. Georgii de Apibus.

Anno 1165. III. nonas martii.

Ex tabulario Rosæ Senarum. n. 42.

ANno Dominice incarnationis mill. cen. sexagesimoquinto die III. non. *Ibid. n. 22.*
maji indict. XIII. Placuit nobis Thedore filie quondam Malpilli & Gianni viro ejusdem communiter & consentientibus, & bona & spontanea voluntate pacto interveniente facere tibi presbytero Dominico priori ecclesie sancti Georgii recipienti ad honorem & utilitatem predicte ecclesie nominatim de omnibus terris, quas vos habetis & retinetis ad Gambaraja subter posticis, que fuerunt Malpilli patris mei & Piccole matris mee, & de molendino ibi hedificato & jus & actiones, quas in eis terris habemus, de quibus controversia inter nos vertebatur, in integrum remittimus, & renuntiamus & concedimus tibi jamdicto priori tuisque successoribus in perpetuum, ut nullam vim, litem, nullamque controversiam vel molestiam a nobis vel a nostris heredibus exinde aliquo in tempore sustineatis. Et si predictam finem & refutationem, ut supra determinatum est, firmiter observare noluimus, & semper de eis taciti & quieti non permanserimus, tunc pene nomine in duplum restituere eas promittimus, & insuper post penam solutam hoc instrumentum finis & refutationis & pactionis, ut supra legitur, firmum & ratum tenere spondemus, & in sua remaneat firmitate & robore.

bore . Quoniam taliter novem solidos recipientes pro hac fine & refutatione nos ac nostros heredes obligare placuit . Prenominati Thedora & Giani hoc instrumentum finis & refutationis , ut supra legitur, scribere rogaverunt. Senis juxta puteum de Lambardo.

Canovello vinajolo , & Vincemorte , & Assalito filius Guiducci Miniatoli , & Rustichellus filius Bellinzolis & Minucio filius Rolanducci rogati sunt testes.

Ego Guitto tabellio domini imperatoris Frederigi hoc instrumentum finis & refutationis, ut supra legitur, rogavi & scripsi & dedi.

XV.

Abbatiæ sancti Victoris de Clusis donata ecclesia S. Apollinaris in Serra Senzano.

Anno 1169. mense februario.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano n. 92.

Ibid. n. 35. IN nomine Domini nostri Jhesu Christi anni sunt mill. c. sexaginta VIIII. & factum est in die mense februarius & rengnante Frederico inperatore indictione II. Ideoque ego Albrico filius de Acto, & Morico & Acto filii ejus scimul communiter cum nostra plana bona voluntate , secundum nostra lege Longubardorum dedimus & donamus pro anima de Uvo filius Albrico aliquit de res nostra in commitato Cammerino , & il loco , qui dicitur at Serra Senzano tertia portione de ecclesia de sancto Appolenaris cum omnibus suis pertinentiis, quas modo abet & in antea atquirere potuerit Deo volente , a I. latere rigo de Arcinnano, II. latere via quot venit da Serara , & veni per la Serra Senzano, & veni in flumen , III. latere flumen Matelcano , IIII. latere via , quot de fonte Beccatia pervenien in primo lateribus , & in isti lateribus dedimus a Deum & a sancto Victore, & in manus de donnus Perfectus abbas, & a suisque subcessoribus in integrum tenendi, abendi at possidendum, & omnibus bono faciendum usque in perpetuum , & qualicumque omo ista carta corrumpere aut falzare volueri, sia in pena de bono ariento solidi C. in curte de inperatore , & sit anathema , sicut fuit Nathan & Abilon & Juda traditore , & non abeas parte de rengno Dei , & pos pena data & maledictione ista carta firma e stabile permaneat usque in secula seculorum , amen.

Ego Acto de Rollando.
Ego Rigo de Subpo.
Ego Creseo.
Ego Guzo Martutio.
Ego Clotio rogati sunt testis.
Ego Petrus notarius scripsi & complevit.

XVI.

Alexandri III. epistola canonicis Pisanis de presbyteris schismaticis.

Anno 1169. II. idus junii.

Ex tom. III. Ital. Ugbell. col. 403.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis canonicis Pisanis salutem & apostolicam benedictionem . Ibid. n. 33. Ex litteris dilectorum filiorum nostrorum .. abbatis sancti Michaelis , & Hen....... monachi Camaldulensis accepimus, quod cum V.. & M.. presbiteri minis & persuasionibus iniquis compulsi Malincase intruso reverentiam & obedientiam impendissent , postea penitentia ducti & reatum suum humiliter recognoscentes in presentia ejusdem abbatis spontanea & libera voluntate jurarunt, quod nostris obedirent mandatis . Unde nos eos ad nostram presentiam laborantes a sententia fecimus , qua tenebantur , absolvi , & sibi penitentiam condignam imponi . Ipsos itaque ad vos absolutos remittimus discretioni vestre per apostolica scripta mandantes , quatenus , si absque interpositione fidei & juramenti Malincase reverentiam & obedientiam, prout asserunt , impenderunt , ipsos usque ad proximum festum natalis Domini a Missarum celebratione abstinere faciatis , alioquin per annum abstineant . Verum si facultates ecclesiarum suarum non sustinent , ut per alios sacerdotes eis valeant deservire , vos penitentie illis imposite, prout vobis visum fuerit, superaddentes ipsis officium suum restituatis , & quia eis hoc ipsum fuit ad penam usque ad nos laborare, predictum abbatem ex parte nostra & vestra diligenter commoneatis , ut ipsos in plenitudinem beneficii sui recipiat , & benigne & mansuete pertractet . De cetero ad discretionis vestre notitiam volumus pervenire , quod Villanus presbiter sancti Jacobi cum ad nos venisset , jurare noluit nostro stare mandato, unde in ea

veste,

veste, in qua venit, ad propria remeavit. Idcirco prudentie vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem V.. tamquam contumacem, superbum & rebellem publice excommunicatum denuntietis, donec cum litteris vestris ad nostram presentiam satisfacturus accedat. Datum Beneventi II. idus junii.

XVII.

Libellus emphyteusis scriptus a Conrado abbate Vangaticiense.

Anno 1169. XIV. augusti.

Ex authentico ejusdem monasterii.

Ibid. n. 35. IN nomine Jesu Christi Nazareni summi eternique regis, anno ejusdem nativitatis millesimo C. LXVIIII. tempore Alexandri pape & Frederici imperatoris die XIIII. introeunte mense augusto indictione II. in curia sancte Marie Vangathicie. Petisti a nobis quidem in Dei nomine dompno Conrado gratia Dei abbate suprascripti monasterii sancte Marie consensu & voluntate dompni Michaelis & dompni Gosberti & aliorum fratrum ejusdem monasterii conceditores concedimus seu largimur rem suprascripti monasterii tibi Guizardo, qui manere visus es in Manezio Taurelli unum mansum in loco, ubi dicitur Tartarellus, a perticas decipedas mensura per latitudinem perticas XL. & per longitudinem C. ab uno latere suprascriptus Tartarellus, & ab alio latere . . . . ab uno & ab alio capite vallis, que vocatur de Candilla, taliter quod tu debes habere vegram II. annos per decimas tantum, & exinde decimum & sextum, & in festivitate assumptionis sancte Marie, videlicet de medio augusto, dare debes signum omni anno per isto manso libram unam cere, & quando suprascripta dominatio vel nostros missos per terram vestram venerint, honorifice recipere & sincere hospitare debes, & deductum omne terraticum pro te petitore in domo nostra in loco, qui vocatur Salvaterra, & nos non debemus suprascriptam rem in pheudum dare, neque pignorare, quod conservare promittimus per nos nostrisque successoribus tibi tuisque filiis & heredibus, qui sint nati ex ingenua matre. Si quis vero nostrorum contra hoc, quod superius legitur, ire voluerit, & omnia, que superius leguntur, non observaverit, componat nomine pene C. solidos denariorum Veronensium, & soluta pena permaneat hec pagina in sua firmitate, quam scribere rogavimus Albertum sacri palatii notarium sub die, mense & indictione suprascripta.

Ad hec testes fuerunt Azo de Warno judex, Berizo, Opizo de Venetiis, Obedius & alii plures.

Ego Albertus sacri palatii divina favente clementia notarius rogatus scripsi & complevi.

XVIII.

Alexandri III. alia epistola de monasterio Sextensi.

Anno 1169. XVIII. kal. octobris.

Ex Ughell. tom. III. col. 405.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis canonicis Pisanis salutem & apostolicam benedictionem. Ibid. n. 32. Qualiter inturgescente schismaticorum perfidia monasterium de Sexto, quod religione plurimum solebat pollere, attritum sit, & spiritualiter & temporaliter diminutum, vestram non oportet prudentiam edocere, qui ejus quotidie miseriam & desolationem videtis. Unde, quia decet vos summopere ad ejus relevationem eniti, universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus ex parte nostra in ecclesiis vestris generaliter sub interminatione anathematis prohibeatis, ut nullus ex diocesi vestra ab intruso prescripti monasterii aliquid de rebus ipsius in feudum vel alio modo recipere audeat, nec eidem intruso in malitia sua patrocinium vel favorem ministret. Quicumque autem hoc attentaverit, ipsum auctoritate nostra publice excommunicatum denuntietis, & usque ad plenam satisfactionem tamquam excommunicatum propensius faciatis vitari. Eis vero, qui dilecto filio A.. abbati prefati monasterii consilium & auxilium tribuerint, gratiam Dei & benedictionem nostram promittatis, & hoc in remissionem peccatorum suorum firmiter injungatur. Datum Beneventi XVIII. kalendas octobris.

XIX.

XIX.

Ejusdem tertia pro eodem cœnobio.

Anno 1170. XVII. kal. aprilis.

Ex eodem Ughellio.

Ibid. n. 36. ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis canonicis Pisanis salutem & apostolicam benedictionem. Qualiter monasterium Sextense, quod ad jus beati Petri & dispositionem nostram spetialiter spectat, per intrusum illum, qui possessiones & bona ejusdem monasterii, sicut ille, ad quem nihil de ovibus pertinebat, distrahendo & dilapidando consumptum sit, & a suo statu vade dilapsum, non est, sicut credimus, prudentie vestre discretionis incognitum, sed ex vicinitate loci vobis esse debet liquide manifestum. Verum cum de universis Dei ecclesiis pro nostri officii debito teneamur sollicitudinem gerere, illis propensiori studio debemus adesse, que ad curam nostram nullo mediante respiciunt, & tutelam, & ne jura sua imminui possint, vel ab aliquibus illicite detineri, apostolice sedis nos convenit suffragium adhibere. Unde venditiones vel infeudationes sive alienationes aut obligationes, quas idem intrusus de thesauro vel possessionibus, seu de aliis rebus prescripti monasterii fecit, apostolica auctoritate cassamus, & viribus prorsus carere decernimus, sicut de rigore juris carere noscuntur. Discretioni vestre per apostolica scripta mandantes, atque precipientes, quatenus detentores earumdem possessionum & rerum parochianos vestros monere curetis studiosius & inducere, ut eas omni contradictione & appellatione remota infra quadraginta dies post harum susceptionem predicto monasterio liberas & absolutas dimittant, nec ipsas ulterius in sue salutis periculum detinere presumant. Quod si ad commonitionem vestram adimplere contempserint, in eos auctoritate apostolica freti sublato appellationis remedio excommunicationis sententiam publice proferatis, qua ipsos teneatis usque ad satisfactionem congruam innodatos. Datum Verulis XVII. kalendas aprilis.

XX.

Ejusdem Rom. pont. de cadavere comitis Tancredi humato in monast. S. Savini de Pisis.

Circa an. 1170.

Ap. eumdem col. 404.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis V.. archipresbitero & canonicis Pisanis salutem & apostolicam benedictionem. Devotionis vestre litteris consueta benignitate & animi alacritate receptis, quod dilectum filium G.. notarium nostrum, sicut ex relatione dilectorum filiorum nostrorum Gualandi subdiaconi nostri & P.. canonicorum vestrorum jampridem acceperamus, & postmodum ex eisdem litteris vestris cognovimus, in fratrem & canonicum ecclesie vestre ad preces & interventum nostrum placido animo elegistis, gratissimum gerimus, & valde acceptum, & exinde affectioni vestre uberrimas gratiarum referimus actiones, in proposito & voluntate habentes petitiones vestras libentius & efficacius propter hoc exaudire, & circa commodum & profectum vestrum pro hac re specialiter de cetero existere promptiores. Quapropter rogamus universitatem vestram, atque monemus, quatenus quod de ipso ad instantiam precum nostrarum fecistis, firmum & inconcussum tenentes eum, cum ad vos venerit, tamquam fratrem & canonicum vestrum leto vultu recipiatis, & fraterne ac honeste tractetis. De cetero causam, que inter vos & abbatem & monachos sancti Savini super cadavere comitis Tancredi vertitur, quia iidem monachi factum ipsum longe aliter quam vos proponebant, venerabili fratri nostro archiepiscopo vestro sub certa forma commisimus terminandam, ei mandantes, ut nisi apud idem monasterium predictus comes elegerit sepulturam, si alias ad sepulturam ecclesie vestre pertinebat, interdictum nostrum, maxime si post appellationem hoc fuit attentatum, faciat inviolabiliter observari, quousque vobis cadaver predicti comitis restituatur, & de injuria illata congrue fuerit satisfactum. Datum Verulis v. kalendas maji. *Ibid. n. 36.*

XXI.

XXI.

Sophiæ comitissæ donatio plurium ecclesiarum monasterio Fullinæ.

Anno. 1170. xiv. kal. julii.

Ex authentico exemplo ejusdem abbatiæ. n. 981.

Ibid. n. 38.

ANno incarnationis Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo septuagesimo indictione tertia regnante domino Federico Dei gratia imperatore augusto Deo propitio hic in Italia anno primo quartodecimo kalendas julii in ecclesia sancte Marie de Folina in valle Mareni. Ego quidem comitissa Sophia in Dei omnipotentis nomine offertrix & donatrix dicte ecclesie, in qua presenti tempore venerabilis pater dominus dompnus Petrus abbas dicte ecclesie seu monasterii & fratrum sub monastica professione ibidem Deo famulantium preesse videtur, dixi: Quisquis in sanctis & venerabilibus locis de ejus aliquid contulerit rebus juxta actoris vocem in hoc seculo centuplum accipiet in futuro. Ego que supra comitissa Sophia dono, offero predicte ecclesie, abbati & fratribus a presenti die in antea ecclesias meas, videlicet ecclesiam sancte Margarite de Serravallo, ecclesiam sancte Justine de Zumellis, ecclesiam sancte Marie de Lacu, ecclesiam sancti Petri de Mareno, ecclesiam sancti Titiani de Faravo .... ecclesiam sancti Salvatoris de Colfusco, ecclesiam sancte Margarite .... sanctorum Nicolai, Viti, & Martini de Fonto cum possessionibus .. .. videntur, habendas de abbate in abbates jamdicte .. .. & cum eorum ... . ac vescentibus, ut ipsi abbates successores .... dictas ecclesias usque in perpetuum .... alicujus hominis aut heredes mee progenie.................. ....idem per me meosque heredes spondeo .... omni tempore, neque in contrarium aliquo .. .. violabiliter observare teneat .... concedo, prestante Domino .... meo .... Oderico venerabili patriarcha Aquilejensi .... Actum in ista ecclesia sancte Marie coram prenomin. ......Oderico Aquilejensi patriarcha, qui hanc offersionem, ut supra, confirmavit. Testes fuerunt dominus Sigifredus Cenetensis episcopus, dominus Corradus Petenensis episcopus, presbyter Rodulphus, & presbyter Johannes canonici Aquilejenses, presbyter Sanctus archipresbyter Cenetensis, Carsindonus plebanus de Cisono, Churadus de Colalbrico, Guecello de Colfusco, & alii quamplures.

Ego Sigifredus Cenetensis episcopus testis subscripsi.

Ego Corradus Petenensis episcopus testis subscripsi.

Ego Sanctus archipresbyter Cenetensis testis subscripsi.

Ego Walterius domini Federici imperatoris notarius scriptor hujus charte donationis & offersionis post tradita complevi & dedi.

Ego Salatresius Jacobi de Baverio sacri palatii notarius, prout in instrumento scripto manu Walterii domini Federici imperatoris notarii nil addens vel minuens preter punctum vel literam, quod sententiam mutet, bona fide & sine fraude fideliter exemplavi: & hoc de mandato .... in Christo patris & domini dompni Francisci episcopi & comitis Cenetensis mihi facto, millesimo trecentesimo vigesimo primo indictione quarta die vigesimoquinto octobris .... posita in contrata sancti Viti, presentibus Gratiadeo de Costa, Francisco de.....

Ego .... prefatum instrumentum scriptum manu dicti Walterii coram .... Francisco episcopo & comite Cenetensi legi & presentibus dictis Gratiadeo .... me exemplo concordare inveni, ideo ipsum exemplum per .... mandato dicti domini episcopi meo signo solito corroboravi &c.

.... anno ejusdem nativitatis Domini millesimo quadrigentesimo trigesimo quarto indictione duodecima die trigesimo mensis januarii hoc exemplum per me Pantaleonem notarium sumpsi .... Walterii domini Federici imperatoris notarii coram magnifico viro domino .... honorando potestate Vallis Mareni insinuatum fuit, & in ejus presentia per me .... & alios subscriptos notarios diligenter cum authentico auscultatum & cum ipso .... cognoverit illud cum authentico ipso per ordinem concordare, ut adhibeatur ipsi exemplo plena fides, suam & communis vallis Mareni auctoritatem interposuit pariter & decretum.

Ego Antonius filius ser Pauli de Cisono &c. notarius hoc exemplum assumptum ex authentico supradicti Walterii &c.

Ego Bartholomeus de Mianis filius quondam magistri Johannis Fabri *&c.* notarius & nunc cancellarius prefati domini potestatis hoc exemplum *&c.*

Ego Pantaleo quondam ser Antonii notarii de Mianis publicus imperiali auctoritate notarius hoc exemplum sumptum ex authentico scripto manu dicti Walterii domini Federici imperatoris notarii fideliter .... postmodum in presentia dicti domini potestatis cum supradictis Antonio & Bartholomeo .... auscultavi, & quia utrumque concordare inveni, de ipsius domini potestatis .... exempli plenam fidem & testimonium ipsius me subscripsi.

XXII.

Refutatio facta monast. San-victoriano a comitibus Munaldo & Rogerio.

Anno 1170. mense septembri.

Ex exemplo tabularii S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 37. IN nomine Domini. Anni sunt mille C. LXX. regnante Frederico imperatore mense september indictione IIII. Quoniam facta hominum semper in memoria retineri non possunt. Ideo ego comes Munaldu & Rugerio filii de Ugitione comes hanc cartulam fieri rogamus, per quam concedimus & quietamus & finimus & refutamus monasterio sancti Victoris, quod est ordinatu in fundo Victoriano, & tibi donno Perfecto abbate tuisque successoribus perpetualiter omnibus nostris rebus infra senaitas, quas prenominamus. Prima senaita fossatu de Busie perveniente allu cerru grossu arana le dosso cerutu veniente a sancto Bartolo de Floce; secundo latere summitate della Serra de Cerreto perveniente ad cerrum de Rigaidoni; tertio latere fossato de Uguizoni, quarto latere fluvio Sentini perveniente in prima senaita, infra istas senaitas abeatis omnibus nostris pertinentiis excepto pertinentiis de Romitas locis. Hec omnia, que superius leguntur, promittimus attendere & confirmare & autorizare bone fidei sine fraude nos supra sss comitibus. Unde recepimus venimentum, quod nobis bene placuit, idest LX. libras Lucensium in curia filii comitis Actonis, & in curia Zaupoli judicis Eogubinensis, & si hoc totum non observaverimus, pene nomine compondituri LX. libre Lucensium & post pena data ista cartula semper firma e stabilis permaneat. Donnus Transmundo, & donnus prepositus Albertus, Johannes monachus, & Morico Albrici, & Treserius, & Bernardutius, & Melioratus & alii plures rogati sunt testes.

Baroncellus judex scripsit.

XXIII.

Alexander III. in protectionem suscipit ecclesiam S. Salvatoris de Fracta.

Anno 1171. idibus martii.

Ex codice monast. S. Michaelis de Muriano.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Ippolito priori *Ibid. n. 41.* ecclesie sancti Salvatoris de Fracta ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Quotiens id a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impartiri. Eapropter dilecte in Domino fili tuis justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam sancti Salvatoris, cui auctore Deo preesse dinosceris, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Quartam partem decime illorum novalium, que homines de villa, in qua ecclesia tua sita est, infra parochiam ejus excolunt, quemadmodum circumposite capelle ad baptismalem ecclesiam pertinentes a parochianis suis percipere noscuntur, & tu ipse juste percipis, tibi & eidem ecclesie auctoritate apostolica confirmamus. Preterea decimas alodii, sicut ad ecclesiam tuam rationabiliter pertinere noscuntur, & eas in presentiarum legitime possides, nihilominus tibi & prefate ecclesie per presentis privilegii paginam duximus confirmandas. Decernimus ergo, ut nulli *&c.*

Vias

Vias tuas † *Domine*	
SCS PETRUS	SCS PAULUS
ALE PP.	XANDER III.
demonstra mihi.	

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Hubaldus Ostiensis episcopus ss.

† Ego Bernardus Portuensis & sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Johannes presbyter cardinalis sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Johannes presbyter cardinalis tit. Anastasie ss.

† Ego Guilielmus presb. card. tit. sancti Petri ad vincula ss.

† Ego Boso presb. card. sancte Pudentiane tit. Pastoris ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancti Laurentii in Damaso ss.

† Ego Ardicio diaconus card. sancti Theodori ss.

† Ego Cinthius diaconus card. sancti Adriani ss.

† Ego Ugo diaconus card. sancti Eustachii juxta templum Agrippe ss.

† Ego Petrus diaconus card. sancte Marie in Aquiro ss.

Loco † signi.

Datum Tusculani per manum Gratiani sancte Romane ecclesie subdiaconi & notarii idus martii indictione IIII. incarnationis Dominice anno M. C. LXXI. pontificatus vero domni Alexandri pape III. anno XIII.

XXIV.

Hospitalis de Petia donatio facta monast. Prataliensi.

Anno 1171. XI. kalendas aprilis.

Ex autographo archivi Fontis-boni. §. Donatio n. 327.

Ibid. n. 39. IN Dei nomine. Anno M. C. LXXI. Frederico imperante anno imperii ejus XVI. XI. aprilis indictione IV. feliciter Christo auctore. Nos quidem in Dei nomine Ildibrandinus filius quondam Trastaffe, & Spinellus filius quondam Munaldi, & Ugo, & Raynerius & Guelfolinus germani filii quondam Guelfi, & Guideramo filius olim Bernardini, nos insimul bono animo pro Dei timore & remedio anime nostre, nostrorumque parentum donamus & tradimus, offerimus Deo & monasterio sancte Marie de Pratalia, in quo Deo protegente domni Ugonis in vice prioris Camaldulensis ibi Deo regere & servire videtur, & committimus hospitalem nostrum positum in publicam stradam in avocabulo Petia, quem edificavit Vernatio, & nunc est inde custos & rector hujus hospitalis, ad honorem hujus monasterii sancte Marie donamus, & concedimus, & offerimus atque firmamus cum omnibus possessionibus suis, & cum omnibus edificiis suis, & cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus, quas nunc habet, vel juste habiturus erit, cum integra hutilitate & proprietate.... donamus & offerimus predicto monasterio in perpetuum, & insuper firmamus nos jampredicti tibi Vernatio hospitalario jamdicti hospitalis non tollere, neque intromittere, neque contendere, vel ullo modo inquietare, aut usurpare, set ymmo omni tempore securi & quieti & indemnes maneatis sine nostra nostrorumque heredum contradictione, & illi homines, qui venerint ad fiduciam hospitalis, ex nostra parte sint securi, & sicut debiti sumus monasterio sua bona defendere, avivare & auxiliare, ita deinceps guarentamus esse hospitale per bonam fidem sine fraude, & quicumque fuerit ministrator & rector hospitalis secundum Dei voluntatem habeat potestatem in omnibus bonis hospitalis mobilibus & immobilibus, aquisitis vel aquirendis dandi, hedificandi, meliorandi, causandi, defendendi per se vel per alium sub nostra tutela, sicut diximus; & sicut debiti sumus predicto monasterio, & si opportunum fuerit, agendi & requirendi ad hutilitatem & commoditatem .... & si nos suprascripti Ildibrandinus & Spinellus, Ugo, Raynerius, Guelfolinus & Guideramo, vel nostris filiis & herede per quodlibet factum, quod non factum habeamus, aut faciamus erga te jamdictum Vernatium vel contra tuos successores contra hec suprascripta ire temptaverimus, & ab hominibus non defensaverimus pro posse, tunc componamus pro unusquisque nostrum, qui in culpa ceciderint, bonorum denariorum XX. libras Lucenses, vel Pisanas, & obsoluta pena hec carta remaneat.

Hactum Banzena juxta ecclesiam sancti Donati. Feliciter.

Signa manuum jam dictorum Banzinensium, qui hanc cartam, sicut supra legitur, scribere rogaverunt.

Signa manuum Guidonis, Belli, & Gerti, Solonis, Sinibaldi, Drudoli de Petrorio, Ugonis Bentivolog. & Albertini de Arcina, Drudoli de Petia, & Mistici rogatorum testium.

Ego Albertus notarius scripsi & complevi.

XXV.

XXV.

Castrum de Plarosara datum in feudum a Perfecto abbate S. Victoris.

Anno 1171. III. exeunte augusto.

Ex veteri apographo S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 40. IN nomine Domini nostri Jesu Christi anni sunt M. C. septuagesimo primo regnante Frederico imperatore, tertio die exeunte mense augusto indictione IIII. Quoniam facta hominum semper in memoria retineri non possunt, placuit atque convenit inter nos ego Perfectus abbas de monasterio sancti Victore, quod est edificato in fundo Victoriano, per consensum & voluntatem meorum fratribus hanc cartulam renovationis & refeudationis omnia, que fuit de Ugolino comes, idest sextam partem Serriogavi a vobis Transmundo comes & Monaldo comes, & Rainaldo comes, & Ruzeri comes germanis fratribus filiis de Uguzone comes & a vestris heredibus de ipso castro, quod Plarosara vocatur, & de ipsa sorte, idest in fundo plaza de tilla, idest infra comitato Camerino, a primo latere rigo de Fernivo, qui currit pro temporibus suis perveniente ad summo monte ad cerrum grossum mergente in rigo della foce, qui currit pro temporibus suis, & a secundo latere fossato della foce Varano, a tertio latere rigo de Gaidoni percurrente in Sentino, IIII. latere fluvium Esino percurrente in primo latere, infra ipsis lateribus habeatis sextam partem cum omnia, que infra se habentes vel sui attinentes in integrum cum castellis & ecclesiis & cum pojora, & cum aquiminis vel decursibus aquarum, & cum introito & exoito suo a vobis & vestris omnibus, quantum in ipsa sexta parte pertinet, & de proprio & in perpetuum possidendum, qui est da ipsa ecclesia ad salva pensione reddendum omnem annum in mense martii denarii III. de Lucensi, unde debeatis & teneatis, faciatis, quod vultis, sicut superius legitur, & obligo me Perfectus abbas ac meis successoribus, quod si ista cartula corrumpere vel falsare voluerit, componat C. Bizantios, & post pena data & absoluta cartula ista firma & stabile permaneat.

Ego Perfectus abbas cartula ista fieri rogavi.

Fgo Asioto de Malfasalo.

Ego Ginellu Samero.

Ego Ugo notario scriffit & complevit.

XXVI.

Libellus emphyteuticus Gerardi archiep. Ravenn. scriptus Conrado abb. Vangaticiæ.

Anno 1172. XIV. februarii.

Ex autographo tabularii ejusdem monasterii.

IN nomine Domini. Anno ab incarnacione ejus millesimo centesimo septuagesimo secundo die quartodecimo mensis februarii indictione quinta. Ferraria apud ecclesiam sancte Marie in Vado. Gerardus divina gratia sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus Corrado abbati monasterii sancte Marie in Vangadicia, & tribus successoribus tuis post te. Petitioni vestre, que habetur in subditis, libenter accommodamus assensum, ob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, adquiritur. Et quoniam sperasti, uti sex uncias principales integras de fundo Honesti, & de hoc quod remanet de ipso fundo terciam partem integram, & concedimus tibi predicto abbati tuisque successoribus, ut dictum est, totum quod habuerunt & detinuerunt Carlinus & Belizo in suprascripto fundo Honesti, quod est de jure sancte Ravennatis ecclesie, cum terris vineis campis pratis pascuis arbustis arboribus atque cum omnibus sibi pertinentibus, a tribus lateribus suprascripti fundi fundus Bursita. A quarto latere fundus Turricla & Nugaritus. Et concedimus vobis totum, quod habuerunt & detinuerunt Guido & Azzo de Polisino terram & aquam in fundo Semperniano. Et concedimus vobis, ut superius legitur, fundum integrum, qui vocatur Turricla, cum terris campis atque cum omnibus sibi pertinentibus, a primo latere arzine Crisinus, ab alio latere Fossamala perveniente in conca de sancto Stephano descendente in fluvio Adici. A tertio latere fluvius, qui vocatur Adici. Atque a quarto fundus Honesti & Nugaritus omnia, que sunt infra designata latera vobis concedimus, ut superius legitur, constituta territorio Gavellensi, omnia de jure sancte Ravennatis ecclesie emphiteotecario modo postulasti largiri, si tamen juste & rationabiliter

liter a nobis petisti, & ab aliis minime detineri videntur. Sub statuta pensione denariorum Veronensium decem & octo, & predictam rem laborare & in omnibus meliorare Deo debeatis adjutore, nullamque tarditatem aut neglectum habere debeatis tam ad inferendam suprascriptam pensionem, quamque ad meliorationem prefatam rerum facere debeatis. Sed & ante nominatam pensionem omni marcio mense, vel infra indictionem actoribus sancte Ravennatis ecclesie dare debeatis. Et nec quiquam presens preceptum aut suprascriptas res alicui homini dare vel vendere aut transferre vel opponere nec in ullo alio venerabili loco dare vel derelinquere audeatis. Nec aliquando adversus sanctam nostram benefatricem vestram Ravennatem ecclesiam contra justitiam tractare aut agere audeatis, nisi propria causa per justitiam, si contigerit, tantumodo ventilare audeatis. Quod si in aliqua tarditate aut neglectu vel controversia inventi fueritis extra agere de his, que superius adfixis conditionibus, non solum de hoc precepto cadatis, verum etiam daturi eritis parti sancte Ravennatis ecclesie nomine pene auri libram unam. Et si non persolveritis suprascriptam pensionem infra biennium, ut leges censeunt, tunc pena soluta liceat actoribus sancte Ravennatis ecclesie vos exinde expellere & quodlibet placuerit ordinare. Et post transitum tuum tuorumque successorum, qualiter superius legitur, tunc suprascripta res laborata & in omnibus meliorata, & quidquid ibi additum melioratumque fuerit, ad nostram Ravennatem ecclesiam revertatur, cujus est jus & proprietas. Quam vero paginam precepti ego Ubaldus Ravenne tabellio & notarius sancte Ravennatis ecclesie scripsi atque complevi.

† LEGIMUS.

XXVII.

Investitura Vangaticiensis.

Anno 1170. *sed melius* 1173. III. aprilis.

Ex apographo ejusdem monasterii.

Ibidem. IN nomine Jesu Christi Nazareni, summique eterni regis. Anno ejusdem nativitatis millesimo centesimo septuagesimo tempore Alexandri pape & Frederici imperatoris die tertia intrante mense aprilis in ecclesia sancte Marie de Vangadicia. Breve recordationis ad memoriam retinendam de investitura feudi, quam ego Isaac abbas predicti monasterii facio in Albertum & Obizonem marchiones Estenses vobis presentibus quidem in Christi nomine, videlicet de totis possessionibus & juribus, quas usque nunc parentes vestri tenuerunt a monasterio supradicto in feudum in comitatibus Gavellensi, Ferrariensi, Montisillicani, & in diversis locis, ac etiam in Pollicinii nostri mensura, justa confines Lendenarie & Chamignole, Ramo de palo, que nunc Potarasa vocatur, & Saguedum investituram facimus ad feudum in vestris filiis masculis, exclusis decimis & responsionibus Baruldi, quas in usu monachorum retinemus. Et predicti marchiones in presentia Gerardo, Orlando, Angelo, Federico, Petrobono monachis monasterii fidelitatem juraverunt, & investituram receperunt a prefato abbate, & ad hoc testibus rogatis Manfredino quondam Cozi, Renaldi, Vilielmo de Spina, & aliis multis.

Ego Gaudentius divina favente clementia domini Federici notarius scripsi atque corroboravi, me presente hec omnia acta fuerunt.

XXVIII.

Commutatio curtis Modionæ cum castro Toppole inter canonicam Arretinam & eremum Camaldulensem.

Anno 1173. *sed Pisano*, mense augusto.

Ex autographo Camaldulensi §. Permutatio. n. 24.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis M. C. LXXIII. feliciter regnante ..... mense augusti indictione v. *Ad lib. XXXII. n. 5.* Commutatio bone fidei dignoscitur esse contractus, ut vice emptionis publicam obtineat firmitatem, eodemque nexu obligat contrahentes. Placuit itaque, atque bona voluntate convenit inter dominum Adanulfum prepositum ecclesie sancti Donati, & dominum Rusticum archidiaconum, & magistrum Aliottum, & dominum Gregorium camerarium, & Christophorum & Presbytellum canonici ejusdem ecclesie, necnon & domnum Ildebrandum priorem Camaldulensem, & domnum Rodulphum, & domnum Gregorium, & presbyterum Johannem monachos ejusdem ecclesie, ut in Dei nomine debeant dare, sicut & in presenti dederunt

derunt vicissim sibi unus alteri, & alter alteri commutationis nomine. In primis dederunt & tradiderunt jamdictus prepositus prenominato priori recipienti vice ecclesie sancti Salvatoris, scilicet castrum de Mogiona cum curte ejus, & totum ac integrum illud, quod eo loci habent & detinent, & quod ad invicem jamdictus prior & predicti fratres dederunt jamdicto preposito & fratribus suis recipientibus vice ecclesie sancti Donati integram medietatem castri de Toppole & curtis ejus & pertinentiis suis, & ex hoc toto, quod in cartula, aut in cartulis continetur aquisiti ab abbate sancte Flore in villa de Verrazzano aut alibi, & predictum castrum non debemus vobis tollere neque contendere, & si aliquis eum vobis tulerit, debeat vos inde adjuvare ad recuperandum, & recuperatum ad retinendum usque ad finem guerre, & altera pars alteri parti similiter observare debet, & aquisitum alter sine altero in predicto castro & curte facere non debet, nisi prius inde alteram non inquisierit partem per tres vices infra xxx. dies, & si ad hec stare noluerit, sit ei postea licitum aquirere. Has denique res supranominatas & commutatas cum omnibus super se ac infra se, & omni jure prediorum urbanorum & rusticorum, sicut superius legitur, in integrum dederunt & commutaverunt, & tradiderunt ad proprium, ut facerent a presenti die tam ipsi, quam eorum successores quicquid voluerint, aut providerint sine omni unius alterius contradictione. Et sponderunt se ipsi commutatores suos successores predictas res, quas ad invicem commutationis nomine tradiderunt in integrum omni tempore ab omni persona defensare, & quod, ut ordo legis deposcit, & ad hanc providendam commutationem accesserunt super ipsas res ad providendum dominus Jeronymus episcopus & Arengerius, quibus omnibus existimantibus comparuit ecclesiam melioratam esse in hac commutatione. De quibus etiam penam inter se posuerunt, si in aliquo tempore vel ingenio removere suprascripta presumpserint, aut omni tempore ab omni persona non defensaverint, tunc componere debeat pars parti fidem servanti ipsas res in duplum, prout in tempore valuerint, aut appretiate fuerint sub extimatione pretii, & insuper pene nomine optimi argenti libras centum. Unde duas cartas pari tenore inter se scribere rogaverunt.

Actum in suburbio Arretine civitatis. Feliciter.

Signa manuum suprascriptorum dominorum, qui hanc cartam, & aliam similem inter se fieri rogaverunt.

† Signa manuum Raynaldi de Subiano, & Joseppi, & Magolini, & Rolandi Neronis, & Bonifilioli rogatorum.

† Ego Adanulfus Aretinus prepositus ss.

† Ego Rusticus archidiaconus ss.

† Ego presbyter Rolandus ss.

† Ego Brunus diaconus & canonicus ss.

† Ego presbyter Ildibrandus canonicus ss.

† Ego Albertus presbyter & canonicus ss.

† Ego Presbyter diaconus & canonicus ss.

† Ego Christophorus diaconus & canonicus ss.

† Ego Moyses presbyter & canonicus ss.

† Ego Gregorius canonicus ss.

† Ego domnus Berardus subdiaconus & canonicus ss.

† Ego prior sancti Ansani subscripsi.

† Ego Leonardus canonicus ss.

Ego Marsilius subdiaconus & canonicus ss.

Ego Niger judex ac notarius scripsi & complevi.

XXIX.

Libellus emphyteusis Rolandi abbatis S. Urbani ad Æsinantem.

Anno 1173. mense octobri.

Ex autographo monast. S. Catharinæ de Fabriano.

IN nomine Domini nostri Jehsu Christi. Anni sunt mille c. sectuajesimo III. regnante Frederico imperatore mense octuber indicione nona. Quoniam facta hominum in memoria retineri non possumus, ideoque ego Ruberto comes filio de Gentile comes pro se & suis nepotibus, & Rolandus abbas de beato sancto Urbano per consensu & voluntate monachorum meorum anc cartula in locum de pignum fieri rogavi a tibi Simone comes & Guicta cometipsa, & ad vestris eredibus de nostro tenimento, quem modo nos abemus & tenemus infra comitato Camerino, & infra comitato Sinogalliensis, & in lo fundo le Tasenare, & in fundo sancto Martino de Fugsano, & in fundo lo monte de la Romita, & in monte Morano, & in fundo *Ibid. n. 6.*

do de lo Merago, a primo latere lo fossato de Rigaiduni, & veni ad sancto Vincentio de Plarosara, secundo latere flumen Isino, tertio latere sancto Christophano de Rosera, e lo colle de Montano, & venit a Lanze, quarto latere sancta Maria de lo colle a Lappurano proveniente usque in primo latere, infra istis suprascriptis lateribus, & infrascripta fundora, sicut prenominatum estis omnia pertinencia pertinet a Ruberto comes cum suis nepotibus, & omnia pertinentia ad sancto Urbano, & cum introito & exito suo, & cum omnia, que abentes infra se vel supra se, vel rejacente in integrum per libras C. de Luca de boni denarii *&c.*

Ego Ruberto comes & Rolandus abas cartula ista fieri rogavit.

Ego presbyter Bonfilius & prepositus, & Trasmundo presbyter, & Johanni presbyter & monachi sunt rogati testes, & Guido de Uguicione, Petri de Gozo, & Rainaldo da Collupuni, & Grimaldo dalla Rossa, & Gerardus sunt rogati testes.

Ego Ugo notario scripsit & complevit.

XXX.

Charta monasterii S. Mariæ de Fullina de Petro abbate.

Anno 1174. XII. intrante aprili.

Ex authentico ejusdem monasterii. n. 29.

Ibid. n. 16. HOc exemplum ex autentico est Otonis notarii sumtum. In nomine Christi die veneris XII. intrante mense aprilis in presentia fratris Madii, comitis Scenelle, Viviani judicis, Wecello de Camino dedit parabolam Manducavillano, ut daret terram suam de Stabluzo abbati Petro de Folina qualitercumque vellet. Actum in camino domus Clarimbaldi. Et eodem die in alia camera domus Clarimbaldi in presentia Sophie comitisse, Principisse Conradine, Ottonis, Litaldini, Viviani de Valle de Mareno, Albertini & aliorum, Manducavillanus tradidit & vendidit ad proprium parabola comitisse Sophie domno Petro Dei gratia monasterii de Folina abbati in integrum totam proprietatem suam de Stabluzo, & in integrum hoc quod habere & detinere visus est in Stabluzo, & cum decimis, & cum omni jure suo, videlicet molendinare cum terra & cum omnibus rationibus suis, quas habet in Stabluzo, preter terram, quam emit a Furzano, quam retinuit in se pro XXX. libris Veronensibus, de quibus denariis clamavit se pacatum, tamen debet predictum monasterium dare predicto Manducavillano omni anno III. Veronenses pro servitio decimarum, eo quod Manducavillanus debet facere servitium dominis suis pro predictis decimis. Ad hoc promisit jamdictus Manducavillanus per se suosque heredes jamdicto abbati Petro nomine monasterii & ejus successoribus pena dupli suprascripti pretii & restaurationis talis proprietatis, sicut pro tempore meliorata fuerit aut valuerit sub extimatione in consimilibus locis cum stipulatione subnixa, ab omni homine cum ratione defendere & vvarentare. Quod si facere non poterit, quod predictam penam persolv.... & restaurationem, ut superius legitur, prestabit. Actum millesimo C. LXXIIII. indictione VII.

Ego Otto notarius interfui, & ut superius legitur, scripsi.

Ego Licanor sacri palatii notarius hoc exemplum ex autentico Otonis notarii scripsi nihil addens vel minuens, nisi forte in compositione literarum vel silabarum seu in pontorum currente anno Domini M. CC. XVIIII. indictione VII. die VIII. intrante madio exemplavi & corroboravi.

XXXI.

Alia ejusdem monasterii de Girardo abbate.

Anno 1174. VI. intrante aprili.

Ex eodem tabulario. n. 29.

HOc est exemplum ex authentico Johannis Boni sumptum. In nomine Domini, Anno a nativitate Domini M. C. LXXIIII. indictione VII. die sabati VI. intrante aprili presentia Wecelli de Camino, Johannis Belli, Otonis de Matheo & aliorum. Martinus & Balduinus insimul investivere domnum Girardum abbatem monasterii de Fulina, accipienti nomine sui monasterii de medio uno manso terre ad proprium, qui jacet in plebe Stabluci cum capulis & pasculis & omnibus suis pertinentiis pro X. libris & dimidia denariorum, quas confessus fuerat ipsum abbatem nomine monasterii dedisse, de quibus clamaverunt se bene pacatos *&c.* Actum est hoc in Tarvisio *Ibidem.*

visio in domo, ubi dominus Wecellus habitat.

Ego Johannes Bonus tabellio & sacri palatii notarius rogatus interfui & scripsi.

Ego Licanor sacri palatii notarius hoc exemplum ex authentico Johannis Boni scripsi nihil addens *&c.* currente anno Domini M. CC. XVIIII. indictione VII. die VIII. intrante madio exemplavi & corroboravi.

XXXII.

Christiani imperialis legati diploma in favorem Camaldulensium.

Anno 1174. II. maji.

Ex tabulario Fontis-boni §. Privilegia. n. 40.

Ibid. n. 10. C.. Maguntine sedis archiepiscopus Germanie archicancellarius, & sacri imperii in Italia legatus in perpetuum. Decet imperialis aule magnitudinem, & ad nostram cognoscimus pertinere salutem, si pia & religiosa loca celesti consideratione dilexerimus, & eorum paci & tranquillitati curaverimus attentius providere. Unde nos divine miserationis intuitu dilectos Dei famulos Camaldulenses heremitas, & omnem eorum congregationem, omniaque eorum bona, atque jura & universas eorum possessiones sub imperatorie majestatis & nostra protectione suscipimus. Ad eorum quoque usum & utilitatem omnes res mobiles & immobiles, quas Quintavallis cum uxore sua Cecilia & nepote suo Astulfo Camaldulensi heremo pro remedio anime sue optulit, secundum quod in cartulis oblationis eorum plene continetur, suprascriptis Deo devotis famulis in eadem heremo commorantibus imperiali, qua fungimur, auctoritate concedimus, & presentis scripti privilegio confirmamus. Nihilominus autem omne patrimonium, quod Bernardinus de Sedonia eisdem Dei servis optulit, illis itidem corroboramus. Volumus preterea, & sub optentu gratie imperialis & nostre precipimus, ne Rainerius marchio deinceps homines de Anglari vel de Monte aureo in suum usum violenter audeat revocare, vel aliquam exactionem aut tributum attemptet ab eisdem extorquere. Nulla etiam civitas vel secularis persona predictos Dei famulos de donicatis & prediis, que ad manus suas explere volunt ad publicum tributum persolvendum cogere presumat. Monteionem quoque, quem imperialis majestatis nuntii usque modo violenter occupaverunt, predictis heremitis integre restituimus, ut eo deinceps, sicut consueverunt, libere utantur. Ad hec omnes obedientias & possessiones, quas impresentiarum juste & canonice possident, aut in futurum, dante Domino, poterunt adipisci, imperiali auctoritate & nostra eis confirmamus, & que sibi contra jus ablate sunt obedientie, eis in integrum restitui jubemus. Proinde mandamus Arretinis, Castellanis & de Burgo modernis & futuris consulibus, ut predictum patrimonium Quintevallis, & patrimonium Bernardini de Sedonia, Montejonem quoque & omnes jamdicte heremi possessiones, que in eorum comitatibus sunt, sine fraude manutenere, & ab omni homine defendere studeant. Decernimus etiam, ut quicumque ob feodi beneficium predictis heremitis fideles esse tenentur, si forte eosdem fratres in rebus vel personis contra jus impugnare presumpserint, a beneficio feodi omnino decidant. Si quis vero de cetero contra hanc nostre constitutionis paginam fecerit, & predictos fratres molestare ausu temerario presumpserit, sub banno domni imperatoris positus CC. marcas puri argenti pro pena componat, medietatem camere imperiali, reliquam partem jamdictis fratribus.

Datum Castelioni de filiis Bochi anno Dominice incarnationis M. C. LXXIIII. indictione VII. II. mensis maji.

Actionis hujus rei testes sunt comes Macharius, comes Everardus, consules Arretini, consules Castellani, Renerius Ubertini, & Arengarius & alii quamplures discreti & honorati viri.

XXXIII.

Permutatio terrarum facta a parthenone S. Petri de Luco.

Anno 1175. *more Pisano*, V. kalendas augusti.

Ex archivo ejusdem asceterii Sacc. k. n. 66.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno dominice incarnationis millesimo centesimo septuagesimo quinto kalendis augusti indictione septima. Commutatio bone fidei dignoscitur esse contractus, unde placuit atque convenit inter Aliottum filium olim Ciurli una cum Sanduccia *Ibid. n.* 14

duccia uxore ejus per ejus consensum a Guidone judice legiptime interrogata cum congruenti responsione precedente, & dominam Dilectam Dei gratia venerabilem abbatissam de monasterio sancti Petri de Luco cum consensu domni Ildebrandi prioris Camaldulensis totiusque conventus de aliquantis terris, silvis & rebus cambium & permutationem facere. Itaque factum est, ut ipsa domina abbatissa in primis dedisset supradictis jugalibus omnes casas, cascinas, terras, vineas & res, que evenerunt predicto monasterio a Caronciana uxore olim Ildebrandi per cartulam donationis & offersionis ubicumque per loca & vocabula pertinentes esse inveniuntur in integrum, sicut in ipsa legitur & in ea continetur. Que supradicte res habeant & teneant, ac suo nomine possideant, & faciant quidquid voluerint sine earum dicte domine abbatisse suarumque successarum contradictione vel molestia. Et quod ab eis exinde factum fuerit, firmum & stabile permaneat semper. Et ipsa domina abbatissa ad invicem ab ipsis recepit integram medietatem de eorum silvis & bonis scilicet de Frassinata & de Colle mazzoli & Rizzuali, & de Terra & de Grizzano, & ipsi camparii de Rena & de Grezano mercedem accipiant ab abbatissa sicut ab ipsis jugalibus. Insuper insimul recepit unam petiam terre positam in loco qui dicitur Casalino, cujus sunt confines, a tribus lateribus via, a quarto est terra Rinavole, & si qui alii sunt confines, cum ingressu & egressu earum, & cum omnibus habentibus super se & infra se in integrum cum omni jure & actione & requisitione, quibus eis jugalibus aliquo modo competit. Pro supradictis terris & rebus commutatis & nomine receptis in presenti dederunt, tradiderunt & mutationis nomine consenserunt supradictas terras & silvas & res supradicto monasterio & suis rectricibus in perpetuum ad tenendum, possidendum, & quidquid eis placuerit suo nomine deinceps faciendum, ut nullam litem &c.

Actum in parlatorio supradicti monasterii.

Signa manuum Pilacherii de Plano majori, & Raccoli de Grezzano, & Alberti filii Senioris, & Perini filii Petri testium rogatorum.

Ego Guido judex idemque notarius huic instrumento completionem imposui.

XXXIV.

Conventiones inter monaster. S. Hippolyti de Faventia, & inter clericos de Zagonaria.

Anno 1174. XVIII. augusti.

Ex autographo ejusdem monasterii.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus M. C. LXXIIII. tempore Frederici imperatoris die XVIIII. mensis augusti indictione VII. in Zagonari. Tunc siquidem temporis donnus Rolandus monasterii sanctorum Laurentii & Ypoliti venerabilis abbas pro se & suis successoribus ex una parte, atque ex altera Guido Basadonna & Mattheus Albertinellus de Gualdino, Rambertinus de Gualdino, Ugolinus de Franco, & Guido ejus frater, Guido de Girardino, Petrus de Franco, Guido Bononiensis, Simaldolus Albertus Turricella, Martinus Gualterius & Centolus Ugonis clerici. Hi omnes pro sese atque pro cuncto populo ecclesie sancti Andree de Zagonari, & pro eorum heredibus hujusmodi inter se, & jamdictum abbatem concordaverunt, videlicet quod monachus prelibati abbatis & presbyter predicte ecclesie sancti Andree communiter insimul debeant degere & habere de rebus jamdicte ecclesie sancti Andree cum eorum communibus clericis & servientibus in perpetuum, exceptis quindecim tornaturiis terre, quas presbyter ecclesie pro suis calciamentis & vestimentis habere debeat in his locis, quatuor tornaturas in campo de Zagonari, & sex tornaturas in fundo de Onorata, & quinque tornaturas in Maurisio. Item beneficium penitentiarum, atque tertiam partem de decimis & primitiis. Has predictas res sacerdos precipuas habere debeat, populus vero habere debeat octo tornaturas de terra supradicte ecclesie sancti Andree in usufructu pro laborerio ejusdem ecclesie, quod laborerium debeat fieri ad sensum presbyteri ejusdem ecclesie, & monachi & populi ipsius ecclesie, donec laborabitur predicta ecclesia, & propter quam amplius non laboraverint, ususfructus debeat remitti ad ecclesiam atque cum possessione consolidari & permaneat ad utilitatem presbyteri & monachi. Aliud vero totum tenimentum ecclesie sancti Andree & beneficium ipsius ecclesie presbyter & monachus cum eorum communibus clericis

Ibid. n. 23.

d

ricis & servientibus communiter participare debeant, & si aliquid supererit, in laborerio ecclesie debeant dare, salvo tamen omni jure omnique debita & consueta reverentia episcopi sancti Cassiani, & plebis de Barbiano; & hoc insuper statuere, si populus ipsius ecclesie sancti Andree, ut prenominatus abbas eidem ecclesie teneatur restituere. Preterea si discordia inter presbyterum & monachum fuerit, abbas & populus eos insimul reconciliare debeant. Hec omnia supradicta prenominatus abbas pro se & suis successoribus, & prenominati viri pro sese & toto populo ecclesie de Zagonari & eorum heredibus ad invicem firma rataque perpetuo tenere promiserunt, & contra nullo modo vel ingenio agere vel venire sub promissione pene jure stipulationis inserte quadraginta solidorum denariorum Lucensium, & soluta pena omnia, ut supra legitur, maneant firma. Que omnia sunt scripta a me Ugone Faventino notario rogatu utriusque partis.

Interfuerut testes presbyter Mons, domnus Letus & alii, necnon & ego Ugo jamdictus Faventinus notarius omnia supradicta describens.

XXXV.

Friderici ep. Petenensis sententia contra monaster. S. Michaelis de Lemmo in territorio Parentino.

Anno 1174.

Ex Ughellii T. X. col. 317.

Ibid. n. 11. ANno Dominice incarnationis millesimo C. LXXIIII. indictione septima. Petrus Parentinus episcopus querimonia proposuit coram Odelrico Aquilejensis ecclesie venerabili patriarcha & apostolice sedis legato, de abbate sancti Petri de Silva & abbate sancti Michaelis de Lemo. Proposuit quippe episcopus, quod consecrationes ecclesiarum & altarium atque abbatum predictorum locorum, ordinationes etiam clericorum sive monachorum suorum ad jus Parentine ecclesie pertinerent, & quod eadem monasteria debent annuatim persolvere sibi porcum unius anni in nativitate Domini, & in pascha majori duos agnos, & in festo sancti Mauri arietem unius anni, & in carnis levamine unam spatulam porci. Et cum sepe ac sepius conquerendo instaret, tandem patriarcha justitie acquiescens causam istam Federico Petinensi episcopo deffiniendam commisit, & eum suum vicarium in negotio illo constituit, precipiens, ut allegationibus utriusque partis examinatis justam dictaret cause sententiam. Itaque Petinensis episcopus utriusque partibus convocatis in ecclesia Parentina, cum Parentinus episcopus prescripta capitula querimonia proposuisset, & abbates contra inficiarentur dicentes, monasteria sua ea, que petebantur, nunquam exolvisse, produxit episcopus Parentinus ad confirmationem cause sue tres legitimos testes & idoneos, scilicet Albinum archipresbiterum, Adaltramum archidiaconum & Ratulphum presbiterum ac custodem prefate Parentine ecclesie, qui tactis sacrosanctis evangeliis juraverunt ea, que petebantur ab episcopo ipsis videntibus predicta monasteria persolvisse, & quicquid episcopus in causa illa requirebat, juris esse Parentine ecclesie, & illud jus a XL. retro annis tenuisse. Diligenter igitur cognitis utriusque partis allegationibus, quia Parentini episcopi firmis rationibus & convenientibus testibus fuerat approbata, Petinensis episcopus vicarius patriarche multorum consilio statuit, & firma sententia dictante justitia promulgavit, ut unusquisque dictorum abbatum singulis annis supradicta omnia, que ab episcopo petebantur, persolverent Parentine ecclesie, & quicquid episcopus in causa illa postulabat, in integrum obtineret. Data vero sententia jubente eodem vicario predicti abbates vadiaverunt episcopo adjudicatam sibi rationem in presentia totius cleri Parentini episcopatus & Ugonis sancte Barbare abbatis & Lamberti presbiteri & Bernardi presbiteri de Rubino & plebani de duobus Castellis, & plebani de Montona, & presbiteri Manardi de Aquilegia & aliorum multorum.

XXXVI.

VVezello de Camino investit Petrum abbatem Fullinatem.

Anno 1175. V. exeunte januario.

Ex autographo ejusdem monasterii. n. 29.

IN nomine Christi. Anno ab incarnationis ejusdem M. C. LXXV. indictione VIII. die lune V. exeunte januarii in presentia bonorum hominum. Hi sunt presbyter Lanfrancus, magister Bernardus, *Ibid. n.* 16.

dus, Wisemanus, Penzo de Montesella, Samuel, Ugerius de Cisono, frater Mazo & aliorum plurium. Wezilo de Camino investivit abbatem Petrum de Folina de tota proprietate, & de toto feudo, quod ipse habet & tenet in Stauluzo pro anima sua & mortuorum suorum, & dedit proprium per proprium, & feudum pro proprio. Item & jamdictus abbas vel ejus successores debet dare annualiter pro unaquaque dominica ovarum III. dies ante, vel III. dies post unam libram olei, & debet ardere jamdictum oleum ante altare sancte Marie de Folina pro anima prefati Wezelonis & mortuorum suorum.

Actum est hoc ad Seravallem in domo Wezelonis & comitisse Sophie coram predictis testibus.

Signum eorum sss. qui hoc breve fieri rogaverunt.

Signum eorum sss. qui rogati fuerunt testes.

Ego Walterius notarius interfui & hoc breve rogatus scribere scripsi.

XXXVII.

Alexander III. confirmat Camaldulensibus inter cetera monasterium S. Mariæ de Urano.

Anno 1175. xv. kalendas aprilis.

Ex codice membran. monast. S. Michaelis Pisarum.

Ibid. n. 14. ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. Camaldulensi priori ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos admonet & invitat auctoritas &c. *Quæ sequuntur, consulto prætermittimus, nam Alexander III. hac bulla solummodo confirmavit Camaldulensibus ea omnia, quæ in bullis Paschalis, Eugenii, Anastasii & Adriani pontificum concessa fuere eisdem Camaldulensibus. Legitur & in ipsa:* In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli juxta castrum Britti, sancti Felicis. *Et insuper circa finem ejusdem bullæ additur:* Ad hec monasterium de Urano vobis & conventui vestro, salvo jure Ravennatis ecclesie, auctoritate apostolica confirmamus. Decernimus ergo *&c.*

Vias tuas † *Domine*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
ALE | XANDER
PP | IIJ.
demonstra mihi.

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Johannes presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Ubaldus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Bernardus Portuensis & sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Albertus presb. card. tit. sancti Laurentii in Lucina ss.

† Ego Boso presb. card. sancte Pudentiane tit. Pastoris ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Manfredus presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

† Ego Jacobus diaconus card. sancte Marie in Cosmydin ss.

† Ego Cinthyus diaconus card. sancti Adriani ss.

† Ego Hugo diaconus card. sancti Eustachii juxta templum Agrippe ss.

Loco ✠ *signi.*

Datum Anagnie per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii XVI. kal. aprilis indictione VIII. incarnationis Dominice anno M. C. LXXV. pontificatus vero domini Alexandri pape III. anno XVII.

XXXVIII.

Castra de Planetulo & de Valliala refutata eremo Camaldulensi a canonica Arretina.

Anno 1176. mense januarii.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Refutatio. n. 56.

IN Dei nomine. Anno Dominice incarnationis M. C. LXXVI. Feliciter. Regnante . . . . mense januario indictione VIII. Constat nos dominus Adanulfus prepositus, & domnus Rusticus archidiaconus & domnus Bruno & Gregorius canonicus, & presbyter Ildebrandus, & presbyter Albertus, & magister Guittone, & Moyse, & Majano, & Leonardus & Marsilius & Berardus canonici sancti Donati ecclesie, qualiter per hoc scriptum transactionis, finitionis atque refutationis, stantie & convenientie & perpetue obligationis finimus, refutamus & modis omnibus remittimus tibi domno Ibid. n. 19.

Placito abbati de Urano recipienti vice domni Ildebrandi prioris Camaldulensis, & fratrum suorum, sive suorum successorum inperpetuum, scilicet omnes possessiones & pertinentias prediorum urbanorum & rusticorum, que olim fuerunt Quintavallis & Astuldi, & quocumque modo nobis per locationem a predicto priore factam nobis pertinere visum est, idest castrum de Planetule cum curte sua, & castrum de Vanlianla cum curte sua, vel ubicumque de predictis bonis esse dignoscuntur, excepto omni jure & actione, quam predictus prior & Camaldulensis ecclesia habet in castro & curte de Topole, & nobis per suprascriptam refutationem & transactionem & definitionem concessit, salvo eo quod si homines de Topole vel ecclesia habent possessiones in curte de Planetole, & ita ut usque modo tenuerunt, imposterum teneant, & si homines de Planetole & ecclesie habent possessiones in curte de Topole, itaut usque modo tenuerunt, in posterum similiter teneant, consuetudine tamen servata omnis servitii unicuique castro, prout hactenus servatum est. Item finimus vobis & refutamus castrum de Mojona cum curte ejus, & totum ac integrum illud, quod eo loci habemus, tibi domno Placito similiter recipienti vice suprascripti prioris & successorum ejus in perpetuum. Promittimus & obligamus etiam nos suprascripti prepositus & canonici nostrosque successores tibi Placito recipienti vice suprascripti prioris ejusque successorum in perpetuum omnia predicta per bonam fidem sine omni fraude observare, & firma & inconcussa tenere, & non contra predicta aliquo modo agere neque causare, vel per placitum aut extra fatigare per nos vel per summissam aut summittendam a nobis personam, non per imperialem, vel per ecclesiasticam personam, unde aliquod damnum predicto priori vel ejus successoribus unquam contingere possit. Et si omnia predicta non observaverimus nos nostrique successores in perpetuum tibi Placito pro predicto priore ejusque successoribus penam dupli, que in definitione deducta est, componere promittimus. Insuper promittimus tibi pro predicto priore & ejus successoribus tam pro nobis, quam pro nostris successoribus castrum de Topole, & omnia, que nobis concessistis, non alienaturos alicui persone, nisi vobis predictis, si tamen vos tantum dare volueritis, quantum sine astu ab aliis habere potuerimus, alioquin liceat eas alienare, cui voluerimus, unde hoc scriptum fieri rogavimus.

Actum in claustro ecclesie sancti Donati. Feliciter.

Signa manuum suprascripti prepositi & canonicorum, qui hoc scriptum fieri rogaverunt.

Signa manuum Rainerii judicis & Tancredi Richelde, & Johannis, & Crai, & Ugonis da Pescia, & Pellegrini rogatorum testium.

† Ego Adanulfus Aretinus prepositus ss.

† Ego Rusticus archidiaconus ss.

† Ego prior sancti Ansani ss.

† Ego presbyter Majanus canonicus ss.

† Ego Moyses presbyter & canonicus ss.

† Ego Ildibrandus presbyter & canonicus ss.

† Ego Albertus presbyter & canonicus ss.

† Ego Brunus diaconus & canonicus

† Ego Presbyter diaconus & canonicus ss.

† Ego Christophorus diaconus & canonicus ss.

† Ego Gregorius canonicus ss.

† Ego Berardus subdiaconus & canonicus ss.

† Ego Marsilius canonicus subdiaconus ss.

† Ego Leonardus canonicus ss.

Ego Niger judex ac notarius scripsi & complevi.

XXXIX.

Permutatio ecclesiæ S. Andreæ de Basiliano cum ecclesia S. Johannis de Fontana, inter monasteria S. Michaelis de Castro Brittorum, & S. Christinæ de Septem-fontibus.

Anno 1176. III. kal. junii.

Ex autographo archivi S. Christinæ de Bononia. C. 12.

† IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo centesimo septuagesimo VI. imperante Frederico Romanorum imperatore tertio kalendas junii indictione nona. Et ideo in Dei nomine ego quidem donno Petro abbas sancti Michaelis arcangeli do & transacto in persona donna Scolastica abbatissa ecclesie sancte Cristine virginis causa permutationis ecclesia sancti Andree de Basiliano cum totis pertinen- *Ibid. n. 20.*

tinentiis predicte ecclesie, & pecia una de terra, que detinet bona credencia: videlicet pro ecclesia sancti Johannis de Fontana de curia Medicine cum totis pertinentiis predicte ecclesie, & due tornaturie de terra, que detinet predicta abbatissa, ad habendum tenendum ac possidendum quicquid tibi tueque successores inde placuerit faciendum in perpetuum, ut nulla lite, nullaque controversia sustineant ab omni coque homine prescriptas res, sicut superius legitur, defendere & auctorizare pro me meisque successoribus tibi predicta donna Scolastica abbatissa promitto si defensare & auctorizare non potuero, & predicta carta omnia firmiter observare noluero stipulationem summam nomine pene sexaginta libras Lucenses pro me meisque successoribus tibi predicta donna Scolastica abbatissa dare promitto, & post penam solutam hec carta semper firma permaneat.

Actum in claustro sancti Michaelis indictione predicta.

Prenominatus domnus abbas hoc permutacionis instrumentum, ut superius legitur, scribere rogavit.

Testis & investitor Dominicus castaldus, presbyter Ildebrandus, & presbyter Arardus, & Vacaria & Guido Salvaticus, & Gerardus Cabalerius rogati sunt testes.

Ego Guido Dei gratia notarius ss. & complevi.

Ego Petrus abbas sancti Michaelis archangeli ss.

Ego Gerardus monachus ss.

Ego Maurus monachus ss.

Ego Placitus monachus ss.

Ego Ugo monachus ss.

XL.

Sententia Olderici patriarchæ Aquilejensis contra monast. S. Michaelis de Lemmo.

Anno 1176.

Ex tabulario S. Mathiæ de Muriano. cod. H. pag. *6.*

Ibid. n. 18. IN nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christl, amen. Nos quidem Odelricus Dei gratia sancte Aquilejensis ecclesie patriarcha Apostolice sedis legatus notum esse volumus omnibus Christi fidelibus tam presentibus, quam futuris, quod cum vener. frater noster episcopus Parentinus Petrus querimoniam nobis deponeret, quod venerabiles fratres nostri de sancto Petro de Silva & de Lemo abbates hexenia, que ei annuatim persolvere deberent, videlicet quisque in nativitate Domini porcum unius anni, & in pascha majori duos agnos, & in festo sancti Mauri arietem unius anni, & in carnis levamine unam spatulam porci ei detinerent, nos tandem causam venerabili fratri nostro Federico Petinensi episcopo cognoscendam & terminandam commisimus, qui cum mandatum nostrum executioni mandasset, in virtute obedientie a nobis quomodo in eadem causa processerit interrogatus presentibus tribus nostris asseruit, quod partes certo loco & die ante suam presentiam collocavit, & causam hinc inde diligenter examinavit, asseruit etiam, quod Parentinus episcopus jamdictam querimoniam deposuit, & tres legitimos testes Albinum archipresbiterum & Adalramum archidiaconum & Rantolfum presbiterum & custodem Parentine ecclesie induxit, qui supra sacrosancta evangelia juraverunt, quod predicta monasteria suprascripta hexenia Parentine ecclesie a XL. annis retro persolverant. Petinensis itaque episcopus, qui in hac causa vicem nostram agebat, auditis hinc inde, que partes allegaverunt, talem dictavit sententiam, ut unusquisque dictorum abbatum memorata hexenia Parentino episcopo, & ecclesie ipsius persolvant. Hec igitur cognoscentes sententiam, quam rationabiliter tulit, auctoritate sancte Aquilejensis ecclesie, ac nostra confirmamus, & confirmatam in perpetuum esse volumus his presentibus Venerando Tergestino, & predicto Federico Petinensi episcopis, Johanne Emonensi electo, Romulo Aquilejensi magistro schol. Turpino Tergestino diacono capellanis, Ringardo, Popone, & aliis quampluribus.

Actum est feliciter apud flumen Arsam in Ystria anno Domini M. C. LXXVI. indictione nona.

Ego Conradus domini patriarche capellanus ex mandato ipsius hanc chartam scripsi & dedi.

Ego Beltramus Papa filius quondam Petri Pape civis Mediolanensis publicus imperiali auctoritate notarius predictis omnibus interfui, scripsi & publicavi, meoque signo consueto signavi.

Ego Antonius filius magistri Michaelis de Ferraria imperiali auctoritate notarius prout & sicut in dicto publico instrumento sic scripto per suprascriptum Beltramum notarium, ita hic fideliter scripsi

ſcripſi nil addens vel minuens, quod ſenſum mutet vel variet intellectum, immo recopiavi ad inſtantiam & petitionem presbiteri Johannis plebani ſancti Laurentii procuratoris domini fratris Joannis Lambardo epiſcopi Parentini de mandato & auctoritate nobilis & ſapientis viri domini Andree Donato capitanei ſancti Laurentii, qui ſuam & ſui oſficii auctoritatem interpoſuit, & decretum, eo quia dicta inſtrumenta eſſent in ſancto Laurentio, una cum prudentibus & literaris viris ſer Gabriele cancellario dicti domini capitanei ſancti Laurentii, & Zanino de Montona, cum quibus dictum inſtrumentum de verbo ad verbum auſcultavi ſub anno Domini M. CCC. LXXXVIII. die tertia menſis martii indictione duodecima, ego predictus Gabriel de Anſelmis de Mediolano predictis interfui, & me ſubſcripſi in teſtimonium.

XLI.

Placitum Aldapreti comitis Hiſtriæ circa bona territorii Parentini.

Anno 1176. XXIV. novembris.

Ex veteri exemplo monaſterii S. Mathiæ de Muriano.

Ibid. n. 17. IN Dei nomine, amen. Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto die menſis novembris vigeſimoquarto indictione quarta actum in caſtro ſancti Laurentii in eccleſia majori. Cum quedam queſtio ventilaretur coram inclito Aldapreto comite Iſtrie inter commune ſancti Laurentii ex una parte, & filios olim domini Aldaburni ejuſdem caſtri, videlicet Aldaburnum & Cadulum fratres ex altera ſup...... poſſeſſionibus, peſcariis & aliis juriſdictionibus caſtri de Calixeto, quia prefati Aldaburnus & Cadulus proponebant & dicebant, quod commune caſtri ſancti Laurentii gaudebat in paſculis eorum, aquis & aliis neceſſariis ipſum territorium cum aliis ſuis bonis, fructibus & rebus ipſius caſtri de Calixeto contra juſtitiam & ſuam voluntatem & conſuetum antiquum reditum eis per vim detinebat. Quod territorium hoc eſt & hic incipitur a corona finita montis Gatinarii predictorum fratrum veniendo ſuper valle Sfonderata uſque ad ſemitas Latigloni, & deinde vadit deſuper valle, que habet modulum intus ſicut eſt deſignatum uſque ad campum de ſubtus Latiglono, & etiam tranſit per aliam Lamam, que vocatur filia Latigloni, & pergit admodo per ſemitarias animalium, deinde intrat in fractam, & vadit deſuper Lama Canapuli, que remanet a dextris tranſiendo aliam valizam juxta ipſam Lamam, ubi ſunt lapides choadunati, & juxta arbores poſiti eundo ibidem ad unam aliam coronam lapidum, que tranſit viam Orſarii, deinde ad angulum inferiorem agri domini Amici, & tranſit per vias paludis de Calixeto, & ſancti Michaelis de Lemo per ipſam finitam uſque ad campum Plebani, deinde vadit ſuper Lacuzum presbyteri Martini uſque ad terram mei infraſcripti tabellionis, & volvitur deinde apud prefatam terram deſuper Grumacus ipſius terre, & vadit ad viam de Lemo, ſicut deſignatum eſt lapidibus in uno cornulario, & firmat ibi tremonum finite domini Amici & pertranſit non longe ad quercore comitiſſe, aſcenditque ad tremonum verſus orientem, & tranſit aliam viam de Lemo verſus canale, & poſtea declinat inferius per cleam Lemi juxta eccleſiam ſancti Laurentii uſque in mare ſalſum, ubi ſigno proprio poſita eſt una columna, veniendo ab ipſa corona inferius uſque ad territorium & poſſeſſionem ſancti Michaelis, & his duobus ſignis mare ſalſum pertinet ac permanet ipſi caſtro de Caliſeto, aſcenditque deinde per ipſam cleam non longe ab eccleſia ſancti Michaelis, ſed multum prope & tranſit viam Duorum-caſtrorum, que vadit Parentium, ubi eſt una magna corona lapidum, que vadit ſupra montem Carmarſum, & facit voltam per Tremontem, ibi poſitum eſt ſignum Crucis prope viam caſtri ſancti Laurentii uſque ad campum Baſilium, & volvitur in meridiem ad magnum tremonum, quod eſt ſuper palutum verſum ſanctum Michaelem, & declinat ad ſignum territorii predicti ſancti Michaelis uſque ad montem Foſſum, & volvitur & vadit verſus occidentem uſque ad capud terrarum ſancti Michaelis, & a quarto latere inferioris ipſius territorii de Calixeto firmat territorium epiſcopatus Parentii. Ad hec omnia dicto communi prepoſita & oſtenſa per ipſos fratres, & dictum commune coram eodem domino comite omnia inſtrumenta vera non taliter eſſe denegavit. Qui fratres duellum omnia dicentes probari parati, commune prefatum de ſancto Laurentio gratulanter pugnam & voluntarie ſuſcepit: unde idem dominus comes viſa ambarum partium voluntate

luntate terminum pugnandi ſtatuit inter eos ſex ſeptimanas & diem unum ſub pena centum marcharum argenti, quo termino ambe partes cum ſuis pugnatoribus comparuerunt in valle una conſignata per ambas partes, que eſt intra montem Crimiſum, & montem Cavalarium; & qui juſtitiam diligit mediante pugnator ipſorum fratrum pugnam predictam viriliter obtinuit & convincit, & predicti communis de ſancto Laurentio pugnator ſe coram omnibus circumſtantibus, & me Papone ſubſcripto tabellione afflictum & convictum vocavit. Quapropter non conſiderantes neque etiam ipſius communis de ſancto Laurentio predicti Aldaburnus & Cadolus, & ad petitionem ipſius communis mediantibus amicis ipſorum, & conſilio propinquorum ipſorum tale pactum eidem communi fecerunt, quo antiquum pactum communiter deſtruxerunt. Conceſſerunt & locaverunt ipſi fratres dicto communi prefatum territorium ad voluntatem ipſorum locatorum & ſuorum heredum cum omnibus ſuis pertinentiis habendo dictum commune ipſum territorio in gaudimento in omnibus ſuis neceſſitatibus & utilitatibus communiter cum ipſis locatoribus, retinendo in ſe dicti locatores finitam unam in nominato territorio, ab uno latere jacet canale Foculi & canale Foriſii, ab alio latere mons Calixetus, & firmant eidem finite mons Rubeus & mons Lecoſus, & ab aliis lateribus circumdat memoratum territorium de Calixeto, habendo & retinendo ipſas finitas ſecundum conſuetudinem aliarum finitarum de ſancto Laurentio; retinentes in ſe locationes predicte caſtrum de Calixeto prefatum in ipſo territorio, ita quod aliquis de cetero non preſumet in eo laborare, nec opus aliquod edificare ſine ipſorum locatorum vel heredum verbo ac voluntate, & etiam piſchariis de Lemo cum omnibus ſuis juriſdictionibus in ſe retinuerunt. Pro qua locatione recepta ſeu territorio, ut ſuperius legitur, Wernerius gaſtaldio & Martinus de Maximo maricus de caſtro ſancti Laurentii voluntate & conſenſu totius communis ipſius caſtri de ſancto Laurentio laudaverunt deinceps annuatim, quod unuſquiſque vicinus & habitator caſtri & burghi de ſancto Laurentio dabit & ſolvet ipſis Aldaburno & Cadulo fratribus vel eorum heredibus dimidium modium boni frumenti ad modium ipſius caſtri ſtando ipſum modium eodem ſtatu uſque ad feſtum ſancti Michaelis de Septembri; & quod ipſum frumentum non ſolvitur uſque ad dictum terminum teneatur in duplo; ita quod quilibet ipſorum vicinorum vel habitator, qui habuerit ſcrophas ad viginti ſuperius uſque ad quadraginta inter parvas & magnas, a predicto feſto ſancti Michaelis uſque ad nativitatem Domini porcum unum de uno anno. Et qui habuerit viginti inter parvas & magnas, porcum unum de medio anno, & ab inde inferius ſolvat ſecundum rationem ipſis locatoribus vel ſuis heredibus ſub predicta pena. Ita quod omnis caſſaria pecudum in feſto ſancti Georgii teneatur conducere ad domum ipſorum locatorum unum bonum nuclum cum tota lana ſub pena dupli, & hoc omni anno ſolvant dictis locatoribus, dum ipſi territorium communi dimiſerint ſupradicto. Et quod quilibet de predicto caſtro ſancti Laurentii poſſit laborare ſuper prenominato territorio ſolvendo locatoribus unum modium frumenti de pare uno bobum in feſto ſancti Michaelis de ſeptembri illius anni, quo laborabitur conducendo ipſum frumentum ad domum ipſorum locatorum ſub pena dupli, & qui laboraverit ſupra finitam predictorum ſolvat eis ſecundum quod pactum fuerit, ſeu fecerint predicto feſto ſancti Michaelis ſub predicta pena. Et inſuper promiſerunt dicti Wernerius gaſtaldio, & Martinus de Maximo maricus per ſe & per ſuos ſucceſſores voluntate & conſenſu totius communis de ſancto Laurentio ulterius ipſos fratres vel ſuos heredes non ledere, nec vetare vel moleſtare, nec aliquam vim de predicto territorio facere de toto, nec de parte, nec de aliquo ejuſdem jure ſub pena componendi ipſis locatoribus mille marchas argenti. Qui Aldaburnus & Cadolus per ſe & ſuos heredes voluntate & conſenſu domini Giroldi de Pola, a quo fratres predicti ad feodum retinent territorium ſupraſcriptum, promiſerunt legitime ipſum territorium, ut ſuperius legitur, ab omnibus guarentare & defendere dum ipſi communi territorium dimiſerint gaudere ſub eadem pena mille marcharum, ſalvo eo quod monaſterium ſancti Michaelis de Lemo poſſit rigare vel poctare in paludo ejuſdem caſtri de Calixeto animalia ſua, & in aliis aquis, & paſculare, ac uti dictum territorium ad voluntatem ſuam & utilitatem. Quapropter Johannes abbas ejus monaſterii cum conſenſu & voluntate domini Amici de ſancto Laurentio ejuſdem monaſterii advocati & ſuorum fratrum, videlicet Dominici de Bucedo, Andree vicarii & fratrum amborum ſuorum

rum

rum promisit per se & per suos successores ipsis dare & solvere annuatim in predictis terminis unum porcum & unum nuclum, secundum quod homines de sancto Laurentio tenentur, dum ipsi locatores dimiserint ipsum territorium gaudere. Testes Ascaneus socius predicti domini Giroldi, Henricus de Diana, Johannes Malavolitus, Andreas Locopositus de Pola, dominus Wezelus, dominus Blasius, Ugho, Amicus de Vale, dominus Scandola, dominus Papo de Urbino, dominus Arcuycus de Parentio filius domini Ottonis, Wentura domini Vitalis gastaldio, dominus Pentius, Ugho de Rolando, Mattheus Aldaburni de Parentio, dominus Nicolaus, magister Cadolus Padavinus, & Boncius de Orsaria.

Et ego Papo tabellio interfui, & rogatus scripsi & complevi.

Ego Albertinus quondam domini Johannis de Placentia auctoritate Imperiali notarius precepto nobilis & potentis viri domini Johannis Mauroceni capitanii generalis totius paysanatici Istrie, & sancti Laurentii potestatis, ac nomine & pe....... communis sancti Laurentii predictum instrumentum ex originali authentico scripto manu suprascripti Paponis extraxi, & manu propria de ponto ad pontum fideliter exemplavi.

XLII.

Matthæi filii Transmundi traditiones monasterio Valle-castrensi.

Anno 1176.

Ex authentico tabularii S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 20. IN Dei nomine. Anni Domini sunt mill. C. LXXVI. per indic. VIIII...... Ideoque ego Mattheus filius de Transmundo pro redemptione anime & de genitori meo & de genitrice mea, & de parentibus meis, & de anime mee, ut in illa die veniendi tremendi judicii, quando venturus erit Dominus, ut a Domino mercedem recipere mereamur ante tribunal Cristi, propria & spontanea mea bona voluntate secundum meam lege trado & concedo & do pro me & meis parentibus, qui mecum volunt & habent la medietatem de la meam portionem ad ecclesiam sancti Salvatoris & sancti Romualdi, qui est hedificata in fundo Valle de castro, & in manu don. abbas Guiglelmo, & ad tuis successoribus in servus servorum Dei, quod est ipsa res in comitatu Camerino, & in fundo la Montanea de Savicino. Idest quartam partem de castro Civitella, cum quarta parte de la torre exceptavit suis propriis casis & dabimus vobis sex modiora pro sex hominibus ibi habitantibus, etsi plures homines ducetis, cuique dabimus unum modiora. Et insuper concedo tibi & dicta ecclesia & tibi dompno Guiglelmo abbati & tuisque successoribus idest totam decimam, quam habebimus in curia Monte martini, a primo latere de ipsa curte aqua currente, que pergit de ipso monasterio, a secundo latere rigo ficto & vadit in la via da le mura, a tertio latere senaita de domo, a quarto latere via de forca Lopara perveniente in primo latere; totam decimam, quam habebimus infra istis lateribus damus & concedimus ad supradicta hecclesia, & tibi Guiglelmo abbati, & ad tuisque successoribus, & concedo tibi supradicta hecclesia quartam partem mortuorum, & mortuus ego & uxor mea aut heredes mei in castro civitella. Ita a die presentem habeatis possideatis & fructum lucretis & hoc repromitto .... & defendere da omnibus hominibus persona legali jure. Et ego Mattheus facio vobis pactum, quod non vendam partem meam, nec donabo, nisi tibi & supradicte ecclesie usque ad tertium c..pellum infra unius anni spatium. Et ego Guiglelmo abbas una cum monachis meis atque conversis promitto pro me & pro meisque successoribus tibi Mattheo & tuis heredibus hoc quod vos dedistis & dabitis supradicta hecclesia, nec hecclesia, nec ego Guiglelmo abbas, nec successores mei retinebimus hoc, quod vos dedistis ecclesia sancti Salvatoris & sancti Romualdi, quod non requiverimus jus patrocinatum aliorum hominum nec patronum, nisi sub patrocinatu domini Matthei, & de suis heredes, nec antea aquistum faciemus sine vestra parabola, & promitto vobis murare lu zirone de la civitella, ubi necesse fuerit. Ego Guiglelmo abbas promitto pro me & pro meisque successoribus tibi Mattheo tuisque heredibus atque tuis parentibus, qui tecum volunt esse, quod non vindimus nos, neque donamus, nec obligamus nisi vobis suprascripto pactum, quod non vindam partem meam, nec donabo, nisi tibi suprascripto Mattheus, vel tuis heredibus usque ad tertium c..pellum infra unius anni spatium. Et promittimus inter nos, si castrum istud erit perditum, quicumque nostrorum poterit recupera-

re

re restituat partem suam alteri parti. Si est dono, per donum reddat, si pretio, per pretium. Si aliquis nobis faciat guerram pro castro isto communiter faciemus nos. Et suprascripto Guilielmo abbas dedit benedictionem XII. libras denariorum Mattheo pro suo benefitio ..... Persona erit abbas jus monasterii debet recipere Mattheum, & suos heredes pro fidele, & dare equum unum valens x. libras denariorum ..... & quicumque istorum noluit observare hoc totum, quod superius legitur, erit compositurus alteri parti C. Bisantios ..... hec cartula firma permaneat. Calza testis, Apilole testis, Bonum fante testis, dominus Albertus testis, dominus Dominicus testis, dominus Ugo testis .... Ego Bonezo judex scripsi & complevi.

XLIII.

Alexandri III. bulla pro Pulsanensibus.

Anno 1177. v. idus februarii.

Ex authentico monasterii SS. Bartholomæi & Pontiani de Luca.

Ibid. n. 27. ALexander episcopus servus servorum Dei Antonio priori sancte Marie in Pulsano ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris monasticam vitam professis in perpetuum. Quotiens illud a vobis petitur &c. eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & adinstar felicis memorie predecessorum nostrorum Innocentii, & sancte recordationis predecessoris nostri Eugenii Romanorum pontificum monasterium beate Marie, cui divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem loco noscitur institutus, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conservetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Monasterium videlicet sancti Jacobi apud Fogiam cum pertinentiis suis; monasterium sancti Nicolai in territorio ejusdem castri cum pertinentiis suis; monasterium sancti Stephani, quod in Matinanta consistit, cum pertinentiis suis; monasterium sancti Salvatoris in territorio Placentie cum pertinentiis suis; monasterium sancti Petri Vallis-bone cum pertinentiis suis; monasterium sancti Petri de Cellaria, quod situm est in territorio castri Calvelli cum pertinentiis suis; monasterium sancti Bartholomei de Carbonaria cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Andree in monte sancti Angeli cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Pancratii extra portam Transtiberim; ecclesiam sancte Marie intemerate de Fabroro extra Florentiam; ecclesiam sancte Marie extra civitatem Lucanam in loco, qui dicitur Guamo; ecclesiam sancti Michaelis extra Pisanam civitatem in loco, qui dicitur Orticaria; ecclesiam sancti Michaelis in Meleta; ecclesiam sancte Marie in pede montis sancti Angeli; ecclesiam sancti Johannis; ecclesiam sancti Pauli Civitaten. ecclesiam sancti Johannis Pleuti extra castrum Fogie; ecclesiam sancte Cecilie monialium; ecclesiam sancte Marie Fustificti, & ecclesiam sancti Johannis Barani, & ecclesiam sancti Petri Cripte nove in Scitella; terras, quas habetis in territorio castri Devie; terras quas habetis in territorio Civitatis; terras quas habetis in territorio Pleuti; terras quas habetis in territorio Tranensis civitatis; terras cum olivetis, quas habetis in territorio Juvenatii, salinas quas habetis Siponti. Crisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes monachorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi seu clericorum a diocesano suscipiant episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, & ea gratis & absque ulla pravitate vobis voluerit exhibere; alioquin liceat vobis catholicum, quem malueritis, adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Abbates etiam obedientiam vestram seu ministrorum vestrorum semper ad vos, sicut ad caput suum, respiciant, & eorum correctionem pro suis excessibus, cum opus fuerit, per Pulsanensem abbatem, & per successores suos volumus exerceri. Sancimus etiam, ut ordo monasticus seu vita eremitica, que in eodem loco est per Dei gratiam instituta, perpetuis temporibus ibidem irrefragabiliter observetur, atque in obedientiis seu habitationibus vestris

vestris nonnisi religiose persone degere permittantur. Adjicientes etiam, ut juxta votum atque permissionem vestram laboribus manuum seu vestrorum animalium, eorumque nutrimentis atque eleemosynis fidelium contenti sitis, & super terram alia quelibet non queratis. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas presumat exigere. Decernimus ergo *&c.* salva sedis apostolice auctoritate. Ad indicium autem hujus a sede apostolica percepte libertatis duos Bizantios singulis annis nobis nostrisque successoribus persolvetis. Si quaj igitur *&c.*

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Mainfredus Prenestinus episcopus ss.

† Ego Boso presbyter cardinalis sancte Pudentiane tit. Pastoris ss.

† Ego Cinthius diaconus card. sancti Adriani ss.

† Ego Ugo diaconus sancti Eustachii juxta templum Agrippe ss.

Datum Veste per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii v. idus februarii indictione x. incarnationis Dominice anno M. C. LXXVII. pontificatus domni Alexandri pape III. anno XVIII.

Ego Turchius Bene Gualardi Romani imperii judex & notarius authenticum illud bullatum plumbea bulla domini pape, unde hoc sumptum est exemplum, vidi & legi, & hic ipsum fideliter exemplavi, & meum signum & nomen apposui de mandato ven. patris domini Paganelli Dei gratia episcopi Lucensis mihi ab eodem facto, presentibus domino Petro Lucensi canonico, & Guelfo de Corsena ipsius domini episcopi capellano, & aliis testibus ad hoc rogatis. Luce in camera ipsius domini episcopi ad perpetuam rei memoriam habendam sub anno nativitatis Domini M. CC. LXXVI. decimo-septimo mensis junii indictione IV.

Ego Nicolaus quondam Jacobi de Luca *&c.* notarius *&c.*

Ego Aldebrandinus Durassi *&c.* notarius *&c.*

XLIV.

Friderici I. imp. diploma pro Avellanensibus.

Anno 1177. XI. kal. aprilis.

Ex schedis D. Romualdi Blanci.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. *Ibid. n. 31.* Ad temporalis regni gloriam & eterne retributionis meritum apud regem regum nobis proficere credimus, si piis & religiosis locis sollicite provideamus, & Deo in his famulantes ab infestatione malorum hominum securos & quietos nostre defensionis munimine reddamus. Quia ergo fratres de eremo Fontis-avellane sacris operibus jugiter insudare, & bona fama in domo Dei flagrare intelleximus, dignum duximus ampliori nostre serenitatis clementia locum & possessiones eorum intueri, & propensioris gratie beneficio personas & res eorum manutenere. Notum igitur facimus omnibus Christi & imperii nostri fidelibus tam futuris, quam presentibus, quod nos prefatam ecclesiam scilicet eremum Fontis-avellanicum universis ejus pertinentiis in nostre fruitionis speciale patrocinium tanta benevolentia suscepimus, ut omnia eidem ecclesie & fratribus inibi Deo servientibus spectantia ea pace, que rebus fisci nostri debetur, semper perfrui velimus. Ea propter omnibus imperii nostri fidelibus marchionibus, comitibus, civitatum consulibus, capitaneis, valvassoribus & universis publicam administrationem gerentibus, & ceteris quibuslibet hominibus sub debito fidelitatis, quo imperio astricti sunt, firmiter precipiendo mandamus, quatenus nihil unquam de omnibus possessionibus, que prefatis attinent fratribus, violenter aut contra voluntatem eorumdem fratrum contingant aut tollant, ac eos tam in hominibus, quam in animalibus, tam in edibus, quam in agris, in omnibus omnino rebus & locis ad eorum jus pertinentibus, nulla prorsus tributorum vel angariarum aliorumve servitiorum exactione molestent, quoniam nos eosdem fratres & eorum homines ac possessiones ipsorum ab his exactionibus liberos de cetero & immunes fore statuimus. De fodro autem regali hanc eisdem fratribus indulgemus & concedimus commoditatem, quatenus de eorum manualibus & quibuslibet ipsorum

sorum ecclesiis ac terris & hominibus ubicunque proprias & eis specialiter pertinentes habent possessiones, nec marchio, nec comes, nec capitaneus, nec ullus consulatus aut potestas, nec aliqua penitus exigat persona, sed tempore, quo illud dandum est, fratres predicti id per omnes suos homines fideliter colligant, ac inde nulli hominum, nisi nobis aut certo misso nostro ad hoc nominatim a nobis destinato respondeant. In ejusdem quoque fodri collectionem talem eis modum ex gratia nostra imponimus & definimus, ut a singulis hominum suorum focis, qui ipsis scilicet fratribus spetialiter attinent, denarios tantum duodecim recipiant, & eos misso nostro presentent, & ultra hanc mensuram nulla datione graventur. Insuper jubemus, ut liceat eisdem fratribus & homines ipsorum super sua idest ecclesie illius bona de loco ad locum pro libitu suo transferre & ad utilitatem ecclesie transmutare, nullo vetante vel impediente. Preterea statuimus, ut nullus judicum tam de civitatibus, quam de forinsecis locis habeat potestatem judicandi vel ad juditium vocandi homines predicte ecclesie, nisi causa prius fuerit ad priorem & fratres perlata, & ab eis emendatio vel secundum justitiam, vel amicabilem compositionem reverenter & benigne requisita. Precipimus etiam firmissime omnibus judicibus tam in civitatibus, quam extra per castella & villas constitutis, si quando contigerit predictos fratres proclamationem super illatis sibi injuriis facere, ut statim judices celeri eis justitia subveniant, & presens promptumque juris auxilium contra adversantium violentias eis efficaciter impendant. Insuper statuimus, ut ipsi fratres in causis civilibus sacramentum calumnie prestare non cogantur, & quod eis nulla temporis prescriptio objiciatur, nisi centum annorum. Precipimus etiam ejusdem ecclesie patronis firmiter injungentes, quatenus predictam ecclesiam nec in hominibus, nec in ullis rebus ipsius aliqua molestia vexare presumant; eisdemque patronis & nostris simul nuntiis & ceteris imperii fidelibus diligenter injungimus, ut eamdem sancte Crucis ecclesiam de eremo Fontis Avellani per omnes personas & pertinentias ejus manutenere, fovere, & ab omni incursu violentie semper defensare studeant. Confirmamus etiam eidem ecclesie omnes ejus possessiones, quas hactenus tenuit & possedit, & quascumque deinceps juste & rationabiliter adquiret, & ipsi pacem in eis & quietem nostre auctoritatis edicto stabilimus. Si quis vero pretaxatis clementie nostre statutis ausu temerario contraire presumpserit, pena quinquaginta librarum auri sit condemnatus, quarum medietas fisco nostro, residua predicte ecclesie exhibeatur. Ut autem hec nostra institutio rata in perpetuum habeatur, presentis privilegii pagina fecimus inde conscribi & aurea bulla de nostre majestatis sigillo roborari. Bonis illis, que ipsi jure proprii ad manus suas tenent, non autem in his, que ex oblationibus fidelium pro certo canone perceperunt *&c.*

Ibid. n. 31.

Hujus rei testes sunt Christianus Maguntine sedis archiepiscopus, Eberardus Merseburgensis episcopus, Adelo Hildesheimensis episcopus, Florentinus comes Hollandie, Counradus de Belalx.. Rondolfus, Henricus, Wiricus & Burcardus qui scripsit privilegium, Valterus comes Fanensis, Rodigerus comes Eugubinus, Paganellus de Montelboto, Germanus judex de Fano & alii quamplures *&c.*

Signum domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi.

Loco † signi.

Ego Godefridus cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi & Italici regni archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Domini M. C. LXXVII. indictione X. regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus XXVI. imperii XXIII.

Datum Cucurani XI. kalendas aprilis.

Loco sigilli † pendentis.

XLV.

Alexandri III. *privilegium concessum monasterio Vangaticiensi.*

Anno 1177. nonis maji.

Ex apographo ejusdem cœnobii, & ex Silvestrio Paludi Adriane pag. 63.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Isaac monasterii sancte Marie Vangadiciensis ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Apostolice sedis, cui Deo auctore presidemus, nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & que ad earum sunt quietem disposita, propensiori diligentia stabilire. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus cle- *Ibid. n. 28.*

clementer annuimus, & predictum Vangadicienfe beate Marie virginis monafterium, in quo divino eftis obfequio mancipati, quod utique a recolende memorie Hugone quondam marchione conftat effe conftructum, atque a predeceſſoribus noftris fancte recordationis Silveftro, Calixto & Innocentio Romanis pontificibus libertate donatum eft, tamquam ad jus beati Petri & fancte Romane ecclefie fpeciali prerogativa pertinens apoftolice fedis privilegio communimus. Statuentes, ut quafcumque poffeffiones, quecumque bona idem monafterium impreſentiarum jufte & legitime poffidet, aut in futurum auxiliante Domino poterit adipifci, firma vobis veftrifque fucceſſoribus & illibata in perpetuum maneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Villam Abbatie, in qua monafterium fitum eft, cum plebe fancti Johannis; Vangaticiam cum ecclefia fancti Michaelis; villam, que dicitur Salvaterra, cum ecclefia fancti Antonini; Cavazanam cum ecclefia fancti Laurentii; ecclefiam fancti Andree de Ramo de Palo, cum pertinentiis fuis. Infra civitate Verona ecclefiam fancti Salvatoris cum fuis omnibus pertinentiis; quafcumque etiam poffeffiones habetis in Ilafi, & in Bardulino & in quibufcumque locis Veronenfis epifcopatus. In epifcopatu Vicentino terram de Albareto. In epifcopatu Patavienfi ecclefiam fancti Petri fitam in Montefilicano cum fuis omnibus pertinentiis; curtem vallis Almerici cum ecclefia fancti Andree. In Efte ecclefiam fancti Firmi & ecclefiam fancti Petri cum pertinentiis fuis. In Palfo ecclefiam fancti Michaelis; poffeffiones in curia Ville, & in aliis locis ejufdem epifcopatus. In epifcopatu Adrienfi Veneze cum ecclefia fancti Martini; Broxetum cum ecclefia fancti Zenonis; in Contina ecclefia fancti Sixti; in Gorgnano ecclefiam fancti Bartholomei; in villa Comeda ecclefiam fancti Petri, & quafcumque poffeffiones in eodem epifcopatu habetis vel comitatu; poffeffiones in epifcopatu Ferrarienfi, & in epifcopatu Bononienfi ecclefiam fanctorum Simonis & Jude de Urbizanis cum pertinentiis fuis. Nulli ergo omnino hominum fas fit prefatum cenobium temere perturbare aut ejus poffeffiones auferre vel ablatas retinere, minuere aut aliquibus vexationibus fatigare, fed omnia integra conferventur eorum, pro quorum gubernatione & fuftentatione conceffa funt ufibus omnimodis profutura. Predictorum denique noftrorum ftatuta predeceſſorum fine ulla fervare volentes refragatione monafterium ipfum fub Romanorum dumtaxat pontificum tuitione pofitum a reliquorum dominio epifcoporum cum univerfis, quas nunc poffidere dinofcitur ecclefiis, feu quas impofterum jufte aquifierit, omnino liberum & a fynodalibus quibuslibet exationibus abfolutum permanere decernimus. Tibi itaque fili abbas tuifque omnibus fucceſſoribus liceat veftras quafcumque ecclefias cum cimiteriis, baptifteriis, capitulis & fynodis quiete poffidere, eafque per proprios ordinare facerdotes, nullius epifcopi obftante contradictione. Clericorum quoque veftrorum promotiones, & confecrationes bafilicarum, fed & infantium in villis veftris pofitorum confignationes, ut a catholicis, quos invitare volueritis, epifcopis pro reverentia fedis apoftolice nullius interveniente morbo venalitatis peragantur, perpetua ftabilitate fancimus. Presbyteris infuper in parochianis monafterii ecclefiis quocumque tempore conftitutis vulgatorum pariter & fecretorum criminum fibi commiffis populis injungendi penitentias prefentis auctoritate privilegii fit indulta licentia: ad eorumdem etiam fpectabit follicitudinem queftiones, que de conjugiis emerferint, ac difficiliora queque negotia, ut juxta fanctorum Patrum terminentur inftituta, ad te, fili abbas, tuofque fucceffores. Studii preterea veftri fit facrofanctum crifma fingulis annis per veftros a catholico quocumque volueritis epifcopo legatos accipere, acceptum vero baptifmalibus ex more ecclefiis diftribuere, ficut omnia hec hactenus feciffe nofcimini. Sane curtis abbatie decimas, fimulque Vangadicie, Salvaterre, atque Cavazane, feu etiam Rami de Pali, ac de territorio Broxeti, atque Saguedi & Veneze pietatis intuitu ex integro vobis habendas concedimus. In aliis autem locis prediorumque propriis a vobis exculta fumptibus fuerint, ac reddituum veftrorum decimationes noftra vobis auctoritate vendicabitis, ficut eas inconcuffe a quadraginta retro annis habuiftis, & hoc facere confueviftis. Obeunte vero te ejufdem loci abbate vel tuorum quolibet fucceſſorum nullus ibi qualibet fubreptionis aftutia feu violentia preponatur, nifi quem fratres communi confenfu vel fratrum pars confilii fanioris de fuo vel de alieno religioforum collegio, fi, quod abfit, idoneus ibi repertus non fuerit, fecundum Dei timorem & beati Benedicti regulam elegerint. Electus autem ad Romanum ponti-

pontificem consecrandus accedat. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona *&c.*

Datum Ferrarie per manum Gratiani sancte Romane ecclesie subdiaconi & notarii nonis maji indictione decima incarnationis Dominice M. C. LXXVII. pontificatus vero domini Alexandri pape III. anno XVIII.

Ego Pax notarius filius quondam ser Redolfini *&c.*

Ego Johannes dictus Turta notarius de Bagnollo *&c.*

Ego Petrus de Capella de Cremona quondam Juliani notarius sacri palatii hoc exemplum ad authenticum privilegium bulla papali plumbea pendenti munitum fideliter exemplavi *&c.* omissis tamen nominibus cardinalium & episcoporum *&c.* anno Domini a nativitate M. CCC. XLV. indictione XIII. die jovis VII. aprilis coram domino Jacobo de Grassonibus de Mutina potestate predicte terre abbatie.

XLVI.

Ejusdem alterum pro sanctimonialibus Luci.

Anno 1164. *Sed legendum* 1177. IV. kal. junii.

Ex vitiato exemplo ejusdem parthenonis. Sacc. Privilegia n. 366.

Ibid. n. 29. ALexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri nostro .. episcopo, & dilecto filio .. preposito Florentino salutem & apostolicam benedictionem. Attendentes quomodo ad officium nostrum pertineat personas religiosas, & cultui divino jugiter deditas diligere benignius & favere, quapropter abbatissam & moniales monasterii de Luco privilegio apostolice sedis munimus, & ea, que legiptime possident, eis apostolica auctoritate confirmamus. Ne igitur ulla ex eis valeat indebitam substinere molestiam, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatenus prelibati monasterii divino intuitu, & pro reverentia beati Petri in his, que sibi concessa sunt a fel. memorie predecessore nostro Eugenio, & a nobis tam in decimis, quam in sepulturis vel aliis confirmatis favere propensius & manutenere curetis. Nec exinde sibi permittatis aliquam molestiam vel gravamen irrationabiliter irrogari. Si quis autem parochianorum vestrorum hoc aptemptare presumpserit, & a vobis monitus non resipuerit, contra eum censura ecclesiastica procedatis. Datum Venetiis in Rivoalto anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto sexto kalendas junii per manus Alberici cardinalis & sancte Romane ecclesie cancellarii.

XLVII.

Investitura facta a Camaldulensibus nobilibus de Valliala.

Anno 1178. *more Pisano*, pridie kal. junii.

Ex autographo tabularii Fontis-boni. §. Investitura n. 15.

IN Christi nomine. Anno Domini M. C. LXXVIII. pridie kalendas junii indictione x. imperante Frederico. Manifestus sum ego Ildebrandus prior Camaldulensis, qualiter per hoc instrumentum locationis, beneficii & convenientie consensu & voluntate meorum fratrum, hii sunt, domnus Placidus abbas de Urano & idem prior heremi Camaldulensis, & domnus Tedaldus prior de Anglari, & domnus Placidus abbas sancti Viriani, & domnus Placidus prior de Planetto. *Ibid. n. 21.* In quorum presentia ego jamdictus prior Camaldulensis do & concedo vobis Ugo, & Marino, & Jacobo germani filii Guastonis quondam de Vallialla vicecomitatum Vallialle, videlicet castri & ejus curtis, sicut nostrum jus est, ibi in feudum, sicut remansit nobis a dationem vicecomitatus Ugolini de Carzana, & concedo vineam & ortos, qui fuerunt Quintavallis ibi inter Castrum & Tiberinam, salvo eo quod Fagetus habuit a vobis in causam permutationis in Viniale, ut nomine nostro possideat, sicut Quintavallis habuit ex divisione, aut pro indiviso habitatione tantum in jamdicto palatio vobis concedimus secundum voluntatem prioris Camaldulensis, qui pro tempore fuerit. Jamdictam itaque concessionem & beneficium ego jamdictus prior concedo vobis jamdictis fratribus & vestris filiis masculis & legiptimis. Preterea dimitto vobis partem vestram de Planetto, & ejus curie, & si minus invenitur, vobiscum ero ad reinvestiendum. Quamobrem filii Guastonis in integrum dimiserunt nobis partem nostram Vallialle & ejus curtis, & promiserunt, quod

quod ſi omnes deceſſerint ſine filiis legiptimis, tunc caſtrum Vallialle in integrum ſit prioris Camaldulenſis, & inſuper medietatem partis curie ejuſdem, ſicut modo pertinet ad proprietatem filiis Guaſtonis. Adhuc ego prior vobis filii Guaſtonis do & concedo vineam jamdictam ea conditione, ut ſi aliquis veſtrum ante alium ſine liberis deceſſerit, pars predicte vinee revertatur ad priorem Camaldulenſem, & non ad fratres. Cetera bona, que vobis conceſſi in ſuperſtitem fratrum vel fratris deveniat ſecundum arbitrium premorientis. Preterea firmiter ſtatuimus & communi voluntate, ut nulli veſtrum .... liceat caſtrum Vallialle, aut ejus partem aliquam alienare vel alteri relinquere, niſi inter nos. Hoc totum ego prior promitto vobis fratribus omni tempore firmum tenere, & nullo modo moleſtare, quia in hac eadem conventione remiſi & finivi vobis ..... quoque nomine pene vobis dicere poteram de invaſione caſtri & aliarum rerum, & promitto & obligo me & meos poſteros ſucceſſores, & vobis & veſtris filiis, ut ſupra dictum eſt, ſic firmiter tenere. Quod ſi non fecerimus, componamus centum libras bonorum denariorum Lucenſium, qua ſoluta hec carta ſuum robur optineat.

Actum in caſtro de Vallialla indictione jamdicta.

Signa manuum Ildebrandi prioris Camaldulenſis, qui hanc cartam fieri juſſit, & manum ſuam ſcribere rogavit.

Signa manuum Placidi abbatis de Urano, qui eſt prior heremi, & manuum Tedaldi prioris de Anglari, & Placidi abbatis ſancti Viriani, & Placidi prioris de Planeto, qui omnes interfuerunt & conſenſerunt, & manus ſuas ſcribere rogaverunt.

Signa manuum Bennoli, Andree, Gilii, Boni Johannis, Rainaldini, Ugolini, Ruſtikelli, & Ugolini de Carzana, qui omnes rogati ſunt teſtes.

Ego Willelmus judex idemque notarius ſcripſi & complevi.

XLVIII.

Friderici imp. diploma datum Vangaticienſibus.

Anno 1177. XIV. kalend. ſeptembris.

Ex apographo Vangaticienſi, ex Murat. T. II. col. 81. *ex Silveſtrio* pag. 65.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator auguſtus. *Ibid. n. 31.* Imperatoriam majeſtatem ad augmentum ſanctarum eccleſiarum Dei veraciter credimus conſtitutam; idcirco & eccleſiis Dei ac in ipſis Deo famulantibus ſubvenire ſummo jure debemus, & benigno ſemper propoſito intendimus. Omnibus igitur Chriſtiane religionis imperiique Romani fidelibus, preſentibus ſcilicet & futuris apertiſſime pateat, qualiter dilectus noſter Iſaac venerabilis abbas monaſterii ſancte Marie de Vangaditia per fideliſſimum noſtrum Gothofredum cancellarium, & per Marcum Maurocenum honorabilem & ingenuum Venetie civem noſtram adiit clementiam, petens per ipſos & cum ipſis, ut nos pro Dei amore, eterneque beatitudinis remuneratione predictum monaſterium ſuum, ſcilicet eccleſiam ſancte Dei genitricis Marie conſtructam ſuper Atheſis fluminis ripam ad locum, qui quondam Petra dicebatur, nunc autem Vangaditia vocatur, ſub noſtri mundiburdii protectione cum omnibus ſuis poſſeſſionibus & rebus mobilibus & immobilibus reciperemus, eidemque eccleſie ea, que hactenus poſſedit, & in futuro Deo favente juſte aquiſitionis titulo poſſidebit, noſtre imperialis auctoritatis precepto confirmaremus. Quorum petitionibus nos placida ſecuritate annuentes, ſtatumque ſacri ejuſdem loci incolumem ſervare cupientes, prefatam ſancte Marie eccleſiam cum omnibus ſuis pertinentiis in noſtri mundiburdii, noſtreque imperialis potentie defenſione gratanter ſuſcipimus, omneſque res & poſſeſſiones ejus mobiles & immobiles, ſeſeque moventes, quas abbas & fratres ipſius monaſterii vel per ſe, vel per alios poſſident, vel de cetero aquiſierint, eidem eccleſie perpetua ſtabilitate per noſtre auctoritatis robur & munimen confirmamus, e quibus quedam ſuis duximus exprimenda vocabulis. Videlicet poſſeſſiones, quas habent in predicto loco, qui Vangaditia dicitur, & in Abbatia & in aliis quibuſcumque locis. In epi-

scopatu Verone infra civitatem sancti Salvatoris ecclesiam cum omnibus suis pertinentiis; in Bardulino, in Ilasio, in Albareto, in Palso, in curia Leniaci, terras scilicet arabiles, prata &c. que ad curiam Leniaci pertinent, cujus terminum cernit superius caput silve ipsius monasterii usque in Tartarum, que silva vocatur Gazolo; & ex alia parte Athesis Salvaterra, Ramo de Palo, Bruseda, Turicla, in Contra, in Arquada, in Rhodigio, in Ponciano, in Cento, in Squignano, in Donico, Bonisago, in Manegio, in Sarzano, in Mardimago, Veneze cum omnibus suis pertinentiis, in Gongula, Clusurella, Cavazzana, Saguedo, in Merlaria, in Sculdasia, in Palso, in Vighizolo, in Corrigia, in Villa, in Padua, in curte de Provio, in villa Comeda, in Donnarolo. Hec igitur suprascripta omnia, que in aliquo imperii nostri loco prefata possidet ecclesia in castris, capellis, decimis, placitis, mercatis, teloneis, ripis, rupinis, molendinis, collectis, viis & inviis, vineis &c. tansis, bannis ac olivetis, universisque exhibitionibus, atque cujuslibet functionibus cum omni honore & districtu, salva tamen imperiali justitia confirmamus. Tamen id abbati prefate ecclesie & suis successoribus & eorum hominibus indulgemus, ut nulli inde respondere teneantur, nisi nobis aut certo misso nostro ad hoc specialiter deputato. Precipimus igitur imperiali nostre auctoritatis edicto, quatenus nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, consul vel potestas, vel ullum commune civitatis alicujus loci, nec ulla omnino persona &c. Pro quorum omnium certa & inviolabili conservatione & memoria presentem paginam majestatis nostre sigillo communivimus, testibus subscriptis, qui sunt Christianus Maguntinus archiepiscopus, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Arnoldus Treverensis archiepiscopus, Odericus patriarcha Aquilejensis, Henricus patriarcha Gradensis, Sebastianus Ziani dux Venetiarum, comes Hollandie, marchiones de Este Albertus & Obizzo, Schinella comes Tarvisii, Wezelo de Camino, Guilielmus Tempesta, Johannes filius Marci Mauroceni & alii quamplures.

Ibid. n. 31.

Signum domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi & florentissimi.

Loco ✠ *signi.*

Ego Godofredus cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi, & predicti regni archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Domini millesimo centesimo septuagesimo septimo indictione x. regnante domino Friderico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXVI. imperii autem anno XXIIII.

Datum apud Venetias in palatio ducis XIIII. kalendas septembris feliciter, amen.

XLIX.

Ejusdem aliud monasterio S. Mariæ ad Carceres.

Anno 1177. VI. kal. septembris.

Ex authentico S. Michaelis de Muriano, & ex Murat. T. I. col. 733.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi amen. Nos Paganus Dei & apostolica gratia episcopus Paduanus presentato nobis per fratrem Agnellum priorem loci seu monasterii sancte Marie ad Carceres nostre Paduane diocesis privilegio tam sigillo impresso, quam manu publica roborato hujus tenoris & forme. *Ibidem.*

In nomine sancte & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si Christi ecclesiis imperatorie defensionis subsidium clementer impendimus ad eterne vite meritum & temporalis glorie augmentum nobis proficere credimus. Noverint igitur omnes imperii nostri fideles presentes & posteri, quod nos pro interventu fidelium nostrorum marchionum de Esth Alberti, Obizonis, Bonifacii, & venerabilis fratris nostri Pistoris prioris sancte Marie ad Carceres, ipsam scilicet ecclesiam sancte Marie ad Carceres in nostre tuitionis speciale patrocinium suscipimus, & omnia bona & possessiones, quas eadem ecclesia vel nunc habet, vel de cetero legitime acquiret, nostra imperiali auctoritate ei confirmamus, nominatim vero & expresse bona illa, que habet in Cavallile, in Credacolo, in Porto, in Minervi, in Urbana, Melladino, in Palso, in Vigizolo, & in ejus curti, in Est, & Baone, Carpi, Montesilice, in Tribano, Cona, Paltena, vel ubicumque supradicta ecclesia sancte Marie nunc habet vel acquirere poterit, ei corroboramus, itaut jamdicta ecclesia ea deinceps habeat, ac tenent in omni quiete sine aliqua vexatione in bannis, fodris, placitis, districtis, arimaniis, & cum omni honore. Statuimus quoque, ut bona ejusdem ecclesie, & eorumdem bonorum habitatores,

res, & quilibet homines ad eam pertinentes, nec per civitatem aliquam, nec per consulatum, nec per ullum commune, nec per ducem, nec per marchionem, comitem, vicecomitem, gastaldionem, decanum, nec per ullam personam magnam aut parvam distringantur, nec angariam aut perangariam seu aliquam foncionem exsolvere cogantur, nec nomine fodri vel albergarie aut alio quolibet exactionis modo a quoquam graventur nec molestentur, salva in omnibus imperiali justitia, in qua tamen eis de nostra munificentia indulgemus, ut nulli hominum inde respondeant, nisi nobis aut certo nostro misso ad hoc specialiter destinato, ut per eum illa nobis representententur. Si quis igitur dux aut marchio, comes aut vicecomes, aut aliqua civitas aut ejus consulatus aut aliqua persona magna vel parva nostre imperiali pagine obviare aut eam aliquo modo infringere presumpserit, sciat se pro pena compositurum auri optimi libras L. medietatem fisco imperiali, & medietatem predicte ecclesie sancte Marie. Quod ut verius credatur, & ab omnibus diligentius observetur hanc paginam corroborantes sigilli nostri impressione jussimus insigniri sub testimonio principum, quorum nomina subpterscripta sunt. Volricus patriarcha Aquilejensis, Christianus Magontinus archiepiscopus, Philippus Coloniensis archiepiscopus, Cuonradus Vormatiensis electus, Wortohvinus prothonotarius, Drudo Feltrensis episcopus, Florentius comes Hollandie, Rupertus de Durna, Cuonradus marchio montis Ferrati, Obizo marchio de Esth, comes Schinela de Tarvixio, Heinricus comes de Piano, Volricus nepos ejus, comes Hugucio Vincentinus, Garzapan de Verona, Gabriel filius Gueceli de Camino, Gerardinus de Campo sancti Petri, Willelminus Tempesta, Heinricus Theotonicus, Cavalcasela de Castello, & alii quam plures.

Signum domini Friderici imperatoris invictissimi.

Loco ✠ signi.

Ego Gotefridus cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi & Italie regni archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M. C. LXXVII. indictione x.

Regnante domino Friderico Romanorum imperatore invictissimo anno regni ejus XXVI. imperii vero XXIIII. feliciter amen.

Data apud Venetias in palatio ducis VI. kalendas septembris.

Ac petito a nobis, ut predictum privilegium, ne propter vetustatem nimiam perderetur, transcribi, & in publicam formam redigi facere curaremus, volentes peticioni predicti prioris tamquam rationabili & juste annuere, ac jura & gratias predicto monasterio ad Carceres per predecessores nostros discreta pietate concessa, quantum cum Domino possumus, conservare illesa, suprascriptum privilegium, ne ex vetustate nimia illegibile fieret & inutile redderetur, per Facinum notarium infrascriptum transcribi, & per Bartholomeum & Ugucionem notarios infrascriptos subscribi fecimus, & postmodum in presentia nostra per ipsos notarios diligenter ascultari, & quia inventum est presens exemplum cum autentico in omnibus & per omnia concordare, ipsi exemplo auctoritatem nostram & decretum interposuimus, ut cum autentico vim parem obtineat, & ei adhibeatur tam in causis, quam in aliis agendis ubilibet plena fides ipsum dictorum notariorum signis & nominibus roborari, ac sigilli nostri & aliorum infrascriptorum prelatorum appensione muniri.

Ego Bartholomeus filius quondam domini Friderici Alectis domini Roffin. comitis de Lomell. auctoritate imperiali notarius &c.

Ego Ugutio filius domini Albrigeti de Opitergio sacri palatii notarius & officialis episcopalis curie Paduane &c.

Ego Facinus quondam Zilioli sacri palatii notarius hoc exemplum &c. ipsum transcriptum in publicam formam redegi, meoque consueto signo & nomine roboravi.

Sub anno Domini millesimo trecentesimo quartodecimo, indictione duodecima presentibus tunc ibidem venerabili viro domno Fratre Johanne abbate monasterii sancti Stephani de Carraria, fratre Melchiore priore monasterii sancte Marie de Mandria, ac domino Paulo de Titullo jurisperito, & aliis pluribus. Actum Padue in episcopali palatio die vigesimo primo mensis madii.

Pendet cereum sigillum Fratris Johannis Abbatis S. Stephani de Carraria.

L.

Alexandri bulla, qua in protectionem sumit idem monasterium.

Anno 1177. v. kal. septembris.

Ex veteri exemplo monast. S. Michaelis de Muriano.

Ibid. n. 29. ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori ecclesie beate Marie de Carcere, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam, & institutionem Portuensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: ecclesiam sancti Andree de Curteroduli cum pertinentiis suis; & decimas omnium novalium, que jam facte sunt & in perpetuum fient in loco, qui Caracetulum vocatur, & in Aguciano, in tota Schudacchia, in Frata, in Montaniana, & in Vigesolis; quidquid habetis in Cavaligo, quidquid habetis in Creterolo, in Carpo, in Portu, Minervio, Bonadico, Urbana, Casali, Miliadino, Palso, Vigesolo, Este, plebe de Villa, in monte Silicis, Baono, & quidquid ibidem G.. Paduanus episcopus rationabiliter vobis concessit; quidquid habetis in Spaxano, in Cona, in Tribano, in valle Paltene, in Montagnana, in Albertona; quecumque etiam a bone memorie Bellino & Senebaldo quondam episcopis vobis canonice data sunt, nihilominus confirmamus. Sententiam vero illam, quam prefatus B.. super contentione, que inter vos & clericos sancte Tecle de Adeste de persona Hugonis Balistarii, & filii ejus & bonis ipsius agebatur, legitime pronuntiavit, confirmamus & ratam manere censemus. Preterea venditionem, quam vobis archipresbyter de Ronco cum fratribus suis de quadam terra in Minervo rationabiliter fecit vobis, & ecclesie vestre, nihilominus confirmamus; statuentes, ut de possessionibus, quas ecclesia vestra nunc habet, vel imposterum est habitura, nullus laicus a vobis decimas presumat exigere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *&c.*

Vias tuas † *Domine*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
ALE | XANDER
PP. | IIJ.
demonstra mihi.

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Ubaldus Ostiensis episcopus ss.

† Ego Guilielmus Portuensis & sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Johannes presbyter card. tit. sancte Anastasie ss.

† Ego Boso presb. card. sancte Pudentiane tit. Pastoris ss.

† Ego Theodinus presb. card. sancti Vitalis tit. Vestine ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Jacobus diaconus card. sancte Marie in Cosmedin ss.

† Ego Ardicio diac. cardinalis sancti Theodori ss.

† Ego Cinthius diac. card. sancti Adriani ss.

† Ego Ugo diac. card. sancti Eustachii juxta templum Agrippe ss.

† Ego Laurentius diac. card. sancte Marie in Porticu ss.

† Ego Raynerius diac. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

Loco ✠ *signi.*

Datum Venetiis Rivoalto per manum Gratiani S. R. E. subdiaconi & notarii v. kal. septembris indictione x. incarnationis Dominice anno M. C. LXXVII. pontificatus vero Alexandri pape III. anno octavodecimo.

LI.

Friderici diploma pro hospitali S. Leonardi ad flumen Æsinum.

Anno 1177. IV. idus septembris.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 31. FRidericus divina clementia Romanorum imperator & semper augustus. Imperatorie majestatis excellentiam decet, honesta loca Deo dedicata, & religiosas personas intuitu pietatis clementer respicere, & sinu benignitatis confovere, ac a violentorum temeritatibus defensionis sue munimine protegere. Quocirca notum facimus omnibus imperii nostri fidelibus presentibus & futuris, quod nos ecclesiam sancti Leonardi apud Esinum fluvium sitam in littore maris, & ejus venerabilem rectorem Benedictum, & pontem ejusdem loci, & ipsum hospitale ac omnia bona & possessiones suas cum domibus, hominibus, terris, vineis, aquis, sylvis, molendinis & ceteris, que modo habet eadem ecclesia, aut imposterum habitura est justo titulo, sub nostram imperialem tuicionem, & speciale patrocinium suscipimus, locumque ipsum & ejus personas, & quaslibet ejus pertinentias ab imperiali clementia omni deinceps tempore protectas manere volumus, & nostram eis pacem firmamus. Considerantes quoque plurima misericordie & pietatis beneficia, que ibidem pauperibus impenduntur, & ad omnes transeuntes exercentur, confirmamus eidem hospitali nominatim agros, terras & quelibet bona, que illuc a Christifidelibus sunt contradita secundum distinctionem laterum, que in cartulis & instrumentis ipsius hospitalis reperiuntur, & ipsis cartulis vigorem nostre auctoritatis munere prestamus. Omnibus igitur imperii nostri nullaque prorsus persona predictam ecclesiam in hominibus, bonis, possessionibus suis molestare vel inquietare audeat, aut ab eis nomine fodri, albergarie, angarie, parangarie aut alicujus functionis, aut indebite exhibitionis quidquam accipere vel exigere presumat, sed omnes in eadem domo Deo servientes libere & quiete ad obedientiam & ordinationem prefati Benedicti, & ejus per tempora successorum vivant & permaneant. Remota omnium hominum contradictione & vexatione.

Datum apud Venetias in palatio Ducis, anno Dominice incarnationis M. C. LXXVII. indict. X. IIII. idus septembris.

LII.

Alexandri bulla pro monasterio S. Christinæ Septem-fontium.

Anno 1177. IV. nonas octobris.

Ex tabulario S. Christinæ de Bononia. B. I.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis in Christo filiabus Scolastice abbatisse monasterii sancte Christine, quod in loco, qui dicitur Pastina, situm est in episcopatu Bononiense, ejusque posteris regulariter instituendis in perpetuum. Austri terram inhabitantibus per prophetam Dominus precipit, cum panibus occurrite fugienti. Idcirco vos filie karissime de seculo fugientes ad exemplar predecessoris nostri felicis memorie PASCHALIS II. pape gratanter excipimus & per sancti Spiritus gratiam sedis apostolice munimine confovemus. Universas siquidem possessiones, que monasterio vestro a bone memorie viris Airardi filiis & Aidulini de proprio jure oblata sunt, atque a Martino Camaldulensi priore concessa vobis, & eis, que post vos successure sunt, per presentis privilegii paginam confirmamus. Fundum videlicet, in quo idem monasterium beate Christine situm est, cum pratis, vineis, arboretis & ceteris, que in eodem continentur in fluvio Ilicis, molendinum unum inter stratellum & castellum Odisce tornaturas viginti septem. Preter hec Hubaldi comitis oblationem, idest tornaturas quadraginta juxta ecclesiam sancti Johannis de Fontana, & feodum integrum Hugonis de Adelberto, & decem tornaturas silve de Maleto. Oblationem quoque comitisse Beatricis, idest tornaturas decem in eadem silva. Item oblationem filiorum Guidonis de Manfredo, idest tornaturas viginti inter Saxum nigrum, & vallem Muscanam. Filiorum quoque Ildibrandi de Curte oblationem, idest tornaturas quinquaginta quinque, Purgidiam & Orbicianum. Oblationem quoque Vivilende, idest duas tornaturas vinearum & bifulcam terre. Ecclesiam sancti Andree apostoli in massa Bassiliana cum omnibus pertinentiis suis ab Gregorio abbate monasterii sancti Michaelis de castro Britensi, concedente Radulfo priore Camaldulensi *Ibid. n. 30.*

dulensi, & capitulo ipsius consentiente, liberam & quietam sine omni exactione, excepto dumtaxat uno manutergio quinque brachiorum, quod singulis annis eidem monasterio sancti Michaelis solvetis, sicut ea rationabiliter possidetis, vobis auctoritate apostolica confirmamus, terras, vineas, prata, arboreta, que circa eamdem ecclesiam adquisivistis, vobis similiter confirmamus. Ad hec quecumque in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium juste & canonice poteritis adipisci, quieta vobis
Ibid. n. 30. & vestris posteris & illibata permaneant. Novalium quoque vestrorum decimas preter episcopi seu episcopalium ministrorum contradictionem perpetuo vobis habendas concedimus. Preterea sepulturam ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Porro locus ipse semper sub Camaldulensis prioris protectione permaneat, nec episcopo, nec episcopi ministris liceat ejusdem loci congregationem, aut ejus presbyteros excommunicare vel interdicere, nisi prius Camaldulensem priorem caritatis studio requisierit. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. Si qua igitur &c. Cunctis &c.

Loco † signi.

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

Vias tuas †	*Domine*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
ALE PP	XANDER III.

demonstra mibi.

† Ego Hubaldus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Willelmus Portuensis & sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Manfredus Prenestinus episcopus ss.

† Ego Johannes presbyter cardinalis tt. sancte Anastasie ss.

† Ego Jacinctus sancte Marie in Cosmydyn diacon. card. ss.

Datum Venetiis in Rivoalto per manum Gratiani sancte Romane ecclesie subdiaconi & notarii IIII. nonas Octobris indictione XI. incarnationis Dominice anno M. C. LXXVII. pontificatus vero domini ALEXANDRI pape III. anno XVIIII.

Sigillum plumbeum desideratur.

LIII.

Johannes abbas S. Gregorii de Urbe locat castellum de Guido.

Anno 1177. XII. decembris.

Ex codice Gregoriano pag. 62.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo Ibid. n. 34.
septuagesimo septimo anno decimonono pontificatus domini Alexandri tertii pape indictione undecima mensis decembris die duodecimo. Ego quidem Johannes humilis abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli, & Gregorii apostolici, quod situm est Rome in clivo Scauri una cum fratribus meis ejusdem monasterii monacis, Gregorio videlicet yconomo, Nicolao de Molarupta, Petro priore sancti Andree de Tibure, Jacobo Raynerii presbytero, Romano presbytero, Andrea, Johanne, Benedicto, Marcello, Placido, ceterisque aliis locamus atque concedimus tibi Stefano .... Pantaleonis pro tertia parte, & tibi domine Gayte matri predicti Stephani pro tertia alia parte, & pro residua alia tertia parte pro Johanne nepote suo filio quondam Benedicti filii sui, vobis, sicut dictum est, & filiis vestris legitimis masculis tantummodo: id est totum & integrum castrum, quod dicitur castellum de Guido intus & de foris cum casis, terris, vineis, ortis, canapinis, pratis, pascuis, silvis atque pantanis, rivis & molendinis, montibus & collibus, plagis & planitiis suis, & generaliter cum omni usu & utilitate ac pertinentiis seu tenimentis suis intus & extra, sicut etiam bone memorie Johannes de Stefano frater quondam de te, domina Gayta, jure locationis habuit & tenuit a nostro monasterio, pro eo quod in presentia hujus scriniarii & testium subscriptorum dedistis nobis sexaginta & sex libras bonorum parvorum, quas pro magna necessitate predicti nostri monasterii dedimus, videlicet .... &c. ex his duodecim libre sunt proprie predicti Stephani, cetere alie libre communes sunt in tertia inter vos omnes. Ideoque a presenti die habeatis dictum castrum cum tenimentis suis intus & extra, ut superius legitur, teneatis & quicquid vos, aut filii, legitimi vestri volueritis, faciatis, salvis tamen subscriptis tenoribus, videlicet quod omni anno in festivitate sancti Andree apostoli

ſtoli detis nomine penſionis tres ſolidos domini pape, & quindecim ſaumas lignorum cum aſinis uſque monaſterium noſtrum predictum deferentes, & non liceat vobis hanc predictam locationem alicui eccleſie vel pio loco dare aliquo modo, neque concedere, niſi noſtro jamdicto monaſterio, nec etiam alicui prius vendetis quam nobis & noſtris ſucceſſoribus, promittimus vobis & veſtris filiis legitimis maſculis predictum caſtrum, ut ſuperius legitur, contra omnes homines defendere, & omnia, que ſuperſcripta ſunt, omnibus modis obſervare, quia & vos pro vobis veſtriſque heredibus ſeu filiis legitimis maſculis ſimiliter & omnia ſupraſcripta obſervare ſub pena invicem compromiſſa, que eſt pecunie duple: & ſoluta pena hec cartula firma permaneat, quam ſcribendam rogavi Centium ſcriniarium menſe & indictione ſupraſcripta undecima.

Oddo de Inſula, Maximus Obicionius de Octan. Petrus Centii Guidonis, Johannes Petri Pantaleonis, Johannes de Rufino, Martinus medicus.

Ego Centius ſancte Romane eccleſie ſcriniarius habens juriſdictionem dandi curatores, & emancipandi, decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & abſolvi.

LIV.

Gerardus epiſcopus Paduanus dat plebem S. Johannis de Vigizolo monaſterio S. Mariæ de Carceribus.

Anno 1178. x. kal. januarii.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

Ad lib. XXXIII. n. 3. GErardus Dei gratia Paduanus epiſcopus dilecto fratri Piſtori priori eccleſie & canonice ſancte Marie ad Carcere & ejus fratribus eorumque ſucceſſoribus in perpetuum. Sicut idoneum eſt epiſcopatus nobis commiſſi curam gerere, & ejus jura ſervare, ita congruum eſt nobis commiſſis eccleſiis providere, nec in aliquo earum jura minuere, ſet potius convenit in quantum poſſumus augere. Quapropter nos Gerardus Dei gratia Paduanus epiſcopus intuitu miſericordie & pietatis pro remedio & mercede anime noſtre noſtrorumque predeceſſorum titulo donationis & oblationis donamus atque offerimus in eccleſia & canonica ſancte Marie ad Carceres eccleſiam ſeu plebem noſtram ſancti Johannis de Vigezolo cum omni jure ad eam pertinente, retento tamen nobis jure plebatus tam in ſpiritualibus & in temporalibus. In temporalibus vero prout convenit moderate, ut amodo predicta canonica ſancte Marie de Carcere preſcriptam eccleſiam & plebem ſancti Johannis de Vigezolo ex predicta noſtra donatione & oblatione pleno jure, ut ſuperius legitur, ſub noſtra & noſtrorum ſucceſſorum legitima defenſione habeat & poſſideat. Ut autem hec noſtra donatio & oblatio in perpetuum valitura comſiſtat, de predicta plebe in manu dilecti fratris noſtri Piſtoris prioris ſepedicte canonice inveſtituram fecimus & preſentis ſcripti paginam per manum Martini publici tabellionis ſcribi precepimus, & eamdem noſtro ſigillo inſigniri juſſimus.

Actum in Padua in epiſcopali camera anno a nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo indictione undecima x. kalendas januarias.

Teſtes interfuerunt Guifredus Paduanus archipresbiter, presbiter Conus, Johannes Bonus Sacenſis archidiaconus, Johannes Boninus capellanus epiſcopi, omnes iſti canonici Paduani, Jordanus archipresbiter de Maſerata, Balduinus archipresbiter de Merlaria.

Ego Martinus ſacri palatii notarius interfui, & hoc juſſu epiſcopi ſcripſi.

Pendet ſigillum cereum.

LV.

Alexandri III. bulla confirmatoria eccleſiarum & bonorum monaſterii S. Mariæ in Inſula Galeatæ.

Anno 1179. XIII. kal. maji.

Ex autographo Claſſenſi.

ALexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Biviano abbati monaſterii ſancte Marie in Inſula ſecus Bidentem fluvium ejuſque fratribus tam preſentibus quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum impertiri ſuffragium. Ea propter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annui- *Ibid. n.* [illegible]

nuimus & prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Quicquid Hugo de Bleda bone memorie de jure vobis concessit; quicquid habetis in Spiura, in Biserno, in Ricanetulo, in Stabatarenzulo, in curte de...... lo.... in tota curte Plede, infra curtem Spisse, in curte sancte Flore, in curte sancti Benedicti, in curte Faforata, & in alpibus Galliatensibus in flumine Bidente sex... ..... domnicata juxta flumen Testa; ecclesiam sancte Flore, que est in castello; ecclesiam sancti Christofori in Biturali, in curte sancti Gaudentii, terram que vocatur Offinga; ecclesiam sancti Johannis in curte Spisse; ecclesiam sancti Laurentii in Crescolese; ecclesiam sancti Martini; ecclesiam sancti Bartholomei; ecclesiam sancti Petri in Pleda; ecclesiam sancti Pauli in Puzolo; ecclesiam sancte Marie in rivo Grausi; ecclesiam sancti Salvatoris in Spungia; ecclesias duas in Biserno; ecclesiam sancti Pauli in Alpicella; ecclesiam sancte Marie in Solarolo; ecclesiam sancti Petri in Faforata; & duas ecclesias sancti Benedicti cum earum pertinentiis; ecclesiam sancti Paterniani in Feraciano; sancti Matthei in Orbiciano; sancte Marie in Meldula; & in eadem curte sancti Laurentii de Venadri; sancti Salvatoris in Espulo; sancti Mathei, que dicitur Canonica; & sancti Christofori in medietate in Losi; illam preterea decimarum partem, quam de villanis quondam Hugonis de Pleda, seu de domnicatis ejusdem rationabiliter noscimini possidere. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere presumat. Liceat quoque vobis personas e seculo fugientes liberas & absolutas ad conversionem recipere, & eas sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem absque abbatis sui licentia fas sit de eodem loco, nisi conventu artioris religionis, discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautionem nullus audeat retinere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora desumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. Si qua igitur in futurum &c. Amen.

Vias tuas † SCS PETRUS	*Domine* SCS PAULUS
ALEXA PP.	NDER IIJ.

demonstra mihi.

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Hubaldus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Johannes presb. card. sanctor. Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Marchus presb. card. tit. sancti ...... ss.

† Ego Jacobus diaconus card. sancte Marie in Cosmydin ss.

† Ego Laborans diaconus card. sancte Marie in porticu ss.

† Ego Rainerius diaconus card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Johannes diaconus card. sancti Angeli ss.

† Ego Rainerius diaconus card. sancti Adriani ss.

Locus † signi.

Datum Laterani per manum Alberti sancte Romane ecclesie presb. cardinalis & cancellarii XIII. kl. maji indictione XII. incarnationis dominice M. C. LXXVIIII. pontificatus vero domini Alexandri pape III. anno XX.

Pendebat sigillum plumbeum.

LVI.

Exemplum testificationum donationis Sophiæ comitissæ monasterio S. Mariæ de Fullina.

Anno 1179.

Ex authentico ejusdem monast. n. 981.

HOc est exemplum quarumdam testificationum, cujus tenor talis est. *Ad lib. XXXI n. 38.* Presbyter Johannes juramento dixit, quod fuit ibi, ubi comitissa Sophia refutavit in manu abbatis Petri capellam de Serraval-

ravalle, & capellam de Lago, & capellam de Zumelle, & capellam de Mareno, & capellam de Longano, & capellam de Colfusco, atque capellam de Fonto pro anima sua, & pro remedio omnium suorum parentum, sicut jamdicta comitissa habebat & tenebat predictas capellas, ita dedit dicto monasterio de Folina, & quod abbas dicti poneret & auferret presbyteros in predictis capellis, & hoc fuit ad Marenum parum antequam obiit de hoc seculo.

Presbyter Richardus atque monachus dixit idem quod presbyter Johannes, & quidem alius presbyter Johannes dixit idem quod presbyter Johannes, & prefatus presbyter Johannes juravit pro jamdicto presbytero Richardo, & pro jamdicto presbytero Johanne, millesimo centesimo septuagesimo nono indictione duodecima.

Ego Walterius domini Federici imperatoris notarius interfui, & hec acta rogatu abbatis predicti monasterii bona fide scripsi.

Ego Bartholomeus de Vendramo sacri palatii notarius hoc supradictum exemplum assumptum ex authentico scripto per Walterium notarium supradictum, ex auctoritate & licentia mihi data a venerabile patre domino domino Petro Dei gratia Cenetensi episcopo & comite, bona fide scripsi & exemplavi nil addens vel minuens, nisi forte punctum vel sillabam, quod sententiam mutet sub millesimo ducentesimo nonagesimo primo indictione quarta decimoquarto intrante septembri in presentia domini Tanini judicis de Arpo, Petri filii Panigalli de Serravallo, Odorici filii quondam Johannis Peliparii de eo loco & aliorum.

In Christi nomine, amen. Anno ejusdem nativitatis Domini M. CCCC. IV. indictione XII. die XVI. mensis februarii. Hoc exemplum per me Pantaleonem notarium infrascriptum assumptum ex exemplo Bartholomei de Vendramo notarii assumpto ex authentico Walterii domini Frederici imperatoris, coram magnifico viro domino Philippo Sandei honorando potestate Vallis-Mareni & gastaldie Soligetti, insinuatum fuit, & in ejus presentia per me Pantaleonem notarium jamdictum & alios subscriptos notarios diligenter cum exemplo illo auscultatum, & cum ipse dominus potestas cognoverit illud cum dicto exemplo per ordinem .... adhibeatur ipsi exemplo de cetero plena fides, suam & communis Vallis-Mareni .... interposuit pariter & decretum.

Ego Antonius filius ser Pauli de Cisono &c. notarius &c.

Ego Bartholomeus de Mianis filius quondam magistri Johannis Fabri &c. notarius &c.

Ego Pantaleo quondam ser Antonii de Mianis &c. notarius &c.

LVII.

Charta donationis factæ Scholasticæ abbatissæ S. Christinæ de Septem-fontibus.

Anno 1180. mense januario.

Ex autographo archivi S. Christinæ de Bononia.

† IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno ab incarnatione ejusdem millesimo centesimo octuagesimo regnante Federico imperatore mense januario indictione XIII. Carta pure donationis & refutationis, quam fecit Gandulfus de sancta Christina & Guidoctus filius ejus in manu presbyteri Aldebrandi receptori pro se & pro Scolastica abbatissa, & pro suis sororibus & fratribus honori Deo & sancte Christine de omni jure & actione, quam abebant in pecia una in capite terre, quam predicta abbatissa emit a Rubeis de Ve..tana juxta fluvium Ythycis, ibi ubi dicitur quercus grosso supra molendinum de Clagnagno, & juxta heredes Petri de Cento, vel si qui alii confines sunt. Infra hos namque predictos fines damus nos jamdicti donatores & refutatores hoc quod nobis pertinet in integrum ad habendum, tenendum & possidendum, & in possessionem intrandum, & quicquid vobis & vestris successoribus in perpetuum placuerit faciendum ab omni quoque homine prelibatam rem semper rationabiliter defendere & auctorizare promittimus sub pena dupli, & pena soluta hoc instrumentum, ut superius legitur; semper firmum & inviolatum permaneat. *Ad lib. XXEIII. n. 11.*

Actum in castro Ulziani indictione supradicta XIII.

Prenominati donatores & refutatores, sicut superius legitur, scribere preceperunt.

Girardus Alberti clerici, & Petrus Folinb..... & Albertus magister filius Epuli interfuerunt testes.

Ego Petrus Ulzianensium tabellio, sicut superius legitur, manu mea ss.

LVIII.

LVIII.

Alexandri III. *privilegium pro monast. S. Michaelis in Burgo Pisarum.*

Anno 1180. VI. idus aprilis.

Ex autographo tabularii ejusdem monasterii.

Ibidem.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Zacharie abbati monasterii sancti Michaelis, quod in civitate Pisana situm est, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos admonet & invitat auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti & tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & beati Petri atque apostolice sedis patrocinio muniamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar predecessoris nostri Adriani pape sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque Camaldulensem consuetudinem in eodem monasterio dignoscitur institutus, futuris ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Laurentii de Rivolta cum hospitali & pertinentiis suis; ecclesiam sancte Cecilie; jus vestrum in ecclesia sancti Christophori de Colignola cum parochiis & diecesibus suis. Quidquid habetis in villa de Gessano, de Colignola, de Mezzana, de Leona, de Bottano & infra Maneto.... Quidquid habetis in ecclesia sancte Marie juxta ecclesiam sancti Petri in Gradu, salvo solito censu Pisani archiepiscopi; & quidquid habetis juxta muros civitatis tam in terris, quam in vineis vobis nihilominus confirmamus. Ordinationes monachorum seu clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, & ea gratis & absque pravitate vobis voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Clericos vero sive laicos liberos & absolutos, qui ad vos conversionis gratia transire voluerint, suscipiendi habeatis liberam facultatem. Ad hec presentis decreti assertione sancimus, ut nullus infra terminos parochie vestre vel ecclesiarum vestrarum sine consensu diocesani episcopi & vestro aliquam ecclesiam edificare presumat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo &c. Si qua igitur &c.

Vias tuas † *Domine* — SCS PETRUS | SCS PAULUS — ALEXANDER PP. III. — *demonstra mihi.*

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Hubaldus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Bernardus Prenestinus episcopus ss.

† Ego Vivianus presb. card. tit. sancti Stefani in Celio monte ss.

† Ego Cinthius presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

† Ego Mattheus presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtiberim tit. Calisti ss.

† Ego Jacintus diaconus card. sancte Marie in.....

† Ego Rainerius diaconus card. sancti Georgii ss.

† Ego Gratianus diaconus card. sanctorum Cosme & Damiani ss.

† Ego Rainerius diac. card. sancti Adriani ss.

† Ego Mattheus sancte Marie nove diac. card. ss.

Loco ✠ *signi.*

Datum Velletris per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis

nalis & cancellarii VI. idus aprilis indictione XIII. incarnationis Dominice anno M. C. LXXX. pontificatus vero domini Alexandri pape III. anno XXI.

LIX.

Donatio monasterii S. Helenæ ad flumen Æsinum facta Rodulpho priori Camaldulensi.

Anno 1180. mense julio.

Ex archetypo monasterii S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 10. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anni sunt M. C. octuagesimo regnante Frederico imperatore mense julius, & dies jovis & indictione XIII. Quoniam facta hominum semper in memoria retinere non possumus, ego quidem in Dei nomine domnus Guiglielmus prior, & domnus Guarnerius prepositus, & domnus Marto monachus una cum consensu ac voluntate omnium nostrorum fratrum tam monachorum, quam canonicorum & conversorum in monasterio morantibus, & extra monasterio in obedientiis hujus monasterii existentibus, nutu omnium nostrorum, consensu ac voluntate, donatione adque traditione omnium patronorum, ut puta ego quidem Orator filius Tebaldi pro se suisque fratribus, & Bernardus filius Supponis, & Savinus filius Actonis, & Oderisius filius Oderisii, & Mattheus filius Armagni, & Rainaldus filius Raimundi, & Mattheus filius Transmundi nos omnes quidem, qui vocati sumus patroni ujus monasterii, videlicet sancte Elene cum suprascriptis clericis donamus adque concedimus & tradimus tibi beato sancto Salvatori de Camaldoli, & vobis domno Rodulfo, & vestrisque successoribus monasterium sancte Elene in perpetuum cum omnibus suis possessionibus, suisque actionibus, & cum mobilibus & immobilibus, videlicet cum libris & paramentis & campanis, & cum muris & cellis, & cum casis & massaritiis, & cum ecclesiis, & cum omnibus thesauris ecclesie, & cum castellis & villis, & cum ominibus & possessionibus, & cum terris & vineis & silvis, pratis ac pascuis, & cum aquis, & molendinis, & aquimolis, & cum omnibus arboris fructiferis & infructiferis, & in omni loco ubicumque monasterium sancte Elene habet jura vel actiones, ut puta in comitato Camerini, & in comitato Sinogallie, & in comitatu Esi, & in comitatu Ausimani, & a primo latere hujus possessionis litus maris, a II. latere flume Sasani, a III. latere alpis montium, a IIII. latere flumen Mossoni perveniente in primo latere. Infra ista latera omnia jura & actiones, quas monasterium sancte Elene habet, nos vero suprascripti patroni cum suprascriptis clericis ujus monasterii damus monasterium sancte Elene cum suprascriptis possessionibus & actionibus ujus monasterii beato sancto Salvatori de Camaldule, & vobis domno Rodulfo priori & vestrisque successoribus in perpetuum, una pro redencione & obsolucione anime nostre & de parentum nostrorum, ut ille pius & misericors Dominus aliquid de peccatis minuare dignetur, & nos mereamur abere consortium ante tribunal Christi, quando omnes peccatores desiderant abere indulgentiam de suis peccatis. Et ego quidem in Dei nomine domnus Rodulfo prior beati sancti Salvatoris de Camaldule una cum consensu & voluntate fratrum nostrorum promittimus per me meosque successores monasterium sancte Elene, quod beato sancto Salvatori & vos dedistis, quod non supponemus eum jurisdictioni alterius ecclesie, nisi beato sancto Salvatori, cui dedistis & promittimus per me meosque successores, quod non dabimus castella hujus monasterii, neque villas, neque possessiones, neque duci, neque marchioni, neque comiti, neque procero, neque alicui extranee persone, neque alteri ecclesie sine vestro consensu ac voluntate omnium, vel majoris partis, nisi aliqua res dabitur pro utilitate ecclesie parrogianis vel vestris ominibus, & si acciderit quod aliquis de vestrorum hominum moriatur, nos non recipiemus possessiones eorum, que sunt onerate tributis sine vestro consensu, preter ea que abentur ab ecclesia, & nos vero suprascripti patroni ujus monasterii cum suprascriptis clericis promittimus per nos & pro nostris eredibus omni tempore bona fide & puro animo vobis monasterium cum suprascriptis possessionibus & actionibus ajuvare, & tenere, & defendere & guarentare da omni personas omnium legali jure, quod si defendere non potuerimus, aut noluerimus vel minime observaverimus, vel quicumque nostrum voluerit corrumpere vel minuare vel molestiare aut falsare malo ingenio vel timore malo, componat & det nomine pene beato sancto Salvatori de Camalduli & vobis priori Rodul-

Rodulfo vestrisque successoribus quinquaginta libras boni auri, salvo tamen jure patronatus ad benefaciendum, & insuper qualicumque noluerit nostrarum personarum aut nostrorum eredum, sit expulsus a regno Dei, & abeat partem cum Juda traditore & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos declutivit, & post pena data & obsoluta ec cartula suo robore suaque firmitate omni tempore eficas permaneat.

Ego donnus Guiglielmo prior, & donnus Guarneri prepositus, & donnus Marto, & donnus Mingo & aliorum fratrum & patronum, ut puta Orator pro se suisque fratribus, & Bernardus, & Savinus, & Oderisius, & Mattheus filius Armangi, & Rainaldi filius Raimundi, & Mattheus filius Transmundi nos vero omnes suprascripte persone anc cartulam fieri rogavimus.

Ego donnus Ufredus abas sancti Appolenaris ujus rei testis est.

Ego donnus Martinus abas de sancto Johanne testis est.

Ego donnus Giso prior sancte Marie testis est.

Ego donnus Albertus prior eremi testis est.

Ego donnus Egidius prior sancti Georgii testis est.

Ego donnus Bonus ujus rei testis est.

Ego donnus Johannes sancti Ansuvini testis est.

Ego donnus Ugo testis est.

Ego presbyter Stephanus testis est.

Ego presbyter Alberico testis est.

Ego Tebaldus Lidani testis est.

Ego Paganello de Rosora testis est.

Ego Acto de Margalocto testis est.

Ego Petri de Iso, & Iso filio suo, & Gozo de Grimaldus, & Bonusinfans testis est, & Calzia testis est, & alii quamplures omnes ujus rei testes sunt.

Mons vero causidicus fideliter oc negotium tractavit, & ad bonum effectum perduxit.

Ego Ugo notarius scripsi & complevi.

LX.

Alexander III. *confirmat bona monasterii S. Mariæ de Cicille.*

Anno 1180. III. idus novembris.

Ex autographo archivi S. Benedicti prope Senas lit. C. n. 1.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Peponi procuratori monasterii sancte Marie de Cicille ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu prosequente debet compleri, quatinus & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium inpresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum videlicet, in quo prefatum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Petri in Petrorio cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Andree cum pertinentiis suis; ecclesiam sancte Agathe cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Petri in Cicelano cum pertinentiis suis; & quicquid habetis in villa de Cicille, in villa de Ciclano, in Escleto & Agello, & quicquid juris habetis in Petrorio, in Camprena, in Vajano, & in Taliano. Decimas preterea, quas a quadraginta annis retro pacifice habuistis, auctoritate vobis apostolica confirmamus. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes, liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eodem loco professionem, liceat de claustro discedere, nisi obtentu arctioris religionis. Discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Libertates autem & an- *Ibid. n. 17.*

& antiquas & rationabiles consuetudines hactenus observatas, quas predictum monasterium obtinet in capite vel in membris, inconcussas vobis permanere sancimus. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati sint vel interdicti, nullus obsistat, salva tamen justitia parochialium ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero nunc ejusdem loci procuratore vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam previderint eligendum. Decernimus ergo *&c.* Si qua igitur *&c.*

Vias tuas † *Domine*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
ALEXAN PP. | DER III.
demonstra mihi.

Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Hubaldus Hostien. & Veletren. episcopus ss.

Ego Johannes sanctorum Johannis & Pauli card. tit. Pamachii ss.

† Ego Vivianus tit. sancti Stephani in Celio monte presb. card. ss.

† Ego Arduinus presb. cardinal. tit. sancte Crucis in Jerusalem ss.

† Ego Mattheus card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Jacintus diacon. card. sancte Marie in Cosmidin. ss.

† Ego Gratianus diacon. card. sanctorum Cosme & Damiani ss.

† Ego Johannes diacon. card. sancti Angeli ss.

† Ego Mattheus sancte Marie nove diaconus card. ss.

Datum Tusculani per manum Alberti sancte Rom. eccl. presbyteri card. & cancellarii III. idus novemb. indictione XIIII. incarnationis Dominice M. C. LXXX. pontificatus vero domini Alexandri pape III. anno XXII.

LXI.

Charta Valle-castrensis.

Anno 1180.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano. *Ibid. n. 11.*

ANno incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo C. LXXX. sup tempore Frederici imperatoris mense .... Ideoque ego Franco filius a ...... mea bona voluntate & secundum mea lege Langobardorum trado monasterio sancti Salvatoris, qui est edificato in fundo Val de castro, & Guilielmo abbati tuisque successoribus in perpetuum ad possidendum de ..... culta & inculta, quam ego visus sum abere in fundo ..... territorio Camerino, primo latere terra & silva de ipso ..... II. latere terra & silva comitis Ruberti III. latere via que pergit de la fonte Nequili, IIII. latere perveniente in summitate da la Serra de la sporta, infra istis lateribus quicquid ego abeo & teneo, do vobis vestrisque successoribus pro cambio di lu campu da la pluv.. ego Franco suprascripto do vobis suprascriptis & abere & tenere, vindere & donare & facere quicquid vobis placuerit, & ego suprascriptus Franco promitto pro me meisque successoribus in ipso monasterio, sicut superius legitur, defendere & autorizare ab omni omine, & si oc facere noluerimus, aut non potuerimus, & tibi Guilielmo abbati tuisque successoribus in ipso monasterio ipsa res revertatur at ipso monasterio sine omni calunnia.

Sinum manu suprascripti Franco comes ista cartula fieri rogavit pro gambio.

Ego Gozo filius Acto de Petri rogatus est testes.

Ego Berardo filius Carbone rogatus est testes.

Ego Uliveri filius Ofridi rogatus est testes.

Ego Giso filius quondam Johannes rogatus est testes.

Ego Acto de Petri in ac cartula rogatus fuit testes, & alii quamplures interfuerunt.

Ego Mainardus notarius scripsit & complevit.

LXII.

LXII.

Charta ecclesiæ S. Mariæ de Colle.

Anno 1181. menſe majo.

Ex eodem tabulario.

Ad lib. XXXI. n. 40. IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Anni ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti mill. C.LXXXI. menſe madius indictione XIIII. tempore Frederici imperatoris. Ego quidem in Dei *Ibid. n. 11.* nomine Leutheri plebano ſancta Maria de Lucolle cum mea bona voluntate ſecundum mea lege Romana dedimus tibi Vivulo de Durello, & filiis & nepotibus tuis maſculinis legitimis de res noſtra, que ecclesia in comitatu Sinogalienſium fundo Caſſaleta, primo latere ipſo petitore, II. latere ipſa ecclesia, III. latere Viviano, IIII. Acto de Clareza, infra eorum lateribus dedimus tibi ſtario uno & dimidium terre vineis, pomis, arboribus ſuis cum omnis, que infra ſe abentes vel rejacentes in integrum, & ideo concedimus ipſa rem, ut vobis petitore alia pars, quod ipſa ecclesia recepit, incraſavit, paſtinavit, cultavit, ſicut uſum eſt, & nobis bene complacuit dare hanc porcione in filiis & nepotibus veſtris maſculinis a penſione omni anno in feſtivitate ejuſdem ecclesie a ſurcione denario uno, Forciatorum, poſt obitum tuorum hac filiorum vel nepotibus res redeat ad ipſa ecclesia per tale corporaliter vobis inveſtio per Zaffino de Viando, ut firmiter valeatis, licentia abeatis petitore tuiſque eredibus *&c.*

Signum manum donnus plebano ſfieri rogavit.

Zafino de Viando inveſtitor fuit.

Quido de Acto de Clareza, Alberto de la Colle, Martino de .... teſte iſti ſunt.

Bernardus notarius ſcripſit & complevit.

LXIII.

Gerardus epiſc. Paduanus concedit monaſterio S. Mariæ ad Carceres ecclesiam S. Salvatoris de Fracta.

Anno 1181. die XIIII. junio.

Ex Murator. Antiq. med. ævi T. V. col. 263.

Ad lib. XXXIII. n. 26. GErardus Dei gratia Paduanus epiſcopus dilectis in Chriſto fratribus Piſtori priori ecclesie ſancte Marie ad Carceres, & omnibus ejuſdem ecclesie canonicis in perpetuum. Quoniam que ad pias cauſas dantur, Deo impertiuntur, icciрco nos ad memoriam reducentes, quod predeceſſor noſter beate recordationis Sinibaldus epiſcopus prenominatam veſtram ecclesiam ad obſervationem regularis diſcipline inſtituit, & fratres ibidem commorantes ſecundum beati Auguſtini inſtitutionem, & fratrum Portuenſium regulam vivere voluit: conſiderantes etiam opera caritatis, que in domo veſtra novimus exerceri, divini amoris intuitu & conſideratione pietatis, & pro remiſſione peccatorum noſtrorum, necnon domini pape Alexandri ammonitionibus & precibus inclinati, marchionumque ſepiſſime petitionibus pulſati, habito conſilio fratrum noſtrorum canonicorum & aliorum ſapientum, ecclesiam ſancti Salvatoris, que eſt ſitam extra fractam de tribus Comitatibus, cum omnibus ſuis poſſeſſionibus & adjacentiis & pertinentiis & terris, ad eamdem ecclesiam pertinentibus, vobis & veſtre ecclesie titulo donationis conferimus, donamus, tradimus, concedimus, ut faciatis exinde a preſenti die vos & veſtri ſucceſſores quidquid juſte volueritis ſine omni noſtra & ſucceſſorum noſtrorum contradictione. Hoc de ipſa ecclesia vobis & ſucceſſoribus veſtris retento, quod fratres, qui pro tempore erunt in ecclesia ſancti Salvatoris, honeſte debeant recipere ipſum & procurare & nuntios epiſcopi; & frater, qui ibi erit inſtitutus a priore ſuper alios curam animarum & regimen populi de manu epiſcopi recipiet, donec prior ibi eum ſtare permiſerit. Et plebi de Caſale perſolvet, quod conſueverunt pro capitulo ſolvere, & in aliis conſuetam reverentiam exhibebunt. Et quod ecclesia ſancte Marie ad Carceres debeat ſolvere annuum cenſum, ſcilicet ſolidos centum pro ecclesia ſancti Salvatoris, nobis & ſucceſſoribus noſtris omni anno in temporalibus nativitatis Domini in perpetuum. Et ſi prior & fratres, qui pro tempore in eadem ecclesia erunt, omnia, que ſuperius leguntur, in integrum non fecerint, & admoniti ſemel & bis, terve digne non ſatisfecerint & non adimpleverint, ſupraſcripta conceſſio irrita ſit & inanis, & de jure non valeat, & de facto non teneat. Ut autem hec noſtra donatio & conceſſio in perpetuum valitura perſiſtat, & ſemper ſtabilis, firma & inconvulſa permaneat, ipſam Ugerino publico tabellioni ſcribendam eſſe juſſimus,

mus, & eamdem nostro sigillo insigniri precepimus anno millesimo centesimo octuagesimo primo indictione XIIII. die XIIII. exeunte junio. Testes Guilfredus Dei gratia Paduanus archipresbyter, Cono presbyter, magister Bonifacius in montanis archidiaconus, Adam subdiaconus, Vitalianus subdiaconus, magister Egidius diaconus, Zambonus diaconus, Ubertinus subdiaconus de Marostica, magister Gerardus subdiaconus, Gumbertinus Cibus subdiaconus, Codiginus cappellanus episcopi, magister Vescovellus cappellanus sancti Martini, marchio Albertus, Bonifacinus, Albertus Bonifacii ejus nepos.

Actum Padua in camera episcopi.

Ego Ugerinus imperialis aule tabellio interfui, & ne oblivioni tradantur duo instrnmenta jussu episcopi scripsi.

LXIV.

Eremo Vivensi traditur ecclesia S. Christinæ urbis Senensis.

Anno 1181. mense julio.

Ex autographo tabularii monast. Rosæ Senarum, n. 78.

Ibid. n. 25. ANno Domini M. C. LXXXI. mense julii indictione XIIII. Quisquis in sanctis & venerabilibus locis de suis bonis contulerit juxta vocem redemptoris centuplum accipiet, & vitam possidebit eternam. Ideoque ego presbyter Gualfredus rector ecclesie sancte Christine pro remedio anime mee meorumque parentum dono trado & offero Deo & heremo del Vivu ad honorem Dei & sancti Benedicti edificate per manum .... venerabili Dei gratia prioris predicti monasterii personam meam cum omnibus rebus meis & rationibus ubicumque sunt posite; & insuper do & trado ecclesiam sancte Cristine cum omnibus suis possessionibus & rationibus, quas predicta ecclesia habet ubicumque, ut habeas, presideas, disponas & regas tu prefatus prior successoresque tui pro vestro velle & fratrum vestrorum ad honorem Dei & beati Benedicti sine omni mea, meorumque successorum lite & contradictione, & juravi prescripta omnia semper firma tenere, & per me nec per alium non removere & dare studium & operam sine subtracta opera aliqua, quod adinpleatur, quod de monasterio ibi faciendo tractatum est, ita tamen quod non tenear de toto, quod superius scriptum est, nisi monasterium in ecclesia predicta vel ibi juxta ordinatum & hedificatum fuerit.

Actum Senis prope predictam ecclesiam sancte Christine coram Cacciamonaco de l'Accata pane, Bernardino Johannis, & Gianni Silimanni testibus ductis.

Ego Ranerius judex, ut legitur, scripsi rogatus.

LXV.

Alexandri III. confirmatio ecclesiarum & bonorum monasterii SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Anno 1181. XVI. kal. augusti.

Ex apographo monast. S. Romualdi de Urbe.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Simoni abbati monasterii sanctorum Martini, Laurentii & Ipoliti, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis predecessoris nostri Eugenii pape sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones & quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prescriptum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Antonini in suburbio porte pontis cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Andree in Zagonari cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Laurentii in Quarcinoro cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Luce cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Johannis evangeliste de Granarolo cum pertinentiis suis; in Fermellino ecclesiam Ibid. n. 20.

clesiam sancte Marie cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Martini in Villanova cum pertinentiis suis; ecclesiam sancte Marie de Filiola cum pertinentiis suis; ecclesiam sancte Marie in Sala cum pertinentiis suis; apud sanctam Luciam duas ecclesias; ecclesiam sancte Marie in Antignana cum pertinentiis suis, & ecclesiam sancti Laurentii in Scarzana cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Michaelis in Trebana cum omnibus pertinentiis suis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere presumat. Liceat quoque vobis clericos & laicos e seculo fugientes liberos & absolutos absque alicujus contradictione ad conversionem recipere, & in vestro monasterio retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis januis clausis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, summissa voce divina officia celebrare. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo &c. *Ibid. n. 20.*

Vias tuas † *Domine*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
ALEXA | NDER
PP. | III.
demonstra mihi.

Ego Alexander catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Paulus Prenestinus episcopus ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Vivianus presb. card. tit. sancti Stephani in monte ss.

† Ego Arduinus presb. card. tit. sancte Crucis in Hierusalem ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie in Transtiberim ss.

Ego Jacintus diac. card. sancte Marie in Cosmydyn ss.

† Ego Rainerius diac. card. sancti Georgii ad Velumaureum ss.

† Ego Johannes diaconus card. sancti Angeli ss.

† Ego Mattheus sancte Marie nove diac. card. ss.

Locus † *signi.*

Datum Viterbii per manum Alberti S. R. E. presb. cardinalis & cancellarii XVI. kl. augusti indict XIIII. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXI. pontificatus vero domini Alexandri pape III. anno XXII.

LXVI.

Idem permittit liberam sepulturam monachis S. Petri de Puteolis urbis Lucensis.

Circa ann. 1181. XVI. kal. augusti.

Ex tabulario canonicæ Lucensis, AA. n. 51.

ALexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis plebanis, cappellanis & aliis clericis monasterii de Putheolo circumpositis salutem & apostolicam benedictionem. Sicut mercedis fructum consequitur, qui bonorum operum se constituit adjutorem, tum quoque se damnationis participem facit, quia pia vota & desideria impedire presumit. Quoniam igitur indultum est religiosis viris, ut eos liberam habeant facultatem suscipiendi, qui se illis in vita vel in morte reddiderint; universitati vestre arctius inhibemus, ne aliquibus parochianorum vestrorum aliquatenus prohibeatis, quin libere valeant apud prelibatum monasterium habitum monacalem induere vel inibi sepeliri, si sui compotes in eodem loco elegerint sepulturam, salva tamen canonica justitia illarum ecclesiarum in parte testamenti, a quibus corpora mortuorum assumuntur. Sane illud movet & gravat nos plurimum, quod quidam vestrum, sicut accepimus, parochianos suos ad predictum monasterium non permittunt deferri, nisi illuc vivi portentur, qui vel monasticas vestes accipiunt, vel ibi elegerint sepeliri. Quod quidem iniquum est & detestabile & ecclesiastice honestati penitus inimicum, & ideo si ulterius fuerit ab aliquo vestrum presumptum, gravissima noveritis animadversione plectendum. *Ibid. n. 22.*

Datum Anagnie XIII. kal. februarii.

LXVII.

Lucius III. Rom. pont. confirmat bona monast. S. Petri de Cerreto Volaterranæ diœcesis.

Anno 1181. VI. kal. decembris.

Ex autographo olim apud Grandium.

LUcius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Mauro abbati monasterii sancti Petri de Cerreto, ejusque fra- *Ibid. n. 24.*

fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni, & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impartiri. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste, & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prescriptum monasterium situm est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Salvatoris de Fungeto cum omnibus pertinentiis suis, decimam preterea agriculture vestre, sicut a quadraginta retro annis inconcusse tenuistis, & hactenus possidetis, nihilominus vobis auctoritate apostolica confirmamus. Ita videlicet, ut nulli nisi hospitali vestro dare cogamini. Liceat quoque vobis clericos, & laicos e seculo fugientes libere, & absolute absque alicujus contradictione ad conversionem recipere, & in vestro monasterio retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis januis clausis non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis, & interdictis, submissa voce divina officia celebrare. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c. Si qua igitur &c. Cunctis autem &c.

Adjuva † *nos Deus*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
LUC PP | IUS IIJ.
salutaris noster.

Ego Lucius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theod. Portuensis & sancte Rufine sedis episc. ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Vivianus presb. card. tit. sancti Stephani in Celio monte ss.

† Ego Hugo presb. card. tit. sancti Clementis ss.

† Ego Arduinus tit. sancte Crucis in Hierusalem presb. card. ss.

† Ego Mattheus presb. card. tit. sancti Marcelli ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Mariæ Transtyberim tt. Calixti ss.

Ego Jacintus diac. card. sancte Marie in Cosmydin ss.

† Ego Rainerius diac. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Rainerius diac. card. sancti Adriani ss.

† Ego Matheus diac. card. sancte Marie nove ss.

Loco † *signi.*

Datum Rome apud sanctum Petrum per manum Alberti S. R. E. presb. card. & cancell. VI. kal. decemb. indict. XV. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXI. pontificatus vero domni Lucii pape III. anno I.

Pendet ex funiculo serico flavi coloris plumbeum sigillum cum literis: Lucius Papa III.

LXVIII.

Gunteramus episc. Senensis confirmat Vivensibus eccl. S. Christinæ.

Anno 1181. *more Florentino* III. *idus januarii.*

Ex autographo tabularii Rosæ Senarum. n. 77.

ANno ab annuntiatione Domini nostri Jehsu Christi millesimo centesimo octuagesimo primo die tertio idus januarii indictione XV. Cum satis justum sit & ratione plenum episcopos cujusque loci providere his, qui ad curam & sollicitudinem ejus pertinent, & ab eo petita sunt, utrum sint justa an injusta, & si sunt justa, aut sint utilia episcopatui sibi commisso aut non. Et cum omnia dicta ad ejus curam & provisionem spe- *Ibid. n. 25.*

spectant, & maxime ea, que intuitu Dei fuerint & esse sperant & religione plena, scilicet monasteria & alias ecclesias, sive religiosa loca. Idcirco ego Gonteramus sancte Marie Senensis ecclesie episcopus cupiens satisfacere vestre petitioni .... prior de Vivo & tuorum fratrum, & Jannis Silimanni ex eo, quo videtur mihi justa est monasterium edificari prope ecclesiam sancte Cristine in vinea, & terra dicti Jannis Silimanni, & designari & construi & fundari ad honorem Dei & episcopatus Senen. & monasterii de Vivo, designo & consentio & concedo vobis dicto priori & vestris fratribus, & Janni Silimanni monasterium ibi in prenominato loco construi & edificari, & cappellam sancte Cristine habere, hoc retento in .... & servato de cappellano, qui ibidem fuerit pro ipsa moraturo, & sit ibi semper capellanus & obediat episcopo Senensi, qui per tempora fuerit in omnibus, in quibus huc usque obedivit presbyter Gualfredus, & in sinodo, & in baptismo, & in simbolo, & in processione, & fidelitatem faciat episcopo qui pro tempore fuerit in civitate Senensi cum fuerit ordinatus ab eo episcopo, & si non fuerit ordinatus ab eo faciat fidelitatem episcopo, preter quam si fuerit ibi positus in probatione, & hoc per VI. menses & non plus debet esse, & non per fraudem, & in illis sex mensibus stabit semper ad mandatum episcopi, qui per tempora fuerit ibi, sicut alii cappellani civitatis Senen. & sic uno recedente alter in continenti apponatur eodem modo, ut supra. Et cum aliquis decesserit vel aliqua & ibi sepelliverit corpus illius, & episcopus fuerit ibi vocatus, & dixerit missam, habebit oblationes, & cum episcopus non fuerit, & canonici venient, & unus canonicorum cantaverit missam aut dixerit, habebunt oblationes...utio cappellani dicti fiet semper cum consilio episcopi Senensis, qui per tempora fuerit in ecclesia Senensi, & insuper promittit prenominatus prior cum fratribus, & Janne Silimanni, & presbytero Galfredo per se & successores, quod non acquiret aliquod privilegium ab aliqua persona, ut noceat dicto facto, & si acquisierint non utentur eo, & si habeant, renuntiant ei, & omni juri, quod possit prodesse & episcopatui nocere, aut esse contra id, quod scriptum est. Et hec omnia, que scripta sunt supra, promittit dictus prior pro se & fratres sui & Jannis, & presbyter Gualfredus per se & successores suos in perpetuum observare, ut scriptum est, promittunt dare sibi episcopo & suis successoribus nomine pene centum libras denariorum Senen. & pena data totum sit firmum, quod actum est. Actum Senis in prenominato loco.

Prior sancti Vigilii, prior sancti Martini, presbyter Orlandus de sancto Petro in Scal. presb. Guido de sancto Prospero, presb. Pierius, & presb. Guido sancti Desiderii, presb. Jacobus sancti Quirici, presb. Rainaldus sancti Petri de Castello veteri, presb. Ugo sancte Agate, plebano de Carli, Ramoractius Arnolfi, Bilcetus, Forteguerra, & Jacobus vicedomini, Orlandus vicecomes, Guinisius Donosdei, Federigus, Rainerius & Stadigoctus judices, Bellaminus Scriccioli Cartavecchia, & prete Mariscocti ducti & rogati testes.

Rainaldus judex adque notarius, ut legitur, & scripsi rogatus, & in puplicam formam redegi.

LXIX.

Lucius III. *confirmat ecclesias & bona monast. S. Cassiani de Carisio.*

Anno 1181. more Florent. VIII. idus martii.

Ex autographo SS. Bartholomæi & Pontiani de Luca.

Lucius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Angelo abbati sancti Cassiani de Carisio, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. *Ibid. n. 30.*

Quotiens a nobis petitur, quod rationi & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino estis mancipati obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presensentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & bea-

beati Benedicti regulam in eadem ecclesia noscitur institutum, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Possessionum autem nomina duximus exprimenda. Villam de Carisio cum curte & districto & omnibus pertinentiis ejus, cum flumine Rogulo; ecclesiam sancti Michaelis de Monteruttulo cum omnibus, que habet & possidet, & cum omnibus, que habetis in curte & castello de Peczole; ecclesiam sancti Cerbonii cum omnibus, que habetis in villa & curte de Applano, & que habetis in Rocca & curte de Valli; & partem quam habetis in ecclesia sancti Justi, & omnia que habetis in curte de Aliga, & in curte & districto de Foliano, & in podio de monte Fusculo, & in curte de Alatreta cum ecclesia sancti Andree, & omnibus, que habetis in eadem villa; ecclesiam sancti Pontiani cum podio, villa & curte ejusdem, & que habetis in curte de Legul.... & in curte de Tognano, & in curte de castello Falsi; ecclesiam sancti Petri de Libiano cum his que habetis in villa de Libiano; ecclesiam sancte Marie de Griciano cum omnibus, que habetis in Griciano, & curte ejus, & omnia, que habetis in Montecucari, & in curte de Monticlo, & in curte de Pava, & in curte de Casanova, & in villa de Padule, & in curte de Camuliano, & in curte de Palaja, & in curte de Montezano, & ecclesiam sancti Fridiani de Pomponiano cum omnibus pertinentiis suis, & cum omnibus, que habetis in castello, & curte & districto de Bibone, & que habetis in curte de Gavorrano; ecclesiam sancti Andree de Ravi cum omnibus, que habet & possidet, & omnia, que ad vos pertinent in eadem curte de Ravi; ecclesiam sancti Germani cum omnibus, que possidet, que sita in curte de Collemajori, & quecumque habetis in curte & districto de Buriano, & omnia que habetis in curte de Cumulo, & in curte de Ceole. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos & laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem vestram recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis optentu discedere. Discedentem vero sine communium literarum cautione audeat retinere. Porro cum generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis, & interdictis suppressa voce divina officia celebrare. In parochialibus autem ecclesiis, quas tenetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diocesano episcopo presentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Prohibemus autem, ne quis in vos excommunicationis aut suspensionis seu in monasterium vel ecclesias vestras interdicti sententiam absque manifesta & rationabili causa promulget. Ceterum Crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, per diocesanum episcopum gratis & sine difficultate vobis precipimus exhiberi. Statuimus insuper, ut infra fines parochiarum vestrarum absque consensu episcopi diocesani, & vestro nullus ecclesiam vel oratorium de novo edificare presumat. Salvis tamen privilegiis Romane ecclesie. Preterea sepulturam monasterii vestri liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel pars major consilii sanioris secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolice auctoritate, & diocesani episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; & a sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redem-

demptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis vero eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bone actionis percipiant, & apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Adjuva † *nos Deus*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
LUC | IUS
PP. | IIJ.
salutaris noster.

BENE VALETE

Ego Lucius catholice ecclesie episcopus ss.

† Theodinus Portuensis & sancte Rufine sedis episcopus ss.

† Ego Petrus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Paulus Prenestinus episcopus ss.

† Ego Petrus tit. sancte Susanne presb. card. ss.

† Ego Vivianus presb. card. tit. sancti Stephani in Celiomonte ss.

† Ego Cynthius presb. card. tit. sancte Cecilie ss.

† Ego Hugo presb. card. tit. sancti Clementis ss.

† Ego Arduinus tit. sancte Crucis in Jerusalem presb. card. ss.

† Ego Mattheus tit. sancti Marcelli presb. card. ss.

† Ego Jacintus diac. card. sancte Marie in Cosmydin ss.

† Ego Rainerius diac. card. sancti Georgii ad velum aureum ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Rainerius sancti Adriani diac. card. ss.

.... per manum Alberti sancte Romane ecclesie presbyteri cardinalis cancellarii VIII. idus martii indictione XV. incarnationis Dominice anno M.C.LXXXI. pontificatus vero domni Lucii pape III. anno I.

Pendet consuetum plumbeum sigillum.

LXX.

Idem monachis Classensibus præcipit obedientiam archiepiscopo Ravennati.

Circa annum 1182. XIII. kal. aprilis.

Ex tabulario marchionis Bonifacii Rangonii.

Lucius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & monachis Classensibus salutem & apostolicam benedictionem. Cum a vestra non debeat memoria excidisse, quot & quanta beneficia recipitis ab ecclesia Ravennatensi, & quanta monasterium vestrum de gratia & favore venerabilis fratris nostri archiepiscopi spiritualiter & temporaliter valeat recipere incrementa, satis per vos ipsos in devotionem ipsius deberetis esse ferventes, & exemplo vestro ad ejus obedientiam & obsequium alios invitare. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, atque precipimus, quatenus solo excepto, quod bone memorie Gualterius quondam archiepiscopus Ravennas de prestanda fidelitate remisit, in aliis, presertim in promissione obedientie & inthronizatione sedis, quando tibi fili abbas fuerint successores electi, prefato archiepiscopo, & ejus ecclesie omni contradictione & excusatione cessante, obedientiam debitam & consuetam reverentiam impendatis. Ita quod de inobedientie non possitis culpa redargui, nec de apostolici dissimulatione precepti reprehensionem aliquam sustinere. Alioquin cum prefato archiepiscopo nec velimus, nec salva conscientia possimus in jure deesse, sententiam, quam propter hoc canonice tulerit, auctore Domino ratam habebimus & precipiemus inviolabiliter observari. Datum Anagnie XIII. kalendas aprilis. *Ibid. n. 31.*

Pendet sigillum plumbeum cum literis LUCIUS PP. III.

LXXI.

Eamdem obedientiam mandat Uranensibus.

Anno 1182. XV. kal. junii.

Ex tabulario archiep. Ravennatis Capf. O. 1384.

L. Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbati & monachis de *Ibid. n. 31.*

Urano salutem & apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster archiepiscopus Ravennas, quod cum vos monachi ab officio, quia non eligebatis abbatem, auctoritate apostolica suspendisset, nec suspensionem servastis, nec de contemptu sententie, sicut injunximus, satisfacere jam dicto archiepiscopo curavistis, abbatem vos elegistis ad mandatum apostolicum iteratum. Quoniam igitur a tempore, quod hominum excedit memoriam, omnes abbates monasterii vestri usque ad dilectum filium nostrum P.. nunc Camaldulensem priorem, predecessoribus suis hobedientie juramento asserit promisisse, tibi fili abbas per apostolica scripta mandamus, & districte precipimus, quatenus omnem hobedientiam & & reverentiam infra XL. dies post harum susceptionem eidem archiepiscopo promittas & serves, quam predecessores tui ejus antecessoribus ...... archiepiscopo promittas ..... non obstante quod jam dicto priori sancte recordationis A.. papa predecessor noster pro tempore personaliter dinoscitur indulsisse. Ad hec presentium auctoritate injungimus ..... concessiones Ravennatis ecclesie, quas tenetis archiepiscopo sine difficultate ..... vel si cum eo nequiveritis amicabiliter convenire .... venerabilibus fratribus Feretrano & Faventino episcopis, & dilecto filio preposito Feretrano ..... ratis justitie plenitudine exhibere.

Datum Velletris XV. kal. junii.

Ego Petrus Turriensis Cesenas tabellio sicut vidi, & perlegi in literis catholicis sigillo apostolico signatis, ita scripsi & exemplavi.

LXXII.

Idem confirmat Vivensibus ecclesiam S. Christinæ.

Anno 1182. II. idus julii.

Ex autographo Rosæ Senarum. n. 38.

Ibid. n. 25. LUcius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui de Vivo salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, & vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam beati Jacobi & sancte Christine a venerabili fratre nostro G.. Senen. episcopo ad interventum apostolicum domui vestre collatam, sicut canonice & sine controversia possidetis, vobis & successoribus vestris auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis &c.

Datum Velletri II. idus julii.

Pendebat sigillum plumbeum.

LXIII.

Privilegium ejusdem & recensio bonorum monasterii S. Severi in Classe.

Anno 1184. V. kal. maji.

Ex autographo Classensi.

LUcius episcopus servus servorum Dei dilectis filii Henrico abbati sancti Severi Ravennat. ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis effectum congruum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; monasterium sancti Pulionis; ecclesiam sancte Marie in Xenodochio; ecclesiam sancti Thome; medietatem porte sancti Laurentii cum ripa fluminis usque ad turrem sancti Cypriani cum ipsa turri, & ab ipsa porta usque ad palatium quondam Theodorici regis cum casamentis & tenimentis. Quidquid habetis infra urbem Ravennatem vel infra totum territorium Ibid. n. 39.

torium ipsius civitatis. Insulam a Badareno usque ad portum Candiani, & a monasterio vestro usque ad mare cum usu piscandi & pascendi. Quidquid habetis in comitatu Imolensi; ecclesiam de Butrio cum suis pertinentiis; ecclesiam sancti Cassiani infra civitatem Faventinam cum omnibus pertinentiis suis; & quidquid habetis in ipsa civitate vel episcopatu suo. Quidquid habetis in comitatu Bononiensi, & quidquid habetis in episcopatu Liviensi. Ecclesiam sancte Suffie in episcopatu Ferrariensi, & quidquid habetis in ipso episcopatu. Ecclesiam sancti Egidii in Carpenella; & tertiam partem ecclesie sancte Marie ipsius ville cum ipsa villa; capellam sancti Severi; capellam sancti Martini; capellam sancti Christophori; capellam sancti Andree in Catignano; capellam sancti Paterniani cum omnibus pertinentiis earum; totam massam de Sclao; & quicquid habetis in episcopatu Popiliensi; ecclesiam sancti Pauli de Casameruli cum pertinentiis suis; & quidquid habetis in civitate Cesenate vel in episcopatu. Quidquid habetis in episcopatu Bobiensi vel in Monte feretrano. Quicquid habetis in civitate Ficoclensi vel in episcopatu; ecclesiam sancti Angeli in civitate Ariminensi; ecclesiam sancte Marie de Marignano, ecclesiam sancti Stephani in Pereto; ecclesiam sancti Martini in Luciano cum omnibus pertinentiis earum; & quidquid habetis in episcopatu Ariminensi. Ecclesiam sancti Jacobi in civitate Pensauriensi cum pertinentiis suis; & quidquid habetis in ipsa civitate vel episcopatu. Quidquid habetis in episcopatu Fanensi, vel Callensi, seu etiam Eugubiensi. Quidquid habetis in comitatu Castelli; castrum Corie cum ecclesiis & pertinentiis suis; tertiam partem castri de Afra cum tertia parte ecclesie ipsius castri. Monasterium sancti Benedicti de Castagnola cum omnibus suis pertinentiis. Ecclesiam sancti Johannis de Cassiano; ecclesiam sancti Andree; ecclesiam sancti Petri in Caniano cum omnibus pertinentiis suis; & quidquid habetis in comitatu Senogalliensi; monasterium de Castagnola; ecclesiam sancte Marie de Remorta cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Stephani in Luniciano; ecclesiam sancti Sergii; ecclesiam sancti Cassiani; & quidquid habetis in episcopatu Esino cum ecclesiis & pertinentiis suis; ecclesiam sancti Angeli in Casalece cum toto fundo; ecclesiam sancti Ciriaci in Gaona cum toto fundo; ecclesiam sancti Johannis in Palumbice cum toto fundo; ecclesiam sancti Johannis de Agello cnm pertinentiis suis; ecclesiam sancte Marie de Camorata; & quidquid habetis in comitatu Anconitano & Auximano. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus vel sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos & laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque licentia sui abbatis de eodem loco discedere. Discedentem vero sine communium literarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit liceat vobis clausis janius, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis suppressa voce divina officia celebrare. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Sepulturam preterea monasterii vestri liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Ad hec constitutionem, quam karissimus in Christo filius noster Fredericus illustris Romanorum imperator semper augustus de non alienandis possessionibus vel redditibus monasterii fecit ab his, qui nomine vestro tenent, & scripto authentico roboravit, auctoritate apostolica ratam habentes futuris decernimus temporibus valituram, eamque presenti privilegio confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *&c.*

Adjuva † *nos Deus*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
LUC | IUS
PP. | IIJ.
salutaris mihi.

BENE VALETE

Ego Lucius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theodinus Portuensis, & sancte Ruffine sedis episcopus ss.

† Ego

† Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

† Ego Paulus Penestinus episcopus ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancte Susanne ss.

† Ego Vivianus tit. sancti Stephani in Celio monte presb. card. ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie trans Tyberim tit. Calixti ss.

† Ego Pandulfus presb. card. tit. basilice XII. Apostolorum ss.

† Ego Jacobus diac. card. sancte Marie in Cosmydin ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Bobo diac. card. sancti Angeli ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Soffredus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Albinus diac. card. sancte Marie nove ss.

Datum Verulis per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii v. kal. maji indictione II. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXIIII. pontificatus vero domini Lucii pape III. anno III.

LXXIV.

Recenset monasteria Camaldulensia & confirmat Placido priori.

Anno 1184. nonis julii.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 36. Lucius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Placido Camaldulensi priori ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos ammonet & invitat auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti & tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honestati conveniens esse dinoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & beati Petri atque sedis apostolice patrocinio muniamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predecessorum nostrorum fel. mem. Paschalis, Eugenii, Anastasii, Adriani & Alexandri Romanorum pontificum vestigiis inherentes precipimus, & presentis decreti auctoritate sancimus, ne cuiquam omnino persone, clerico, monacho, laico cujuscumque ordinis aut dignitatis presentibus aut futuris temporibus liceat congregationes illas & loca illa, que Camaldulensis eremi sive cenobii disciplinam & ordinem susceperint, queque hodie sub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo subjectione & unitate dividere, que videlicet loca & congregationes conservande unitatis gratia singularibus visa sunt vocabulis adnotanda. In episcopatu Arretino monasterium sancti Salvatoris Berardingorum; sancti Petri in Rota; sancte Marie in Agnano; sancti Quirici in Rosa; heremum de Fleri; monasterium sancti Viriani; sancti Bartholomei in Anglari; sancte Marie de Pratalia; monasterium Silvemunde; sancti Petri minoris; sancti Michaelis de Burgo; ecclesiam de curte Luponis; sancti Andree de Castellione, sancti Savini in Arretino; monasterium sancte Marie in Trivio. In Galiata monasterium de Insula; heremum novum; monasterium de Ferrazzano. In episcopatu Montis-feretranensis monasterium Montis-herculis. In episcopatu Pesauriensi monasterium sancti Dicentii; heremum Sajoli. In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli; sancti Felicis; sancte Christine; sanctorum Cosme & Damiani; hospitale sancte Marie in Ragone. In episcopatu Faventino monasterium sancti Ypoliti. In episcopatu Esino monasterium sancti Georgii; heremum Rainaldi; monasterium de Accoli. In episcopatu Camerinensi monasterium sancte Helene; monasterium de Pirella. In episcopatu Spoletinensi monasterium sancti Silvestri. In episcopatu Fulginensi monasterium de Landun. In episcopatu Castellano monasterium sancti Sepulcri; monasterium sancte Marie de Deciano; sancti Petri de Planeto. In episcopatu Florentino monasterium sancti Petri in Luco; sancti Salvatoris juxta civitatem. In episcopatu Fesulano monasterium Montis-muri; ecclesiam sancte Margarite; monasterium de Prato-veteri. In episcopatu Vulterrano monasterium sancte Marie in Policiano; sancti Petri in Fontiano; sancti Petri in Cerreto; monarium sancti Justi. In episcopatu Pisano monasterium sancte Marie de Morrona; sancti Stephani in Cinctoria; monasterium sancti Savini; monasterium sancti Michaelis de Burgo; sancti Fridiani; sancti Zenonis. In episcopatu Lucano monasterium sancti Salvatoris in Cantignano; sancti Petri in Puteolis. In Sardinia in episcopatu Turritano monasterium

rium sancte Trinitatis de Sacraria ; ecclesiam sancte Eugenie in Samanar ; ecclesiam sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari ; ecclesiam sancte Marie & sancti Johannis in Altasar ; ecclesiam sancte Marie in Contra ; ecclesiam sancti Johannis & sancti Simeonis in Salvenero ; ecclesiam sancti Nicolai de Trulla ; ecclesiam sancti Petri in Scano ; ecclesiam sancti Pauli in Cotrognano ; ecclesiam sancti Petri in Olim. In Thuscia in episcopatu Clusino heremum Vivi in Monte-amiato , cum omnibus supradictorum locorum pertinentiis . Villam preterea de Mojona, quam emistis ab Henrico preposito & reliquis canonicis cum omnibus pertinentiis suis ; villam de Montione, quam ab abbate sancte Flore emistis , quemadmodum in vestris cartulis continetur , & vobis a predecessore nostro bone memorie papa Anastasio mediante justitia adjudicata est , & scripti sui sententia confirmata . Omnia igitur monasteria cum omnibus ad ipsa pertinentibus statuimus & apostolice sedis auctoritate sancimus , tamquam corpus unum sub uno capite, idest sub priore Camaldulensis heremi temporibus perpetuis permanere , & in illius observatione persistere , sub eo, inquam , priore , qui ab ipsius congregationis abbatibus sive prioribus & ab heremitis regulariter electus prestante Domino fuerit . Porro congregationem ipsam ita sub apostolice sedis tutela perpetuo confovenda decernimus , ut nulli episcoporum facultas sit aliquod ex his monasteriis absque prioris coniventia , & apostolice sedis licentia excommunicare , vel a divinis officiis interdicere . Fratribus autem ipsis licentia sit , a quo maluerint catholico episcopo consecrationum & ordinationum sacramenta suscipere . Ad hec monasterium de Urano vobis & conventui vestro, salvo jure Ravennatis ecclesie , auctoritate apostolica confirmamus . Decernimus &c.

Adjuva † *nos Deus*

SCS PETRUS	SCS PAULUS
LUC	IUS
PP.	III.

salutaris noster.

BENE VALETE

Ego Lucius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theodinus Portuensis & sancte Ruffine sedis episcopus ss.

† Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

† Ego Teobaldus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtyberim tit. Calixti ss.

† Ego Pandolphus presb. card. tit. basilice XII. apostolorum ss.

† Ego Ardicio sancti Theodori diac. card. ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Soffredus sancte Marie in Villa Lata diac. card. ss.

† Ego Albinus sancte Marie nove diac. card. ss.

Datum Bononie per manum Hugonis S. R. E. notarii nonis julii indictione secunda incarnationis Dominice anno M. C. LXXXIII. pontificatus vero domni Lucii pape III. anno III.

Loco ✠ bullæ plumbeæ.

LXXV.

Commendat monasterium Fullinæ episcopis marchiæ Tarvisinæ.

Circa annum 1184. x. kal. septembris.

Ex autographo ejusdem monasterii. n. 677.

Lucius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Tarvisino .. Cenetensi .. Feltrensi & .. Bellunensi .. episcopis salutem & apostolicam benedictionem . Quanto in par...... magis habundat malitia secularis , & rarior in eis religionis puritas, tanto nobis attente agendum & summopere laborandum , ut si qua ibi plantatio pie conversationis erigitur, per vos, qui esse debetis plantationis hujusmodi rigatores, opportune consolationis imbribus irrigetur . Audivimus autem, quod domus de Fulino in ipsis partibus vestris sub professione Cisterciensis ordinis instituta , cum sit religione venerabilis , & multa nihilominus miserabilis paupertate , quidam de magnatibus terre vestre domum ipsam multipliciter inquietant extorquendo ab ea pauca illa, que possidet, & sub angariis plurimis , a quibus sacras ecclesias etiam seculares principes immunes existere consueverunt, exactiones ei & ejus hominibus imponendo . Ideoque vobis per apostolica scripta mandamus , quatinus contra hujus violentie pravitatem ; *Ibid. n. 41.*

sicut

ſicut ex offitio veſtro tenemini viriliter exſurgentes, magnates ipſos, de quibus ad vos hujuſmodi querela pervenerit ab iniquitate iſta deſiſtere moneatis, & niſi monitis acquieverint, eos & maxime Jeremiam, qui duos manſos ipſius domus violenter dicitur & illicite detinere, ſi res ita ſe habet, cenſura eccleſiaſtica percellatis, ita de cetero de predicti monaſterii protectione ſolliciti, quod fratres, qui in eo divine militie bajulant ſervitutem, plene de vobis poſſint in Domino gloriari.

Datum Verone x. kl. ſeptembris.

LXXVI.

Confirmat bona monaſterii S. Mariæ de Carceribus.

Anno 1184. x. kal. januarii.

Ex exemplis S. Michaelis de Muriano, & ex Murator. T. V. *col.* 265.

Ibid. c, 40. LUcius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Livaldo priori eccleſie ſancte Marie de Carceribus ejuſque fratribus, tam preſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur &c. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & eccleſiam ſancte Marie de Carceribus, in qua divino eſtis obſequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Alexandri pape predeceſſoris noſtri ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. Imprimis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo canonicus, qui ſecundum Deum & beati Auguſtini regulam & inſtitutionem Portuenſium fratrum in eodem loco inſtitutus eſſe cognoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter obſervetur. Preterea quaſcumque poſſeſſiones, quecumque bona eadem eccleſia impreſentiarum juſte & canonice poſſidet, vel in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium ſeu aliis juſtis modis preſtante Domino poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipſum, in quo memorata eccleſia ſita eſt cum omnibus adjacentiis & pertinentiis ſuis; eccleſiam ſancti Andree de Curteroduli cum pertinentiis ſuis & decimas novalium omnium totius loci, qui Caracetulum vocatur, ſicut privilegium Alexandri predeceſſoris noſtri plenius continet; & in Aguſiano, & in tota Scudachia, in Frata, in Montaniana & in Vigezolis. Quidquid habetis in Cavaligo, quidquid habetis in Craterolo, in Carpo, in Portu, Minervio, Bonadico, Urbano, Caſali, Miliatino, Pauſo, Vigeſolo, Eſte, in plebe de Villa, in Monteſilicis, Baono; & quidquid ibidem G.. Paduanus epiſcopus rationabiliter vobis conceſſit. Quicquid habetis in Spaxano, Cona, in Tribano, in valle Pantena, in Montagnana, in Albertona. Quecumque a bone memorie Bellino & Senebaldo Paduanis quondam epiſcopis vobis canonice conceſſa ſunt, nihilominus confirmamus. Eccleſiam ſancti Salvatoris cum omnibus poſſeſſionibus, pertinentiis & aliis, que ad eamdem eccleſiam ſpectare noſcuntur, terris cultis & incultis, ſilvis & ſine ſilvis, ſicut juſte & pacifice eadem eccleſia poſſidet. Terram quam habetis in Vicotinioſo & in Gazolo; eccleſiam ſancti Johannis in Vigizolo cum omnibus poſſeſſionibus, adjacentiis & aliis, que ad eamdem eccleſiam pertinere noſcuntur, terris videlicet, paludibus, piſcationibus ac decimis. Decimationes etiam totius paludis de Baone, ſicut vobis a Paduano epiſcopo rationabiliter conceſſe ſunt, & ejus inſtrumentum plenius continet. Decimam quoque de territorio ville, que dicitur Cavallille. Sententiam vero illam, quam prefatus B.. ſuper contentione, que inter vos & clericos ſancte Thecle de Adeſte de perſona Hugonis Balliſtarii & filii ejus & bonis ipſius agebatur, legitime promulgavit, ratam habemus & auctoritate apoſtolica confirmamus. Preterea venditionem, quam vobis archipreſbyter de Runco cum ſuis fratribus de quadam terra in Minervi rationabiliter fecit, vobis & eccleſie veſtre nihilominus confirmamus. Statuentes, ut de poſſeſſionibus, quas nunc habet eccleſia veſtra vel impoſterum eſt habitura, nullus laicus decimas preſumat exigere. Sane novalium veſtrorum, que propriis manibus aut ſumptibus colitis, ſeu de nutrimentis veſtrorum animalium nullus a vobis decimas exigere vel extorquere preſumat. Liceat quoque vobis clericos & laicos e ſeculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & eos abſque contradictione aliqua retinere. In parochialibus autem eccleſii, quas habetis, liceat vobis ſacerdotes eligere & dioceſano epiſcopo preſentare, quibus ſi inventi fuerint idonei, epiſcopus curam anima-

nimarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeat respondere. Antiquas & rationabiles consuetudines ecclesie usque ad presentia tempora observatas, & decimas, quas a quadraginta annis usque nunc pacifice possidetis, vobis auctoritate apostolica roboramus. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis non pulsatis campanis, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse concedimus, ut eorum devotioni, qui se illic sepeliri deliberaverint, & extreme voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo *&c.*

† Ego Lucius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus, Moguntine sedis archiepiscopus ss.

Ego Theodinus Portuensis & sancte Ruffine sedis episcopus ss.

† Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

† Ego Johannes tit. sancti Marci presb. card. ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtyberim tit. Callixti ss.

† Ego Hubertus tit. sancti Laurentii in Damaso presb. card. ss.

† Ego Pandulfus presb. card. tit. basilice XII. apostolorum ss.

† Ego Ardicio sancti Theodori diac. card. ss.

† Ego Gracianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Soffredus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Albinus sancte Marie nove diac. card. ss.

Datum Verone per manum Alberti sancte Romane ecclesie presb. cardinalis & cancellarii x. kal. januarii indictione III. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXIIII. pontificatus vero domni Lucii pape III. anno IIII.

LXXVII.

Conventio sanctimonialium de Luco cum hominibus dicti castri.

Anno 1184. *more Florentino* kalend. februarii.

Ex archivo ejusdem parthenonis. Sacc. A. 21.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo quarto kalendis februarii indictione tertia feliciter. Constat me Dilectam abbatissam monasterii sancti Petri de Luco vice & utilitate predicti monasterii cum consilio monacharum mearum & aliorum meorum fratrum per hoc instrumentum recordationis & firmationis ac refutationis pro futura ostensione, quod factum est in presentia Ambrosii plebani, & Rainerii presbiteri, & Martini clerici, & Orlandi Albertinuzzi, & Pierini filii bone memorie Petri, & Geremie & Bellonis in eorum predictorum presentia hoc facere scilicet, quod ego jamdicta abbatissa pro me meisque successoribus, sicut domna Cunizza archimandritissa que olim fuit, refutavit hominibus de Riofrido & Casanova, qui fuerunt olim de filiis & servis Gotidii, ita ab illis hominibus, qui modo sunt de predictis & heorum heredibus in perpetuum refuto omnes albergarias & datia, itaut in nullo tempore petere nec tollere possim, nisi pro rege, marchione, civitate, incendio, & pro magno conquisito. Et ita jam dicti Geremia & Bellone promiserunt pro se & pro illorum sociis, & pro eorum heredibus, ut unusquisque homo de unaquaque mansia, quod dat spallam, faciat duo traina bovum. Et item promiserunt, quod datium, sicut superius legitur, & adjutorium personale dare in perpetuum rectrici vel rectori predicti monasterii & ejus successoribus vice & utilitate predicti monasterii. Et insuper jamdicta Dilecta abbatissa, & jamdictus Geremia & Bellone spoponderunt inter se pro se & suis heredibus, & ipsa pro se & suis successitricibus, qui hoc instrumentum fregerit, dare libras viginti bonorum denariorum Lucensium pars parti fidem servanti. Preterea predicta domna Cunizza archimandritissa ideo fecit predictam refutationem illis hominibus, quia illi fuerunt de filiis Gotidii, & quia de unaquaque mansia dederunt predicto monasterio *Ibid. n. 45.*

sterio sex stariora terre ad justam mensuram.

Actum in parlatorio predicti monasterii.

Signa †† manuum predicte abbatisse, & dicti Geremie & Belloni, qui hoc instrumentum, ut superius legitur, fieri rogaverunt.

Signa †† manuum prefatorum hominum, qui omnia, ut superius legitur, fieri rogaverunt.

Qui Martinus, qui bene canit,
Ibi fuit & laudavit;
Tu Martine flos cantorum
Hic fuisti Luco, quorum
Mundus fulgebat, prior cetus gaudet supernorum.

Ego Drudulus judex & notarius hoc instrumentum scripsi & completione complevi.

Ibid. n. 46.

LXXVIII.

Friderici I. imp. præceptum in favorem episcoporum & abbatum provinciæ & archiepiscopatus Ravennatis.

Anno 1185. II. idus martii.

Ex autographo tabularii S. Christinæ de Bononia. C. 17.

Ibid. n. 42. FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator & semper Augustus, dilectissimo & suo fideli principi G.. Ravennatis ecclesie archiepiscopo, Alexandro Liviensi, Leonardo Cesenati episcopis, & omnibus Ravennatis ecclesie suffraganeis, Willelmo abbati sancti Apollinaris in Classe ceterisque abbatibus atque prelatis & omnibus clericis tam in Ravenna quam in archiepiscopatu constitutis gratiam suam & bonam voluntatem. Sollicitati plurimum atque inducti precibus & supplicationibus vestris, id, quod concessum est a sacris canonibus & venerandis Romanorum principum legibus, nos quoque imperiali clementia vobis predictis personis, omnibus ecclesiis venerabilibus, atque piis locis & universis ecclesiasticis personis tam in Ravenna quam in archiepiscopatu, Romania atque Marchia ad vos pertinentibus constitutis, amore Dei & salute imperii pro remedio etiam anime nostre indulgemus: videlicet ut ipse ecclesie & earum comunitates per circuitum gaudeant privilegiis per sacros canones & venerandas Romanorum principum leges sibi indultis, & qui in eas commiserit, penas subeat a canonibus & legibus prefixas; persone quoque ecclesiastice plena gaudeant atque fruantur libertate & pace. Videlicet ut nec ad angarias vel perangarias vel alias operas per aliquem etiam nostrum missum, aliamve majorem seu minorem personam, preter ea, que ad pia opera per canones & leges sunt deputata, ullo modo cogantur. De suis quoque domicultibus, idest que suis propriis laboribus & per suas familias excolunt, nichil omnino prestare compellant ... per aliquam a nobis missam vel mittendam alicui jurisdictioni personam prepositam vel preponendam majorem minoremve, nec per marchionem vel ducem, nec per comitem, capitaneum vel valvasorem, nec per civitates aut consules civitatum, nec per rusticos vel aliquam communitatem vel singularitatem, sed nec aliquam collectam vel exactionem quocumque nomine censeatur, vel ospitationes per aliquem vel aliquos predictorum inviti preparare cogantur. Sui autem homines tam in Romania, quam in Marchia sive in castris, sive in villis habitent jurisdictioni suorum dominorum sive inter se agant, sive conveniantur ab aliis omnino subjiciantur. Si vero ipsi alios conveniunt, sub eorum dominio agant, itaut .... semper forum rei sequatur. Fodrum quoque alternis annis, qui unum jugum boum habuerit, duodecim Lucenses tantum, qui autem duo juga XVIII. qui vero tria cum quibus araverit duos soldos & sic deinceps pro se & familiis suis persolvat. Qui vero unum solum bovem cum quo aret, habuerit, VI. denarios pro se & familia sua tribuat. Qui autem manibus tantum operatur vel alia opera exercet, IIII. denarios similiter pro se & familia sua persolvat; omni alia exactione quocumque nomine censetur, penitus cessante. Si quis vero tam pia nostra statuta violare temptaverit si marchio est vel civitas vel magnum castrum in X. libras auri feriatur, medietate camere nostre, & medietate predicto archiepiscopo & aliis prenominatis inferenda. Si vero comes fuerit, in tribus libris auri feriatur. Capitaneus autem & minimum castrum vel communitas in duas, valvasores vero in unam puniantur. Civis autem castellanus vel rusticus quarta parte suorum mobilium similiter feriatur. Addicimus autem, ut si quando prenominatus archiepiscopus vel alii predicti seu eorum homines coram nostris judicibus vel eis, quos alicui jurisdictioni prefecimus, agant vel conveniantur, sive causam amittant sive in ea obtineant, pro libra nostris judicibus & potestatibus nonnisi XII. denarios

narios persolvant, & infra XL. dies eorum cause decidantur, nisi majores inducias propter al.... testium vel instrumentorum causa postulaverit, & statim executioni mandetur, & quod judicatum fuerit, nisi appellatione suspendatur, firmissime teneatur. Statuen.... indissolubiliter, ut si aliquis homo sepedicti archiepiscopi & aliorum predictorum sine herede & ab intestato decesserit, extantibus agnatis vel cognatis, non fiscus, sed agnati vel cognati secundum voluntatem sui domini succedant. Si autem agnati vel cognati vel eorum domini non extiterint, fiscus succedat. Adnectimus etiam nimia & instanti supplicatione antedicti venerabilis & karissimi principis nostri archiepiscopi & ejus fratrum devicti, ut si quis clericus vel laicus, qui etiam ad ipsos non pertineat, similia predictis secundum consilium ipsius archiepiscopi & fratrum ejus nobis facere voluerit, simili libertate fruatur. Hoc autem statutum non ad gravamen sponte suscipientium, sed ad commodum eorum indulgemus. Quicumque vero hoc nostrum statutum violare presumpserit pro pena x. libras auri componat, medietatem nobis, & medietatem injuriam passis.

Datum apud Castellaranum M. C. LXXXV. indictione tercia II. idus marcii.

Ex funiculo serico rubeo sigillum pendebat.

LXXIX.

Lucii III. *privilegium pro monasterio S. Miniatis juxta Florentiam.*

Anno 1184. *more Florentino* mense martio.

Ex veteri volumine chartarum ejusdem monast. in tabulario S. Pontiani Lucæ.

Ibid. n. 45. LUcius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Alberto sancti Miniatis ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus *&c.* eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & abbatiam sancti Miniatis, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis in eo temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones .... *&c.* in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo memorata ecclesia sita est cum omnibus adjacentiis & pertinentiis suis; ecclesiam sancti Nicolai cum adjacente parochia, sicut eam juste & sine controversia possidetis, a rivo scilicet Corbuli usque .... super Arnum; ecclesiam sancti Petri juxta Imam cum curte & pertinentiis suis ..... de Musciano cum pertinentiis suis ..... decimationem .... quam habetis in ...... de Intinnula ....& nunc pacifice possidetis; eam etiam quam habetis in plebe sancti Petri ...... to in territorio plebis sancte Marie de Pineta; ecclesiam sancte Marie de Quinto cum curte & pertinentiis suis; decimationem, quam habetis in plebe sancti Martini de Sexto; ecclesiam sancte Marie de Novule cum curte & pertinentiis suis; decimationem, quam habetis in toto plebatu sancti Johannis in Fugano; ecclesiam sancti Martini de Corella cum curte & omnibus decimationibus & pertinentiis suis; ecclesiam sancte Marie de Albuino cum pertinentiis suis; ecclesiam sancti Donati in Plano majore; castrum Montis-acuti cum ecclesia & pertinentiis suis; castrum Montis-alti cum ecclesia, curte & pertinentiis suis; patronatum, quem habetis in ecclesia sancti Andree juxta Archum; patronatum, quem habetis in ecclesia sancti Andree de Doccia; possessionem de Campi; decimam, quam habetis in plebatu sancti Stephani de Campi; decimationem quam habetis in plebe de Empuli; decimas de monte Crucis & de monte Fesuli; ecclesiam sancti Petri de Camilia cum pertinentiis suis; omnem decimationem, quam habetis in podio sancti Miniatis & in plebe sancte Reparate, sicut hactenus eam canonice tenuistis, & nunc sine controversia possidetis. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat vobis quoque clericos & laicos ...... liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos sine contradictione retinere. Cum autem generale interdictum terre .... *&c.* Antiquas & rationabiles consuetudines ecclesie vestre usque ad ..... conservatas & auctoritate apostolica confirmamus. Sepulturam vero ..... *&c.* Decernimus ergo, *&c.* Si qua *&c.*

Adjuva †	*nos Deus*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
LUC PP.	IUS IIJ.
ſalutaris	*noſter.*

Ego Lucius catholice eccleſie epiſcopus ss.

† Ego Theodorus epiſcopus Portuenſis & ſanɛte Ruffine ſedis epiſcopus ss.

† Ego Henricus Albanenſis epiſcopus ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. ſanɛti Marci ss.

† Ego Laborans presb. card. ſanɛte Marie Tranſtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Pandolfus presb. card. tit. XII. Apoſtolorum ss.

† Ego Arditio diaconus card. ſanɛti Theodori ss.

† Ego Gratianus ſanɛtorum Coſme & Damiani diaconus card. ss.

† Ego Sofredus ſanɛte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Albinus ſanɛte Marie nove diac. card. ss.

Datum Verone per manum Alberti S. R. E. presbyteri card. & cancellarii ..... martii indiɛtione tertia incarnationis Dominice anno M. C. LXXXIIII. pontificatus vero domini Lucii pape III. anno IIII.

LXXX.

Breve recordationis & promiſſionis factæ de caſtro Gallule monaſterio S. Victoris de Cluſis.

Anno 1185. menſe junio.

Ex autographo S. Blaſii de Fabriano.

Ibidem. IN nomine Chriſti anno ejus milleſimo C. LXXXV. indiɛtione III. menſe junius, & temporibus Federico imperatore. Breve recordationis & promiſſionis perpetue ſecurationis, que facimus inter nos ego Ugizione filio comite Simone, & Giɛta comitipſa mater ſua per nos & per noſtris heredibus concedo tertiam parte de zirone & de burgi de caſtru Gallule, quantu in antea erit preſente tempus diſinatu eſt, & innantea creſcere debet burgu a tibi beato ſanɛto Viɛtore, qui eſt edificatu in fundo Viɛturiano, & a tibi Prefeɛtu abbati, & a veſtriſque ſucceſſoribus nos vero omnes ſpontes promittimus bona fide caſtrum Gualule, videlicet zirone & burgu facere, & bene aɛtare & non deſtruere, & turru & muru & cauſura, & codire & cavare & alia aɛtamenta, que ſint zantu & ſervitia caſtri & burgi, prata facere, videlicet hoc eſt, quod Gizio cum matre ſua debet facere tertiam partem, & monaſterio ſanɛto Vitore tertia parte de eſpenſis, videlicet que faɛte erunt pro ſervitio de prediɛti caſtri & burgi, nos vero omnes ſupraſcrite perſone promittimus pro nobis & pro noſtris heredibus, & pro noſtris ſucceſſoribus, quod nos non faciemus predam neque aſaltu, ne conſentiemus alicui facere unus ad aliunque, & alius hominibus, & ſi aciderit, quod unus faciat ad aliu, aut ad omines ſuis de conſortibus infra caſtrum vel infra ſenaitas nos mendabimus poſt requiſiti fuerimus a conſortibus vel a conſulis illa ude conſolis prediɛti caſtri infra unu menſe ſpatio, & nos conſortes de prediɛto caſtru edificamus eccleſia in prediɛtu caſtru ſub jura ſanɛti Vitoris, & Ugizio cum matre ſua cum uxore ſua promittimus pro nobis, & pro noſtris heredibus de qualis mortus fuerit de nobis in prediɛtu caſtru tertiam partem de mortuorum concedimus in monaſterio ſanɛti Vitoris, & ſi in alia parte migratis fuerimus, damus quarta parte de mortuorum, & infra promittimus Ugizone de omnibus, quod pro nobis abitaturi erit in prediɛtu caſtru, uferzone feſtive & feriale, & de decima medietate de ſuis proprietatibus & de laboratione eorum, exceto foris eccleſiaſticis, cui juris habuerit, & de tertia parte de mortuorum illorum redatis ad ipſam eccleſiam prediɛti caſtri. Ego Ugizone cum matre mea concedo quartam partem de ſilva Monte Galle de cultu adque diſcultu ubicumque fuerit a monaſterio ſanɛti Viɛtoris, exceto V. modiorum, quod dedit a filii comitis Martini, ſi minus dedit, fiat in iſto promiſſo, & ſi anplus dedit, ſemper ſalvet a prediɛto monaſterio pro quarta parte, excepto qualis hominis habuit in ſua tenuta ſuis tenimentis, primo lat. fluvio Sentino, II. foſato Meleto, & a III. Tribio Nocero, & IV. valle Canalecla perveniente in primo latere, infra iſtis lateribus, & infra promittimus nos omnes ſupra ſcriti, quod nos non vindimus caſtrum Galle nec burgi, & de prediɛto monte, ſicut legitur prediɛti lateribus, neque donabimus, ne canbiavimus, neque in pignore

gnore non obligavimus a nullis hominibus, neque a masculo, neque a femina, neque a nullas personas, nisi inter nos consortes infra spacium unius anni usque a tertiam compellatione pro bona fide sine malitia, & si acciderit Ugizone & matrem suam decidant sine heredes medietate de sua portione perveniat a predictu monasterio. Insuper promitto tibi a predictu monasterio per vos sicut per nos quarta parte a predictu monasterio, si ex precio salvando prescripto monasterio quarta parte, si ex dono dono, & Vigizone promitto tibi abbas Prefectus, si tu venerit in scandalu cum monachis aut cum conversi vel cum patrone nos sustinemus in castrum Galle damus ajutorio adque consilio a bonam fidem sine afine de ipsa discordia; & nos supra scriti promitimus de predictu castru Gallule & de predicta curte non tolimus, non spodestavimus unu ad aliu, & ei non consentimus de spodestare a nulla persona & si aliquis faciat nobis guerra de castru Galle & de curte ejus faciemus guerra pro tertia parte, & espensa guerra per tertiam partem prode & danu exceto equm perspacta & perianza & nulla sine nullaque treuga non faciemus uno sine previa parabola de alio, & si alia persona faciat per nos non observaverimus; & de ipsa ecclesia supradictum castrum observetur tertia parte bono patrocinato a tibi Ugizone & a suis heredibus, & Ugizone datio, quam facio de monte Gualle damus pro predicto castru fare & bene tractare, & sidesranta fuerit ipsum castrum predictu dannu revertar atibi Ugizone, & a suis heredibus exceto ratione de predictu monasterio omnique tempore fiat salva ubicumque fuerit. Et si acciderit, quod nos amittamus castrum qualiumque de nobis potuerit recuperare, reciperet per aliu sicuti per se, si es dono pro dono, si es precio pro precio. Nos vero supradicte persone per corporale sacramentum promittimus oc totum, quod superius legitur, omni tempore firmiter tenere, & qualemcumque voluerit observare promittimus se daturum & compositurum, ut nomine pene sex comendationes homini observanti.

Manu Vigizo comes ....

Johannes archipresbiter, Boczo & Fracone & Bernardo ...... isti sunt testes rogatis.

Ego Gualfredo notario scripsi & complevi.

LXXXI.

Friderici I. imp. privilegium pro parthenone S. Petri de Luco.

Anno 1185. IV. nonas augusti.

Ex tabulario ejusdem monast. Capf. Privilegia n. 14.

FRedericus Dei gratia Romanorum imperator & semper augustus .... *Ibid. n. 43.*

....

Officium imperatorie majestatis a Deo nobis creditum, & innate nobis magnitudinis humanitas, nostreque pietatis animus suis effectibus inclinatur pro thesaurizandis in celo thesauris loca pauperum Christi clementie nostre favore prospicere, & personas Deo mancipatas servitiis sub imperiali tuitione cum collatis beneficiis ad honorem Dei defendere & manutenere. Quapropter attendentes religionem & conversationem sanctarum ancillarum Christi in monasterio de Luco ad interventum & rogatum dilecti principis & consanguinei nostri Conradi Maguntini archiepiscopi, ipsas personas & locum cum omnibus pertinentiis suis pro remedio anime nostre & parentum nostrorum sub nostra protectione suscipimus universa cum bona, que nunc habent, & juste & legaliter possident, vel que in posterum auxiliante Domino justo aquisitionis titulo poterit adipisci, imperiali hoc privilegio & sanctione ipsis confirmamus; castrum de Luco cum curte & omnibus suis pertinentiis tam in alpis quam in planis, scilicet pascua, silvas, culta vel inculta bona, aqueductum quoque fluminis Bussi per eandem curtem decurrentis, ut liceat eis infra ipsam curtem in predicto flumine ex ea parte fluvii firmare, educere aquam & edificare molendina & alia edificia, que suis usibus utilia cognoverint. Item curtem de Larciano cum omnibus suis pertinentiis & quidquid possident in curte de Tiliano, & in curte sancti Johannis majoris, & infra curtem de Miralduolo, & que habent in curte de Pulitiano, & infra curtem de Grezano, & partem Frassinete silve & Collemezzani, similiter quicquid habet in Pratella & silvam Collis muzzoli, partem rivi Gelati, & castrum de Riofrido cum curte & pertinentiis suis, cum silvis & ejus pasculis suis cultis & incultis, & quicquid habent infra curtem de Frena, & in curte de Riocornoclario, item possessionem, quam

quam ipsis Uguccio de Rena vivens obtulit & moriens judicavit, & Caronciane ab eodem data & judicata & tradita fuit. Ad hec ipsis permittimus, ut liceat eis juste aquirere & recipere ab omni libera persona adjacentes juxta dicte nostre mansuetudinis clementiam, & si in aliquo se senserint judicio pergravari, ad imperiale judicium solum liceat eis libere appellare, non obstante aliqua civili institutione. Statuimus ergo & imperiali auctoritate sancimus, ut nulla omnino persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica, nulla civitas vel commune supradictum monasterium & ejus bona molestare, usurpare sine legali judicio aut devastare audeat, & presentis pagine firmitudini contraire, aut quovis temeritatis ausu illam attentet corrumpere, salva in omnibus imperiali justitia. Quod qui contrafecerit centum libras puri auri pro pena componat, dimidiam imperiali camere, & dimidiam injuriam passis. Hujus rei testes sunt.

Conradus Maguntine sedis archiepiscopus.

Willelmus Astensis episcopus.

Bonifacius Novariensis episcopus.

Federicus prepositus sancti Thome in Argentina.

Theobaldus comes de Lachesmud.

Simeon comes de Spannere &

Enricus Mariscalcus.

Ego Gotifredus imperialis aule cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi & Italie archicancellarii scripsi & recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo quinto indictione tertia imperante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo anno regni ejus XXXIII. imperii vero ejus XXXI.

Datum apud Podium Bonitii quarto nonas augusti.

Ego Benciveni notarius quondam Johannis Malabocche authenticum hujus exempli sigillatum sigillo cere rubee cum filo pendenti, in quo sigillo erat imago imperialis majestatis cum corona in capite sedentis super sedem, tenentis in manu dextera virgam, & in sinistra pallam rotundam cum cruce super eam. Suprascriptio hujus sigilli dicit: FEDERICVS. DEI. GRATIA. ROMANORVM. IMPERATOR. AVGVSTVS. vidi, legi, & quicquid in eo erat, hic per ordinem transcripsi ac publicavi.

Ego Rainerius de Monte ficali notarius hujus exempli vidi & legi, & cum legeretur, de verbo ad verbum diligenter auscultavi, ideoque subscripsi.

Ego Federicus filius Berardi de Capraja judex ordinarius & notarius *&c.* *ut supra.*

LXXXII.

Placitum pro Vivensibus contra comites de Sarthiano.

Anno 1185. die IX octobris.

Ex libro delle Coppe *Montis-politiani* pag. 129.

IN nomine Domini, amen. Hoc est exemplum seu copia cujusdam publici instrumenti publicati manu ser Martini Philippi notarii, cujus tenor talis est, prout inferius continetur. In nomine Domini nostri Jhesu Christi, anno ab incarnatione millesimo C. octuagesimo quinto indictione tertia die mercurii nona mensis octobris de lite, que vertebatur inter domnum Marcum priorem monasterii de Vivo nomine predicti monasterii ex una parte, necnon ex alia parte comitem Manentem de Sartiano, petebat dictus prior a predicto Manente decem & septem equas & pullos, & tot boves & vacchas, unde habuit libras septem, & sex paria bovum & centum pecudes, & vigintitres libras, & omnia de denariis Pise & Luce, & tres boves, & libras tres denariorum, quas abstulit ecclesie de Moiano, & XV. libras, quas abstulit ecclesie sancti Petri de Campo, & centum pecudes ejusdem abbatie .... *&c.* cuidam nostro abbati & libras sexaginta, quas habuit de rebus, quas extraxit de ecclesia de Mojano, & XXII. sarcinas ordei, quos abstulit ecclesie sancti Petri de Campo, & centum pecudes ejusdem abbatie, de quibus predictorum confessus est predictus comes Manens, de quibus deinde negavit, super quibus predictus prior hos produxit testes. Petebat quoque predictus prior a predicto Manente possessionem de Frascagia & de castello Ceculo, & de Piscis, & de Castagno, & possessionem datam a Bernardino Bacchai & ejus fratribus, & possessionem Buovini & vineam Offredelli & possessionem Ancini, & predium sancti Fabiani, quod filii magistri Mercenarii Nigri tenebant, & Marziolum & ejus curtem, & Casarne, & Castellionem, super quibus possessionibus fere omnibus predictus prior instrumenta aquisitionum exhibuit, quibus visis, & au- *Ibid. n. 44.*

& auditis testibus, infrascriptis diligenter inspectis domino Bonifacio Dei gratia Novariensi episcopo & domini invictissimi imperatoris Friderici Vicario ad justitias faciendas sedente pro tribubunali. Ego Otto Zondadarius Mediolanensis aule imperialis judex consilio sociorum meorum, videlicet Alberti de Adegherio Ferrariensis, & Grossi de Brissia judicum curie, Manentem a petitione inter decem & septem inter equas & pullos, & tot inter boves & vaccas, unde habuit libras septem, sex paria bovum & centum pecudes absolvo .... Item predictum Manentem a petitione predii sancti Fabiani, quod tenebant filii Mercenarii Nigri absolvo, prestito sacramento a predicto Manente, quod predictum predium erat suum. Item de novem libris Senensibus pro tribus bobus & de tribus libris Senensibus pro porcis & aliis rebus ablatis, & de quindecim libris, quas abstulit cuidam abbati predicti monasterii predictum Manentem absolvo. In triginta tribus libris & omnia denariorum Luce & Pise, cui triginta libris, quam habuit de centum pecudibus ablatis, & decem & septem somas ordei, & in triginta libris de rebus, quas abstulit de ecclesia predictum Manentem eidem priori nomine suprascripti monasterii condempno. Item in possessiones de Frascagia, & de castello de Ceculo, & de Piscis, & de Castagno, & de possessione data a Bernardino Bacchaii & ejus fratribus & de possessione Bovini & de vinea Offredelli & de possessione Ancini & de Marzolo & ejus curte & de Cararno & de Castiglione, ut dimittat predicto monasterio & non impediat, predictum comitem Manentem condempno. *Ibid. n. 44.*

Actum ante ecclesiam sancte Christine in episcopatu Senensi.

Interfuerunt Griphus Novolonis, Rainerius Bernardini, Uguccio de Guascho, Petrus Guiducii Marci, Stephanus Rhanneri de monte Politiano, Warnerius judex de Assysio, Clarissimus judex ejus frater, Martinus de Castello, Johannes judex de Sartiano, Vaholinus de Scolario, atque Scholarius ejus filius testes.

Ego Martinus Philippi imperialis aule & domini pape notarius interfui, & precepto jamdicti vicarii & judicum hanc sententiam scripsi.

LXXXIV.

Urbani III. *Rom. pont. privilegium pro parthenone S. Petri de Luco.*

Anno 1185. *more Florentino* III. idus martii.

Ex autographo ejusdem monast. Caps. Privilegia n. 117.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilecte filie .. abbatisse sancti Petri de Luco ejusque sororibus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Prudentibus virginibus, que sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis se preparant ire obviam Sponso, apostolicum debet esse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eas a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Quapropter dilecte in Christo filie vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium sancti Petri, in quo divino estis obsequio mancipate, ad exemplar felicis recordationis Eugenii pape predecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterim impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis auxiliante Domino poterit adipisci, firma vobis, & iis, que vobis successerint, & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: quicquid est in oppido Luci, quicquid habetis in Larciana villa, possessiones in Filiano & in Fortunio, & in Prata, partem de Cantamerulo, partem de Riofrigido, cum pertinentiis suis, partem de Rivocornoclario cum pertinentiis suis, partem de villa Castri, & de villa Silve & Frene cum pertinentiis suis. Preterea ecclesias sancte Marie de Riofrigido, sancti Bartholomei, & sancti Nicolai, & sancti Georgii de Luco, & sancte Christine prope castrum Septemfontium cum pertinentiis suis. Gubernationem earum a vobis per quadraginta annos & amplius libere & absque contradictione habetis, sicut eas juste & pacifice possidetis, vobis & ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus. Sane ea, que propriis manibus aut sumptibus colitis, *Ad lib. XXXIV. n. 1.*

seu

ſeu de nutrimentis veſtrorum animalium nullus a vobis decimas exigere vel extorquere preſumat. Criſma quoque, oleum ſanctum, conſecrationes altarium ſeu baſilicarum, ordinationes clericorum, qui ad ſacros ordines fuerint promovendi, a dioceſano ſuſcipietis epiſcopo, ſi catholicus fuerit, & gratiam & communionem apoſtolice ſedis habuerit, & ea gratis & abſque pravitate aliqua vobis voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antiſtitem, qui noſtra fultus auctoritate, quod poſtulatur, indulgeat. Sepulturam preterea ipſius loci liberam eſſe ſtatuimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui ſe illic ſepelire deliberaverint, ſatisfiat, niſi forte &c. (*Cetera ut in bulla Eugenii III. ann.* 1146. VII. *id. febr.*)

† Ego Urbanus catholice eccleſie epiſcopus ss.

† Ego Curradus archiepiſcopus Maguntinus ss.

† Ego Theobaldus epiſcopus Oſtienſis ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. ſancti Marci .... ss.

† Ego Laborans presb. card. ſancte Marie transſtiberim. ss.

† Ego Pandulfus presb. card. tit. XII. apoſtolorum ss.

† Ego Albinus presb. card. tit. ſancte Crucis in Jeruſalem ss.

† Ego Melior presb. card. tit. ſancto. Johannis & Pauli ss.

† Ego Adeleardus presb. card. tit. ſancti Marcelli ss.

† Ego Gratianus ſanctorum Coſme & Damiani diaconus card. ss.

† Ego Soffredus ſancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Rolandus ſancte Marie in porticu diac. card. ss.

† Ego Petrus ſancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Rodulfus ſancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Actum Verone per manum Transmundi ſancte Rom. eccleſie notarius III. idus martii indictione quinta anno incarnationis Dominice milleſimo centeſimo octuageſimo quinto, pontificatus vero domini Urbani pape III. anno primo.

LXXXIV.

Ejuſdem alterum Berardo abbati monaſt. S. Apollinaris in Claſſe.

Anno 1185. *more Florentino* idibus martii.

Ex autographo Claſſenſi.

URbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Berardo abbati ſancti Apollinaris in Claſſe ejuſque fratribus tam preſentibus, quam futuris regularem vitam profeſſis in perpetuum. *Ibid. n.* 4. Religioſam vitam eligentibus convenit adeſſe preſidium, ne forte cujuslibet temeritatis incurſus eos a propoſito revocet, aut robur, quod abſit, ſacre religionis infringat. Quapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & eccleſiam veſtram, in qua divino mancipati eſtis obſequio, felicis recordationis Alexandri pape veſtigiis inherentes ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & preſentis ſcripti privilegio communimus. In primis ſiquidem ſtatuentes, ut ordo monaſticus, qui ſecundum Deum & beati Benedicti regulam atque inſtitutionem Camaldulenſium fratrum in eccleſia veſtra inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter ſervetur. Preterea quaſcumque poſſeſſiones, quecumque bona eadem eccleſia in preſentiarum juſte & canonice poſſidet, vel in futurum conceſſione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, preſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. In comitatu Tudertino monaſterium, quod vocatur ſancta Illuminata cum omnibus pertinentiis ſuis. In comitatu Peruſino cellas quinque, ſancti Severi videlicet, capellam ſancte Margarite in maſſa Saliatica, monaſterium ſancti Petri in Colle, ſancti Petri in valle de Ponte juxta Tiberim, monaſterium ſancti Fortunati ſitum ex ripa adverſa Tiberis. In comitatu Eugubino maſſam, que dicitur Bignoli, curtem que dicitur Pretorium, & aliam que dicitur Baroncelli, tertiam que vocatur Nartianula cum omnibus ad eaſdem pertinentibus. In comitatu Firmano curtem integram, que vocatur Campumlongum, & caſtrum, quod vocatur Pauſuli, & aliud, quod vocatur Pretorium,

rium, medium castrum Casalis, & medium castri cum medietate ecclesiarum earumdem, curtem sancte Marie in Cerbaria, & sancti Apollenaris de Potentia, monasterium sancti Petri de Butrio cum fundo turris & cum palude, que dicitur Rota, cujus Rote fines sunt ab uno latere fluvius Tene, secundo litus maris, tertio terra sancti Blasii, quarto terra sancte Marie, & quidquid habetis in curte sancti Elpidii & sancti Juliani, & montis Luponis & Murrivallium cum decimis & primitiis terre vestri dominicati vestrorumque hominum concessis a beate memorie Azone Firmano episcopo, termini a primo latere Potentia, secundo Tenna, tertio litus maris, quarto Camerinus. In comitatu Senogallie massam Merolariam & casale Mauri, & tres fundos Ingallati, Arille & Donatianum. Infra civitatem ecclesiam sancte Marie Scotorum. In comitatu Fanensi locum integrum, qui dicitur Raviniana, cum ecclesiis & omnibus ad eam pertinentibus, primo latere Suasanus fluvius, & terra sancti Laurentii, secundo Sassobrata & rivus qui dicitur Maturius, tertio terra Forosinfronati, quarto aqua, que dicitur Albella; in eodem comitatu castrum Albinianum, & roccam Sambaticam; in civitate ecclesiam sancti Apollenaris juxta murum, ecclesiam sancti Viti, ecclesiam sancti Christophori. In civitate Pensauriensi monasterium sancti Decentii cum omnibus, que habet intra civitatem & extra, & villam, que dicitur Tresuli, & locum qui dicitur Vallicella, castrum Florentii & fundum Ravignanum. In comitatu Ariminensi castrum Gaii cum curte sua & massam Uzani, & quidquid habetis in castro Lunziani, & in curte locum, qui dicitur Fontana Sabbatina & Faturia; curtem Sale cum terminis suis, a primo latere litus maris, secundo Pisatellus, tertio Vetretum & Paverianus, quarto limes, qui dicitur Arzer, percurrens a prato usque in la Stratellam, & rivus Fabrice decurrens in mare, & quod habetis in Castagneto, Branchise, Bulgaria & Bulgarnovo, & curtem Casalicli & castrum Pisatelli cum curte sua. In comitatu Feretrano fundum Ruscianum. In Saxenate curtem sancti Angeli de Plano & castrum Civorii. In comitatu Cesenate massam Cazani cum ecclesia sancti Michaelis, & quod obvenit a Rainulso castri Gallisidii cum uxore sua infra idem castrum, & totam curtem suam constitutam in comitatibus Ariminensi & Cesenate; medietatem curtis Verignani constitutam in comitatu Ariminensi; quidquid etiam habetis in civitate Saxenate, & comitatu & curtem Succuniani cum ecclesia sancti Apollinaris. In comitatu Populiensi curtem, que dicitur Bagnolum cum castro suo & ecclesia. In comitatu Foroliviensi massam Barisani & curtem Pertusiaci cum ecclesia ibidem fundata. In comitatu Faventino curtem, que dicitur Quadrata cum fundis & casalibus, fundum videlicet Trentula, Susiana, Pituli, Saltum majorem & minorem, Granariolum, Ceredum lacum, & Presentianum & castrum Pergule. In Corneliensi monasterium, quod dicitur sancti Petri, massam, que dicitur Quinta, & massam que dicitur Solustra. In territorio Ravennate ecclesiam sancti Martini cum curte integra, que dicitur Aqualonga, & sancte Marie in Beatiano, & sancte Marie in Pratella cum omnibus suis pertinentiis, & curtem Gamellarie, terras & silvas & paludes eidem monasterio circumpositas cum omnibus suis pertinentiis, ab uno latere ripa Ursaria & ecclesiam sancti Gervasii cum possessionibus juxta se positis usque ad litus maris, a secundo litus maris tribus milliariis infra ipsum mare usque in portum Classicanum, a tertio Classatellus & confinium inter vos & sanctum Severum perveniens ad duos masine in Stratella, que pergit ad puteum Tressi, & cursus antiquus aque Raphedene usque ad furcas, a quarto latere villa, que dicitur Bagnolum & Saxanum, & sic pergit per Stadilianum usque Sapim. Infra civitatem Ravennatem ecclesiam sancte Marie in Pace & sancte Marie in Hortale cum casis & hortis, & sancte Barbare & sancte Marie in Bononia cum suis pertinentiis. In comitatu Ficoclensi & civitate quecumque habetis, scilicet salinas & tumbas, domos & terras, vineas & silvas. In comitatu Forosinfronati ecclesiam sancte Sophie cum omnibus suis pertinentiis. In comitatu Bononiensi jus, quod habetis in ecclesiam sancte Marie in Cavalli cum terris, silvis, paludibus & piscationibus ad eamdem pertinentibus, & quidquid etiam obvenit a domina Arachele, videlicet Tumbam massam cum omnibus pertinentiis suis, & ab hominibus Petri Azonis, & a Bennone Liucie, & a Liuzo Hugonis Lucii; fundum in loco, qui dicitur Palatiolo, quem reliquit filia Manfredi Wiciardi; decimas quoque, quas canonice possidetis, vobis & ecclesie vestre auctoritate Apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus co-

litis, seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas presumat exigere. Liceat quoque clericos & laicos liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos sine contradictione qualibet retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem liceat de claustro vestro aliqua levitate discedere, discedentem vero sine communium literarum cautione nullus audeat retinere. Sepulturam ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti, nullus obsistat, salva justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertates quoque & dignitates ecclesie vestre indultas, antiquas & rationabiles consuetudines ejusdem ratas habemus & firmas, easque perpetuis temporibus illibatas manere sancimus. Ad hec sicut pie recordationis I. . basilice XII. apostolorum presbyter cardinalis apostolice sedis legatus, cui questionem, que inter vos & monachos sancti Apollinaris novi de corpore ipsius martyris suborta fuerat, felicis recordationis Alexander papa predecessor noster audiendam commisit, provida deliberatione statuisse dignoscitur, ut corpus ejusdem martyris, quod apud monasterium vestrum invenerat, nullus in alio loco tamquam ibi sit presens, quam in monasterio vestro in Classe venerari presumat. Ita etiam constitutionem ipsius cardinalis ratam habemus & firmam, eamque auctoritate apostolica confirmamus. Insuper libertatem etiam a bone memorie Gualterio quondam Ravennate archiepiscopo indultam monasterio vestro, sicut in ejus scripto authentico continetur, & predecessores vestri & vos ipsi eatenus usi estis, auctoritate vobis apostolica duximus confirmanda. Decernimus ergo, ut nulli &c. Si qua igitur &c.

Ad te † *Domine*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
URBA | NUS
PP. | IIJ.
levavi animam meam.

BENE VALETE

Ego Urbanus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

† Ego Theobaldus Ostiensis & Veletrensis episcopus ss.

† Ego Johannes presbyter card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Pandulfus presb. card. tit. XII. Apostolorum ss.

† Ego Albinus presb. card. tit. sancte Crucis in Jerusalem ss.

† Ego Melior presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Adelardus tit. sancti Marcelli presb. card. ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Soffredus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Rollandus sancte Marie in Porticu diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Rodulphus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Verone per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii idus martii indictione III. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXV. pontificatus vero domini Urbani pape III. anno primo.

Loco † *sigilli plumbei.*

LXXXV.

Aliud ejusdem Guilielmo abbati Berardingorum.

Anno 1185. *eodem more* idibus martii.

Ex autographo penes nos.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Guilielmo abbati sancti Salvatoris Berardingorum ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium sancti Salvatoris Berardingorum, in quo divino estis obsequio mancipati, felicis recordationis Alexandri pape predecessoris nostri vestigiis inherentes sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti pri-

Ad lib. XXXIV. n. 3.

privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus qui secundum Deum & beati Benedicti regulam & ordinem Camaldulensium fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia inpresentiarum juste & canonice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum toto ambitu suo & omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Martini, que est juxta monasterium; ecclesiam sancte Marie de Ripalta; ecclesiam sancti Bartholomei de Sextano; ecclesiam sancti Laurentii de Quercitulo; ecclesiam sancti Pauli super fluvium Bumba; ecclesiam sancti Christophori de Giustrigono; ecclesiam sancti Blasii de Cortina; ecclesiam sancti Michaelis in Casprino; ecclesiam sancte Lucie de Casprenello; monasterium sancti Vigilii de civitate Senensi; ecclesiam sancte Christine in Luciniano Berardingo; ecclesiam sancti Martini de Picis; ecclesiam sancti Blasii de Palliario; ecclesiam sanctorum Cosme & Damiani in Campis; ecclesiam sancti Johannis de Arena; ecclesiam sancte memorie Alberti in monte Ilceto; ecclesiam in castro de Montirulo. Liceat quoque vobis clericos & laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos sine contradictione qualibet retinere. Prohibemus, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem aliqua levitate sine abbatis sui licentia fas sit de claustro vestro discedere; discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diocesano episcopo presentare, quibus si idonei inventi fuerint, ipse curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant respondere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis janiis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce officia celebrare. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse concedimus .... eorum devotioni & extreme voluntati .... sepeliri deliberaverint

....

.... obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora afferuntur. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis... vestrorum animalium nullus a vobis decimas presumat exigere. Decernimus ergo *&c.*

Ad te † *Domine*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
URB | ANUS
PP. | IIJ.
levavi animam meam.

BENE VALETE

Ego Urbanus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

† Ego Theobaldus Hostiensis & Vellectrensis episcopus ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtyberim tit. Calixti ss.

† Ego Pandulfus presb. card. tit. duodecim apostolorum ss.

† Ego Albinus presb. card. tit. sancte Crucis in Jerusalem ss.

† Ego Melior presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Adelardus tit. sancti Marcelli presb. card. ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Soffredus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Rollandus sancte Marie in porticu diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Nicholai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Radulfus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Verone per manum Alberti sancte Romane ecclesie presb. card. & cancellarii idus martii indictione tertia incarnationis Dominice anno M. C. LXXXV. pontificatus vero Urbani pape III. anno primo.

LXXXVI.

Literæ ejusdem ad Gerardum archiepisc. Ravennatem super procurationes monasteriorum Bononiensium.

Anno 1185. *ipso more* x. kal. aprilis.

Ex autographo marchionis Bonifacii Rangonii.

Ibid. n. 5. URbanus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Gerardo Ravennati archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Vidimus scriptum authenticum felicis recordationis patris & predecessoris nostri Lucii pape, & ex tenore illius plenius intelleximus, quod cum inter te & monasteria Bononiensia, tam monachorum, quam monialium, exceptis sancti Bartholomei & sancti Damiani, que contra te querelam minime referebant, super procurationibus, quas petebas ab eis, controversia fuisset diutius agitata, predicta monasteria de communi fratrum consilio condempnavit ad procurationes secundum facultates eorum tibi tuisque successoribus exhibendas. Ut igitur ipsa sententia majorem habeat imposterum firmitatem, eam sicut in scripto authentico continetur, auctoritate apostolica confirmamus. Ad majorem autem evidentiam ipsum authenticum de verbo ad verbum duximus exprimendum. Lucius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Gerardo Ravennati archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Sopite judicio sedis apostolice questiones scripto ad perpetuam memoriam commendantur, ne per oblivionem processu temporis valeant suscitari. Ut autem majorem habeat sententia firmitatem, apostolici scripti munimine roboratur. Sane cum inter te & monasteria Bononiensia tam monachorum, quam monialium super procurationibus, quas ab eis exigebas, controversia verteretur, eam venerabili fratri nostro Henrico Albanensi episcopo commisimus audiendam. Postmodum vero dilectus filius noster sancti Proculi abbas aliorum omnium procurator, sicut ex literis, quas portavit, apparuit, & ipse in manu jamdicti episcopi data fide firmavit, coram nobis & fratribus nostris pro suo & aliis, sancti Bartholomei & sancti Damiani exceptis, que super hoc questionem minime referebant, diutius litigavit. Verum pro parte sua nulla privilegia Romane ecclesie vel Ravennatis exhibuit, neque ostendit longa consuetudine se munitum, sed tu procurationes ipsas in aliis monasteriis tue provincie asserens sine contradictione prestari, eas predecessoribus tuis in monasteriis civitatis Bononiensis exhibitas per testes idoneos probavisti. Inde utique fuit, quod deliberatione cum fratribus habita, vidimus intentionem tuam jure communi & predecessorum tuorum consuetudine adjuvari. Ea propter tuis justis postulationibus annuentes monasteria supradicta de communi consilio fratrum condempnavimus ad procurationes secundum facultates eorum tibi, tuisque successoribus exhibendas, & adjudicantes eas vobis in jamdictis monasteriis universis sententiam, quam protulimus, nostra duximus & fratrum subscriptionibus roborandam. Decernimus ergo, ut nulli &c.

Ad te † *Domine*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
URBA | NUS
PP. | III.
levavi animam meam.

BENE VALETE

Ego Urbanus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Henricus Albanensis episcopus ss.

† Ego Theobaldus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Pandulfus presb. card. tit. XII. apostolorum ss.

† Ego Melior presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Adelardus tit. sancti Marcelli presb. card. ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Soffredus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Rollandus sancte Marie in Porticu diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Radulfus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Verone per manum Alberti S. R. E. presbyteri cardinalis & cancellarii x. kal. aprilis indictione IIII. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXV. pon-

pontificatus vero domini Urbani pape III. anno primo.

Visuntur foramina sigilli deperditi.

LXXXVII.

Processus & examinatio testium pro ecclesiis subjectis parthenoni Lucensi.

Anno 1186. mense martio.

Ex archivo ejus monaster. Saccul. E. n. 35.

Ibid. n. 9. DOmina abbatissa de Luco, que dicitur Dilecta, cum duabus sororibus Cecilia atque Theodora in spe, & tactis Evangeliis, cum parate essent jurare, dixerunt, quod per quadraginta annos & ultra invenerunt ecclesiam sancti Nicolai & sancti Georgii pacifice & sine legali interruptione plebani, & per monasterium ibi ordinati sunt cappellani, & constituti & restituti, & non credunt, quod plebanus possit eis interdicere officium, & non potuit umquam, sicuti nec ceteri Camaldulenses presbyteri.

Presbyter Ambrosius juramento dixit, quod vidit presbyterum Orlandum tenere ecclesiam sancti Nicolai pro monasterio, & dixit, quod vidit presbyterum Orlandum, & presbyterum Albertum cappellanos supradicti monasterii investisse presbyterum Johannem de supradicta ecclesia pro monasterio sine aliqua contradictione plebani vel sui nuntii, & dixit supradictam ecclesiam retentam esse pro monasterio per quadraginta annos & ultra. Et dixit, quod presb. Johannes, qui modo est in ecclesia predicta, se presente investitus fuit ab abbatissa de omni jure, quod monasterium habet in predicta ecclesia, & audivit, quod plebanus postea investivit eum de jure suo, propter quod abbatissa eum expulit de ecclesia, donec recepit investitionem ab abbatissa coram populo in parlatorio. Et vidit supradictos capellanos ad plebem ire in litaniis, & in festis & dare collectam pro episcopo. Nec vidit, nec scit, quod plebanus investisset presb. Johannem & Orlandum de supradicta ecclesia, de reverentia sua, & populi & monasterii & sancti Bartholomei. Item dixit, quod vidit presb. Albertum, quando ivit ad plebem in Litaniis, quandoque non; & ire ad festum sancti Johannis, & plebanum venire ad festum sancti Petri, & ipsemet fecit idem de supradictis quatuor ecclesiis, & habentes vestimenta & alia, sicuti consuetum est. Obedientiam autem dixit se nunquam ei promisisse. Item dixit & audivit pro ecclesia sancti Georgii, que est gubernata & recta pro monasterio per quadraginta annos, & dicit se vidisse, quod presbyter Martinus ordinatus fuit per monasterium, & per monasterium ibi stetit, & ecclesia vacabat, presb. Albertus ibi faciebat officium pro monasterio, & nullus pro plebe, se sciente.

Jambonus dixit, quod vidit presb. Orlandum tenere ecclesiam sancti Nicolai & sancti Georgii pro monasterio, & dixit, quod presb. Orlandus posuit presb. Petrum in ecclesia sancti Georgii, non existente plebano, se sciente & audiente. Et interrogatus quomodo sciebat, quod pro monasterio hoc fecisset, dixit, quia monasterium erat patronus & dominus ipsarum ecclesiarum, & mittebat presbyterum Orlandum quotiescumque volebat, tamquam suum conversum, & bene credit cum fuisset conversus de reverentia.

Item dixit presb. Ambrosius, quod presb. Orlandus posuit presb. Johannem in eadem ecclesia, sicuti presb. Petrum. Et quando ecclesia vacabat, presb. Orlandus faciebat ibi officium, & non plebanus, nec aliquis pro eo se sciente. Et presb. Martinus fecit ordinare presb. Johannem, qui mortuus est Fesulis, sine contradictione plebani vel sui nuntii, hoc vidi & scio a XL. annis & amplius.

Rigettus juramento dixit, *ut supra*, quod vidit plebanum officium interdicere sacerdoti Orlando in ecclesia sancti Nicolai pro errore, quem fecit Rugierus de Coldaria, & non certo scit, utrum plebanus vel episcopus hoc fecisset.

Mazzetus juramento dixit, quod vidit presb. Orlandum tenere ecclesiam sancti Nicolai & sancti Georgii pro monasterio, & non pro plebe, & audivit dominam abbatissam dicentem, quod ipse conversus erat, & omnes sacerdotes, qui in ipsis ecclesiis manebant, tenuerunt ipsas pro monasterio &c. Et dixit, quod plebanus interdixit officium in supradictis ecclesiis, sed non in ecclesia sancti Bartholomei, nec in ecclesia sancti Petri, quia ibi non poterat interdicere, & hans interdixit pro predicto errore.

Aldibrandinus juramento dixit, &c. & vidit, quod presb. Orlandus ecclesiam sancti Nicolai dedit Petro & Johanni ad honorem Dei, & dominarum & populi, nec erat ibi plebanus. De reverentia dixit idem, ut alii.

Gallus juramento dixit &c. *ut supra*.

Presbyter Johannes juramento dixit, quod

quod vidit presb. Orlandum tenere ecclesiam sancti Georgii pro plebe, & vidit presb. Johannem esse investitum de ecclesia sancti Georgii a plebano Aczone, & vidit eundem plebanum investire sacerdotem Martinum de supradicta ecclesia, presente presbytero Alberto & populo petente ad honorem Dei & omnium Dominorum. De reverentia dicit idem, ut testes domine abbatisse. Et vidit plebanum venire ad ecclesiam, & facere officia, antequam presb. Martinus fuerit sacerdos. Et vidit presb. Albertum venire similiter ad officium faciendum rogatione populi.

Presbyter Martinus juramento dixit, quod presb. Albertus commisit ei ecclesiam sancti Georgii, & ordinare eum fecit usque ad sacerdotium, & in sacerdotio recipiendo de voluntate presb. Alberti nuntii plebani. Cum vero esset in ecclesia presb. Albertus in manu plebani misit, & pro monasterio mansit in predicta ecclesia amplius xxx. annos & adhuc dixit, quod presb. Orlandus & omnes sacerdotes in ecclesia sancti Georgii instituti, absente plebano, ut ipse credit & certum videtur, sciat, quando ecclesia vacabat. Presb. Albertus ad ecclesiam veniebat, & officium pro monasterio faciebat, & penitentiarii dabant ei quosdam nummos, qui pro penitentiis acceperat, restituit; nec vidit plebanum venientem ad officium dicendum, nisi quando discordia erat inter se, & presb. Martinum & populum, & dixit, quod obedientiam promisit vicecappellano cum aliis cappellanis, quando fuit institutus ire ad plebem *&c.* Item dixit, quod presbyter Orlandus erat in ecclesia sancti Nicolai pro monasterio, & non pro plebe, ut sibi videtur.

Item Teuzus juramento dixit, quod vidit presb. Johannem tenere ecclesiam sancti Georgii pro plebe, & presb. Martinus similiter, quando ecclesia vacabat. Presb. Albertus faciebat ibi officia, & plebanus similiter, & dixit idem ut alii, & presb. Orlandus dixit ei, quod erat clericus Camaldulensis.

Drudulus juramento dixit, quod presb. Martinus debitam reverentiam plebano, & debitam reverentiam monasterio exhibebat, & vidit, quod altare tenebat pro plebe, & vidit plebanum investire presbyterum Martinum de ecclesia sancti Georgii presente presb. Alberto; de reverentia dixit idem, ut alii.

Pindus juramento dixit *&c. ut supra.*

Ugolinus juramento dixit *&c. ut supra.*

Ughetus juramento dixit *&c.* & dicit, quod vidit plebanum officium interdicere sacerdoti Orlando in ecclesia sancti Nicolai per errorem, qui fuit inter Rogerium de Coldaia & plebem, sed certe nescit, utrum plebanum vel episcopum hoc fecisset.

Maroccus juramento dixit *&c. ut supra in Ambrosio.*

Ego Rodulfus, qui presbyter vocor, judex & notarius has attestationes vidi & diligenter consideravi, & scripsi anno Domini millesimo centesimo ocptuagesimo sexto mense martii.

LXXXVIII.

Definitio Placidi prioris Camald. super easdem ecclesias.

Anno 1186. XIV. maji.

Ex eodem archivo. Sac. E. n. 38. *Ibidem.*

IN nomine Domini Dei eterni amen. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo sexto quartadecima die maji indictione quarta.

Judiciarius rigor sive quodcumque promissum bonorum virorum arbitratu tractandum in medio posita sunt, ne quis sibi ultionem permittat, ne populari furore vel iracundia provocati ad bella vel rixas temere vel injuste prorumpat. Quapropter dum controversia versaretur inter dominum Blasium ven. plebanum sancti Johannis majoris vice ejusdem plebis, & inter domnam Dilectam de Ubaldinis abbatissam venerabilis monasterii sancti Petri de Luco ejusdem monasterii vice agentem, videlicet de cappella sancti Nicolai de Luco, & de ecclesia sancti Georgii de Macerata & de cappellanis monasterii, ambe partes, videlicet domna abbatissa cum consensu suarum sororum, videlicet domne Adaline, & domne Theodore & aliarum, & cum parabola & licentia domni Placidi Camalduli majoris & prioris generalis. Et ipse domnus prior hanc ei licentiam tribuit cum consensu suorum fratrum domini Stephani legisperiti, & domini magistri Faventii, qui ei assistebant; & dominus plebanus cum consensu suorum canonicorum, videlicet presbyteri Alberti, presbyteri Bonarote & Cremonis diaconi & aliorum fratrum, communi concordia domno Placido majori Camalduli & priori generali pignoribus datis ad justitiam faciendam & recipiendam se supposuerunt.

Qui

Qui auditis allegationibus & testibus diligenter examinatis, & consideratis, cui ambe partes in eumdem postmodum compromiserunt. Ita definivit & statuit, & per scripturam tradidit definitum in perpetuum duraturum, sicut inferius est adnotatum & scriptum.

Ego Placidus Camaldulensis prior generalis volens pacificare litem, que vertebat inter abbatissam de Luco & plebanum sancti Johannis majoris, ex communi consensu utriusque partis, commiserunt illam in meo arbitrio. Ideo ita definio & dirimo hanc litem in perpetuum, ut abbatissa de Luco habeat liberam facultatem inveniendi & eligendi & instituendi, quos voluerit, in predictis cappellis sanctorum Nicolai & Georgii, post institutionem vero factam accedat plebanus ad cappellas, & pro investitura committat eis populum ad regendum, & ipsi cappellani promittant ei obedientiam pro debita & consueta plebis & cura populi; quam obedientiam sit promittere & exhibere de cura populi, & de spiritualibus ad populum pertinentibus se nulla ratione intromittere, donec obedientiam promittant. Cappellanus autem monasterii sive cappellani prebeant consuetam & debitam reverentiam plebano de omnibus, que juste facere debent. Et plebanus similiter prebeant ad rationem consuetam & debitam reverentiam plebano de omnibus, que juste & consuete debet exhibere, faciat. De omnibus supradictis ambe partes duo brevia uno tenore fieri rogaverunt hoc modo. *Ibidem.*

Breve recordationis, definitionis, securitatis, promissionis & firmitatis pro futura ostensione, quod factum est in parlatorio ejusdem monasterii in presentia domini Ughi Aldobrandini, & Bernardini de Burgo, & domini Albizonis Octaviani de Ubaldinis, & domini Octaviani Guicciardini, & Renuccioli de Burgo, & Minerbetti de sancto Johanne, & Johannes Tedaldini, in istorum predictorum presentia & aliorum domna Dilecta de Ubaldinis ven. abbatissa filia Roggerii cum consensu predictorum suorum & aliarum cum parabola & licentia domni Placidi majoris prioris Camalduli ac generalis, cui licentie consenserunt dominus Petrus Legisperitus & magister Faventius, qui domno priori erant assessores, & dominus Blasius plebanus sancti Johannis majoris communi concordia omnium suorum canonicorum, & suorum fratrum inter se statuerunt & finierunt, & firmum in perpetuum tenere sibi invicem promiserunt stipulatione subnixa, videlicet dominus plebanus promisit supradicte abbatisse cum supradicto consensu, & domna abbatissa promisit cum supradicta parabola domino plebano & consensu per se & suos in perpetuum successores de ecclesia sancti Nicolai de Luco, & de ecclesia sancti Georgii, de cappellanis monasterii in perpetuum hec firma tenere, & non renovare omnia, que dictus Placidus Camalduli prior inter plebem & monasterium statuit, definivit & definiri fecit, illa videlicet, que superius scripta sunt, nullumque factum aliquod partium facere, vel facturum esse, quo ista omnia, que superius scripta sunt, subtrahentur, tollentur, irritentur vel minuantur, que omnia quecumque pars non observaverit parti fidem servanti quinquaginta libras nomine pene per se & per suos successores dare bonorum denariorum, & post penam datam hunc finem, & promissionem & concessionem firmam tenere promiserunt.

Signa manuum domini plebani, & domine abbatisse, qui cum supradictis successitricibus hunc finem, & concessionem & promissionem fieri rogaverunt.

Signa manuum supradictorum testium.

Ego Rodulfus, qui presbiter vocor, judex & notarius interfui ad hec, & hunc finem & concessionem & promissionem rogavi & scripsi.

LXXXIX.

Altera definitio Gerardi episc. Bellunensis pro monast. Folline.

Anno 1186. XI. exeunte junio.

Ex authentico ejusdem monast. n. 49.

IN Christi nomine. Amen. Anno Domini millesimo C. LXXXVI. indictione IIII. die veneris XI. exeunte junio. Presencia magistri Alberti, Mainecti Fulci judicum, Odolrici de Feltre, Gerardi de Dal.. Bernardini Rabat.. de Cono & aliorum plurium. Ego Gerardus Bellunensis episcopus ex delegatione Urbani domini pape cognoscens de lite decimarum cujusdam ville, que vocatur Stablucio, que vertebatur inter domnum Bernardum abbatem agentem nomine monasterii de Folina ex una parte, & ex alia presbyterum Pizolum, quas decimas predictus presbyter Pizolus afferebat ad se pertinere propter sententiam, quam donnus Johannes prior XL. Sanctorum tulerat & propter quasdam alias suas rationes, *Adlib.XXXIII. n. 41.*

tiones. Quam sententiam predictus abbas nullius momenti fore dicebat; his videlicet rationibus, quia post appellationem lata fuit, & quod monachi albi decimas de propriis laboribus dare non compelluntur, & aliis quibusdam rationibus, visis instrumentis utriusque partis, & attestationibus & rationibus diligenter inspectis, habito conscilio quorumdam sapientum, auctoritate domini Urbani pape & nostra, infirmo sententiam, quam prior predictus Sanctorum XL. pro predicto presbytero Pizolo contra abbatem de Folina protulerat, & dico eam non valere de jure. Actum juxta Plavim ante tegetes hospitalis de Plavi.

Ego Hermannus sacri imperatoris F. notarius interfui & ss.

Ego Leonardus Manfredini quondam filius sacri palatii notarius hoc instrumentum ex commissione domini Lat.. Adelasii Tarvisii potestatis nil addens vel minuens &c. exemplavi & signo meo corroboravi.

Anno Domini M. C. LXXXIIII. indictione II. die lune XII. intrante marcio. Nos Conradinus cap.. Lupi, Florius, Ingelerius, Odolricus, Rondinus Tarvisii consules cognoscentes de lite quasi possessionis decimarum novalium & amplorum, que jacent in territorio Stabluci, que vertebatur inter presbyterum Parvum &c. contra domnum Bernardum abbatem de Fulina &c. visis &c. absolvimus jamdictum abbatem a petitione jamdicti presbyteri Parvi &c. a quasi possessione predictarum decimarum salvo jure feudi, presentibus Johannis Boni divitis, Magistri Johannis, Viviani judicum, Inrigeti nutt.. March.. Lazarini de Sizo, Ospinelli de Johanne Dodone, Tarvisii de Op..r..do, Tizoni, Artuichi Songi, Campanilli & aliorum. Actum Tarvisii in domo communis.

Ego Manfredinus sacri imperatoris notarius interfui & de mandato jamdictorum consulum in scriptis dixi & scripsi.

Ego Leonardus Manfredini quondam filius sacri palatii notarius hoc instrumentum domini Lat.. Adelasii Tarvisii potestatis &c. exemplavi signoque meo corroboravi.

XC.

Henrici VI. regis praeceptum pro Camaldulensibus.


Anno 1186. pridie nonas octobris.

Ex cod. membranaceo monast. S. Michaelis Pisarum.

PRaeceptum simillimum alteri Friderici I. regis anni 1154. dilargitus est Camaldulensibus Henricus VI. Romanorum pariter rex, quod hic exscribere supervacaneum duximus. Nomina vero nobilium testium, quae in Henriciano leguntur, haec sunt. *Ad lib. XXXIV. n. 14.*

Gerardus Ravennas archiepiscopus, Johannes Bononiensis episcopus, Willelmus Astiensis episcopus, Heinricus episcopus de sancto Cassiano, Fridericus comes de Hohenberch, Conradus comes de Dorrenberch, Johannes Bononiensis potestas, Fridericus de Husen, Engelhardus de Winisperc & alii quamplures.

Signum domini Henrici VI. Romanorum regis invictissimi.



Ego Philippus Coloniensis archiepiscopus & Ytalici regni archicancellarius recognovi.

Datum Bononie pridie nonas octobris anno Dominice incarnationis M. C. LXXXVI. indictione V. per manum Rodulphi protonotarii, regnante domino Henrico Romanorum rege glorioso anno vero regni ejus XVIII.

XCI.

Urbani III. privilegium Livaldo priori monast. S. Mariae ad Carceres.

Anno 1186. VII. kal. decembris.

Ex veteribus exemplis monast. S. Michaelis de Muriano.

URbanus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Livaldo priori eccle- *Ibid. n. 1.*

ecclesie sancte Marie de Carcere, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor equitatis, & ordo exigit rationis, presertim cum petentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquitur. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predecessorum nostrorum felicis memorie Alexandri & Lucii Romanorum pontificum vestigiis inherentes prefatam ecclesiam sancte Marie de Carcere, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum & oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Andree de Curtarodulo cum pertinentiis suis; & decimas novalium omnium totius loci, qui Caracetulum vocatur, sicut privilegium Alexandri predecessoris nostri plenius continet, & in Aguciano; & novalium in tota Scudachia, in Frata, in Montaniana & in Vigezolis. Quidquid habetis in Cavallili, in Craterolo, in Carpo, in Portu, in Minervio, in Bonadico, Urbana, Casali, Altadura, Merlaria, villa Placentie, Montaniana, Miliarino, Palso, Vigezolo, Este, in plebe de Villa, in Montesilicis, Bavono, & quidquid Gerardus Paduanus episcopus rationabiliter vobis concessit. Quidquid habetis in Spaxano, Cona, in Tribano, in valle Pantena, in Montagnana, in Albertone. Quecumque a bone memorie Bellino & Senebaldo Paduanis quondam episcopis vobis canonice data sunt, nihilominus confirmamus. Ecclesiam sancti Salvatoris cum omnibus possessionibus, pertinentiis & aliis, que ad ecclesiam spectare noscuntur, terris cultis & incultis cum silvis & sine silvis, sicut juste & pacifice possidetis. Terram, quam habetis in vico Tinioso & in Gazolo; ecclesiam sancti Johannis in Vighizolo cum omnibus possessionibus, adjacentiis & aliis, que ad eamdem ecclesiam pertinere noscuntur, terris videlicet, paludibus, piscationibus & decimis. Decimationes etiam totius paludis de Baone; sicut vobis a Paduano episcopo rationabiliter concesse sunt, & ejus instrumento plenius continetur. Decimam quoque de territorio ville, que dicitur Cavallile. Sententiam vero illam, quam prefatus Bellinus super contentione, que inter vos & clericos sancte Thecle de Este de persona Hugonis Ballistarii & filii ejus, & bonis ipsius agebatur, legitime promulgavit, ratam habemus & auctoritate apostolica confirmamus. Preterea venditionem, quam vobis archipresbyter de Runcho cum fratribus suis de quadam terra in Minervio rationabiliter fecit vobis, que ad vos proprietatis titulo pertinet, illibatam decernimus permanere. Statuentes, ut de possessionibus, quas habet ecclesia vestra nunc, vel in posterum est habitura, nullus laicus decimas presumat exigere, & novalium vestrorum, que propriis manibus vel sumptibus colitis, seu ad nutrimentum victualium vestrorum, nullus a vobis decimas extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in eo loco professionem, fas sit absque prioris sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu de eodem discedere; discedentem autem absque literarum cautione nullus audeat retinere. In parochialibus autem ecclesiis, quas habetis, liceat vobis sacerdotes eligere, & diocesano episcopo presentare, quibus si idonei fuerint, episcopus curam animarum committat, ut ei de spiritualibus, vobis vero de temporalibus debeant respondere. Antiquas quoque & rationabiles consuetudines ecclesie vestre concessas, & usque ad hec tempora observatas, & decimas, quas a quadraginta retro annis usque nunc pacifice possidetis, authoritate apostolica vobis roboramus. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se sepelire deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen

men justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c.

Ego Urbanus catholice ecclesie episcopus ss.

Datum Verone per manum Alberti S. R. E. presbyteri candinalis & cancellarii VII. kal. decembris indictione quinta incarnationis Dominice anno M. C. LXXXVI. pontificatus vero domini Urbani pape III. anno primo.

XCII.

Henricus VI. suscipit sub sua protectione monast. S. Michaelis de Quadrigaria.

Anno 1186. tertio nonas decembris.

Ex autographo penes Grandium.

Ibid. n. 8. HEnricus sextus Dei gratia Romanorum rex augustus. Regie celsitudinis nostre, & christiane devotionis deposcit clementia, locis venerabilibus, & Deo dicatis benefacere, & providere, ut temporalis regni prosperiorem decursum, & .... meritum habeamus. Eapropter ad anime nostre, & parentum nostrorum remedium operam adhibentes, ecclesie sancti Michaelis, que est sita in loco, qui dicitur Quadrigaria, in comitatu Camerino cum suis habitatoribus inibi Deo servientibus concedimus, ut in flumine, quod dicitur Exinum, molendina construant, quandocumque voluerint, cum clusis, & his omnibus, que ex utraque ripa fluminis ad molendina facienda sunt necessaria. Prefatam itidem ecclesiam, & suos habitatores cum tota posteritate sua, vel eorum, quas habent, & quas in antea juste aquirere poterunt, sub nostre protectionis munimine, defensione, & securitate ponimus. Statuentes, & regalis vigore mandati precipientes, ut nullus comes, nullus marchio, nullus consul, nullum commune, nulla denique secularis, vel ecclesiastica persona, hanc nostram concessionem, & protectionem audeat ullo modo infringere vel violare. Qui contrafecerit, triginta librarum auri puri pena condepnetur, quarum medietas camere nostre presentetur, reliqua medietas cenobitis prefate ecclesie.

Datum Esine anno Dominice incarnationis M. C. LXXXVI. indictione V. tertio nonas decembris.

Pendet ex funiculo serico violacei coloris regium sigillum ceræ subnigræ interius, albæ exterius.

XCIII.

Solutio census annui facta a monast. Uranensi archiepiscopatui Ravennati.

Anno 1187. die secunda intrante augusto.

Ex tabulario archiep. Ravennat. Caps. G. n. 2561.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo octuagesimo septimo die secundo intrantis mensis augusti indictione quinta. In claustro venerabilis monasterii sancte Marie in Urano. Ego Johannes Bonus Ravennas tabellio accepi pensionem a monacis ipsius monasterii sancte Marie in Urano octo sol. & quattuor den. Luc. pro dicendis rebus quas ipsum monasterium detinet jure sancte Ravennatis ecclesie. Scilicet pro tribus fundis principalibus integris, quorum vocabula hec sunt, Urano, & Flaibano & Ordenano coerentibus se. Intra fines predictorum fundorum ab uno latere est fundum Sintiniano, ab alio latere casa lapidea, & Adriolo, a tercio latere cella Nobula & Filice, quarto latere fundus Turris. Et pro fundo integro, qui vocatur monte Rossolo, intra fines ejus ab uno latere Sintiniano, ab alio latere est via, que descendit de castro Cesubeo a casa Lapidea inter Salavello, & predictum fundum montis Rossoli, a reliquis duobus lateribus est casa Lapidea & Adriolo. Et pro medietate integra fundi Campi gurri, qui vocatur Auximo, & cella Montana cum vinea sua super se habente, & pro fundo Turicla, qui vocatur mons Major, & pro fundo integro, qui vocatur Tesseledo & pro fundo prati aquosi. Intra fines predictorum fundorum a primo latere Caselle juris sancte Ravennatis ecclesie, alio latere Liciano, qui vocatur Prunieta, a tercio latere cella Ima, e quarto latere cella Novula, & Adriolo, & casa Lapidea, & pro loco integro, qui vocatur casa Cisiaca. Et pro fundo Liciano, qui vocatur Prunieta, excepto prato domnicato sancte Ravennatis ecclesie, qui vocatur Major, quod sibi reservatum est, ab uno fundus Tesseledo, alio possidet Venerius judex & Petrus de casa Lapidea; a tercio latere est fundus Graciniano & Belleni, a quarto latere est juris sancte Ravennatis ecclesie, & pro medietate integra fundi integri, qui vocatur *Ibid. n. 13.*

catur casa Lapidea cum appendicibus suis, ab uno latere Tessellendo, ab alio latere Cella Nobula, tercio latere terra Alba], a quarto latere est juris sancte Ravennatis ecclesie. Que prenominate res, ut superius legitur, cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, salectis, sacionalibus, arbustis, arboribus, pumiferis & infructiferis, aquis, rivis, fontis, peremnis, limis, limitibusque suarum, & cum omnibus predictis rebus quoquo modo generaliter & specialiter pertinentibus, seu subjacentibus sibique subjectis constitute territorio Populiense plebe sancte Marie, que vocatur in castro Cesubeo. Et insuper pro fundo uno integro, qui vocatur Campo Dominico posito in curte, que vocatur Campo Gallano cum ecclesia, cui vocabulum est sanctus Petrus, posita similiter in curte, que vocatur Campo Gallani cum triginta tornatoriis terre ipsi ecclesie sancti Petri pertinentibus sitis territorio Populiense plebe civitatis rupta, que predicte res sunt juris proprietatis sancte Ravennatis ecclesie, pro quibus, ut superius dictum est, pensionem debeat predictum monasterium sancte Marie in Urano sancte Ravennati ecclesie annuatim pro unaquaque indictione octo solidos, & unum tremisse pro indictione prima.

XCIV.

Gregorius VIII. *Rom. pont. confirmat monast. Agnaniensi ecclesiam S. Christinæ ad Clanas.*

Anno 1187. XVII. kal. januarii.

Ex autographo S. Romualdi de Urbe Fasc. I. n. 1.

Ibid. n. 12. GRegorius servus servorum Dei Saxoni abbati & conventui sancte Marie de Agnano salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, & vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ecclesiam sancte Christine de Clano cum omnibus pertinentiis suis a bone memorie Hel. quondam Aretino episcopo vobis & monasterio vestro concessam, sicut eam rationabiliter & pacifice possidetis, & eadem concessio legitime facta est, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis &c.

Datum Pisis XVII. kal. januarii indictione sexta.

Pendebat olim ex funiculo plumbeum sigillum.

XCV.

Clementis III. *Rom. pont. privilegium, quo confirmat omnia monasteria congregationi Camald.*

Anno 1187. X. kal. januarii.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

CLemens episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori Camaldulensi ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Offitii nostri nos ammonet, & invitat auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti & tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honestati conveniens esse dinoscitur, ut qui ad earum regimen, Domino disponente, assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & beati Petri atque apostolice sedis patrocinio muniamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predecessorum nostrorum felicis memorie PASCHALIS, EUGENII, ANASTASII, ADRIANI, & ALEXANDRI Romanorum pontificum vestigiis inherentes statuimus, & presentis decreti auctoritate sancimus, ne cuiquam omnino persone clerico, monacho, laico cujuscumque ordinis aut dignitatis presentibus aut futuris temporibus liceat congregationes illas, & loca illa, que Camaldulensis eremi sive cenobii disciplinam & ordinem susceperunt, queque hodie sub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo subjectione, & unitate dividere; que videlicet loca & congregationes conservande unitatis gratia singularibus visa sunt vocabulis annotanda. In episcopatu Arretino monasterium sancti Salvatoris Berardingorum, sancti Petri in Rota, sancte Marie in Agnano, sancti Quirici in Rosa, heremum Fleri, monasterium sancti Viriani, sancti Bartholomei in Anglare; juxta Balneum monasterium sancte Marie in Trivio; in Galliata monasterium in Insula; in episcopatu Ibid. n. 13.

ſcopatu Montis-Feretrani monaſterium Montis-Herculis; in epiſcopatu Forumpompilienſi hoſpitale Aimerici; in epiſcopatu Peſaurienſi monaſterium ſancti Dicentii, heremus Sajoli; in epiſcopatu Bononienſi monaſterium ſancti Archangeli juxta caſtrum Britti, ſancti Felicis; in epiſcopatu Florentino monaſterium ſancti Petri de Luco, ſancti Salvatoris juxta civitatem; in epiſcopatu Feſulano monaſterium ſancte Marie in Poplena, & eccleſiam ſancte Margarite; in epiſcopatu Vulterrano monaſterium ſancti Petri in Fontiano, ſancte Marie in Policiano, ſancti Petri in Cerreto, ſancti Juſti prope civitatem; in epiſcopatu Piſano monaſterium ſancte Marie de Morrona, monaſterium ſancti Stephani in Cintoria, ſancti Savini in Montione, in ipſa civitate monaſterium ſancti Michaelis, ſancti Fridiani, ſancti Zenonis. In epiſcopatu Lucano monaſterium ſancti Salvatoris in Cantiniano, ſancti Petri in Putheolis; item in Sardinia in epiſcopatu Turritano monaſterium ſancte Trinitatis de Saccaria, eccleſiam ſancte Eugenie in Samanar, eccleſiam ſancti Michaelis & ſancti Laurentii in Vanari, eccleſiam ſancte Marie & ſancti Johannis in Altaſar, eccleſiam ſancte Marie in Contra, eccleſiam ſancti Johannis & ſancti Symeonis in Salvener, eccleſiam ſancti Nicolai de Trulla, eccleſiam ſancti Petri in Scano, eccleſiam ſancti Pauli in Cotrognano, eccleſiam ſancti Petri in Olim. Item in Tuſcia in epiſcopatu Cluſino heremum Vivi in Monte-amiato cum omnibus ſupradictorum locorum pertinentiis. Villam preterea de Mojona, quam emiſtis ab Henrico prepoſito & reliquis canonicis cum omnibus pertinentiis ſuis; villam de Moncione, quam emiſtis ab abbate ſancte Flore, quemadmodum in veſtris cartulis continetur, & vobis a predeceſſore noſtro bone memorie papa ANASTASIO mediante juſtitia adjudicata eſt, & ſcripti ſui ſententia confirmata. Omnia igitur ſupradicta monaſteria cum omnibus ad ipſa pertinentibus adinſtar predicti anteceſſoris noſtri ALEXANDRI, ſtatuimus & apoſtolice ſedis auctoritate ſancimus tamquam corpus unum ſub uno capite, ideſt ſub priore Camaldulenſis eremi temporibus perpetuis permanere, & in illius diſcipline obſervatione perſiſtere, ſub eo, inquam, priore, qui ab ipſius congregationis abbatibus ſive prioribus, & ab eremitis regulariter delectus preſtante Domino fuerit. Porro congregationem ipſam, ita ſub apoſtolice ſedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli epiſcoporum facultas ſit aliquod ex his monaſterium abſque prioris conniventia vel apoſtolice ſedis licentia excommunicare, vel a divinis officiis interdicere. Statuimus inſuper, ut decimas terrarum veſtrarum nullus a vobis extorquere preſumat, ſed diſtribuendi eas hoſpitalibus veſtris in uſum pauperum ſecundum antiquam conſuetudinem veſtram, liberam habeatis, auctoritate apoſtolica, facultatem. Indulgemus etiam, ut in conventus veſtri prelatis inſtituendis & amovendis, ſicut hactenus dicitur ab anteceſſoribus noſtris optentum, liceat, & vobis ſine contradictione qualibet obſervare. Fratribus autem ipſis licentia ſit, a quo maluerint catholico epiſcopo conſecrationum & ordinationum ſacramenta ſuſcipere. Ad hec monaſterium de Urano vobis & conventui veſtro, ſalvo jure Ravennatis eccleſie, auctoritate apoſtolica ad exemplar jam dicti predeceſſoris noſtri ALEXANDRI confirmamus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *&c.* Si qua igitur *&c.* Cunctis *&c.* Amen. Amen. Amen.

Dn̄e doce †	*me facere*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
CLE PP.	MENS IIJ.
voluntatem	*tuam.*

BENE VALETE

Ego Clemens catholice eccleſie epiſcopus ss.

† Ego Theobaldus Hoſtienſis & Veletrenſis epiſcopus ss.

† Ego Laborans presb. card. ſancte Marie trans Tiberim tit. Calixti ss.

† Ego Melior presb. card. ſanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Jacintus ſancte Marie in Coſmedin diac. card. ss.

† Ego Gratianus ſanctorum Coſme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Octavianus ſanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Petrus ſancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Radulphus ſancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Piſis per manum Moyſis Lateranenſis canonici x. kl. januarii indictione ſexta incarnationis Dominice anno M.C.LXXXVII. pontificatus vero domini Clementis pape III. anno primo.

XCVI.

XCVI.

Idem suscipit sub apostolica protectione ecclesiam S. Michaelis de Arretio.

Anno 1188. idibus januarii.

Ex archivo S. Mariæ in Gradibus ejusdem urbis n. 87.

Ibid. n. 17. CLemens episcopus servus servorum Dei dilectis filiis priori ecclesie sancti Michaelis, que in suburbio Aretine civitatis sita est, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, ut fidelis devotio effectum celerem sortiatur, & ut tanto liberius sacre religionis observantie & aliis operibus bonis insistat, quanto ab apostolica sede se senserit in pio proposito benignus confoveri. Ea propter in dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam sancti Michaelis, in qua divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis memorie Anastasii pape predecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Camaldulensium fratrum in eadem ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia inpresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. Proprie parochie fines, quemadmodum in authentico scripto Jeronymi quondam Aretini episcopi continetur, duximus distinguendos; totum videlicet populum, qui nunc est habitator, aut erit in suburbio ex utraque parte strate a domo sive classaria olim filii Tiribaldi dicta, qua itur ad sanctum Petrum minorem usque ad domum sive classariam olim dicta Moronti, qua itur ad sancti Michaelis molendinum, & a domo sive classaria olim Ardimanni Villani dicta, qua itur ad sanctum Bartholomeum usque ad domum sive classariam olim Aricii Captapanis dicta, qua itur ad molendinum supradicte ecclesie patronorum, videlicet filiorum seu nepotum Raineri Gerzi. Preterea medietatem molendini, quod est juxta suburbium cum omnibus pertinentiis & utilitatibus suis. Domos, quas habetis in eodem suburbio cum omnibus utilitatibus suis. Plateam, que ante ipsam ecclesiam sita est, sicut in donationis cartula continetur. Quicquid habetis in Albagnoro & in Montagnoro. Terras, quas Johannes quondam prior cum matre sua eidem ecclesie pietatis intuitu tradidit. Terras, quas ... iventone cum uxore & filio vobis donavit. Quicquid a Mazagallo emistis, seu ipse vobis donavit, & quicquid Petrolus ejus nepos vobiscum cambiavit seu donavit. Terram, quam a Filiastro emistis; terram, quam Gerardinus vobis pro anime sue remedio tradidit, sicuti in cartula ab eo & filiis rogata continetur. Terras, quas habetis juxta silvam, & in Gattuline, & terram juxta filios Rigoli; terram quoque de Cacignano, & quidquid in plano Domi habetis. Domos, quas habetis in civitate Arretina. Oleum quoque sanctum infirmorum, & cuncta, que ecclesiastici officii sunt, preter baptismum tam in sollemnitatibus, quam in festivis & quotidianis diebus vobis vestrisque successoribus & ecclesie vestre, sicut a predicto episcopo vobis concessa sunt, vobis nihilominus confirmamus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia matricis ecclesie. Decernimus ergo &c. salva sedis apostolice auctoritate, & in omnibus Camaldulensis prioris obedientia & reverentia, & Aretini episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c.

Doce me † Domine

SCS	SCS
PETRUS	PAULU
CLE	MENS
PP.	III.

facere voluntatem tuam.

BENE VALETE

Ego Clemens catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theobaldus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Melior presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Jacinthus diaconus card. sancte Marie in Cosmedin ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Nicholai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Radulfus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Pisis per manum Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii idibus januarii indictione VI. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXVIII. pontificatus vero domini Clementis pape III. anno primo.

XCVII.

Idem confirmat bona monasterii S. Cassiani de Carisio.

Anno 1188. XVII. kal. februarii.

Ex autographo SS. Bartholomæi & Pontiani de Luca.

Ibidem. CLemens episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati sancti Cassiani de Carisio, ejusque fratribus tum presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere & vigor equitatis & ordo exigit rationis, presertim quando petentium voluntatem & pietas adjuvat & veritas non relinquit. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & monasterium sancti Cassiani, in quo divino mancipati estis obsequio, felicis recordationis Lucii pape predecessoris nostri vestigiis inherentes sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu justis aliis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem loco institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Possessionum autem nomina propriis duximus exprimenda vocabulis. Villam de Carisio cum curte & districto, & omnibus pertinentiis ejus cum flumine Rogulo; ecclesiam sancti Michaelis de Monte-ruttulo cum omnibus, que habet & possidet; omnia, que habetis in curte & castello de Pezole; ecclesiam sancti Cerbonii cum omnibus, que habetis in villa & curte de Applano; jus, quod habetis in ecclesia sancti Donati cum omnibus, que ad ipsam pertinere noscuntur; omnia, que habetis in Rocca, & in curte de Valli; jus, quod habetis in ecclesia sancti Justi; quecumque habetis in curte de Alliga, & in curte & districto de Folliano, & in podio de Monte Fusculi, & in curte de Aletreta cum ecclesia sancti Andree, & omnibus, que habetis in eadem villa; ecclesiam sancti Pontiani cum podio, villa & curte ejusdem; que habetis in curte de Legul.. & in curte de Tognano, & in curte de castello Falsi; ecclesiam sancti Petri de Libiano; ecclesiam sancte Marie de Griciano cum omnibus, que habetis in Griciano & curte ejus; omnia, que habetis in curte de monte Cuccari, & curte de Monticlo, & in curte de Pava, in curte de Casanova, & in villa de Padule, & in curte de Camuliano, & in curte de Palaja, & in curte de Montezano; omnia, que habetis in curte de Gavorano; ecclesiam sancti Andree de Ravi cum omnibus, que habet & possidet; quecumque ad vos pertinent in eadem curte de Ravi; ecclesiam sancti Germani cum omnibus, que possidet, que est sita in curte de Colle majori. Quecumque habetis in curte & districto de Buriano; omnia, que habetis in curte de Cumulo & in curte de Ceole. Decimas preterea omnium terrarum, quas in Lucan. Pisan. & Vulterran. episcopatibus habere noscimini, sicut a bone memorie Johanne Lucano, Azo Pisano, Gunfredo Vulaterrano episcopis vobis concesse sunt, & eas pacifice possidetis. Liceat quoque vobis clericos & laicos, liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos sine contradictione qualibet in vestro collegio retinere. Prohibemus autem, ne ulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia de claustro vestro, nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communi literarum cautione nullus audeat ...... Porro cum generale interdictum terre fuerit, liceat vobis janius clausis, non

non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis & interdictis, suppressa voce divina officia celebrare ..... &c. Statuimus insuper, ut infra fines parochiarum vestrarum absque assensu episcopi diocesani nullus ecclesiam vel oratorium de novo edificare presumat .... &c. monasterii vestri liberam esse concedimus ...., eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni & extreme voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum major pars consilii sanioris secundum Dei timorem & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut &c.

Ego Clemens catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theobaldus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Melior presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Jacinthus diac. card. sancte Marie in Cosmidyn ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

Ego Radulfus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Pisis per manum Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii XVII. kal. februarii indictione VI. incarnationis Dominice anno M. C. LXXXVII. pontificatus vero domini Clementis III. anno primo.

Loco † sigilli plumbei.

XCVIII.

Terræ concessæ a monast. S. Gregorii de Urbe ad construendum hospitale pro leprosis.

Anno 1188. die III. aprilis.

Ex codice Gregoriano pag. 184.

Ibid. n. 19. IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo octavo, pontificatus domni Clementis tertii pape anno ejus primo, indictione sexta mensis aprilis die tertio. Nos quidem presbyter Nicolaus monacus & yconomus venerabilis monasterii sanctorum Andree & Gregorii in clivo Scauri, domnus Petrus presbyter, & Anastasius presbyter & ecclesie sancte Fortunate prepositus, & Laurentius presbyter & monachus locamus vobis Raymundo presbytero, Zaccheo & Aloesi vestrisque successoribus lepre morbo laborantibus in perpetuum, idest duas canapinas juris ecclesie sancte Fortunate positas ante ecclesiam sancti Laurentii extra portam Sutrine civitatis, cum introitu & exitu earum, & omnibus earum pertinentiis & utilitatibus, affines earum a primo latere strata sancti Petri apostoli, a secundo Paganus Johannis Balbi, a tertio heredes Poli de Arduino, a quarto rivus, pro trigintanovem solidis denariorum Senatus, quos nobis pro locatione dedistis, quos denarios nos reddidimus Johanni Tineoso pro eisdem canapinis recolligendis, & hanc locationem vobis tali tenore concedimus, quod illic hospitale vel ecclesiam construetis Domino concedente, & omni anno in festo sancte Fortunate toto tempore dicti presbyteri Raynaldi dabitis ecclesie sancte Fortunate pro pensione tres denarios Senatus, vel quales melius loco Senatus currerint, si Senatus exciderint. Post mortem vero presbyteri Raynaldi persolvent per singulos annos duodecim denarios pro pensione supradicte ecclesie, qualiter superius dictum est, & quicquid pro anima dabitis in morte vestra, & illic habitantium perpetuo ecclesie sancte Fortunate relinquetis, superfluum vero, si defunctus habuerit, hospitali vel ecclesie vestre relinquet, & nihilominus operabimini, per quod jus nostre ecclesie minoretur, vel ipse locus alienetur, & ab ecclesia sancte Fortunate & ejus pastoribus penitentiam, corpus & sanguinem Domini in morte & vita suscipietis, & si aliquo tempore in dicto loco leprosos non habitare contigerit, ipse locus cum omni melioratione, & cum omnibus acquisitis, tunc ad ecclesiam sancte Fortunate revertetur nullo jure obstante. Qua quidem locatione tam pro nobis, quam pro nostris successoribus, ut superius dictum est, ratam habere, & contra non venire, immo, si opus fuerit, ab omni homine jure defendere promittimus, quod si non fecerimus, componemus vobis pro pena decem libras denariorum Senatus, & soluta pena hec

cartula

cartula firma permaneat, & nos Raynaldus presbyter, Zaccheus & Aloese invicem vobis dominis monacis repromittimus supradictas conventiones servare perpetuo pro nobis, & nostris successoribus, & contra non venire, quod si non fecerimus, componamus dicte ecclesie sancte Fortunate pro pena centum solidos denariorum Senatus, & soluta pena hec cartula firma permaneat, quam scribere rogavi Thebaldum sancte Romane ecclesie scriniarium in mense & indictione suprascripta sexta.

Signum † manus supradictorum, videlicet Nicolai presbyteri & Yconomi, Petri presbyteri, Anastasii presbyteri, Laurentii presbyteri, & Raynaldi presbyteri, & Zacchei hujus cartule rogatorum.

Christophorus apothecarius testis, Johannes Cazzamolle, Deus te adjuva, Carne inventre testes.

Ego Thebaldus sancte Romane ecclesie scriniarius complevi & absolvi.

XCIX.

Clemens III. *confirmat ecclesias & bona monast. S. Benedicti de Gualdo.*

Anno 1188. II. nonas maji.

Ex archivo Armanno Eugubii.

Ibid. n. 18. CLemens episcopus servus servorum Dei dilect.s filiis Senebaldo abbati monasterii sancti Benedicti de Waldo, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam profitentibus in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium sancti Benedicti de Waldo, quod spetialiter Romane ecclesie juris existit, in quo divino mancipasti estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione ad exemplar felicis memorie Nicolai, Celestini, Eugenii, Adriani & Alexandri predecessorum nostrorum Romanorum pontificum suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuimus, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam, & institutionem Camaldulensium fratrum in monasterio vestro institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, aut aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est cum plebe & omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Martini de Collis; ecclesiam sancti Nicolai de Capriano; ecclesiam sancti Christophori de Bantiara; jus quod habetis in ecclesia de castello de Valle; ecclesiam sancti Laurentii de Saxo sp.., ecclesiam sancte Marie de Fricco; ecclesiam sancti Johannis de Castellano; ecclesiam sancte Marie de Umbracia cum medietate curtis; ecclesiam sancti Nicolai de Vultule; ecclesiam sancti Savini de Serra; ecclesiam sancti Angeli de Fabrica; ecclesiam sancti Angeli de Flea; quidquid habetis in ecclesia sancte Marie de Noscano; ecclesiam sancti Angeli de Terrasicca; jus quod habetis in ecclesia sancti Cassiani de Palatiolo, ecclesiam sancti Martini de Valle Vajeria. Jus, quod habetis in ecclesia sancti Georgii de Corneto; ecclesiam sancti Laurentii de Collebassani; ecclesiam sancti Petri de Collebassani; ecclesiam sancti Petri de Crucicle; ecclesiam sancti Paterniani de Corrutone; ecclesiam sancti Gregorii de Serraradica; ecclesiam sancti Johannis de Serrapila; ecclesiam sancti Victorini juxta Nebulam; ecclesiam sancti Pauli de Cavalalx. ecclesiam sancti Petri de Roccacontrada; ecclesiam sancti Petri de monte Boddo; ecclesiam sancti Stephani de la Calcinaria cum omnibus pertinentiis supradictarum ecclesiarum. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus vel sumptibus colitis, & sive de..... animalium vestrorum nullus a vobis decimas extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos liberos & absolutos a seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibentes insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit, nisi arctioris religionis obtentu, absque abbatis sui licentia de eodem discedere, discedentes autem sine communium literarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis janais, exclu-

fis

sis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, si quidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, & eam gratis & absque pravitate aliqua voluerit exhibere; alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, qui nostra fultus auctoritate, quod postulatur, indulgeat. Sepulturam preterea ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc ejusdem loci abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam providerint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum *&c.*

Domine † *doce me*
SCS PETRUS | SCS PAULUS
CLE PP. | MENS IIJ.
facere voluntatem tuam.

BENE VALETE

Ego Clemens catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Johannes presbyter card. tit. sancti Marci ss.

† Ego Laborans presb. card. sancte Marie Transtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Pandulfus presb. card. basilice XII. Apostolorum ss.

† Ego Melior presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Petrus tit. sancti Clementis presb. card. ss.

† Ego Bobo tit. sancte Anastasie presb. card. ss.

† Ego Alexander tit. sancte Susanne presb. card. ss.

† Ego Petrus presb. card. tit. sancti Petri ad Vincula ss.

† Ego Radulfus tit. sancte Praxedis presb. card. ss.

† Ego Jacynthus sancte Marie in Cosmedin presb. card. ss.

† Ego GG. sancte Marie in Porticu diac. card. ss.

† Ego Soffredus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Johannes Felix sancti Eustachii diac. card. juxta templum Agrippe ss.

† Ego Johannes sancti Theodori diac. card. ss.

† Ego Bernardus sancte Marie nove diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancte Marie in Aquiro diac. card. ss.

Datum Laterani per manum fratris Moysis S. R. E. subdiaconi vicem agentis cancellarii II. nonas maji indictione VI. incarnationis Dominice M. C.LXXXVIII. pontificatus domini Clementis pape III. anno primo.

C.

Idem corroborat sententiam latam a priore Camald. pro parthenone S. Hilarii in Alphiano.

Anno 1188. II. nonas maji.

Ex hist. Passinian. Soldan. pag. 130.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilectis in Christi filiabus abbatisse & sororibus sancti Illari salutem & apostolicam benedictionem. Intelleximus ex quodam authentico instrumento exhibito nobis, quod cum inter vos & dilectum filium nostrum prepositum Florentinum super quibusdam decimis questio verteretur, & fuisset causa dilectis filiis Camaldulensi & sanctorum Apostolorum prioribus a felicis recordationis Urbano predecessore nostro commissa, ipsi partibus in sua presentia constitutis, & rationibus hinc inde auditis & cognitis, pro vobis & ecclesia vestra super illis decimis sententiam promulgarunt. Cum itaque controversias, que de mandato apostolico calculum definitionis accipiunt, dignum sit firmitatem perpetuam obtinere, sententiam ipsam, sicut rationabiliter lata est, nec legitima appellatione suspensa, & in scripto authentico continetur, authoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum *&c.* Si quis *&c.* *Ibid. n.* 19.

Datum Laterani secundo nonas maji pontificatus nostri anno primo.

CI.

CI.

Conventio inter monast. S. Michaelis, & S. Pauli de Ripa Arni Pisarum.

Anno 1188. *more communi*, III. nonas julii.

Ex autographo tabul. S. Michaelis Pisarum.

Ibid. n. 23. IN eterni Dei nomine. Amen. Ex hac publica literarum serie omnibus evidenter appareat, quod Burgus sindicus conversus monasterii sancti Michaelis de Burgo pro se, & pro supradicto monasterio, & donno Guidone abbate dicti monasterii inquisivit donnum Gratianum abbatem monasterii sancti Pauli de Ripa Arni, an veniat defendere terram, quam donnus Phylippus abbas supradicti monasterii sancti Pauli dedit in permutationem, & cambium donno Ildebrando abbati dicti monasterii sancti Michaelis recipienti pro eodem monasterio, que est posita Barbaricino in loco dicto Petia longa, que tenet unum caput in Arno, aliud caput in fossa Cuccii, latus in terra prefati monasterii sancti Pauli, alterum latus in terra nepotum Bonacursi de sancto Casciano. Ipse vero abbas Gratianus respondens ei, & dixit, ego faciam in totum id, quod pertinet ad rationem; & hoc fuit in parlatorio domus supradicti monasterii sancti Pauli, presentibus Stephano Mocculello, & Corso quondam Henrigi Corsi, & Ugolino quondam Glandulfi de Ciba rogatis testibus. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo octuagesimo nono tertio nonas julii indictione sexta.

Ego Guinibaldus scriba judex & notarius domini imperatoris his omnibus interfui, & ideo ad memoriam habendam, & in posteris conservandam, hanc cartam scripsi, complevi & dedi.

CII.

Libellus emphyteusis scriptus a Gerardo archiep. Ravennæ Johanni abb. S. Petri ad Vincula.

Anno 1188. undecima augusti.

Ex tabulario Rangoniano.

Ibid. n. 24. IN nomine Domini. Anno ab incarnatione ejus millesimo centesimo octuagesimo octavo & undecimo mensis augusti indictione sexta Ravenne in palacio domini archiepiscopi. GERARDUS DIVINA GRATIA SANCTE RAVENNATIS ECCLESIE ARCHIEPISCOPUS JOHANNI DEI GRATIA abbati venerabilis monasterii sancti Petri in vincula pro te tuisque fratribus & successoribus jam dicti monasterii, qui nunc sunt & in antea erunt usque ad annos ducentos ad renovandum. Congruum atque utilimum esse decernimus petencium desideriis non aborreri, set Domini misericordiam considerantes cicius subveniri, ut nobis proficiat augmentum, & petentes gratiarum referant actiones. Et ideo ego jam dictus GERARDUS Dei gratia ARCHIEPISCOPUS SANCTE RAVENNATIS ECCLESIE concedimus tibi jam dicto abbati tuisque confratribus & successoribus inferius dicendam rem usque ad annos ducentos ad renovandum, uti locum integrum, qui vocatur lacus Zugnolus, a primo latere portus Priacus & Callese usque ad canale inde Pidimano, ab alio latere canale de Pidimano usque in canale inde Venecia percurrens usque ad canale Mortisi, a tercio latere canale Mortisi, & pervenit per medium Logarem, a quarto latere Logarem & fundus Anbrosius perveniens usque ad portum Priacum, cum terris, campis, silvis, paludibus, piscationibus, venacionibus, aucupacionibus atque cum omnibus sibi pertinentibus, constituta ultra Padum in plebem nostram sancti Venancii, concedimus vobis quantum habuit & detinuit Orlandus de Rovareto per feudum de jure suprascripte ecclesie, a rubta de Olla usque in Sabloncello & usque ad Tammara & usque in Fossalta. Et eodem modo concedimus vobis casalem Johannis Riuperti, quem modo aquisivit a consortibus suis .... illud quod pertinet ad ipsum casalem, cum terris, aquis, & cum omnibus sibi pertinentibus, positum in capite Canneti. Et habeatis casalem de Petro Talliaforte cum omnibus sibi pertinentibus constitutum in Copario usque duin .... erabo vobis ego vel ministeriales sancte Ravennatis ecclesie, quantum de feudo Orlandini superius diximus. Et deliberato suprascripto feudo casalem cum omnibus sibi pertinentibus suprascripte ecclesie restituatur. Et similiter concedimus vobis quantum habuistis & detenuistis, vel habetis & detinetis, vel alii habuerunt & detinuerunt per vos a quadraginta annis usque nunc a jure sancte nostre Ravennatis ecclesie. Si tamen juste & ratio-

ste & rationabiliter a nobis petisti & ab aliis minime detinere videtur. Sub statuta pensione omni anno libram unam cere. Et suprascriptas res cultare & in omnibus meliorare Deo debeatis adjutore.. Et si ecclesiam ibi feceritis, habere debeatis cum decimis & offercionibus & cum omnibus, que Dominus ibi dederit vivorum & mortuorum. Et concedimus vobis, ut superius legitur, quam cum superius dictum habuimus cum decimis & primiciis suis, & cum omnibus, que Dominus ibi dederit. Nullamque tarditatem aut neglectum habere debeatis tam ad inferendam suprascriptam pensionem, quam ad meliorationem suprascriptarum rerum facere debeatis. Sed ante nominatam pensionem omni marcio mense vel infra indictionem actoribus sancte RAVENNATIS ECCLESIE solvere debeatis. Et ne cuiquam presens preceptum, aut suprascriptas res ..... vel vendere aut transferre aut permutare, nec ullo venerabili loco dare aut concedere per ullam occasionem vel ingenium. Nec aliquando adversus sanctam nostram benefatricem vestram Ravennatem ecclesiam ...... justitiam tractare aut agere, nisi propria causa si contigerit per justiciam tantummodo ventilare audeatis. Quod si in aliqua tarditate aut neglectu vel controversia inventi fueritis extra agere de iis, que superius leguntur adfixis conditionibus.... .. de hoc precepto cadatis; verum etiam daturi eritis parti sancte nostre Ravennatis ecclesie pene nomine auri libram unam. Et si non persolveritis suprascriptam pensionem, ut leges censent infra biennium, tunc pena soluta liceat ...... ecclesie vos exinde expellere, & qualiter placuerit ordinare. Quam vero paginam precepti ego Raydonus Dei gratia Ravennas tabellio scripsi & complevi, ut superius legitur.

CIII.

Clemens III. *suscipit sub S. Petri protectione monasterium Pulsanensium S. Michaelis de Orticaria.*

Anno 1189. III. idus januarii.

Ex tabul. S. Michaelis Discalceatorum de Pisis.

Ibid. n. 17. CLemens episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Hugoni abbati sancti Michaelis de Orticaria ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosis desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, ut fidelis devotio effectum celerem sortiatur, & ut tanto liberius sacre religionis observantie, & aliis operibus bonis insistat, quanto apostolica sede se senserit in pio proposito benignius confoveri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium sancti Michaelis de Orticaria, in quo divino estis obsequio mancipati, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem fratrum Pulsanensium in eodem monasterio noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste & canonice possidet &c. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Jacobi de Podio in Pisano episcopatu; ecclesiam sancte Crucis de Corvo in Lunensi episcopatu cum omnibus ad ipsam pertinentibus. Liceat quoque vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Sepulturam preterea ipsius monasterii liberam esse statuimus &c. Decernimus ergo &c.

† Ego Clemens catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Theobaldus Hostiensis & Veletrensis episcopus ss.

† Ego Laborans presbyter card. sancte Marie Transtiberim tit. Calixti ss.

† Ego Melior presb. card. sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii ss.

† Ego Jacintus sancte Marie in Cosmidin diac. card. ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Rodulphus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Pisis per manum Moysis Lateranensis canonici vicem agentis cancellarii III. idus januarii indictione VI. incarnationis Dominice anno M.C.LXXXVIIII. pontificatus vero domini Clementis pape III. anno primo.

CIV.

Appellatio canonicorum Tarvisinorum ob aedificationem monasterii novi S. Christinae intra urbem. Inhibitoria Clementis III. *aliaque acta.*

Anno 1189. a mense februario ad septembrem.

Ex tabulario Capitulari Tarvisino.

Ibid. n. 29. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini M. C. LXXXIX. indictione VII. die sabbathi II. exeunte februario. Varnerius Tarvisine ecclesie canonicus pro se & pro omnibus aliis Tarvisinis canonicis interdixit ex parte Domni apostolici, & domini G.. Aquilegiensis patriarche, & domini Conradi Tarvisini episcopi monialibus de sancta Christina, ut de cetero nullo modo divina celebrare deberent in territorio Tarvisini episcopatus, nec ibi, ubi venerant, divina celebrare, videlicet in terra, quam acceperunt a Moscardino medico, que jacet non longe a Sili flumine, quod vocatur Cagnanum, nec aliquo modo ecclesiam de cetero hedificare debere, & earum abbatissam beate memorie, quam ibidem sepelierunt, eam, ubi primitus tumulata fuerat, deportarent. Et ibi incontinenti prenominatus Varnerius dedit literas ex parte prefati episcopi eisdem monialibus, in quibus continebatur id quod superius &c. & ipse eas susceperunt, sed tamen jamdictus Varnerius exemplum dictarum literarum ibi legit. Testes interfuerunt Melius canonicus, presbyter Henricus canonicus, presbyter Fortunatus, Christianus, Todescinus, Malabotinus & alii plures. Actum Tarvisii in jam dicto loco.

Ego Vitalis sacri palatii, & F.. imperatoris notarius interfui, scripsi & complevi.

CLEMENS episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. Vicentino episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Dilectis filiis nostris decano & canonicis Tarvisinis significantibus intelleximus, quod ven. frater noster Conradus eorum episcopus ad preces felicis recordationis Urbani pape predecessoris nostri quibusdam monialibus ordinem Camaldulensem professis locum quemdam extra murum civitatis concessit, in quo ad honorem Dei & memoriam beate Christine fabricarunt, in qua idem episcopus divina officia sepius celebravit, & per eum eidem loco beneficia plurima sunt collata. Ceterum earum abbatissa de presenti vita subtracta, & a sororibus ibidem sepulta eedem moniales prescripram ecclesiam destruxerunt, & prescripta abbatissa exhumata eam intra muros civitatis in eorum parochia sine ipsorum & episcopi diocesani consensu, in loco minus idoneo tumularunt, ecclesiam ibidem, sicut dicitur, erigentes, & non attendentes, quod nullus sine illorum & episcopi diocesani assensu, salvis ecclesie Romane privilegiis, in eorum parochia valeat ecclesiam fabricare. Quia igitur, si verum est, quod asseritur, tante presumptionis audacia non est sine correctione debita relinquenda, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiras super his sollicitus veritatem, & quod a predictis monialibus noveris esse presumptum, auctoritate nostra cessante appellatione corrigas & emendes.

Datum Laterani XVII. kalendas maji pontificatus nostri anno secundo.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno nativitatis Domini millesimo centesimo octuagesimo nono indictione VII. die mercurii VII. julii. In presentia Christiani plebani sancti Johannis, Regurardi, Martinelli, & aliorum. Varnerius ecclesie sancti Petri dedit literas dominabus de Camaldola ex parte episcopi Vicentini sigillatas dicendo, quod ipse deberent esse ante eumdem episcopum in quintadecima sancti Petri propter causam, que inter ipsas & canonicos Tarvisinos vertebat peremptorie.

Actum Tarvisii in ..... ubi ipse dominus habitat.

ANNO nativitatis Dominice M.C.LXXXIX. die martis undecima intrantis julii presentia Corradini judicis & Bonifacini de Piro, Manfredi & aliorum. Domina Sophia & Juditha de sancta Christina constituerunt Martinum suum procuratorem de causa, que vertit inter canonicos Tarvisinos ex una parte, & ex altera predictas dominas coram domino P.. Dei gratia Vicentie episcopo, & quidquid predictus Martinus de predicta causa fecerit, firmum & ratum habere promiserunt. Actum Tarvisii in horto predictarum dominarum.

Ego Vitalis sacri palatii & F.. imperatoris notarius interfui & scripsi.

ANNO Domini M. C. LXXXIX. indictione VII. die jovis ultimo exeunte augusto, presentia presbyteri Henrici de sancto Stephano, presbyteri Johannis de sancto Blasio, presbyteri Bonifacii Vicen-

centini canonici & aliis. Dominus Conradus Tarvisinus episcopus requisitus ab Huberto Vicentino archidiacono & nuntio domini episcopi Vicentini, ut asserebat, si domine ille de Camaldulis de consensu & voluntate sua edificarunt ecclesiam suam in civitate Tarvisii juxta pontem lapideum in parochia Tarvisine canonice, dixit, quod nunquam fuit, nec est de voluntate sua vel consensu, quod prefate monache de Camaldulis dictam ecclesiam in prefato loco edificarunt. Et canonica Tarvisina, scilicet presbyteri Alberti, presbyteri Bartholomei, presbyteri Lisonis, Melii, Viviani, Jacobi, Ambrosii, Arponis, Valfredini, Valpertini, Tolbertini super eodem facto & eodem modo requisiti a jamdicto archidiacono, sicut dominus episcopus, ita & ipsi responderunt. Actum Tarvisii in palatio domini episcopi.

Item eodem die presentia presbyteri Bonifacii canonici Vicentini, Gilberti, Bodolli & aliis, dominus decanus Tarvisinus requisitus in camera sua ab eodem archidiacono super memorato facto, sicut alii respondit.

Item eisdem testibus presentibus in camera domini Henrici Varnerius & dictus Henricus requisiti de voluntate sua ab eodem archidiacono super memorato facto eadem die sicut & alii responderunt. Actum in canonica Tarvisina.

Ego Leonardus imperialis notarius interfui & scripsi.

Anno nativitatis Domini M.C.LXXXIX. die mercurii XIII. intrantis septembris, presentia Christiani plebani sancti Johannis Baptiste, Johannis Cagnati, Gerardini & aliorum. Presbyter Armengarius Tarvisine ecclesie decanus pro se & nomine capituli ipsius canonice Tarvisine, & presentibus his canonicis, scilicet presb. Lisone, presb. Bartholomeo, & presb. Alberto, presb. Dominico, Viviano, presb. Varnerio & aliis constituit dominum Hieremiam canonicum Tarvisinum procuratorem suum in agendo & defendendo de causa, que vertit inter canonicos Tarvisinos & dominas de sancta Christina coram Vincentino episcopo, que causa commissa est ei per dominum papam, se ratum & firmum habere. Actum Tarvisii in solario canonice.

Ego Leonardus imperialis notarius interfui & scripsi.

CV.

Clemens III. *tradit Avellanensibus reformandum monasterium S. Victoris.*

Anno 1189. XVII. kal. aprilis.

Ex tabul. Avellan. Capſ. Privilegia.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & fratribus Fontis-avellane salutem & apostolicam benedictionem. Cum a sede apostolica fuerunt postulata, que ad religionis pertinent, honestatem & pacem ecclesiarum respiciunt & profectum, animo nos decet libenti concedere, & effectu prosequente complere. Ea propter vestris postulationibus annuentes, ut monasterium sancti Victoris cum pertinentiis suis ad vos pertinens, quod in temporalibus & in spiritualibus est plurimum deformatum, & expedit ut reducatur in statum vestra sollicitudine meliorem, licitum sit vobis, sicut ad vos pertinet, specialiter disponere, & salva sedis apostolice auctoritate & canonica justitia diocesani episcopi regulariter ordinare auctoritate apostolica indulgemus. Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.* *Ibid. n.* 30.

Datum Laterani XVII. kl. aprilis pontificatus nostri anno secundo.

CVI.

Gerardus episc. Bononiensis confirmat bona parthenonis S. Christinæ de Septemfontibus.

Anno 1189.

Ex archivo S. Christinæ de Bononia C. 26.

Gerardus sancte Bononiensis ecclesie Dei gratia episcopus venerabili in Christo sorori Eufrosine abbatisse monasterii sancte Xristine ejusque sororibus tam presentibus quam futuris substituendis in perpetuum. Equitatis & justitie ratio persuadet nos ecclesiis perpetuam suarum rerum firmitatem & vigoris inconcussi munimenta ubique servare, & ut religiosas personas atque religionem Deo placitam studeamus modis omnibus augendo diligere & diligendo propagare. Numquam enim obsequium Deo gratum impenditur, nisi ex radice karitatis procedat, & a religionis puri- *Ibid. n.* 32.

 tate

tate undique custodiatur. Ea propter dilecta in Domino soror ecclesiam sancte Cristine, in qua divino mancipata es obsequio, propensioris caritatis studio diligentes, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus, & tibi Eufrosine & tue ecclesie tibique succedentibus concedimus, & presenti pagina roboramus quicquid comes UBALDUS & ejus uxor Julitta dedit, aut pro anima sua ecclesie sancte Cristine reliquit, scilicet de feudo Ugonis de Adelberto, & molendinum in alveo Ysicis, ubi dicitur terra Pozolese, sive etiam terras quascumque aut decimas, omnesque alias possessiones quantascumque & ubicumque eidem ecclesie predictus comes vel ejus uxor per legatum vel donationem, vel alio modo concessit. Preterea concedimus quicquid habes de jure sancte Bononiensis ecclesie, aut in futuro juste acquisieris, & omne quod habetis in tota curia Ulziani, in curia de Monterligo, in Septem-fonte, in Clagnano, in curia Medicine, in curia castri de Britis. Insuper omne, quod commitissa BEATRIX vestre ecclesie largita fuit. Sepulturas loci vestri liberas esse volumus, scilicet ut quicumque ibi sepeliri deliberaverit, a nemine aliquo modo impediatur, salvo in omnibus privilegio & reverentia Bononiensis ecclesie. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat ecclesiam vestram super eisdem decimis vel sepulturis temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, vel aliquibus vexationibus fatigare, set omnia integre conserventur vestris personis & usibus omnimodo profutura. Si quis igitur hujus decreti tenore cognito temere quod absit contra ire temptaverit, honoris & officii sui periculum patiatur, & excommunicationis ultione teneatur, nisi suam presumptionem digna satisfactione correxerit. Cunctis autem eidem loco ista servantibus sit pax domini nostri Jhesu Christi, qua & hic bone operationis fructum percipiant & apud justum judicem premia eterne pacis inveniant. A M E N.

† Ego Gerardus Bononiensis episcopus manu mea subscripsi.

CVII.

Commutatio inter Tertium generalem Vallis-umbrosæ, & inter Ildebrandum priorem S. Salvatoris de Florentia.

Anno 1190. III. nonas maji.

Ex autographo S. Mariæ Angelorum de Florentia.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno incarnationis ejus millesimo centesimo nonagesimo, tertio nonas madii, indictione VIII. *Ibid. n. 37.*

Constat me Tertium Dei gratiam abbatem ecclesie & monasterii sancte Marie Vallis Umbrose, fratrum, & monachorum meorum consensu adhibito, quia per hoc permutationis instrumentum, & cambii nomine trado & concedo tibi donno Ildebrando venerabili priori ecclesie, & monasterii sancti Salvatoris site prope fluvium Arni accipienti vice ejusdem monasterii, videlicet integram unam petiam terre positam in plebejum de Campi, & infra cappellam sancti Quirici, & sic decernitur, a primo latere fil. Bonci Sorici, a secundo Petri Bunci, a tertio fil. Brancacci, a quarto fil. Vitali, cum omnibus, que super se & infra se habet in integrum. Et cum omni jure & actione & persecutione, & usu michi & predicto monasterio competentibus quolibet modo vel ingenio. Quatenus liceat tibi venerando priori nomine predicti tui monasterii predictam terram habere & tenere, & modis omnibus alienare. Quapropter promitto tibi stipulanti duplum similiter bonitatis, quantitatis & extimationis, si aliquando in totum vel in partem predicta terra fuerit evicta, aut si ego vel aliquis successorum meorum evincere, aut litigare voluerimus. Et sub obtentu Domni Apostolici, & domini imperatoris & regis Enrigi, & potestatis Florentie hec omnia observare promitto. Et pro hac permutatione, & cambio accepi a te, & fratribus tuis omnes terras, quas Arrigo Candelini legavit vel judicavit pro predicto meo monasterio, & quas ejus occasione predictum meum monasterium habuit, unde predictum tuum monasterium annualiter sex staria grani percipere debeat.

† Ego Tertius Vallisumbrose abbas a me facta subscripsi.

† Ego Jeronimus abbas sancte Trinitatis interfui & ss.

† Ego

† Ego Johannes monachus & sacerdos ss.

† Ego GG. presbyter & monachus consensi & ideo ss.

† Ego Martinus abbas Pergamensis interfui & ss.

Signa manuum Giselli, & Incontri filii Buonsegnoris, & Giannoli filii Martinuczi, & Bertalotti filii Ullivieri rogati testes.

Ego Borbensis judex imperialis aule notarius hoc instrumentum scripsi.

CVIII.

Silvani canonici Bellunensis definitio pro monasterio Follinæ.

Anno 1190.

Ex autographo ejusdem cœnobii n. 775.

Ibidem. IN nomine Domini nostri Jhesu Christi. Anno Domini millesimo c. nonagesimo indictione VIII. Ego Silvanus Bellunensis ecclesie canonicus ex delegato domini Gerardi episcopi Bellunensis cognoscens de lite, que vertebatur inter dominum Arponem de Folina agentem pro domino abato, & pro domo de Folina ex una parte, & inter Vivianum de Lavacio, scilicet de manso uno, qui jacet in Lavacio, quem predictus dominus abbas predictum Vivianum per vim, & injuste sibi tenere, & predictus Vivianus dicebat a filiis Gabrielis de Camino in feudum tenere, visis & auditis rationibus utriusque partis & diligenter inspectis, restituo prefatum dominum Arponem agentem pro predicta domo & domino abbato in tenutam predicti mansi, & pronuncio, ut prefata domus habeat & teneat, secundo die exeunte mense octubri. Testes interfuerunt Saracinus de civitate a..sina, Macilus, Vilanus, canonici, Colomannus, Widolinus & alii plures.

Actum in civitate Belluni in porticali canonice.

Ego Ercius sacri palatii notarius interfui & rogatus scripsi.

CIX.

Cœlestinus III. *Rom. pont. confirmat Camaldulensibus jus parochiale ecclesiæ S. Margaritæ de Tosina.*

Anno 1191. kal. julii.

Ex archivo S. Mariæ Angelorum de Florentia.

CElestinus episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis .. priori & fratribus Camaldulensibus salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, & vigor equitatis, & ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, jus parochiale, quod ecclesia vestra sancte Margarite per quadraginta annos tenuit inconcusse, donationes quoque seu concessiones, quas patroni vel alii fideles juste fecerunt, decimas etiam, & alia jura ecclesie vestre vobis competentia; sicut ea universa a quadraginta annis canonice, & sine controversia possidetis, vestre devotioni auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. *Ibid. n. 38.*

Datum Rome apud sanctum Petrum kal. julii pontificatus nostri anno primo.

Pendet ex funiculo serico rubei & flavi coloris sigillum plumbeum cum literis: CELESTINUS. PAPA. III.

CX.

Idem commendat abbati majoris monast. Florentini recuperationem bonorum cœnobii S. Petri de Puteolis Lucæ.

Anno 1191. III. nonas decembris.

Ex tabulario capitul. Lucensi AA. 50.

CElestinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati majoris monasterii Florentini salutem & apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum abbatis & conventus monasterii de Puteolis Camaldulensis ordinis Lucane diocesis precibus inclinati presentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, que de bonis ipsius monasterii alienata invenies illicite vel distracta, ad jus & pro- *Ibid. n. 39.*

prie-

prietatem ejusdem monasterii legitime revocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Datum Neapoli III. nonas decembris pontificatus nostri anno primo.

CXI.

Data Camaldulensibus ecclesia S. Jocundæ, nullum præjudicium inde vult oriri idem Rom. pontifex ecclesiæ Lucanæ.

Anno 1193. III. kal. aprilis.

Ex eodem tabul. B. B. n. 29.

Ad lib. XXXV. n. 1. CElestinus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo & dilectis filiis capitulo Lucano, & priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Debitum injuncte solicitudinis nos hortatur, ut sic aliquibus sua jura faciamus cum integritate servari, quod per eos non possit aliis conditio iniqua per surreptionem inferri. Significamus autem vobis, quod intentio nostra non fuit, ut permutatione ordinis facta in ecclesia sancte Jucunde Lucana ecclesia quamlibet sui juris vel honoris diminutionem sive injuriam pateretur. Prohibemus itaque & debita districtione vetamus, ne tu fili prior aut fratres tue professionis seu vestri successores honorem & jus, quod episcopo & canonicis Lucanis in prefata ecclesia competit, quomodolibet auferre, imminuere vel perturbare aliquatenus presumatis, sed hec eis integritate plena pacifice semper, & fraterna caritate conservare velitis. Et ne sub tali occasione inter vos ulla possit inposterum suboriri discordia, aut, quod absit, a vobis fratres Camaldulensis ordinis vel a vestris successoribus ecclesia Lucana aliquam sui juris aliquando sentiat diminutionem, volumus, & statuimus, atque presenti pagina stabilimus, & firmiter in perpetuum decernimus observandum, ut vos episcopus scilicet, & canonici Lucani, seu vestri successores debitum jus, honorem, & consuetudinem, quam in monasterio illo, & parochia ejus hactenus habuistis, cum integritate debita absque ulla predictorum fratrum vel quorumlibet molestia quiete consequamini, & semper inconcusse amodo teneatis. Decernimus autem, ut nulli &c. nostre constitutionis &c.

Datum Laterani III. kal. aprilis pontificatus nostri anno secundo.

CXII.

Locatio facta a monasterio S. Gregorii de Urbe.

Anno 1193. die prima julii.

Ex codice Gregoriano pag. 62.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo nonagesimo tertio, & anno tertio domini Celestini tertii pape indictione undecima mensis julii die prima. Nos quidem Johannes Dei gratia abbas venerabilis monasterii sancti Gregorii in clivo Scauri, & Andreas presbyter & yconomus ipsius monasterii ambo insimul, & pariter in presentia Petri Pauli Rubei dativi judicis & subscriptorum testium, una cum consensu & de communi voluntate fratrum & consortiorum nostrorum jamdicti monasterii monachorum, videlicet Benedicti prioris, presbyteri Raynaldi, Philippi & Mauri atque aliorum propria nostra voluntate pro ipso monasterio concedimus & locamus vobis Normanno pro te & Johanne nepote tuo, cujus curator es, & in hac causa a dicto judice datus, nec non & vobis Stephano & Alberto germanis fratribus filiis quondam domini Stephani Normanni & filiis & nepotibus vestris, & filiis & nepotibus dicti Johannis nepotis vestri masculini sexus tantummodo & legitimis, & si quis vestrum, quod absit, sine filiis masculis legitimis obiret, liceat ei uni ex filiabus suis legitimis tantum relinquere prime vel secunde, quam ipsi placuerit eligere. Idest totum castrum, quod dicitur de Guido, cum turre, domibus, casalenis, terris & vineis, silvis, pantanis, ortis, canapinis, pratis & pascuis, aquis & aquimolis, cum montibus & collibus, plagis & planitiis, & denique cum omnibus suprascriptis usibus, utilitatibus & pertinentiis intus & foris, reservata nobis pro dicto monasterio integra & libera ecclesia sancte Marie ipsius dicti castri cum omnibus suprascriptis rebus mobilibus & immobilibus & possessionibus universis intus & foris, in qua nobis & successoribus nostris, qui erunt per tempora clericum, quem voluerimus, *Ibid. v. 5.*

sine contradictione vestrum vel alterius cujuslibet persone pro gubernatione ecclesie mittere liceat. Sed si monachum & non clericum in hac ecclesia mittere voluerimus, quatuor de monachis nostri monasterii eligemus, & unum, qui vobis placuerit ex eis, in ipsa ecclesia mittemus, de quo infra quindecim dies deliberabitis, alioquin exinde libera sit nobis & successoribus nostris potestas mittendi, quem voluerimus, sine contradictione alicujus persone: sed tamen tam monachus, quam clericus jurabit, quod non erit in consilio vel loco sive fraude, quo vitam perdatis, aut dictum castrum. Pro qua vero locatione nobis pro dicto monasterio nomine mercedis datis & solvitis sexagintasex libras bonorum parvorum, quas in utilitatem ipsius monasterii erogamus, propterea ex eis nos bene quietos vocamus, & non solute pecunie exceptioni refutamus sub pensione amodo annualiter in festivitate sancti Andree ipsi nostro monasterio reddenda trium solidorum denariorum Papiensium & quindecim saumarum lignorum cum asinis, quas ipsi monasterio deferri facietis, & non liceat vobis, nec filiis ac nepotibus vestris hanc locationem ulli alii ecclesie vel pio loco relinquere, vel aliter quoquomodo dare, nec etiam ulli persone prius vendere, quam nostro monasterio, & ad minus justi pretii decem lib. parv. quod si emere noluerit, vendetis illud tali persone, que ipsi monasterio sine malitia placeat, datis tunc ei prius pro cominu sex libras parvorum tt. Finita autem vita vestra & filiorum ac nepotum vestrorum legitimorum, ut superius dictum est, hec locatio finiatur, & sicut erit, ipsi monasterio revertatur. Novissime autem tam pro nobis, quam pro nostris successoribus vobis & filiis & nepotibus vestris, & dicti Johannis nepotis vestri tt. hanc locationem observare & defendere promittimus sub pena decem librarum boni auri, pro eo quod vos pro vobis & dicto nepote vestro & filiis & nepotibus vestris, & ejus, que dicta sunt omnia nobis pro dicto monasterio sub eadem pena observare & adimplere promittitis, & soluta pena hec cartula firma permaneat. Testes Petrus Centii Guidonis, Johannes Guidonis de Papa, Seniorectus Petri Corcodilli, Johannes Nicolai, Petrus frater ejus, Sebastianus Sebastiani de Gualtrada, Johannes Spolenda.

Ibid. n. 5.

† Ego Johannes Leonis sancte Romane ecclesie scriniarius habens potestatem dandi tutores, curatores, emancipandi, & decretum interponendi, & alimenta decernendi, complevi & absolvi.

† Ego Johannes Seniorilis judex, & nunc causam judicum Urbis habens fidem huic instrumento fideliter exemplato, me subscribo.

† Ego Petrus judex filius domini Consolini primicerii cognoscens predicta fideliter exemplata, & quia eis fidem habeo, ideo me subscribo.

† Ego Jacobus Marcelli scriniarii, & nunc prior communitatis scriniarius Urbis huic testamento fideliter exemplato, cui fidem habeo, ideo me subscribo sub anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo indictione quartadecima mensis martii die quartodecimo.

† Ego Angelus Petri Jannini scriniarius, & nunc syndicus notarius Urbis, habens fidem huic instrumeno fideliter exemplato, ideo me subscribo in anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo indictione quartadecima mensis martii die quartodecimo.

Ego Johannes Jacobi Dei gratia sancte Romane ecclesie judex & scriniarius, sicut inveni in dictis quondam domini Johannis Leonis scriniarii, ita scripsi & fideliter exemplavi.

CXII.

Cœlestinus III. *confirmat ecclesiæ Balneensi privilegia anteriorum pontificum.*

Anno 1193. VIII. kal. augusti.

Ex autographo ejusdem monasterii.

CElestinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Augustino archipresbytero ecclesie Balnensis ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos ammonet & invitat auctoritas &c. *Confirmat Cœlestinus Balneensi ecclesiæ ea, quæ prædecessores sui Innocentius anno* 1136. *Adrianus* IV. 1156. *&* *Alexander* III. *circa ann.* 1181. *eidem ecclesiæ concesserant, ut in bullis jam relatis.* *Ibidem.*

Loco † signi.

† Ego Celestinus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Albinus Albanensis episcopus ss.

† Ego Octavianus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Johannes Prenestinus episcopus ss.

† Ego

† Ego Petrus Portuensis & sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Pandulfus basilice XII. apost. presb. card. ss.

† Ego Petrus tit. sancte Cecilie presb. card. ss.

† Ego Johannes tit. sancti Clementis Tuscan. episcopus ss.

† Ego Romanus tit. sancte Anastasie presb. card. ss.

† Ego Guido presb. card. sancte Marie Transtiber. tit. Calixti ss.

† Ego Hugo presb. card. sancti Martini tit. Equitii ss.

† Ego Johannes tit. sancti Stephani in monte Celio presb. card. ss.

† Ego Cinthius tit. sancti Laurentii in Lucina presb. card. ss.

† Ego Bernardus sancti Petri ad Vincula presb. card. tit. Eudoxie ss.

† Ego Johannes presb. card. tit. sancte Prisce ss.

† Ego Gregorius sancte Marie in Porticu diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancte Marie in Aquiro diac. card. ss.

† Ego Lotharius sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Bobo sancti Theodori diac. card. ss.

† Ego Petrus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego Cencius sancte Lucie in Horthea diac. card. ss.

Datum Laterani per manum Egidii sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. cardinalis VIII. kal. augusti indictione XI. incarnationis Dominice anno M. C. XCIII. pontificatus vero domini Celestini pape tertii anno tertio.

CXIV.

Donatio facta monasterio S. Benedicti in Alpe.

Anno 1194. die VIII. martii.

Ex autographo canonicorum S. Laurentii de Florentia n. 67.

Ibid. n. 10. IN Christi nomine. Anno incarnationis ejus millesimo centesimo nonagesimo quarto indictione duodecima tempore Celestini pape & Henrici imperatoris die octavo mensis martii in claustro sancti Illari. Quod venerabilibus locis causa perpetue salutis tribuitur, id celesti majestati donari videtur, & ideo ego Suavizus abbas monasterii sancti Illari in vice & persona Alburge, que olim fuit filia Liuzi, & ibi erant Ranucius suus patruus, Ugo, Magrus, Suavizus, quando michi dedit licenciam, ut facerem hoc, quod subtus scriptum est, pro se suisque heredibus, presente domina Bellaflore matre sua, pro redencione anime sui patris & suorum propinquorum tibi donno Andree monacho sancti Benedicti jussione Ugonis abbatis monasterii sancti Benedicti in alpe accipienti pro se & nomine tui monasterii suprascripti tuorum fratrum ejusdem monasterii Dei serviencium tuisque successoribus concedo & confirmo in perpetuum inde decimas de campo de Vatho, qui est super strata, a duobus lateribus rivoli, a quarto latere alii homines detinent, habendum, tenendum & quicquid tibi tuisque successoribus placuerit exinde faciendum ad lucrum & utilitatem silicet mensarum suprascripti monasterii, & nullus rectori ecclesie sancte Marine habeat potestatem super has decimas sive clericus, sive laicus, nisi ille, quem suprascripti monachi suprascripti monasterii miserint ad recipiendas decimas tempore trituracionis pro eo, quia dedisti & concessisti pro te tuisque jamdictis fratribus atque successoribus michi suprascripta Alburga suisque heredibus in perpetuum inde duas tornaturas terre, quas habuit Ugolinus Girardi vice sancti Benedicti in suprascripto campo, & ideo ego jamdictus locator pro suprascripta Alburga suisque heredibus tibi suprascripto Andree tuisque fratribus atque successoribus & suprascripto monasterio rem suprascriptam firmam tenere, defendere, & auctoriare contra omnes homines in placito & extra promitto sub nomine pene quadraginta libras Lucen. in manu nuncii imperatoris, & pena data hec pagina maneat firma, que est scripta a Uberto de territorio Galeate scriba.

Donnus Bonus, donus Paulus, Federicus, Rione, donus Martinus, Bonamente, & Marcus magister rogati fuerunt testes.

CXV.

Ecclesiæ datæ a VVilielmo archiep. Ravennæ monasterio S. Petri ad Vincula.

Anno 1194. xiv. martii.

Ex tabulario archiep. Ravenn. Capſ. H. n. 3784.

Ibid. n. 8. WIlielmus Dei gratia ſancte Ravennatis eccleſie archiepiſcopus domno Aſaloni monaſterii ſancti Petri in Vincula abbati tuiſque confratribus ac ſucceſſoribus & ipſi monaſterio uſque ad quinquaginta annos ad renovandum concedentes concedimus, largientes largimur tibi ſupraſcripto abbati, ut ſuperius legitur, videlicet totum quod habes & tenes in fundo, qui dicitur Gaulus, & in fundo, qui dicitur Campillianus, vel dicitur Barzanus plebe ſancti Caſſiani, & eccleſiam ſancti Petri in Sari plebe ſancte Marie in Aqueducto, & eccleſiam ſancti Victoris poſitam in Foſſola in hac civitate Ravenne cum toto illo, quod quod habes & tenes in dicta Foſſola a jure ſancte Ravennatis eccleſie. Et inſuper concedimus tibi ſupraſcripto abbati, ut ſuperius legitur, quod habes & tenes, quod fuit ex dono quondam Johannis Ducis, & Johannis Gamenelli, que ipſi abuerunt & detinuerunt de jure ſancte Ravennatis eccleſie cum terris, vineis, campis, arboribus, arbuſtis & cum introitu & exitu earum, & cum omnibus ſibi pertinentibus poſita in prefatis plebibus & fundis vel ubicumque ſita, ſicut dictum eſt. Has res juris ſancte Ravennatis eccleſie poſtulaſti largiri a nobis ſponte, juſte, rationabiliter &c. infra indictionem unius libre cere &c.

Quam vero paginam peticionis ego Ravennus Dei gratia Ravennas tabellio & ſancte Ravennatis eccleſie notarius ſcripſi & complevi, ut ſuperius legitur, anno milleſimo centeſimo nonageſimo quarto & quatuordecimo menſis martii indictione duodecima Ravenne, in domo domini Wilielmi ſancte Ravennatis eccleſie archiepiſcopi pena trium unciarum auri.

CXVI.

Cœleſtini III. *bulla pro Puteolenſibus monachis.*

Anno 1194. nonis aprilis.

Ex tabulario capitul. Lucenſi AA. n. 17.

CEleſtinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis.. abbati & monachis ſancti Petri de Puteolis in Lucenſi dioceſi conſtitutis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Incumbit nobis ex debito pontificalis officii, ut juſta petentibus audientiam cum efficacia prebeamus, maxime ubi eorum vota & pietas adjuvat, & explorata juris veritas non relinquit. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis precibus annuentes ſepulturam monaſterii veſtri liberam eſſe concedimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Liceat quoque vobis clericos & laicos liberos & abſolutos e ſeculo fugientes ad converſionem recipere, & eos ſine contradictione aliqua retinere. Decernimus ergo &c. *Ibid. n. 7.*

Datum Laterani nonis aprilis pontificatus noſtri anno quarto.

CXVII.

Libellus emphyteuſis ſcriptus a Gualfredo abbate S. Victoris de Cluſis.

Anno 1194. menſe majo.

Ex authentico S. Blaſii de Fabriano.

HOc exemplar eſt cujuſdam inſtrumenti ſic incipientis. In nomine Domini anni ſunt mill. c. nonageſimo IIII. imperante Rigo romanorum imperatore menſe madius indictione XII. nos quidem donnus Gualfredo abbate de eccleſia ſanto Vettore de la Cluſa & donno Maino priore & donno Tebaldo & donno Alberto monachi de ipſo monaſterio cum conſenſu & voluntate de alii clericis noſtris anc cartula vinditione & tranſactione fieri rogavi vobis Caczatu filio de benedictolo & gozo filio de albertinu & bernardo & acto de gozo & fili & nepotibus veſtris in tertia veſtra gene- *Ibid. n. 17.*

generatione legitima masculina de proprietate de nostra terra, que est in comitato Camerino & in loco qui dicitur in valle de patrano, a primo latere terra de la romita, & II. lat. filii de acto de baronzo & johannes de orsacta & III. lat. filii de Bonumiano, & filii Johannis de bonezo & IIII. lat. via publica & in alio loco in lu plano de roti &c.

CXVIII.

VVilielmus archiep. Ravennas dat monachis S. Apollinaris in Classe ecclesiam S. Mariæ in Virtute.

Anno 1194. x. junii.

Ex tabulario abbatiæ Classensis.

Ibid. n. 8. WIlielmus Dei gratia sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus. Damus & donamus presentibus & consentientibus presbytero Bonofilio, Guidone de la Bonelda predicte ecclesie cardinalibus, & presbytero Johanne Segnore, & Ubertello prelibate ecclesie cantoribus, donno Andree venerabilis monasterii sancti Apollinaris in Classe abbati pro vobis vestrisque confratribus ac successoribus, qui nunc sunt vel in antea erunt in prefato monasterio, & pro ipso monasterio in perpetuum, id est ecclesiam sancte Marie in Virtute positam in hac civitate Ravenne in plathea majore in regione sancti Salvatoris cum omnibus spiritualibus & temporalibus, & cum casis seu vacuamentis & ortis, terris vero & vineis, tam in hac civitate Ravenne, quam extra vel ubicumque sint, cum arboribus, arbustis, & cum introitibus & exitibus suis, & cum omnibus sibi pertinentibus, & insuper damus, cedimus, mandamus vobis omne jus & actionem, & rationem & exceptionem, quam & quas presfate ecclesie pertinent, vel in antea pertinuerint aliquo modo vel jure in perpetuum. Anc donationem vobis facimus intuitu divini amoris, nec non & pietatis, & quia debetis facere predictam ecclesiam officiari. Veruntamen sacerdos, qui propterea in supradicta ecclesia fuerit, nobis debeat representari tempore, quo fuerit electus, & per nos in predicta ecclesia institui, & in nos habere debitam reverentiam, ut alii sacerdotes. Et ab hodierno die non liceat nobis neque nostris successoribus de predictis rebus facere questionem, repetitionem vel interpellationem, causationem, ullamque molestiam generare adversus te predictum abbatem, neque tuos confratres ac successores, neque predictum monasterium non per nos, neque per nostros successores, neque per summissam personam vel sumittendam a nobis in placito vel extra; set inmo omni tempore securi & quieti exinc maneatis in omnibus & per omnia in perpetuum, ut dictum est. Quam vero paginam donationis ego Ravennus Dei gratia Ravennas tabellio & sancte Raven. ecclesie notarius scripsi & complevi jussu domni Wilielmi sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopi anno Domini millesimo centesimo nonagesimo quarto die decimo mensis junii indictione duodecima Ravenne in palatio domni Wilielmi sancti Ravennatis ecclesie archiepiscopi.

CXIX.

Cœlestinus III. mandat monachis Subasianis obedientiam priori Camald.

Anno 1195. XIII. kal. aprilis.

Ex autographo tabularii Fontis-boni.

CElestinus episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Fulginatensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Dilectus filius prior Camaldulensis sua nobis conquestione monstravit, quod abbas sancti Silvestri de Ospello obedientiam & reverentiam, quam antecessores sui jamdicto priori & suis antecessoribus exhibuisse noscuntur, pro sue voluntatis arbitrio denegat exhibere. Volentes itaque ejusdem prioris & ecclesie sue indemnitati paterna sollicitudine providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus inquiras super premissis diligentius veritatem, & si ita tibi constiterit, jamdictum abbatem ad obedientiam & reverentiam debitam jamdicto priori exhibendam per ecclesiasticam censuram compellas. Datum Laterani XIII. kalendas aprilis pontificatus nostri anno quarto. *Ibid. n. 14.*

CXX.

Idem concedit liberam sepulturam monasterio S. Petri de Puteolis.

Anno 1195. VI. kal. aprilis.

Ex tabulario capit. Lucensis AA. n. 18.

Ibid. n. 7. CElestinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. archipresbytero & .. primicerio Lucensi salutem & apostolicam benedictionem. Attendentes devotionem, quam erga nos & Romanam ecclesiam dilecti filii abbas, & monachi sancti Petri de Puteolis Lucensis diocesis habere noscuntur, ipsorum ecclesie liberam esse concessimus, juxta quod est moris ecclesiastici, sepulturam. Quapropter per apostolica vobis scripta precipiendo mandamus, quatenus, nec vos contra concessionis nostre paginam eamdem ecclesiam infestetis, nec permittatis ab aliis molestari; contradictores, si qui apparuerint, a presumptione sua per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescentes. Datum Laterani VI. kal. aprilis pontificatus nostri anno quarto.


CXXI.

Henrici VI. imperat. præceptum pro monast. SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Anno 1195. XIII. kal. junii.

Ex apographo olim apud abbatem Petrum Cannetum.

Ibid. n. 11. IN nomine sancte, & individue Trinitatis. Henricus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus & rex Sicilie. Imperialis majestatis nostre decet eminentiam, ut personis ecclesiasticis & viris religiosis pium benignitatis nostre favorem clementer impendentes ab iniquis infestantium importunitatibus ipsos protectionis nostre clipeo defensare studeamus. Eapropter universis imperii fidelibus tam presentibus, quam futuris notum fieri volumus, quod nos pro salute anime nostre & parentum nostrorum monasterium sancti Ypoliti de Faventia ex congregatione Camaldulensi abbatem & fratres, omnesque eorum successores cum universis hominibus, bonis ac possessionibus, quas in presenti habent, aut in posterum justo acquisitionis titulo poterunt adipisci, omnesque ejusdem monasterii ecclesias cum earum bonis tam mobilibus, quam immobilibus in nostre majestatis tuitionem ac defensionem recepimus, statuentes, ut prefatum monasterium cum omnibus suis ecclesiis & domibus monachorum, clericorum, & conversorum, quas inhabitant, ab omni fodro, albergariis, angariis, & perangariis liberum in perpetuum permaneat, & penitus exemptum. Prohibentes etiam sub pena gratie nostre, & sub pena, que infra determinata est, ut nemo audeat bona prenominati monasterii, vel suarum ecclesiarum, aut hominum suorum emere, aut in permutationem, emphitheosim, commendationem, aut guardiam recipere, vel pignore, seu quocumque alio genere contractus sibi vendicare, sine consensu & voluntate abbatis. Adjicientes, ne usus vel statuta Faventine civitatis legibus contraria aliquatenus in suis bonis retinendis vel recuperandis obsistant, sed nullius quoad hec momenti omnino esse decernimus, & liceat monasterio predicto juste ac legitime, nullatenus obstantibus predictis usibus, vel statutis, quevis bona poterit libere & absque omni contradictione namcisci. Decernentes itaque, ut si qua, quod absit, humilis vel alta persona, sepedicti monasterii abbatem, aut fratres seu familiam ipsorum in personis ledere sive in bonis suis molestare, aut contra presentem paginam venire presumpserit XXX. libras puri auri componat; dimidium camere nostre, reliquum passis injuriam. Ut igitur hec majestatis nostre concessio & confirmatio rata in perpetuum & inconcussa permaneat presentem paginam conscribi jussimus, & nostre sublimitatis sigillo communiri. Hujus rei testes sunt Wilielmus Ravennatensis archiepiscopus, Angelus Tarentinus archiepiscopus, Bernardus Faventinus episcopus, Marquardus imperialis aule senescalcus, marchio Ancone, Dux Ravenn. Rubertus de Durne, Cu.. uno de Mi..ce ..mberc, & alii quamplures.



Signum domini Henrici sexti Romanorum imperatoris invictissimi semper augusti & regis Sicilie.

Ego Cumradus imperialis aule cancellarius vice domini Adolfi Coloniensis archiepiscopi totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M.C.XCV. indictione XIII. regnante domino Henrico Romanorum imperatore victoriosissimo semper augusto & rege Italie, anno regni ejus in Theotonia XXV. in Sicilia primo, imperii vero ejus anno V.

Data apud Faventiam XIII. kalend. junii per manum Alberti imperialis aule protonotarii.

CXXII.

Philippus dux Thusciæ in protectionem recipit eremum Avellanensem.

Anno 1195. kal. julii.

Ex schedis D. Romualdi Blanci.

Ibid. n. 12. PHilippus Dei gratia dux Thuscie. Ad temporalis regni gloriam & eterne retributionis meritum apud regem regum nobis proficere credimus, si piis & religiosis locis sollicite provideamus, & Deo in his famulantes ab infestatione malorum hominum securos & quietos nostre defensionis munimine reddamus. His autem precipue nostre benignitatis clementiam libentius debemus impartiri, quibus sue religionis & honeste conversationis intuitu serenissimum patrem nostrum Fredericum & fratrem nostrum Henricum imperatores Romanorum augustos propensiores imperialis excellentie sue gratiam & defensionis sue protectionem contulisse cognoscimus. Quia ergo fratres de heremo Fontis Avellani sacris operibus jugiter insudare, & bona fama in domo Dei flagrare inteleximus, dignum duximus ampliori nostre serenitatis clementia locum & possessiones eorum tueri, & propensioris gratie beneficio personas & res ipsorum una cum excellentissimo patre nostro & fratre nostro Romanorum imperatoribus augustis manutenere. Notum igitur facimus omnibus Christi & imperii fidelibus tam futuris, quam presentibus, quod nos prefatam ecclesiam, scilicet heremum Fontis Avellani cum universis ejus pertinentiis in nostre tuitionis spetiale patrocinium una cum predictis patre nostro & fratre tanta benevolentia suscipimus, ut omnia eidem ecclesie & fratribus inibi Deo servientibus spectantia, ea pace, que rebus fisci nostri debetur, semper perfrui velimus. Eapropter omnibus imperii fidelibus marchionibus, comitibus, civitatum consulibus, capitaneis, valvasoribus, & universis publicam administrationem gerentibus & ceteris quibuslibet hominibus sub debito fidelitatis, quo astricti sunt, firmiter precipiendo mandamus, quatenus nihil unquam de omnibus possessionibus, que prefatis attinent fratribus, violenter aut contra voluntates eorumdem fratrum contingant aut tollant, ac eos tam in hominibus, quam in animalibus, tam in edibus, quam in agris, in omnibus omnino rebus & locis ad jus eorum pertinentibus nulla prorsus tributorum vel angariarum aliorumve servitiorum exactione molestent, quoniam nos eosdem fratres & possessiones ipsorum liberas de cetero & immunes fore statuimus. Ad augmentum quoque nostre gratie de fodro regali hanc eisdem fratribus indulgemus & concedimus commoditatem, quatenus id de eorum manualibus & quibuslibet ipsorum ecclesiis & terris & hominibus, ubicumque proprias & eis spetialiter pertinentes habent possessiones, nec marchio, nec comes, nec capitaneus, nec ullus consulatus aut potestas, nec aliqua penitus exigat persona, sed tempore, quo illud dandum est, fratres id per omnes homines suos fideliter colligant, & de ipso ad salutem anime nostre, ad utilitatem ecclesie sue disponant. In ejusdem quoque fodri collectione talem eis modum imponimus & definimus, ut a singulis hominum suorum focis, qui ipsis scilicet fratribus spetialiter attinent, denarios duodecim recipiant, & de his ad utilitatem ecclesie sue disponant, ut supra dictum est, ac provideant, & ipsi fratres vel eorum homines ultra hanc mensuram a nostris nuntiis vel a quibuscumque aliis nulla datione graventur. Insuper jubemus, ut liceat eisdem fratribus homines ipsorum super sua, idest ecclesie illius bona de loco ad locum pro libito suo transferre, & ad utilitatem suam transmittere nullo vetante vel impediente. Preterea statuimus, ut nullus judicum tam de civitatibus, quam de forinsecis locis habeat potestatem judicandi vel ad judicium vocandi homines predicte ecclesie, nisi causa prius fuerit ad priorem & fratres perlata, & ab eis emendatio vel secundum justitiam, vel secundum amicabilem compositionem reverenter & benigne requisita. Precipimus etiam firmissime omnibus judicibus tam in civitatibus quam extra per castella

stella & villas constitutis, si quando contigerit predictos fratres proclamationem super illatis sibi injuriis facere, ut statim judices celeri eis justitia subveniant, & presens promptumque juris auxilium contra adversantium violentias eis efficaciter impendant. Insuper statuimus, ut ipsi fratres in causis civilibus sacramentum calumpnie prestare non cogantur, & quod eis nulla prescriptio temporis objiciatur, nisi centum annorum. Precipimus etiam eisdem ecclesie patronis firmiter injungentes quatenus predictam ecclesiam vel in hominibus, vel in ullis eorum rebus ipsius aliqua molestia vexare non presumant, eisdem patronis & nostris simul nuntiis & ceteris fidelibus diligenter injungimus, ut eamdem sancte Crucis ecclesiam de heremo Fontis Avellani per omnes personas ac pertinentias ejus, & ab omni incursu violentie semper defensare studeant. Confirmamus etiam eidem ecclesie omnes ejus possessiones, quas hactenus tenuit & possedit, & quas deinceps juste & rationabiliter aquiret, ac ipsi pacem & quietem in eis nostre auctoritatis edicto stabilimus. Preterea concedimus & confirmamus ipsius ecclesie omnes homines & possessiones, quas nunc habet vel imposterum juste est habitura, & quicquid in eis juris habemus, ipsi conferimus. Si quis vero pretaxatis clementie nostre statutis ausu temerario contra ire presumpserit, pena quinquaginta librarum auri puri sit condemnatus, quarum medietas fisco nostro, residua prefate ecclesie exhibeatur. Ut autem hec nostra institutio rata in perpetuum habeatur, presentis privilegii paginam fecimus inde conscribi, & nostre majestatis sigillo roborari. Volumus autem predictos fratres hujus privilegii donationibus uti in bonis illis, que ipsi jure proprii ad manus suas tenent, non autem in his, que ex oblationibus fidelium pro certo canone receperunt &c. Hujus rei testes sunt Petrus Urbis prefectus, & comes Ildibrandinus, & comes Manente, & Armanus de Catena senescalchus, Rainaldus de Castelione, & Ugolinus Satini, & Wido de Cisterna & alii quamplures.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M. C. LXXXXV. indictione XIII. anno vero ducatus ejus primo. Datum in obsidione Perusii kalendis julii feliciter, amen.

Ego Blancus notarius hunc, ut in autentico privilegio sigillo ducis roborato vidi, scripsi, & ad finem perduxi, nec addidi nec minui, in anno Domini M. C. LXXXXVI. tertio die intrante aprilis indictione XIIII.

CXXIII.

Charta venditionis factæ eremo novæ de Fajolo.

Anno 1195. VI. intrante septembri.

Ex autographo Fontis-boni. §. Emptio n. 122.

IN Christi nomine. Anno incarnationis ejus millesimo nonagesimo quinto tempore Celestini pape & Henrici imperatoris VI. die intrante mense septembri indictione tertia decima ante domum Guidonis de Donessa in Valle bona. Venditionis negotium &c. ideo ego quidem in Dei nomine Guido de Donessa pro me meisque filiis & heredibus do & vindo tibi presenti, in Christi nomine donno Drudo priori heremi nove de Fazolo conpatroni pro te tuisque fratribus & successoribus imperpetuum, id est illud, quod habetis in clausura vestra de Valle bona de subtus, videlicet illud, quod habebatis a Viviano de la Porta, e a filio Sforzoli, & illud, quod habebatis Cressolus in duobus locis, a II. latere possidet jamdicta heremus, a III. detinet ecclesia, de subtus est via currente cum introitu & exitu suo omnibusque super se & infra se pertinentibus ad habendum, tenendum &c. & quitquit tibi tuisque fratribus & successoribus placuerit in perpetuum faciendum, pro eo quia dicti suprascripti nomine pretii denar. Lucensium lib. IIII. & unum asinum, & quidquid jamdicta terra plus valet pro anima mea. Et ego jamdictus vinditor &c. Ad hec fuerunt testes rogati Ruffus de Faentia, Picolus de Capagnolo, Rudillo & Zulianus, & Orlandus conversus ejus eremi. *Ibid. n. 17.*

Et ego Martinus Dei gratia sacri palatii notarius, ut audivi & intellexi atque rogatus fui, scripsi & complevi.

CXXIV.

CXXIV.

Donatio facta monasterio San-victoriano.

Anno 1195. mense septembri.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ibidem. IN nomine Domini nostri Jesu Christi anni sunt mille c. nonaginta v. Henrico imperatore regnante mense septembri indictione XIII. Ideoque ego Maria filia de Guazo propria & spontanea mea voluntate & secundum mea lege do & concedo quidquid abeo & teneo, & fuit jure mei patris & matris mee, posita est ipsa res in comitato Camerino in Rosenga, & in vale de Mainno, & in Larciano, vel ubicumque abeo usu & deritto, do & concedo ecclesie sancti Victoris & a vobis donno Gualfredo abbas vestrisque successoribus in servum servorum Dei, deinde abeatis, teneatis &c. Grimaldo, & Giso, & de Vezo fuerunt testes.

Ego Lotherius cum filio meo Saxo quietamus & refutamus partem nostram ecclesie sancte Marie inter Saxa a vobis donno Gualfredo abbas vestrisque successoribus in servum servorum Dei pro anima & filiis meis & de aliis meis consanguineis, deinde abeatis, teneatis & faciatis quodcumque vobis vestrisque successoribus placuerit, & si hoc totum non servaverimus, promitto me soluturus penam in curia vestra solidi c. & pena soluta omnino supradicta firma permaneat in perpetuum. Alberto de Tebaldo, & Petri de Varano, & Zupo fuerunt testes.

Lotherius notarius scripsit & complevit.

CXXV.

Definitio Berardi canonici Arretini ordinationem ecclesiæ S. Hilari & hospitalis pertinere ad monaster. S. Benedicti de Arretio.

Anno 1195. VIII. idus decembris.

Ex autographo parthenonis Prati-veteris.

Ibid. n. 13. IN nomine Domini Dei eterni amen. Propter hominum desidiam & negligentiam bellica clade, & temporis prolixitate sepe cooperante multa veniunt in diffuetudinem, & damni errorem, que que ad justitie tramitem difficile est revocare, & illis, ad quos de jure spectant, perrarum est sine molestia posse judices restituere, & expoliati, ne in costitutionem illam, si quis in tantam ausu temerario incidant injuriis lacessiti querimoniis eorum hostia pulsant, qui jura promulgant, & eorum frequenter conquestiones ascendunt usque ad eos, qui principatum sacerdotii, & regni gubernant. Propter hujusmodi rei geste causam Celestinus III. Romane ecclesie summus pontifex mihi magistro Berardo Aretino ecclesie canonico querimoniam, qua fuit concitatus a domna Sophia monasterii Prati Veteri abbatissa de ordinatione & dispositione ecclesie sancti Yllari, & hospitalis, que sibi videtur sublata, & ecclesie sancti Benedicti subtracta mediante justitia terminandam delegavit. Ex qua commissione Jeronimi Aretini episcopi beate memorie vestigiis inherens, & ex testimonio clericorum & laicorum, tam virorum, quam mulierum insuper veritate diligenter inquisita. Pronuntio ipsam ordinationem, & dispositionem tam spiritualium, quam temporalium ecclesie sancti Yllari, & hospitalis pertinere ad ecclesiam sancti Benedicti, que monasterii Prati-veteris est obedientialis. Auctoritate ergo sancte Romane ecclesie munitus, non solum verbo, & fere hominum communi assertione, sed etiam sacramento in judicandi potestate instructus decerno eam donationem dispositionis & ordinationis, quam fecit prenominatus Aretine ecclesie episcopus ecclesie sancti Benedicti de ecclesia & hospitali sancti Yllari, inconcusse observandam auctoritate ejusdem commissionis statuo, ut nulla persona ecclesiastica, vel secularis, nisi sub moderamine & dispositione ecclesie sancti Benedicti in hospitali sancti Yllari, vel ecclesia ad mandatum suum vivere promiserit, ab aliquo ibidem se intrudi permittat. Quod si fecerit, si laicus est, excommunicationis, si vero clericus, sententia canonibus inserta feriatur. Salvo tamen jure plebis, ad cujus diocesim spectare videtur. Data apud ecclesiam sancti Philippi in presentia & testimonio presbyteri Guilielmi ejusdem ecclesie, & per manum dicti magistri Berardi dictarum rerum restitutoris, Manentis Conventi, Ugolini fabri, Joannis Didaci presbyteri, Mattei ecclesie sancti Juliani, & Fidei clerici .... Johannis Quersi, Uguiccionis filii Spazzanidi & aliorum multorum ad hec convocatorum.

Anno

Anno Domini M.CLXXXXV. VIII. idus decembris domino Karolo imperante anno imperii ejus IV. indictione XIII.

Ego Omnebonum domni imperatoris notarius huic confirmationi interfui, & ex mandato dicti magistri Bernardi in publicam formam redegi.

CXXVI.

Concessio Transmundi abbatis Vallecastrensis.

Anno 1196. mense februario.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 38. IN Dei nomine. Anni sunt M. C. LXXXXVI. qui est imperatoris Enrici sexti & mense februarius, in quo rogatus est indictione XIIII. Placuit adque convenimus tibi nos & donnus Transmundus vir venerabilis abbas de monasterio beatu sancto Romualdo, quod edificatu est in loco, qui dicitur Val de Castro, do & trado adque concedo tibi Agusto seu fili & nepotibus tuis masculini legitimis usque tertia tua generatione ad possidendum de re juris sancte nostre ecclesie ipsa res, que est in comitato Camerino in curte de Monte miloni a vocabulo la Valle de Actoni *&c.*

Tebaldus regis notarius scripsit. Acto de Rollando, donnus Actu de Petri de Gregorio, Morico de Bonomo ipsi sunt testes.

CXXVII.

Cœlestinus III. *confirmat ecclesias, & bona & indulta monasterii Vangaticiensis.*

Anno 1196. VI. kal. julii.

Ex apographo Vangaticiensi, ex Bronzerio pag. 183. *& ex Silvestrio* pag. 67.

Ibid. n. 20. CElestinus episcopus servus servorum Dei dilecto filio Alicho abbati monasterii sancte Marie Vangaditiensis *&c.* Apostolice sedis, cui auctore Domino presidemus, nos hortatur auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & que ad earum sunt quietem disposita propensiore diligentia stabilire. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predictum Vangadiciense monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, quod uti recolende memorie ab Hugone quondam marchione constat esse constructum, atque a predecessoribus nostris sancte recordationis Silvestro, Callisto, Innocentio & Alexandro Romanis pontificibus libertati donatum est, atque ad jus beati Petri sancteque Romane ecclesie speciali prerogativa pertinens, apostolice sedis privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste *&c.* firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Villam Abbatie, in qua monasterium est, cum plebe sancti Johannis, Vangaditiam cum ecclesia sancti Michaelis, Villam, que dicitur Salvaterra, cum ecclesia sancti Antonini; Cavazanam cum ecclesia sancti Laurentii; ecclesiam sancti Andree de Ramo de Palo cum pertinentiis suis. Infra civitatem Veronensem ecclesiam sancti Salvatoris cum omnibus suis pertinentiis. Quascumque etiam possessiones habetis in Ilasi, & in Bardulino, & in quibuscumque locis Veronensis episcopatus. Infra episcopatum Vicentinum terram de Albareto. In episcopatu Patavino ecclesiam sancti Petri sitam in Montesilice cum suis omnibus pertinentiis, partem vallis Almerici cum ecclesia sancti Andree; in Este ecclesiam sancti Firmi, & ecclesiam sancti Petri cum suis pertinentiis; in Palso ecclesiam sancti Michaelis, possessiones in curia Ville, & in aliis ejusdem episcopatus. In episcopatu Adriensi Venezza cum ecclesia sancti Martini; Prosettam cum ecclesia sancti Leonis; in Contina ecclesiam sancti Sixti; in Goviano ecclesiam sancti Bartholomei; in villa Comeda ecclesiam sancti Petri, & quascumque possessiones alias in eodem episcopatu habetis vel in comitatu. Possessiones in episcopatu Ferrariensi; & in episcopatu Bononiensi ecclesiam sanctorum Simonis & Jude de Urbisano cum pertinentiis suis. Predictorum denique nostrorum statuta predecessorum sine ulla volentes servare refragatione monasterium ipsum sub Romanorum dumtaxat pontificum tuitione positum a reliquorum dominio episcoporum cum universis, quas nunc possidere dignoscitur ecclesiis, seu quas imposterum juste adquisiverit, omnino liberum sit, & a synodalibus quibuslibet exactionibus absolutum permanere decernimus. Tibi itaque fili abbas tuisque omnibus successoribus liceat ve-

stras

ſtras quaslibet eccleſias cum cemeteriis, baptiſteriis, capitulis & ſynodis quiete poſſidere, eaſque per proprios ordinare ſacerdotes, nullius epiſcopi obſtante contradictione. Reliquorum vero veſtrorum promotiones, & conſecrationes baſilicarum, ſed & infantum in villis veſtris poſitorum conſignationes, ut a catholicis, quos invitare volueritis, epiſcopis pro reverentia ſedis apoſtolice, nullius interveniente morbo venalitatis peragantur, perpetua ſtabilitate ſancimus. Preſbyteris inſuper in parochialibus, monaſteriique eccleſiis quocumque tempore conſtitutis vulgatorum pariter & ſecretorum criminum ſibi commiſſis populis injungendi penitentias preſentis auctoritate privilegii ſit indulta licentia. Ad eoſdem etiam ſpectabit ſolutiones queſtionum, que de conjugiis emerſerint ac difficiliora quoque negotia, ut juxta ſanctorum patrum terminentur inſtituta ad te fili abbas tuoſque referre ſucceſſores; ſtudii preterea veſtri ſit ſacroſanctum chriſma ſingulis annis per veſtros a catholico quocumque malueritis epiſcopo legatos accipere, acceptum vero baptiſmalibus ex more eccleſiis diſtribuere, ſicut omnimode hactenus feciſſe noſcimini. Sane cunctis Abbatie decimis, ſimulque Vangaditie, Salvaterre & Cavazzane, ſeu etiam Ramipali, ac de territorio Proſette, Saguedi & Venezze pietatis intuitu ex integro vobis habendas concedimus. In aliis autem locis prediorum, que propriis a vobis exculta ſumptibus fuerint, ac reddituum veſtrorum decimationes noſtra vobis auctoritate vendicabitis, ſicut eas inconcuſſe a quadraginta retro annis habuiſtis, & hec facere conſueviſtis. Obeunte vero te nunc ejuſdem loci abbate vel tuorum quolibet ſucceſſorum nullus ibi qualibet ſubreptionis aſtutia preponatur, niſi quem fratres communi conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris de ſuo vel aliorum religioſorum collegio, ſi, quod abſit, idoneus ibi repertus non fuerit, ſecundum Dei timorem, & beati Benedicti regulam elegerint, electus autem ad Romanum pontificem confirmandus accedat. Decernimus ergo, quod nulli omnino hominum liceat &c. ſalva ſedis apoſtolice auctoritate. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica ſecularisve perſona &c.

Datum Laterani per manum Centii ſancte Lucie in Orthea diaconi cardinalis domini Pape camerarii VI. kalendas julii indictione decima quarta, incarnationis Dominice anno M.C.XCVI. pontificatus vero domini Celeſtini anno VI.

CXXVIII.

Charta San-victoriana.

Anno 1196. menſe octobri.

Ex archivo S. Catharinæ de Fabriano.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anni ſunt milleſimo C. nonageſimo VI. Henrico imperatore regnante rex Cicilie menſe octobri indictione XIIII. Ego quidem in Dei nomine Albricus filius de Rainaldo propria ſpontanea mea voluntate & ſecundum mea lege hanc carta fieri rogavi a beato ſancto Victore, quod eſt edificato in fundo Victuriano, & a vobis donno Gualfredo abbas & donnus Gualterius procurator ipſius eccleſie & aliis veſtris ſotiis in ſervum ſervorum Dei pro redencione & obſolucione anime mee, & anima patris & matris mee, & de aliis meis conſanguineis, do & trado vobis & veſtris ſucceſſoribus de meis poſſeſſionibus, quas abeo in comitato Camerino in curia Forſe & in curia Rocce filii Giſoni, & in curia Zinge & in Varano, primo latere la ſtrada, que pergit a Cavallo Baraldi, & venit in val de Merago mergente in ponte Campiano nemo per flumen Sentino, & aſcendit per ſulcum ad ſanctum Angelo Roſenge, veniens in Varano, perveniente in peudela foſſe, & per foſſatum Pevecollis Angeli perveniente in prima fine Cavallo Baraldo, do & cedo vobis &c. *Ibid. n. 20.*

Lotherius notarius ſcripſit & complevit.

CXXIX.

Ceſſio eccleſiæ S. Georgii de Ravenna facta ab abbate Aceretano.

Anno 1196.

Ex tabul. archiep. Ravenn. Capſ. C. n. 2812.

IN Dei nomine amen. Anno ab incarnatione ejus centeſ. nonageſimo ſexto die ſeptimo menſis .... indictione ....decima Ravenne. Concordia talis eſt inter dominum Wilielmum archiepiſcopum Ravenn. & domnum Ugonem abbatem ſancti Johannis in Acereta pro monaſterio ſancti Mercurialis, & dominum Petrum Traverſaria poteſtatem pro *Ibid. n. 21.*

com-

pro communi Ravenne voluntate communis consilii, quod predictus abbas cum consensu fratrum suorum & pro suis successoribus in perpetuum & cum consensu domini Thomasii de Gezzis advocati supradicti monasterii penitus dat, liberat ecclesiam sancti Georgii ab monasterio sancti Mercurialis, & diffinit & refutat in manus supradicti archiepiscopi Wilielmi omne jus, quod habet in illa ecclesia vel habere sperat, & partem, quam habet ibi domnicata juxta ecclesiam sancti Georgii, silicet a fossato civitatis foris versus ecclesiam sancti Georgii usque ad Badarenum, accipienti vice & nomine sancte Ravennatis ecclesie, retentis sibi & predicto monasterio sancti Mercurialis omnibus aliis possessionibus, que quondam fuerunt beati Georgii, & hoc promittit supradicto archiepiscopo sub pena x. librarum auri, pro eo quia dominus Wilielmus archiepiscopus cum consensu chori sancte Ravennatis ecclesie liberat ecclesiam sancti Mercurialis ab ecclesia sancti Georgii, & diffinit & refutat atque liberat omnes possessiones, que quondam fuerunt sancti Georgii, quas nunc habet ecclesia sancti Mercurialis, vel alii pro ea; vel quondam ecclesia sancti Georgii habuit. Et promittit pro se suisque successoribus defensare & autorizare predictas possessiones predicto monasterio sancti Mercurialis. Et nominatim promittit, quod faciet firmare hanc diffinitionem & facere rectorem beati Georgii, qui primus fuerit pro se suisque successoribus. Et dominus Petrus Traversaria promittit pro communi Ravenne domino Wilielmo archiepiscopo reedificare ecclesiam sancti Georgii, & promittit domino Wilielmo archiepiscopo & predicto abbati, & supradicto Thomasio de Gezzis dare salvum cambium vel justam extimationem arbitrio Petri de Torbo de jamdictis possessionibus positis juxta ecclesiam sancti Georgii sub pena unius libre auri, & dominus Wilielmus archiepiscopus pro se suisque successoribus promittit, quod non dabit nec concedet, nec supponet ullo modo ecclesiam sancti Georgii alicui venerabili loco vel alicui laico, sed semper sibi & ecclesie Ravennati reservabit. Hoc autem promittit domino Petro Traversaria pro communi Ravenn. Hec omnia propterea acta sunt intuitu divine pietatis, & ut predicta ecclesia reedificetur, & persone omnipotenti Deo & illi beato martyri Georgio in ea deservientes instituantur, per quas divina officia celebrentur. Et hec omnia promiserunt, ut superius legitur, observare sub predictis penis, & penis solutis omnia supradicta maneant in perpetuum firma. Quam vero paginam concordie, definitionis, refutationis, nec non liberationis ego Ravennus Dei gratia Ravennas tabellio & sancte Ravennatis ecclesie notarius scripsi predictorum precepto, ut supra legitur.

Testes interfuerunt Notevolvi judex communis Ravenne, Leutius de la Rovere, Ugo de Gezis, Albertus, Petrus de Torbo, Ugo Bernardengus, Peppus de Azo, Lotorengus Carma, Molinus, & alii quamplures.

CXXX.

Cessio bonorum facta monasterio Sanvictoriano.

Anno 1197. mense junio.

Ex tabul. S. Blasii de Fabriano.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anni sunt mille c. nonagesimo VII. Henrico imperatore & rex Cicilie regnante mense junius indictione XV. Nos quidem in Dei nomine Ben. & Rainaldo & Martino & Portata & Papabola sorore nostra toti insimul comuniter propria & spontanea nostra voluntate & secundum nostram legem damus & concedimus totam terram nostram & vineam in montis & planis in loco pignoris a vobis donnus Perfectus abbas sancti Victoris, posita est ipsa res in comitato Camerino in curte de Rosenga & in Larciano, primo latere Aquaviva, & ascendit a sancto Vincentio mergente per fossatum canonice ad strictum Zigie, & ascendit per Serram Gallule, per medietatem castri mergente a sancto Martino veniente in Castilloni, veniente per stradam Clavi ad terminum Bovani, mergente per fossatum Bovani in fluvio Sentino, mergente per fluvio Sentino usque in Aquaviva, qui est primo latere, damus, & tradimus tibi quicquit nos abemus, & alii pro nobis infra predictis lateribus in pigno pro titulo, quia tu accomodasti nobis de tuis rebus v. livere, & dui soldi bonorum Lucensium, & nos debemus laborare & cultare & reddere vobis tertia parte de pane & de vino bona fide sine omni fraude. Unde promittimus &c. *Ibid. n. 26.*

Alberto de Raineri, & Rustico, & Vicino, & Mangono, & domnus Tebal-

baldus, & domnus Albertus & domnus Petrus fuerunt testes.

Loterius notarius scripsit & complevit.

CXXXI.

Cœlestini III. *privilegium Berardo priori S. Mariæ de Arzilla Fani.*

Anno 1197. IV. idus septembris.

Ex apographo S. Apollinaris in Classe.

Ibid, n. 27. CElestinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Berardo priori ecclesie sancte Marie de Arzilla ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit adesse presidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacre religionis infringat. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam ecclesiam sancte Marie, que specialis juris & proprietatis beati Petri existit, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus, qui secundum Deum & beati Augustini regulam in eadem ecclesia institutus esse dinoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, quam nobilis vir Valterus comes Fanensis provida deliberatione construxit, & ei subscriptas possessiones concessit cum omnibus pertinentiis suis. Hospitale, quod est prope ecclesiam supradictam, & capellam sancti Jacobi cum hospitali, que comes predictus propriis expensis construxit, & omnibus pertinentiis suis; domum unam in civitate Fanensi; novem ortos, qui sunt prope ecclesiam memoratam; vineam unam in plano burgi cum suis pertinentiis; omnes vineas, que fuerunt de dote Adjute. In Malliano vineas, quas idem comes aquisivit ab Hugone duce. Campum unum in loco, qui dicitur paludis; campum unum juxta litus maris; campum unum in rivo de Arcu; campum unum juxta gurg. Volte; campum unum, qui fuit quondam Honesti Alberti; & campum unum juxta sanctum Maurum, & totum Olivetum, quod fuit Buccebatalle. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de ortis & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere vel extorquere presumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos, liberos & absolutos, e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in ecclesia vestra professionem fas sit absque prioris sui licentia, nisi arctioris religionis obtentu, de eodem loco discedere, discedentem vero absque communium litterarum vestrarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium & basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & communionem sacrosancte Romane sedis habuerit, & ea vobis voluerit sine pravitate qualibet exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque volueritis catholicum adire antistitem, gratiam & communionem apostolice sedis habentem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatis, impendat. Ad hec novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, archidiaconibus seu decanis, aliisque ecclesiasticis secularibusve personis omnino fieri prohibemus. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotionis extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt usibus

bus omnimodis profutura. Salva sedis apostolice auctoritate. Ad inditium autem hujusmodi percepte a sede apostolica libertatis nobis nostrisque successoribus unum Bisanzium annis singulis persolvetis. Si qua igitur *&c.*

† Ego Celestinus catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Octavianus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Petrus Portuensis & sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Guido sancte Marie Transtiberim tit. Calixti presb. ss.

† Ego Ugo presb. card. sancti Martini tit. Equitii ss.

† Ego Bernardus sancti Petri ad vincula presb. card. tit. Eudoxie ss.

† Ego Johannes tit. sancte Prisce presb. card. ss.

† Ego Bernardus sancti Adriani diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancte Marie in Porticu diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancte Marie in Aquiro diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Georgii ad Velum aureum diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Angeli diac. card. ss.

Datum Laterani per manum Cencii sancte Lucie in Orthea diaconi card. domini pape camerarii IIII. id. septembris indictione XV. incarnationis Dominice anno M. C. XCVII.

CXXXII.

Promissio Gerardi abbatis S. Michaelis de Castro Brittorum Eufrosinæ abbatissæ Septem-fontium.

Anno 1197. III. nonas decembris.

Ex tabulario S. Christinæ de Bononia.

Ibid. n. 26. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo centesimo nonagesimo septimo III. nonas decembris mortuo Enrico imperatore indictione XV. Ego quidem in Dei nomine domnus Gerardus abbas sancti Michaelis de castro Britorum cum consensu & voluntate omnium fratrum meorum, & ex voluntate domni prioris Martini, & Jacobi vicarii, & Rustici venerabiles monachi promitto & obligo sup pena XXX. librarum tam me, quam omnes meos successores tibi domne Eufrosine abbatisse sancte Christine pro te & pro omnibus tuis successitricibus vice predicti monasterii videlicet sancte Christine, quod si quo tempore ego vel mei successores amiserimus in placito vel extra placitum, sive quolibet modo, quo adjudicatum est nobis per sententiam a domino Lupicino sacri palatii judice & potestate Medicine de ecclesia sancti Johannis de Fontana, quam monasterium sancti Michaelis habuit nomine permutationis a predicto monasterio sancte Christine, pro qua dedit predictum monasterium sancti Michaelis monasterio sancte Christine ecclesiam sancti Andree in Basiliano cum omnibus pertinentiis suis nullo modo propter hoc contra vos vel vestros successores agemus, vel litigabimus, vel aliquod molestie per nos vel per alios in juditium vel extra inferemus, & nullo modo ad aliquod damnum si nobis, quod absit, super predicta re acciderit, vos ad resarciendum nobis teneri volumus. Hoc autem ideo facimus seu promittimus, & nos nostrosque successores supradicta pena obligamus pro eo, quia accipimus a te predicta domna Eufrosina abbatissa tuisque sororibus VI. libras & XIII. solidos Bononienses, quod si nos vel nostri successores contra hoc scriptum vel hanc stipulationem, sive promissionem ire temptaverimus quolibet modo vel ingenio, & hoc totum, quod scriptum est, firmiter non observaverimus, ante omne litis initium persolvemus & persolvamus nomine pene XXX. libras Bononienses, ut prescriptum est. Actum in camara sancti Michaelis & indictione predicta XV.

Prenominatus dompnus Gerardus aliam, sicut superius legitur, scribere precepit.

Gerardus Dei gratia abbas sancti Archangeli manu mea ss.

Aldebrandus monachus manu mea ss.
Guido monachus manu mea ss.
Ugo monachus manu mea ss.
Joannes monachus manu mea ss.
Presbyter Aldebrandus conversus ss.
Presbyter Isnardus conversus ss.
Zilius monachus ss.

Johannes Bonus filius Tolandini de Septem funti, Rodulfinus filius Ildebrandini Stirpa ...... & Ribaldinus filius Odduli rogati sunt testes.

Ego Petrus Ramfredi tabellio de Ulziano scripsi rogatus.

CXXXIII.

CXXXIII.

Innocentius III. Rom. pont. confirmat monasteria congregationis Camald. Martino priori.

Anno 1198. III. nonas maji.

Ex autographo archivi capit. Lucensis.

Ibid. n. 28. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Martino priori Camaldulensi ejusque fratribus, tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos admonet, & invitat auctoritas pro ecclesiarum statu satagere, & earum quieti ac tranquillitati salubriter auxiliante Domino providere. Dignum namque & honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad earum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas & a pravorum hominum incursibus tueamur, & beati Petri atque apostolice sedis patrocinio muniamus. Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predecessorum nostrorum felicis memorie Paschalis, Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri & Clementis Romanorum pontificum vestigiis inherentes precipimus, & presentis decreti auctoritate sancimus, ne cuiquam omnino persone clerico, monacho, laico cujuscumque ordinis aut dignitatis presentibus aut futuris temporibus liceat congregationes illas & loca illa, que Camaldulensis heremi sive cenobii disciplinam & ordinem susceperunt, queque hodie sub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo subjectione & unitate dividere. Que videlicet loca & congregationes conservande unitatis gratia singularibus visa sunt vocabulis annotanda. In episcopatu Aretino ecclesiam videlicet sancti Donati, que Fonsbonus dicitur, cum hospitali & omnibus suis bonis. In ipsa civitate monasterium sancti Petri in Picculo, & ecclesiam sancti Michaelis cum pertinentiis suis, & omnibus, que ab episcopis Aretinis eidem ecclesie concessa esse noscuntur, & ipsorum scripti assertione firmata; ecclesiam sancti Martini, que est juxta Letarcle cum omnibus pertinentiis suis; monasterium Silvemunde; monasterium sancte Marie de Agnano; monasterium sancti Petri de Rota; monasterium sancti Salvatoris Berardingorum cum omnibus eorum pertinentiis; monasterium sancti Savini in Chio; monasterium sancti Andree de Castellione; monasterium sancti Quirici de Rosa; ecclesiam sancti Nicolai de curia Luponis; heremum de Fleri cum monasterio suo; monasterium sancti Viriani; monasterium sancti Bartholomei in Anglari cum castellis & omnibus suis pertinentiis; plebem sancte Marie de Miciano cum omnibus ecclesiis suis; ecclesiam sancti Johannis, que est in Anglari; ecclesiam de Monte aureo; ecclesiam de Viario; ecclesiam sancte Marie de villa, que dicitur Moncione; ecclesiam de Mojona; ecclesiam de castello Lorenzano; ecclesiam sancti Vitalis prope ipsum locum; ecclesiam de Agna; ecclesiam de Soci & de Condolese cum omnibus earum pertinentiis; letanias plebis de Miciano; visitationes plebium de Bujano & Partina, quemadmodum ab Aretinis episcopis est ordinatum; integras decimationes de Agna, Larniano, Pergentina, Corsignano & Avana, & quidquid habetis in curte de Tejano. Item quicumque eidem heremo decimam suam dare voluerit, que ab aliquo Aretino episcopo recte ordinata vel donata non fuerit, inde habeat facultatem, sicut ab ipsis Aretinis episcopis est constitutum, & a felicis memorie Paschali & Anastasio Romanis pontificibus confirmatum. Mojonam, quam emistis ab Henrico preposito & reliquis canonicis Aretinis cum omnibus pertinentiis suis; villam de Moncione, quam emistis ab abbate sancte Flore, sicut in vestris chartulis continetur; quidquid juris ecclesia sancti Donati habebat in villa de Mojona, & in villa de Moncione. In episcopatu Castellano monasterium sancte Marie de Deciano; monasterium sancti Sepulcri cum toto Burgo; ecclesiam de Planetulo cum castello & suis pertinentiis; plebem sancte Marie de Soara; ecclesiam de Valliala cum ipso castello. In episcopatu Fesulano monasterium sancte Marie in Poplena; & ecclesiam sancti Michaelis juxta ipsum, & ecclesiam sancti Bartholomei de Astrapetronii; ecclesiam sancti Egidii de Gaviserre; ecclesiam sancti Nicolai de Montemezzano; ecclesiam sancti Miniatis de Lonano; monasterium sancti Johannis de Pratoveteri; monasterium Montis-muri. In episcopatu Florentino monasterium sancti Petri de Luco; monasterium sancti Salvatoris juxta civitatem; heremum Buldronis. In episcopatu Lucano monasterium sancte Jucunde; monasterium sancti Petri in Puteolis cum capella burgi Porcarie; monasterium sancti Salvatoris de Cantiniano; hospitale

juxta

juxta burgum sancti Genesii. In episcopatu Wlterrano monasterium sancti Justi prope civitatem; monasterium sancti Petri de Cerreto; monasterium sancte Marie in Pulliciano; monasterium sancti Petri in Fontiano. In episcopatu Pisano monasterium sancte Marie de Morrona; monasterium sancti Stephani in Cintoria; monasterium sancti Savini in Montione; in ipsa civitate monasterium sancti Michaelis; monasterium sancti Frigdiani; monasterium sancti Zenonis cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Clusino monasterium sancti Petri in Vivo Montis-amiati. In Marchia in episcopatu Esino monasterium Heremite; ecclesiam sancti Georgii. In episcopatu Auximano monasterium sancte Marie in Serra. In episcopatu Anconitano ecclesiam sancte Lucie. In episcopatu Pensauriensi monasterium sancti Vincentii, heremum Sajoli. In episcopatu Ravennate monasterium sancti Apollinaris in Classe cum omnibus suis pertinentiis. In episcopatu Montis-feretrani monasterium sancte Trinitatis de Monte-herculis. In episcopatu Foropopuliensi hospitale Aimerici; ecclesiam sancti Paterniani de Ferracciano. In Galliata monasterium sancte Marie de Insula; heremum de Fajola; monasterium sancte Marie in Trivio. In episcopatu Faventino monasterium sancti Hippolyti juxta civitatem. In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli juxta castellum Britti; monasterium sancte Christine; in ipsa civitate monasterium sancti Damiani; heremum Bononiensem; hospitale de Ravone. In Tarvisino episcopatu monasterium sancte Christine. In episcopatu Senensi ecclesiam sancti Georgii de Api; in ipso burgo civitatis ecclesiam sancti Vigilii. In insula Sardinie monasterium sancte Trinitatis de Sacraria; ecclesiam sancte Eugenie in Samanar; ecclesiam sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari; ecclesiam sancte Marie & sancti Johannis in Altasar; ecclesiam sancte Marie in Contra; ecclesiam sancti Johannis & sancti Simeonis in Salvenaro; ecclesiam sancti Nicolai in Trulla; ecclesiam sancti Petri in Scano; ecclesiam sancti Pauli in Cotrognano; ecclesiam sancti Petri in Olim. In episcopatu Spoletano monasterium sancti Silvestri de Montesuavi cum omnibus pertinentiis suis; & monasterium sancte Helene cum suis pertinentiis. Ad hec felicis recordationis Alexandri & Clementis predecessorum nostrorum vestigiis inherentes monasterium de Urano vobis & conventui vestro, salvo jure Ravennatis ecclesie, auctoritate apostolica confirmamus. Hec igitur omnia cum omnibus ad ipsa monasteria vel ecclesias pertinentibus statuimus, & apostolice sedis auctoritate sancimus, tamquam corpus unum sub uno capite, idest sub priore Camaldulensis heremi temporibus perpetuis permanere, & illius discipline observatione persistere. Sub illo, inquam, priore, qui ab ipsius congregationis abbatibus sive prioribus & heremitis regulariter fuerit electus. Porro congregationem ipsam ita sub apostolice sedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli episcoporum fas sit ecclesiis, que a vestre congregationis fratribus gubernantur, divinum officium interdicere, vel aliquam ex iis ecclesiis seu monasteriis absque prioris conniventia vel apostolice sedis licentia excommunicare. Fratribus autem ipsis licentia sit, a quo maluerint catholico episcopo consecrationum vel ordinationum sacramenta suscipere. Preterea in communi civitatis seu parochie officio interdicto clausis januis, & non admissis diocesanis, ecclesiarum vestrarum monachi nequaquam prohibeantur divina officia celebrare. Hoc etiam adjicientes, ut nemini fratrum vestre congregationis post factam professionem absque prioris & rationabili fratrum licentia sit egrediendi facultas. Si vero exire presumpserit, & secundo tertiove commonitus redire contempserit, quousque congrue satisfecerit, ipsum excommunicationis sententie subjugamus. Quicumque vero pro obsequio servorum Dei in eremo Camaldulensi degentium ad aliquas partes perrexerint, tam in eundo quam in redeundo, seu etiam stando a nullo penitus molestentur. Statuimus insuper, ut decimas laborum vestrorum nullus a vobis exigere vel extorquere presumat, sed distribuendi eas hospitalibus vestris in usum pauperum secundum antiquam consuetudinem vestram liberas habeatis. Auctoritate apostolica indulgemus etiam vobis, ut in conventus vestri prelatis instituendis & amovendis, sicut hactenus dicitur ab antecessoribus vestris obtentum, liceat, & vobis sine contradictione qualibet observare. Libertatem preterea & immunitates, necnon & antiquas & rationabiles consuetudines monasteriis vestris concessas & hactenus observatas ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas manere sancimus Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum &c.

Fac

Fat mecum † *Domine*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
INNO | CENTIUS
PP. | IIJ.
signum in bonum.

BENE VALETE

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Octavianus Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Petrus tit. sancte Cecilie presb. card. ss.

† Ego Johannes tit. sancti Clementis card. Viterbiensis & Tuscanensis episcopus ss.

† Ego Guido sancte Marie Transtiberim tit. Calixti presb. card. ss.

† Ego Hugo presb. card. sancti Martini tit. Equitii ss.

† Ego Johannes tit. sancti Stephani in Celio monte presb. card. ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Gerardus sancti Adriani diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

† Ego Nicolaus sancte Marie in Cosmedin diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Angeli diac. card. ss.

† Ego Petrus sancte Marie in via lata diac. card. ss.

† Ego ..... sancte Lucie in Orthea diac. card. ss.

Datum Rome apud sanctum Petrum per manum Raynaldi domini pape notarii cancellarii vicem agentis III. nonas maji indictione prima incarnationis Dominice anno M. C. XCVIII. pontificatus vero domini Innocentii pape III. anno primo.

Loco † sigilli plumbei.

CXXXIV.

Idem Hugoni episc. Nucerino commendat monasterium de Gualdo.

Anno 1198. IV. nonas maji.

Ex epist. decretal. pag. 397. *vet. edit.*

Ibid. n. 29. INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri nostro Hugoni Nucerino episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Sic nos de singularum ecclesiarum statu decet esse solicitos, ut & utilitatibus consulamus ipsarum, & gravaminibus obviemus, ne creditam nobis solicitudinem postponere presumamus. Attendentes igitur qualiter monasterium de Uvaldo, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, in spiritualibus dissolutum sit, & in temporalibus diminutum, qualiter etiam a vicinis undique molestetur, ipsum tibi personaliter de fratrum nostrorum consilio committimus, quantum Dominus tibi permiserit, restaurandum in temporalibus, & spiritualibus reformandum, facultatem tibi corrigendi, que in ea corrigenda fuerint, & statuendi, que statuenda cognoveris, auctoritate presentium liberam indulgentes, ita tamen quod ex hoc libertas ipsius monasterii non ledatur. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c.

Datum Laterani IIII. nonas maji.

CXXXV.

Idem committit etiam priori Camald. collectiones pro subsidio Terræ-sanctæ.

Anno 1198. XIII. kal. decembris.

Ex iisdem pag. 265.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Pisano .. episcopo Urbinati, & dilectis filiis .. Camaldulensi & sancti Fridiani prioribus salutem & apostolicam benedictionem. Cum ad exhortandos fidelium populos ad obsequium Jesu-Christi & subveniendum Orientali provincie, illius terre necessitas & utilitas totius populi Christiani, immo etiam causa Christi solummodo nos inducant, non ex hoc propria lucra captantes, in quo potius de nostris proposuimus liberaliter elargiri, nec que nostra sunt, sed que Jesu-Christi querentes, non est ab aliquo presumendum, quod ea, que a fratribus & coepiscopis nostris & tam prelatis, quam subditis ecclesiarum in opus tam pium erogari mandavimus, propriis velimus usibus applicare, aut aliorum eleemosinas cupiditate qualibet Terre-sancte subtrahere, cui potius de nostris & fratrum nostrorum disposuimus subvenire. Unde si quid forsan in literis nostris, quas vobis direximus, continetur, per quod congregatam pecuniam ad nos mandaverimus destinari, id non *Ibid. n. 31.*

ex intentione nostra, sed nimia occupatione processit, qui quanto intendimus pluribus, tanto minus solicite possumus de singulis cogitare, licet id non recolamus sic expresse mandasse, sed nostre potius intentionis fuisse, ut summa collecte pecunie nobis deberet per literas intimari. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus cum secundum formam literarum, quas ultimo vobis direximus, pecunia fuerit in predicte Terre subsidium congregata, ex ea per diocesanos episcopos secundum discretionem eorum, & duorum fratrum, unius militie Templi, & alterius Hierosolymitani hospitalis, quos ad hoc cum episcopis per vos precipimus deputari, militibus & aliis Cruce-signatis, si tamen eguerint, non ad superfluitatem, sed ad necessitatem potius faciatis stipendia ministrari. Si quid vero residuum fuerit, id secundum dispositionem nostram & consilium aliquorum de fratribus memoratis vel in stipendia militum, vel alias necessitates terre Hierosolymitane, dante Domino, convertetur. Datum Laterani XII. calendas decembris.

CXXXVI.

Idem abbati de Gualdo permittit alibi transferre suum monasterium.

Anno 1198.

Ex iisdem pag. 40.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & monachis de Gualdo salutem & apostolicam benedictionem. Que pro religiosorum locorum necessitate petuntur a nobis, animo gratuito concedimus, & honesta petentium desideriis favorem apostolicum gratius impertimur. Quia igitur in medio prave ac perverse nationis positi, graves a vicinis vestris molestias & gravamina non modica sustinetis, ac volentes eorum nequitiam fugiendo vitare, licentiam postulastis a nobis ad loca tutiora monasterium & habitationem circumpositam transferendi, vestris precibus inclinati liberam vobis super hoc concedimus auctoritate apostolica facultatem, ut in majori quiete monastice professionis officium exequi valeatis. Nulli ergo &c. Datum Laterani &c. *Ibid. n. 29.*

CXXXVII.

Decimas & possessiones per XL. *annos obtentas Camaldulensibus confirmat.*

Anno 1199. VI. idus martii.

Ex iisdem pag. 370.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Martino priori & fratribus Camaldulensibus salutem & apostolicam benedictionem. Postulastis nuper a nobis, ut eremo Camaldulensi & ecclesiis aliis ad ipsam spectantibus super decimis & possessionibus, quas per annos XL. pacifice possederunt, paterna vellemus imposterum solicitudine providere, quatenus nullius temeritas posset possessionem eorum, que premisimus, impedire. Nos igitur volentes justis petitionibus vestris favorem apostolicum impertiri, districtius auctoritate presentium inhibemus, ne vos vel ecclesias vestras super illis, que bona fide per annos XL. continue possedistis, aliquis presumat de cetero molestare. Nulli ergo &c. nostre prohibitionis &c. *Ibid. n. 34.*

Datum Laterani VI. idus martii pontificatus nostri anno secundo.

CXXXVIII.

Protectione apostolica donat monasterium S. Helenæ ad fluvium Æsinum, cujus ecclesias recenset.

Anno 1199. XIII. kal. aprilis.

Ex authentico archivi S. Romualdi de Urbe.

IN Dei nomine amen. Hoc est exemplum cujusdam privilegii papalis cum bulla plumbea pendenti in filis sericis rubei & crocei coloris, in qua quidem bulla erant duo capita sculta, & in medio capitum crux, & supra dicta capita erant litere, videlicet scs Pa, & scs Pe, & ex alia parte erant litere: Innocentius pp. III., cujus quidem privilegii tenor talis est. *Ibid. n. 35.*

INNOCENTIUS episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Nicolao abbati monasterii sancte Helene de Esino, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus apostolicum convenit esse presidium, ne

forte

forte ..... temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur .... sacre religionis infringat. Quapropter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium sancte Helene de Esino, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & Pauli protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam, atque institutionem Camaldulensium fratrum in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur; propterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam sancti Ansovini; ecclesiam sancte Marie de Monte-morano, & omnia, que in ipso monte habetis; podium Castellionis cum suis pertinentiis; ecclesiam sancti Petri de Antiqua; ecclesiam sancte Marie de Panoda cum ipso castro, & pertinentiis suis; ecclesiam sancte Agathe de Fossaceca; villam de Serra Madii de Urso; ecclesiam de Cumali-grosso, & campum juxta forum ipsius castri; ecclesiam sancte Crucis de Sturci; ecclesiam sancti Christophori; ecclesiam sancti Angeli de Castello-actonis; ecclesiam sancti Johannis de Rosorio cum hominibus & possessionibus, quas ibi habetis; ecclesiam sancti Paterniani; ecclesiam sancte Marie de Monticello-etati; ecclesiam sancte Crucis de Bracalia; ecclesiam sancti Angeli de Coriano; medietatem castri Antichie cum suis pertinentiis; ecclesiam sancti Martini de Granita cum tenimentis suis; ecclesiam sancte Marie de Laccho; ecclesiam sancti Marci; ecclesiam sancte Marie de Alvareto cum tenimentis suis; & homines & possessiones, quas habetis in Massaccio; ecclesiam sancti Mauritii; ecclesiam sancti Angeli super Heremitam; ecclesiam sancti Johannis de Camborano; possessiones, quas habetis in castro Podii-Cupre cum hominibus, quos ibi habetis; ecclesiam sancte Marie de Caranico; ecclesiam sancti Egidii; silvam Macerate; medietatem castri Sisciani; jus, quod habetis in ecclesia sancti Fabiani ejusdem castri; villam Vallis-ecclesie cum suis pertinentiis; ecclesiam sancti Petri de Carpeneto; ecclesiam sancti Renuncii cum ipso podio; quartam partem castri de Sassono; possessiones, que dicuntur Actonis-monaci, cum molendinis de Camporis; molendina, que habetis in rota sancti Paterniani cum suis pertinentiis; campum sancte Helene cum molis; possessiones de Riccis, que sunt in castro Forcluse & Meragi cum suis pertinentiis; palatium in civitate Esina cum plateis ante ipsum & tribus aliis domibus; quicquid juris habetis in ecclesiis sancti Stephani de Ruviglia-no; sancti Sisti; plebis sancti Eleuterii; sancti Stephani juxta ipsam plebem; sancti Michaelis de Jugo; in ecclesia de curte Laccule; sancti Donati; sancti Martini de Altavilla; canonica sancti Angeli de Pinu; sancti Christophori de castro Forcluse; sancti Johannis Ficamarule; sancti Laurentii de Merago; sancti Petri de Rosorio; sancti Michaelis de ipso castro; sancte Marie de Monte-Bamposo; canonica sancti Benedicti de Frondellis; quicquid habetis in Monte-Bamposo & Frondelloso cum molariis & aliis eorum pertinentiis; quartam partem fori de Sennate; palatium in Massaccio, & Villam-novam cum omnibus suis pertinentiis; & pantanum in plano Rosorii & Sisciani. Sane liceat vobis clericos vel laicos e seculo fugientes liberos & absolutos ad conversionem recipere, & eos sine contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum, post factam in loco vestro professionem, fas sit absque abbatis sui licentia de eodem loco, nisi arctioris religionis obtentu, discedere, discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis clausis janius, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare. Inhibemus etiam, ne quis in vos, vel ecclesias seu clericos vestros excommunicationis vel interdicti sententiam sine manifesta & rationabili causa promulgare, seu novis & indebitis exactionibus vos gravare presumat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, ne forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Liberta-

bertates preterea & immunitates, necnon antiquas rationabiles consuetudines monasterio vestro concessas, & hactenus observatas, ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum fas sit, prefatum monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; scilicet omnia illibata & integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Salva sedis apostolice auctoritate, diocesani episcopi canonica justitia, & Camaldulensis monasterii debita reverentia. Si qua igitur *&c.*

Suscipe † *Domine*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
INNO | CENTIUS
PP. | IIJ.
servum tuum in bonum.

BENE VALETE

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego . . . . . Velletrensis episcopus ss.

† Ego . . . trus Portuensis & sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Pand. . . . basilice XII. apostolorum presb. card. ss.

† Ego Petrus tit. sancte Cecilie presb. card. ss.

† Ego Jordanus sancte Pudentiane tit. Pastoris presb. card. ss.

† Ego Johannes tit. sancti Clementis card. Viterbiensis & Tuscanellensis ss.

† Ego Hugo presb. card. sancti Martini tit. Equitii ss.

† Ego Johannes tit. sancti Stephani in Celiomonte presb. card. ss.

† Ego Guido tit. sancti Laurentii in Lucina presb. card. ss.

† Ego Soffredus tit. sancte Praxedis presb. card. ss.

† Ego Bernardus sancti Petri ad vincula presb. card. tit. Eudoxie ss.

† Ego Johannes tit. sancte Prisce presb. card. ss.

† Ego . . . ianus sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Berardus sancti Adriani diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancte Marie in Acquiro diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

† Ego Nicolaus sancte Marie in Cosmedyn diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Angeli diac. card. ss.

† Ego Bobo sancti Theodori diac. card. ss.

† Ego G.. sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

Datum Laterani per manum Rainaldi domini pape notarii . . . . . vicem agentis XIII. kl. aprilis indictione secunda incarnationis Dominice anno M. C. XCVIII. pontificatus vero domini Innocentii pape III. anno secundo.

Et ego Franciscus Bellavite de Serra sancti Quirici imperiali auctoritate notarius originale predictarum literarum apostolicarum dicta bulla plumbea bullatum, non abrasum, non abolitum, non suspectum, nec cancellatum in aliqua sui parte vidi & legi . . . cum exemplo presenti una cum infrascriptis magistro Ciccho de Fabriano, ser Galiardo de Montegranaro, & Simone Guitii de dicta terra de Monte-granarii notariis in domo publice audientie generalis domini marchionis marchie Anconitane rectoris, & de mandato & auctoritate venerabilis viri domini Bertrandi Senherii sacriste Lomberen. in Anconitana marchia thesaurarii generalis, ac viri magnifici & egregii militis domini fratris Johannis de Riparia prioris Urbis & Pisarum marchie Anconitane rectoris locumtenentis vicarii super spiritualibus in eadem provincia generalis pro tribunali sedentis ad solitum bancum spiritualium in domo publice curie generalis predicte, qui suam & dicte curie generalis auctoritatem & decretum interposuit, & cum prefatis magistro Ciccho, ser Galiardo & Simone notariis attenter & fideliter de verbo ad verbum ab originali predicto auscultavi, & quia invicem concordare inveni, hic me cum solito signo in testem subscripsi die quinto mensis novembris sub annis M. CCC. . . . . . indictione VIIII. tempore domini Benedicti XII. Actum in civitate Macerate in domo publica . . . . Pisis judicis super civitatem in eadem provincia domino Francisco e Fulgineo judice super pp. in prefata provincia generalis, & predictis magistro Ciccho *&c.*

Et ego Cicchus Petri Venture de Fabriano *&c.* notarius *&c.*

Et ego Galiardus Symonis de Montegranaro *&c.* notarius *&c.*

Et ego Simon Guictii de Monte-granaro *&c.* notarius *&c.*

CXXXIX.

Charta Valle-castrensis.

Anno 1199. mense majo.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 38. IN nomine Christi. Anno ejus millesimo C. nonagesimo nono indicione II. mense madio & temporibus Innocentio papa. Ego quidem Rainaldo filio Berti mea bona voluntate secundum meam legem facio in carta refludationis a vobis donnus Petri prepositus de ecclesia sancto Stefano & a tuis successoribus, idest ipsa vinea, que est posita in comitato Camerino, & in loco qui dicitur Albelli, primo loco via plubica, II. latere detinet ipsa ecclesia, a tertio detinet Feltrone, a IIII. detinet Rainaldo, infra istis lateribus refludamus omnia, que supra se in terris & vineis, pomis & arboribus, & cum omnia, que infra se abentes in integrum ..... introire, investire, habere, tenere, ingredere, possidere & lucrare & facere, quod placuit, unde promitto & obligo me refludatore & meis eredibus, quod donnus prepositus, & a vestrisque successoribus guarentare, autoriare contra omnes personas hominum, ut lex est, & si hec omnia non observaverimus omnia, que superius leguntur, veniamus in pena ipsa res induplare, & post soluta pena carta ista firma & stabilis permaneat in perpetuum.

Ego Rainaldus, qui ista carta fieri rogavit.

† Mano Acto de Bogo, & presbyter Dominico, Martino, Actoni isti sunt testis rogatis.

Ego Gualfredo notario scripsi & complevi.

CXL.

Lazari abbatis S. Apollinaris-novi decisio inter canonicos Portuenses & monachos sancti Severi de Classe Ravennæ.

Anno 1199. die XII. junii.

Ex autographo Classensi.

Ibid. n. 39. † IN nomine Christi amen. Ego domnus Lazarus abbas monasterii sancti Apollinaris novi arbiter electus a donno Munaldo priore canonice sancte Marie in Portu, & toto collegio ejusdem canonice, necnon a domno Uberto abbate sancti Severi, & toto conventu ejusdem monasterii. In me scilicet compromittentibus pignoribus centum librarum hinc inde datis pena quoque centum librarum per stipulationem invicem promis. . . . . starent arbitrio. Videlicet de litibus, que inter vos vertebantur. Prima siquidem lis talis erat, dicebat jam dictus abbas, quod insula, que est in hac parte rivi Bidentis versus Ravennam ad monasterium suum pertinebat, videlicet a cavana sancti Severi, & sicut trahit vestigia muri, qui quondam vocabatur Longus, & portus Gai Cesaris, qui modo vulgariter dicitur portus Ganearum, usque stradam Sablonariam, & a strada Sablonaria sicut trahit ipsa strada usque ad caput Ponticellorum Classis versus Ravennam, & sicut Classatellus trahit usque ad fossam sancte Marie Vetule, & sicut trahit Bidentis rivus, & illos de Portu injuste inquietare. E contrario illi de Portu asserebant ad se pertinere, & illos de sancto Severo injuste inquietare. Insuper illi de sancto Severo dicebant, se debere habere jus pascendi in insula, que est ultra Bidentem ex illa parte sancte Marie in Portu, & jus piscandi in mari a Badareno usque Candiani, quod illi de sancta Maria inficiabantur, & ab utroque jura non posse peribere asserebant. Petebat quoque jam dictus abbas Corezolum integrum ab illis de Portu aderentem ad se ex testamento Petri Alberti, & ex aliis testamentis pertinere, quod illi de Portu inficiabantur, & ad se pertinere allegabant ex donatione & testamento Albertonis. Petebat etiam in Figlini arboretum quondam Albertonis, quod esse videtur duarum tornaturarum parum plus minus, quod domina Salvaza dederat illis de Portu, & in Bagnolo de Padule septem tornaturas terre, quas similiter Portuensibus dederat domina Salvaza, & viginti terre tornaturas in Ulliano plebe sancti Cassiani, quas domina Immillia dederat sancte Marie in Portu, & in casali Martini petebat sex tornaturas, quas domina Salvaza dederat predicte canonice. Visis eorum instrumentis, & alligationibus utriusque partis auditis & diligenter inspectis, abitoque consilio domini Rodulfini judicis & aliorum sapientum una cum meis consiliariis, domino Joanne Palmerio fratre Portuensi, & domino Almerico fratre sancti Severi, sic statuo meo arbitrio. Videlicet quod jamdicta insula ex hac parte Bidentis versus Ravennam intra hos fines, sci-

scilicet a Cavana sancti Severi, sicut trahit predictus murus seu portus usque stratam Sablonariam, que venit a pineta Classis, & pergit usque ad caput Ponticellorum versus Ravennam, & a capite Ponticellorum sicut trahit fossatus illorum de Portu nuper edificatum currens ante Corezolum usque fossam quamdam Petri Montanarii, que pergit usque Bidentem ibi prope justa pontem, & sicut trahit ipse Bidens usque ad predictam Cavanam, sit utriusque domus tam Portuensium, quam illorum sancti Severi communis in omnibus & ad utilitatem pascendi & piscandi, & alterius cujuscumque fructus provenientis; ita tamen quod neutra partium culturam ibi faciat, sed semper pascua maneant, & neutra partium alteram in suo jure impediat, condempno; pronuncio quoque ut illi de sancto Severo concedant & permittant jus piscandi & pascendi nichil aliud illi de sancta Maria a Cavanna usque ad prefatam stratam Sablonariam versus pinetam monasterii Classis, sicut trait cavanna Classis per viam, que pergit ad monasterium Classis, & sicut trait Bidens rivus a cavanna sancti Severi versus pinetam usque cavannam illorum de Classis, ita quod ipsi de sancto Severo in aliis non impediantur. Et si res ad culturam pervenerit, illi de sancta Maria in cultura vel quatinus cultura fuerit, jus pascendi & piscandi sibi non debeant vendicare. A petitione vero juris pascendi in insula, que est ultra Bidentem ex illa parte sancte Marie in Portu, & a juris piscandi in littore maris a Badareno usque Candiani, quam faciebant illi de sancto Severo, jam dictum priorem suosque fratres absolvo. Item a petitione, quam faciebat dictus abbas de integro Corizolo, visis testamentis & aliis utriusque partis instrumentis dominum Munaldum priorem absolvo, de arboreto vero posito in Figlini quondam Albertonis, & de viginti tribus tonaturis terre in Ulliano positis, & de duabus tornaturis in Campenella, & sex tornaturis in Casamartini positis & septem tornaturis in Bagnolo de padule positis, visis instrumentis utriusque partis ita dico, quia video dictas possessiones esse de proprietate sancti Severi vel ejus juris, ideo condempno predictum domnum priorem nomine predicte canonice, quatinus dictas possessiones in Figlini & in Ulliano, & in Casali martini & in Bagnolo de padule, & in Campenella positas recognoscat a monasterio sancti Severi, & ejus nomine teneat jure henfiteotico in sexaginta annis ad renovandum, & instrumentum henfiteosis a monasterio sancti Severi dicta canonica accipiat & nomine mercedis seu ..... pro predictis possessionibus, & pro predicta henfiteosi xv. libras denariorum Rav. tribuat. Et pro pensione duas libras cere singulis annis in festivitate sancti Severi. Alia vero, que illi de sancto Severo petebant ab illis de Portu in Figlini & in Domasene & in sancto Martino de Sclavo, scilicet clausuriam unam, domnum priorem absolvo, & si qua illarum partium contra hoc venerit, componat seu solvat pars nolenti hec omnia suprascripta observare parti observanti suprascripta nomine pene quatuor libras auri, & soluta pena hec omnia supra scripta in sua firmitate permaneant firma in omnibus & per omnia, ut superius legitur.

Hoc autem arbitrium factum est sub annis Domini millesimo centesimo nonagesimo nono die XII. junii indictione secunda in monasterio sancti Severi dudum Classis in presentia Romaldi, Nicholai, Padusani, Bonaventure, Petri, Fonzoli, Simonis, Oddolini, meique Gerardi Ravennatis tabellionis, qui fui presens ad omnia suprascripta, & jussione predicti arbitri & dicti prioris & abbatis scripsi, & in publicam formam reduxi, ut superius legitur.

Ego Munaldus prior ss.

Ego Bonus presbiter & prepositus ss.

Ego presbiter Rolandus ejusdem ecclesie canonicus ss.

Ego Elefans presbiter & canonicus ss.

Ego presb. Benedictus ecclesie ejusd. canonicus ss.

Ego presb. Ugo & canonicus ejusd. ecclesie ss.

Ego W. diaconus canonicus ejusd. eccl. ss.

Ego Aldebrandus subdiaconus ecclesie canonicus ss.

CXLI.

Innocentii III. commissio Fesulano episc. contra filios de Galbina pro eremo Camaldulensi.

Anno 1199. IX. kal. junii.

Ex epist. decretal. pag. 497.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri nostro .. Fesulano episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Cum ex conquestione dilectorum *Ibid. n. 36.*

ctorum filiorum fratrum Camaldulensium dudum ad nostram notitiam pervenisset, quod pretextu cujusdam charte, quam prior eorum, ipsis nescientibus, fecisse proponitur, filii R.. de Galbina castrum Castilionis sibi contenderent cum ejus curia vendicare, atque Camaldulensem heremum ex hoc multipliciter pregravarent, nos venerabili fratri nostro.. Arretino episcopo dedimus in mandatis, ut nisi prefati nobiles possessiones easdem fratribus ipsis restituerent, quemadmodum tenebantur, ipse ad hoc eos per censuram ecclesiasticam cogeret, appellatione remota, justitia mediante. Verum, sicut idem nobis episcopus suis literis intimavit, postquam predicti nobiles ab ipso vocati nostras literas transcripserunt, utraque partium prefixo termino in ejus presentia constituta, & priore Camaldulensi plene factum narrante, unus eorum videlicet ad objecta respondit; & post multa provocantes & recusantes episcopum, scripturam sibi sub trium nominibus porrexerunt, qua eum tamquam patronum Camaldulensis heremi dicebant esse suspectum, & ne tempore precipue messium eos sub suo cogeret examine litigare, sedem apostolicam appellarunt. Sed eis die sequenti reversis & renunciantibus non recusationi quam fecerant, sed appellationi dumtaxat, episcopus partibus alium terminum assignavit, in quo dum recusatione contenderent coram ipso, potestas Arretinus superveniens, & judicium illud ad se pertinere proponens, ne in caussa procederet, interdixit, & ad nostram audientiam appellavit. Nos igitur deliberatione super hoc habita diligenti, fraternitati tue per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus causam inter predictum nobilem & fratres Camaldulenses, non obstante contradictione vel appellatione cujusquam audias & decidas, cogens partes per censuram ecclesiasticam *&c.* Taliter autem Deum habens pre oculis, omni gratia & timore postpositis, in ipsa causa procedas, quod zelum justitie videaris habere, nosque tue solicitudinis studium debeamus merito commendare. Nullis literis veritati & justitie *&c.*

Datum Laterani IX. calendas octobris pontificatus nostri anno secundo.

CXLII.

Compositio Valle-castrensium cum Sanguinio electo Humanatense.

Anno 1199. die nono octobris.

Ex apographo S. Blasii de Fabriano.

HOc est exemplum cujusdam instrumenti, cujus tenor talis est. *Ibid. n. 38.*

† In Dei eterni nomine, anno ejusdem nativitatis M. C. LXXXXVIIII. nullo imperatore regnante, die nono intrante mense octubris indictione secunda Humane in camera domini electi. Cum querimonia poneretur ante dominum Johannem sancti Pauli apostolice sedis cardinalem & Marchie legatum per appellationem, quam fecerat presbyter Adam clericus abbatis Vallis-castrensis de ecclesia sancti Johannis Camerani, que posita est in monte de Bucco, quam inquietabat Sanguinus sancte Humanate ecclesie electus petendo albergum pluries in anno, & decimas & synodum, & mortuorum testamenta, & reverentiam & obedientiam episcopalem, sed dum causa ista erat delegata Anconitane ecclesie archidiacono & archipresbytero, sed nondum apud eos incepta, placuit & de mera & pura voluntate amborum procedens, in nostris manibus se dederunt, sub pena litis & XL. librarum Lucensium alter in altero promittentes, si stare nollent, ibique inter eos arbitrando dicere vellem ex ac lite. Ego vero presbyter Gotius Camerani & predicti domini electi clericus voluntate utriusque partis arbiter positus sub jam dicta pena, scilicet litis & XL. librarum, ordino, laudo, & inter eos perpetualiter jubeo, & perpetuo in scriptis redigo, & arbitrali sententia ecclesiam sancti Johannis Camerani sancte Humanate ecclesie Sanguino electo suisque successoribus reverendo, semper obediendo, deinceps subpono, reverendo, dico, inclinando, manus osculando, ad synodum vocatus vel concilium, sive consilium sine eulogiis, hoc est sine denariis eundo, quiete stando, & parendo concilio & non recedendo sine licentia, in obedientiam vero sic predictam ecclesiam domino Sanguino electo suisque successoribus subpono, in uno albergo tantum in anno, & non amplius, tempore in occasione electi vel episcopi, ita tamen arbitrando dico, quod pastores episcopi vel electi scilicet ibi vadant cum caritate

tate & sanctitate sine rumore, sine vi, & sine furore aliquo tamquam pastor, non tamquam lupus cum quinque vel sex tantum equitaturis & non plus, & cum totidem personis hominum, videlicet octo vel decem & non amplius, ita videlicet ut si sero venerit, honorifice recipiatur, honorifice serviatur unico celebrato prandio, mane summo recedat; si vero venerit mane, comedat semel & recedat, sancte veniat, honeste moretur sine lesione domus, cum caritate recedat, in nullis aliis impetatur ista ecclesia sine ratione jure decretorum preter sacram, cum Romam vadit sacratum, & preter Romane sedis nuntiorum procurationem, & sic sub jam dicta pena laudo, precipio, quatinus nunc & semper firmiter teneatur, & hec omnia Sanguinus electus consensu & voluntate suorum canonicorum, & per parabolam Matthei archidiaconi, Actonis presbyteri, domni Rainaldi, domni Martonis, Nicolai, Rosfredi, Gualfredi Humane canonicorum sollemni stipulatione per se suosque successores domno Trasmundo ecclesie Vallis de Castro suisque successoribus attendere & observare promisit, sine lite, sine molestia, sine ullo dolo malo, quod si facere nollet, vel non posset, aut si litem vel molestiam facere vel cartam corrumpere vel falsare voluerit, per se vel per aliam summissam personam, teneatur de pena XL. librarum Lucensium domino abbati vel suo successori & pena dicta & re ista firma permaneat, sicut superius legitur, & sileat predicta ecclesia cum fuerit interdicta Deum. Ad hec fuerunt testes rogati Acto Bernardo, Marsilius Alberti Mazatonis, Benedictus Gaidi, Strovele, Johannes Stefanelli de la Cicola, Stephanus Alberici.

Et ego Florianus sacri palatii & Humane notarius a domino Sanguino electo rogatus, ut audivi & intellexi, sic in publicis scriptis redegi.

Et si transierit annus, quod non reciperet prandium, non fieret inde de cetero compensatio, & hec confirmabo, cum sacratus fuero. Ego Sanguino sancte Humanate ecclesie factus episcopus laudo & confirmo, sicut superius dicitur. Ego Donatus canonicus, ego Ybergozus, ego Benedictus Gardo omnes isti rogati sunt testes.

Ego Mattheus notarius de castro Camerani a supradicto episcopo rogatus scripsi & complevi.

Ego Laurentius Fontoni imperiali auctoritate notarius predictum instrumentum, prout in originali inveni, ita hic fideliter transcripsi & publicavi, nihil addens vel minuens *&c.* & ipsam copiam una cum Munaldo notario & judice ordinario ad authenticum ascultavi, & meam auctoritatem interposui & decretum in publicam formam redegi sub anno Domini M. CCC. XXXI. tempore domni Johannis pape XXII. indictione XIIII. presentibus domino Francisco Michaelis, Frantiono Petri, Vannutio Alevuctii, & dompno Compagno Venutoni testibus.

CXLIII.

Donatio facta abbatiae Anglariensi.

Anno 1200. mense februario.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio. n. 355.

IN Christi nomine. Anno Domini millesimo ducentesimo mense februarii indictione tertia *&c.* Nos quidem Bertha filia quondam Ugucii de Valle Caprese relicta quondam Parlini, & Adalascia filia dicte Berte, & filia quondam suprascripti Parlini per hanc chartam donationis inter vivos donamus, tradimus & concedimus tibi donno Philippo priori monasterii de Anglare & sancti Bartholomei recipienti nomine & vice dicti monasterii sancti Bartholomei, hoc est omnia bona nostra immobilia ubicumque sita, que habemus & tenemus nos vel alius tenet pro nobis, & de omnibus his, que nostro ministerio possidemus, te suprascriptum priorem Philippum nomine & vice suprascripti monasterii possessorem facimus, & nomine supradicti monasterii nos suprascripta Berta possidere constituimus. Unde meritum nos recepisse confitemur, ut hec donatio valeat. Et ego suprascriptus Philippus prior suprascripti monasterii sancti Bartholomei do & concedo vobis supradictis Berthe & Adalascie libellario nomine omnia bona immobilia, que nunc paulo ante mihi nomine supradicti monasterii donastis, ut habeatis ea libellario nomine vos & omnes vestri descendentes ex vobis legitimi in perpetuum, & singulis annis in mense augusti detis censum supradicto monasterio unum statuale candele, vel tantum quod valeat unum statuale candele. Ac si vos vel vestri legitimi descendentes decesserint sine filiis legitimis, dicta bona & res ipso jure statim revertantur ad dictum monasterium. Preterea nos suprascripte Berta & Adalascia confite-

Ibid. n. 45.

fitemur, quod totum ſtabile quod habemus in Gorſi, fuit de feudo, quod habuit noſter major in feudum a Bernardino Sedonie, & promittimus nos ſupraſcripte Berta & Adalaſcia, & obligamus nos & noſtros filios & heredes ſolempni ſtipulatione interpoſita omnia ſupraſcripta firma tenere & obſervare, & ſupraſcriptum cenſum nobis impoſitum ſingulis annis in menſe auguſti ſupraſcripto monaſterio ſolvere, & ſub pena dupli extimationis ſupraſcriptarum rerum, qua pena ſoluta omnia ſupraſcripta firma permaneant.

Actum in Anglare in clauſtro ſupraſcripti monaſterii coram Boncio, Raignolfo, Leonardo, Magnano, Jacobo & Benno & multis aliis ad hoc teſtibus rogatis.

Ego Johannes imperialis aule judex & notarius his rogatus interfui, ſcripſi & complevi.

CXLIV.

Atteſtatio parœcianorum eccleſiæ S. Laurentii de Rivolta eam eccleſiam eſſe juris monaſterii S. Michaelis Piſarum.

Anno 1200. III. nonas martii.

Ex tabulario ejuſdem monaſterii.

Ibid. n. 43. IN nomine Domini amen. Ex hujus publici inſtrumenti ſerie omnibus evidenter ſit manifeſtum; quod cum eccleſia ſancti Laurentii de Rivolta, que eſt ſub jure, & poteſtate donni Guidonis abbatis monaſterii ſancti Michaelis de Burgo pro ipſo monaſterio, & ipſius monaſterii expenſis parochianorum ſupraſcripte eccleſie ſancti Laurentii, & aliorum benefacentium in honorem Domini, & ſancti Laurentii, & aliorum Sanctorum tribuentium edificaretur, & aptaretur majoribus circuitibus murorum propter frequentiam, & multitudinem populi ejuſdem eccleſie, neceſſario amplianda quibuſdam etiam ſupraſcripte parochie operariis ad ipſum opus faciendum conſenſu ſupraſcripti domni abbatis electis, & in antea ipſius conſenſu eligendis, ne de cetero aliqua dubietas, ſeu controverſia de jure patronatus ſupraſcripte eccleſie ſancti Laurentii propter murorum ejuſdem eccleſie edificationem, ſeu ampliationem ab ipſis parochianis factam, ſeu faciendam oriatur, ſeu eſſe poſſit in antea, Gallitianus quondam Nichole, & Bonaccurtius quondam Caracoſe, & Gregorius quondam Ponthii, & Bondie quondam Bernardi operarii, & parochiani ſupraſcripte eccleſie, & Bernardus quondam Piſani, & Henricus quondam Gerardi, & Guido quondam Rolandi, & Bonaccurtius quondam Columbini, & Bonamicus quondam Bucentorii, & Johannes quondam Jacobi atque Ugolinus quondam Cevoli parochiani ſupraſcripte eccleſie pro ſe & toto populo ſupraſcripte eccleſie ſancti Laurentii proteſtati ſunt coram ſupraſcripto domno abbate pro ſupraſcripto monaſterio recipiente, quod opus, quod nuper factum eſt, & quod in antea fiet in ſupraſcripta eccleſia ſancti Laurentii, & ejus muris, pro amore Dei faciunt, & ab illis fit, & non pro adipiſcendo aliquod juſpatronatus, vel aliud jus ſimile in ſupraſcripta eccleſia ſancti Laurentii, & ſi quod jus in ſupraſcripta eccleſia acquirerent pro ipſa edificatione vel aptatione, vel ampliatione, illi juri penitus renunciaverunt. Et promiſerunt ſe, ſuoſque heredes obligando per ſolempnem ſtipulationem pro ſe, & toto populo ipſius parochie ſupraſcripto donno Guidoni abbati pro ſupraſcripto monaſterio recipienti, quod nec ipſi, nec aliquis de ſupraſcripto populo, nec eorum heredes, nec heres alicujus eorum aliquam brigam, vel moleſtiam facient, ſive faciet de jure patronatus ipſius eccleſie ſancti Laurentii, vel de aliquo alio ſimili jure nunc, vel in antea, quod ad jus patronatus pertineat, vel ad aliquod aliud jus ſimile, neque de electione presbyteri, vel cappellani, ſeu de inſtitutione ipſius eccleſie. Et taliter hanc chartam prefati parochiani, & jam dictus domnus abbas me Rubertum judicem, & notarium domni Henrici Romanorum imperatoris filium quondam Ugonis ſcribere rogaverunt. Actum Piſis in choro eccleſie ſupradicti ſancti Michaelis de Burgo preſentibus Albithone Caldere juriſperito, & Leonardo quondam Ildebrandi juriſperiti de Mercato teſtibus ad hec rogatis Dominice incarnationis anno milleſimo ducenteſimo indictione tertia, tertio nonas martii.

Ego Rubertus quondam Ugonis filius domini Henrici Romanorum imperatoris judex, & notarius predictis interfui, & a ſupraſcriptis parochianis omnibus, & jam dicto domno Guidone abbate rogatus hanc chartam ſcripſi atque firmavi.

CXLV.

CXLV.

Decisio jurium monasterii S. Michaelis de Castro Brittorum.

Anno 1200. III. idus martii.

Ex autographo S. Christinæ de Bononia. C. 28.

Ibidem.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Ego prior judex communis Bononiensis ex delegatione domini Rolandi Rubei potestatis Bononie cognitor cause, que vertebatur inter Rodulphinum sindicum universitatis sancti Michaelis castri Britonum ex una parte, & Justinianum & ejus filios ex alia, quos dicebat injuste edificasse & edificare in possessione predicte ecclesie, que est posita juxta flumen Ydici, in loco, qui dicitur Campus planus a latere mane ipsius fluminis usque ad medium alveum, unde petebat clusam inde tolli & auferri, quam etiam dicebat circa denuntiationem, edificatam fuisse & petebat, ut possessionem predicte terre sibi restitueret & dimitteret, & petebat damnum datum predicte ecclesie in molendino superius edificato, propter molendinum & clusam, quam ipsi edificaverant inferius, & dicebat quod nullam injuriam facerent jamdicte ecclesie de predicto molendino, nec cum predicta clusa inquietarent vel imbrigarent predictum molendinum & petebat penam sibi promissam, & dicebat ne de cetero sine voluntate abbatis sancti Michaelis edificarent a pozolo runchi barbati usque ad pozolum sancte Marie in Rophillo, de quibus omnibus petebat rationem predicte universitatis nomine: prestito sacramento calumpnie ab utraque parte, & Justiniano & filiis consentientibus terram, unde queritur, in qua est edificata clusa, esse de dominio ecclesie sancti Michaelis, & confitentibus se dedisse & concessisse, quatuor anni sunt parum plus vel minus, domino abbati sancti Michaelis quicquid habebant & tenebant a pozolo runchi barbati usque ad pozolum sancte Marie in Rophillo, & possessionem pro predicto abbate nomine jam dicte ecclesie retinuisse, & confitentibus molendinum, in quo ecclesia habet partem, destructum esse & non posse ibi manere propter clusam & molendinum, quod est factum a se & a sociis de subtus, & etiam confitentibus circa interdictionem fuisse edificatum molendinum & clusam factam ab abbate, & confitentibus, quod a terra de Pergirardis in sursum usque ad terram, que fuit Petri Anselmi, esse de jure & dominio predicte ecclesie. Domino Ugolino legum doctore veniente & allegante se & patrem suum esse socium & fidejussorem atque creditorem, & ideo velle defendere predictam terram non pertinere ad jam dictam dictam ecclesiam, & clusam jam non debere destrui, me dante ei dilationem, ut probaret verum esse quod allegabat & asserebat, a die lune usque ad diem jovis proxime preteritum, & expectante interim usque ad diem lune post nonam nec veniente, nec probante aliquod supradictorum, nec allegante, quia non probaret, quod superius dixerat, visis & auditis confessionibus, & ea que hinc inde proposita sunt per dictum Justinianum, & Petrum & Gutifredum ejus filios in restitutionem predicte terre & ejus possessionem jam dicto Rodulphino syndico nomine universitatis sancti Michaelis, condempno, quod terra est posita in loco, qui dicitur Campo plano a latere mane ipsius fluminis usque ad medium alveum, quam totam censeo esse restituendam predicto syndico. Item condempno eos, ut auferant & tollant inde clusam. Item condemno eos, ut non faciant injuriam cum predicto molendino vel cum clusa predicta molendino, in quo abbas habet partem, superius edificato, & censeo ne predictus Justinianus & ejus filii edificent a pozolo runchi barbati usque ad pozolum sancte Marie in Rophillo sine voluntate jamdicti abbatis. De omnibus predictis condempno predictum Justinianum & ejus filios jam dicto Rodulphino syndico, & ut de cetero non inquietent jam dictam ecclesiam de predictis, salva questione pene & dampni, si aliquando predictus syndicus probare & petere voluerit, presente Henrigitto procuratore constituto a predicto Justiniano & ejus filiis ad sententiam audiendam, & presente Dominico castaldo constituto procuratore a jamdicto syndico ad sententiam audiendam.

Actum in Saragoza sub porticu jamdicti domini prioris.

Anno Domini M. CC. tertio idus martii indictione tertia.

Testes Petrus Taurellus de Machagnanis, Guido de Vizano, Petrus de Mallano, Tuscus frater domini prioris, Allegratutti, Bonus Johannes de Fabro & magister Aldratus & alii plures.

Ego Zacarias Faventinus quondam Henrici imperatoris notarius huic sententie interfui & scripsi & ss.

CXLVI.

CXLVI.

Donatio facta ecclesiæ Camalduli Bononiensis die ipsius consecrationis.

Anno 1200. XIV. kal. julii.

Ex tabul. Fontis-boni. §. Donatio n. 377.

Ibid. n. 49. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo, quartodecimo kalendas julii indictione tertia. Constat me quidem Blancum de Baxaconmatre hoc donationis pure ac simpliciter inter vivos dono ecclesie sancte Marie de Camalduli, & domno Martino majori priori & heremitis predicte ecclesie recipienti ad honorem Dei & predicte ecclesie eorumque successoribus in perpetuum petiam unam terre decem turnaturarum positam in Maxeratula cum ingressu & egressu suo usque in via publica cum omnibus supra se & infra se habentes in integrum, confines autem tales sunt, ab oriente possidet Zambonus Zanzarelli, a sero adest via publica, a meridie possidet quidam de Marano, ab Aquilone possidet Scogoza presbyter, vel si qui alii confines sunt, omnia ut predixi, que intra hos confines continentur in integrum in presenti dono predicte ecclesie & predicto priori & heremitis recipienti ad honorem Dei & ejusdem ecclesie, eorumque successoribus in perpetuum ad habendum, tenendum ac possidendum, & eorum auctoritate nomine predicte ecclesie in possessionem intrandum & permanendum, & quidquid eis eorumque successoribus deinceps nomine predicte ecclesie placuerit faciendum, ut nullam litem nullamque controversiam predicte rei nomine a me prefato donatore nec a meis heredibus aliquo modo quolibet in tempore predicte ecclesie vel predicto priori & heremitis vel eorum successores de cetero sustineant, ab omnique persona prescriptam rem legitime defendere & auctorizare predicte ecclesie & predicto priori & heremitis eorumque successoribus promitto. Et si ego vel mei heredes predictam donationem simplicem firmiter semper observare noluerimus, aut agere vel litigare presumpserimus, pene nomine per stipulationem duplum predicte rei ejusdem bonitatis & estimationis dare, damna litis & omne damnum & dispendium predicte ecclesie & priori & fratribus, & eorum successoribus resarcire promitto, & insuper hoc simplicis donationis instrumentum, ut supra legitur, semper incorruptum conservare spondeo. Hoc ordine facio istam donationem, quod neque per me neque per meos heredes vel successores occasione istius donationis facte tempore & loco & die consecrationis predicte ecclesie aliquod jus patronatum vel in totum, vel in parte, vel aliquod alterius juris aliquo modo quolibet in tempore aliqua occasione possim vindicare vel petere.

Actum in curia prope predictam ecclesiam sancte Marie indictione predicta. Prenominatus donator hoc simplicis donationis instrumentum, ut supra legitur, scribere rogavit.

Dominus Gerardus Bononiensis episcopus, qui consecravit predictam ecclesiam, & canonici ecclesie sancti Petri, scilicet magister Odo de Mantua, presbiter Algisius, presbiter Rainerius & dominus Julianus archipresbiter plebis sancti Auxiani & presbiter Andreas ecclesie sancti Jacobi de porta sancti Proculi & aliorum multorum clericorum, & domnus Lupisinus, Guido Dosii, Jacobus Negotiantis, Albertus Scarpa, Guido de Munzani, Guido de terra Jogut, dominus Azo legis doctor, Bologectus Guidolini, Ugicio Gabionis, Rodaldinus Johannis Rodaldi & frater ejus, Manfredinus Alluine, Mellegacius, Johannes Bonifantini notarii, Lonbardus filius Bengaria majoris & aliorum multorum rogati fuerunt testes.

Ego Bonusfantinus quondam F.. imperatoris notarius hoc donationis simplicis instrumentum, ut supra legitur, scripsi & subscripsi.

CXLVII.

Terræ donatæ in urbe Foro-livienſi Martino priori Camald. pro monasterio construendo.

Anno 1200. XVII. augusti.

Ex archivo Fontis-boni. §. Donatio n. 354.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus M. CC. tempore Innocentii pape, imperatore non existente, indictione tertia die XVII. augusti in Forlivio in domo Auliverii. Ego quidem in Christi nomine Auliverius quondam Melotti filius consentiente, & voluntate Petri filii mei, nomine pure & inrevocabilis donationis inter Ibid. n. 45.

inter vivos do & dono tibi siquidem presenti in Dei nomine domno Martino venerabili priori Camaldulensi accipienti vice & nomine heremi Camalduli & sancti Salvatoris, ac pro te tuisque confratribus ac successoribus vestris in perpetuum, videlicet duas tornaturias terre *&c.* in fundo seu in loco quodam, qui dicitur Casale, vel si aliter ibidem territorio Forlivii vel plebe sancti Martini infrascripta. Ita tamen dono vobis suprascriptas res pro salute anime mee, quod debeatis ibi edificare ecclesiam ad honorem & laudem vestri conventus. A primo latere ... strata publica vadit, secundo latere alia via, tertio mihi remanet, quarto ...... cum omnibus supra se vel infra se constitutis, omnibusve sibi pertinentibus, cultu vel incultu, & cum introitu suo & exitu, necnon cum omni jure & actione & exceptione seu defensione, quod vel que in suprascriptas res vel propter res prefatas, sive earum occasione aliquo modo mihi competunt, vel in antea erunt competiture, & vestra auctoritate suprascriptarum rerum capiatis possessionem de hinc in antea nostro mandato. Quam quidem donationem firmam semper tenere & nullo modo corrumpere neque venire contra & auctorizare & defensare ab omni persona hominum in judicio & extra per me & heredes meos ac successores & liberos tibi tuisque confratribus ac successoribus vestris in perpetuum firmiter sub pena sexaginta librarum Ravennatum in perpetuum firmiter promitto, & pena jure stipulationis soluta nichilominus maneant hec omnia suprascripta omnibus & per omnia, ut superius legitur, in perpetuum firma & inconcussa.

Per manum Bocacii imperialis ac Livii notarii scripta precepto supradicti Auliverii, ut superius legitur.

Brocardus, Severus, Petrus de Cari, Bonattus, Rullus, Johannes Bulioneus, Zanzolinus, Manzonus, Johannes Leti, Petrus Socii, Ostol.. Temol.. ad hec omnia irrevocabilia fuerunt rogati testes.

CXLVIII.

Bernardus archiep. Arborensis confirmat monasterio S. Zenonis de Pisis monasteria & ecclesias Sardiniæ.

Anno 1200. XIII. Kal. novembris, *ut præfert charta, sed errore, ut credimus.*

Ex archivo canonicorum Pisanorum.

IN nomine Trini & Unius Dei, amen. Nos Bernardus Dei gratia ecclesie Arborensis archiepiscopus dilectis in Christo filiis Philippo abbati monasterii sancti Zenonis in Pisis constituti, & Petro priori monasterii sancti Zenonis a Bonarcanto, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris in perpetuum. Justis petentium desideriis prompto nos condecet animo assensum prebere, & ea, que pietas exigit, & veritas non relinquit, sic piis & venerabilibus locis concedere debemus, ut nulla imposterum fidelium mentibus queat ambiguitas remanere: eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus inclinati, licet infrascripta tanto tempore vos & ecclesia vestra quiete & pacifice possideatis, cujus non extat memoria, ne de cetero a nobis & omnibus successoribus nostris vel aliquo ipsorum nostrisve subditis ullo modo molestemini, ecclesiam sancte Marie de Bonarcanto, monasterium sancti Zenonis ibidem positum, ecclesiam sancti Georgii de Calcaria, & ecclesiam sancti Simeonis de Vegela, & ecclesiam sancti Petri de Millipicinno, & ecclesiam sancti Augustini de Haustis, & ecclesiam sancte Victorie de Monte sancto, & ecclesiam sancte Barbare de Turre, & ecclesiam sancte Corone de Nuvole, in qua juspatronatus habetis, vobis & ecclesie vestre jamdicte concedimus, & presentis privilegii pagina confirmamus, adjicientes, quod in predictis ecclesiis & parochiis ipsarum decimas, primitias, oblationes, penitentias sanorum & infirmorum, & sepulturas tam masculorum quam feminarum, parvulorum & adultorum, tam ibi degentium, quam advenarum, & omnium rerum & bonorum hujusmodi parochianorum ecclesiarum predictarum omniumque divinorum potestatem in eis libere & absolute habeatis, excepto quod in nulla supradictarum ecclesiarum sollemne baptisma habeatis, preterquam in ecclesia sancti Augustini de Austi. Statuentes omnino, ut nulli

Ibid. n. 43

nulli persone liceat in parochiis predictarum ecclesiarum oratorium aliquod erigere seu ecclesiam fabricare, nisi de licentia vestra, vel successorum vestrorum, nec alicui persone vel loco fas sit suprascripta omnia vel aliquid unum istorum infringere, diminuere vel in aliquo violare. Si quis autem clericus vel laicus hanc nostre concessionis paginam infringere, vel rumpere, sive diminuere temtaverit, indignationem Dei omnipotentis & beate Marie semper virginis se noverit incursurum, excommunicationis vinculo innodatum; & ad perpetuam hujus nostri privilegii firmitatem volumus illud nostri sigilli impressione signari atque firmari, & ita tali ordine hec omnia Bonalbergium judicem & notarium domini imperatoris scribere rogavi.

Datum Pisis in ballatorio domus claustri ecclesie sancte Viviane, presentibus domno Bernardo monacho sancti Zenonis, Rossselmino aurifice quondam Bernardi, & Guilielmo aurifice filio Guilielmi aurificis testibus ad hec rogatis, Dominice vero incarnationis anno millesimo ducentesimo indictione quartadecima tertiodecimo kalendas novembris.

Ego Bernardus Arborensis archiepiscopus propria manu subscripsi & aliis subscribendum consensi.

Ego Bonalbergius Ventrilis quondam filius, domini imperatoris Romanorum judex & notarius hanc cartam mandato scilicet domini archiepiscopi Arborensis scripsi, firmavi, complevi & feci . . . . complevi, notumque sit omnibus dictos fratres habere potestatem eligendi prepositum, cum hac tamen reservatione, ut prior electus a fratribus Pisis cognoscat dominum judicem Constantinum, & successores suos legitimos pro patronis sancte Marie de Bonarcanto, sic ut prepositus sit de consensu & voluntate ejus & successorum suorum, in quorum fidem ego Bonalbergius Ventrilis quondam filius hanc cartam subscripsi.

CXLIX.

Fundatio monasterii S. Mariæ de Bonarcanto in Sardinia cum donationibus.

Anno 1200. ipsa die.

Ex apographo olim apud canonicum Abrahamium.

Ibid. n. 42. Condace sancte Marie de Monarcanto judex Constantinus.

In nomine Dei Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. Ego Judice Constantine de Arborea territorium, simul cum uxore domina Anna, ex consilium archiepiscopi mei Homodei pro remedium anime mee, & pro remissione omnium peccatorum meorum, & pro salute filiorum meorum compono, dispono, assigno & facio istud condacium & istud cenobium ad honorem individue Trinitatis, & intemerate virginis Dei genitricis Marie, que omni ambiguitate remota constituo ad regendos inibi servos Dei sub regulari tramite sanctissimi & reverendissimi patris Benedicti, qui serviant Deo omnipotenti die ac nocte quandiu hec duraverit vita, nunc autem cognitum sit omnibus tam fratribus meis, quam cunctis affinibus, consentiente & collaudante prelibato archiepiscopo meo Homodei, quod ego omnino trado hoc monasterium sub ditione & jure, & potestate & regimine & disciplina abbatis sancti Zenonis episcopi sub tali conditione, ut abbas sancti Zenonis omni tempore mittat in hoc monasterio de suis monachis, qui regant illud & ordinent & lavorent, & edificent, & plantent ad honorem Dei, & sancte Marie, & sancti Benedicti & sancti Zenonis, & per manus illorum ordinetur prepositus, quem ipsi elegerint, cum voluntate & a placito & successorum meorum delivero atque condono domo sancte Victorie de Montesancto cum omnia cantu haet, & terras, & bingias, & saltus Dorrodolassu, & colat a Nuraque Dorisezo, & moliat a petra de sua de Corbu, & benit a su erriu de petra de Cavallu, & benit a su Montiglu de Uturdarzay, & benit a su castru de su Candzone, & benit a su castru de Monticlu de piscobus cum homines & masones de omnia signu de grussu & minudu, & dolli assoltura pro custu saltu, qui si lu arregant & castiguent omnia temporale, & pro glande & pro pastu in perpetuum in quo fuoli usu, & est hoc die de castigaren. . saltu de regnu. Domo de sancto Augustino de Austis cum omnia cantu haet, & terras & bingias, & saltos e Gastalbernor, in quo si ferit a pare cum sa semida de dignie, cum sa semida de Onna, & segatsi de pare, cun zinzau, in quo girat termin & sinnas suas de totu su saltu & homines & masones donnia signu, & de grussu & minudu doli assoltura, & silu arregant, & castiguent onnia temporale, & pro glande & pro pastu in perpetuum, in quo fuoli usu & est hoc a die de castigaresi saltu & regnu.

gnu. Domo de santu Pedru de Vidoni cum onnia cantu haet & terras & bingias & saltu dollimor, in quo lu girat sina dia paca de Colletorio deretu a Gilispuri, deretu a castru de Viola Moiu, deretu a castru de Velio, & moliat a mon siglu de piscobu, & moliat deretu a marguine de sancta Victoria, & moliat a castru de Stria, & moliat a petra de su Espiri deretu a castru Ulguni, deretu a Erria de Olladaria, deretu a Marguine de Vicedu, deretu a iscalas de Suanni, deretu a haidu de prada de Huguedu cum servos, cum ancillas, & cum mazones donnia signu de gruffu & de minudu & doli assoltura, qui si lu arregant, & castiguent, onnia temporale, & pro glande & pro pastu in perpetuum in co fuoli usu, & est hoc a die de castigaresi saltu de regnu. Et Domo sancte Marie de Boele cum onnia cantu haet partin do pares cun su regnu, & terras & bingias & domesticas cantas ivi haviat & su saltu dolo, partin dolu ladus a pare cum clesia, cum serbos & cum ancillas, & cum mazones, donnia signu & de gruffu & de minuda & doli a soltura, qui si lu arregant & castiguent omnia temporale, & pro glande, & pro pastu, & pro laore in perpetuum in co fuoli usu, & est hoc a die castigaresi saltu de regnu. Et domo sancti Seregi de Suri cum onnia cantu haet, cum terras, cum bingias, cum servos, cum ancillas, cum mazones, & cum sa persone cantu haviat Terrico de Scopedu, de servos, de ancillas & de paules & de puzu Striliges apat sinde prode usque in fine seculi. Et Domo de sancta Vitoria de Serla cum onnia cantu aet cum terras, cum bingias, cum servos, & ancillas, & cum tota sa persona, qui fuit de donnu Picielu de Petro, in quo narrant cartas suas. Et Domo sancti Jorgi de Calcaria cum onnia cantu haet, & terras, & bingias, & serbos, & ancillas, & mazones de onnia signu, & dolli su saltu meu pegugiare de Serra de Castula, in quo si segat da a saltu de Mambari, & colat totue plus flumen Ilbau, & signet si scala de su fruscu, & si partet de pare cum saltu suru, & benit a petra de Scudu, e falat a su bau durciacida, & falat totue pos flumen de Cannavaria & falat a bau de Sinnias, huc est sa figu alba, & huc sa fliscat cum Mambari & dolli sa persone, qui fuit de dolli Piciellu de Sezo, qui poserat esse a santu Jorgi de Calcaria cadu de fegerat a novu cun issa segadura de su saltu dardagocippa, in co lu ingirat a Jaga de drogueda de bau & benit a arriola & uturu & benit a fumaria de guercu & segatsi de pare cun su saltu de Mariane Dorru, & girat sia Iscla de querbu, & falat post flumen a nurque dolirandra & fliscatsi Maidugosipu & issa domestica de Cobula & sa parsone caviat in Sezo cun suos dasinari cum omnia causa issoro. E sa parsone de sobro & de gergeni cun issa Vingia de rezengario cum servos, cum ancillas suas deravale, & cum omnia libertatos suos pansollos & affirmolos in manu de su Priore qui capat benedicta. Sa parione de donnu Piciellu cantu haviat per totu logo, in co narrant cartas suas. Et Domo sancti Simeonis de Vesala cun segadura de su saltu de Vesala, qui le est in giru, dare su Nuraque de Vesala, & benit a Nuraque Piccinnu, & benit a Masoniu de Causare, e benit a Mazoniu de Serra de Framaza & calat a sa Mura de Masbari & aflistcatsi in issu Nuraque de Vesala. Et domo de santu Pedru de Milipicinnu cum onnia cantu haviat Donna Focode, qui fuit Donna Delogu Mugiere de Judice Comida de Salanis, & fegit issa sa clesia illa anon ponendove tota sa Villa de Millipicinnu, qui fuit sua pegugiare, sene havere parte, non liberu, non serbu alienu, cum terras & bingias & terras, & ancillas & libertados, & saltu, qui si segat dave sa cinniga fegoi de Milianu, & benit a su grisajone de sa Cotina suta su maniamentu de sas risoes, e benit a sa petra de sa grugue dena de querquis, & benit a sas petras darriola de donna & colat su termen de domestia de Comida, & colat a funtana de Maganie & benit a arriolas de campu totue via de rune, & compler a Nuraque piccinnu, & levat sa via vetere a su castru de Castru de Muru de Comida & falat a sa Cinniga Ulpina de mutu de gausari & ferit a sa Jaca de su pratu de purpurrui & falat totu deretu flumen a bingias de Muru & falat a sa funtana puado ruinas & falat flumen & aflistcatsi in issa Cinniga de figos de Miliana, & de su saltu dogiastru parsone cantu haviat, gasi illila confirmo. Et confirmoli Ego Judice Petrus Barbore a vustu monasterium tota sa parsone de Donna Focode & de sas terras da fiju qui derat pro anima risadessia, & issu monumentu suo, si lie barrigat guimbe annos de faguer custu serbissu, fratres suos a qui las derat, torrent sas terras a Clesia, & confirmoli sa domo de santa Corona de Vivora cum onnia cantu haet, cum terras, cum bingias, cum servos, & ancillas,

las, & cum onnia Masone & confirmoli sa domo de santa Barbara cum turre cum onnia cantu haet, cum terras, cum bingias, cum servos & ancillas *&c.* & ad perpetuam firmitatem privilegii volumus illud nostri sigilli impressione signari, & signatum fuit Pisis in ballatorio domus claustri ecclesie sancte Viviane, anno millesimo ducentesimo XIII. kalendas novembris. Guillelmus aurifex & Doselinus aurifex testes fuerunt in presentia domini Bernardi monachi. Ego Bernardus archiepiscopus Arborensis propria manu subscripsi & aliis subscribendum tradidi.

Ego Bernardus Ventrelli domini imperatoris Romanorum judex mea manu firmavi.

CL.

Delegatio matrimonialis Innocentii III. *prioribus S. Mariæ ad Carceres, & de Mandria.*

Circa annum 1200.

Ex epist. decretal. pag. 650.

Ibid. n. 44. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori sancte Marie ad Carceres, & L.. canonico sancte Marie de Mandria salutem & apostolicam benedictionem. Ex literis abbatis de Calven. didicimus, quod cum Ramisane & Grimol. archipresbyteri inter J.. virum & L.. mulierem ex delegatione nostra sententiam divortii protulissent, & appellatione interposita cognitionem sententie ipsi abbati & archipresbytero Paduano duxerimus committendam, quia pars mulieris ad peremptorium terminum non accesserat, abbas ipse, cui alter conjudex commiserat vices suas, allegationibus diligenter inspectis, latam a judicibus predictis confirmavit sententiam, sed post octo dies pater puelle accedens ad ipsum, intellecto quod sententiam protulisset, firmavit proprio juramento, quod quidam ad eum & filiam e us accedens, fraudulenter sub ipsius abbatis nomine falsas eis literas presentavit, quibus mandabatur eidem, ut quia judex ad diem, quam assignaverat, venire non poterat, post octo dies a termino constituto, ipsius se conspectui presentaret, & postmodum appellavit ad sedem apostolicam & etiam supplicavit. Licet autem de fraude taliter perpetrata per hujusmodi juramentum non constet ad plenum, in favorem tamen matrimonii, de benignitate canonica contra fraudem propositam supplicationem mulieris admisimus, & ad audientiam restituimus eam pro matrimonio postulantem. Ideoque mandamus, quatenus de causa prioris appellationis ordine judiciario cognoscentes, confirmetis vel infirmetis, sicut justum fuerit, sententiam a primis judicibus promulgatam.

CLI.

Idem recipit sub apostolica protectione monasterium S. Severi in Classe.

Anno 1201. *more Florentino* VII. idus martii.

Ex autographo Classensi.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Lazaro abbati sancti Severi Ravennat. ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Quotiens a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dignoscitur, animo nos decet libenti concedere & petentium desideriis effectum congruum impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Lucii pape predecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus *&c. ut in bulla consimili Lucii pape* III. *Ad lib.* XXXVI *n.* 2.

Fac mecum †	*Domine*
SCS PETRUS	SCS PAULUS
INNO PP.	CENTIUS IIJ.

signum in bonum.

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Octavianus Ostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Johannes Albanensis episcopus ss.

† Ego Petrus tit. sancte Cecilie presb. card. ss.

† Ego Guido sancte Marie Transtiberim tit. Calisti presb. card. ss.

† Ego Hugo presb. card. sancti Martini tit. Equitii ss.

† Ego

† Ego Soffredus tit. sancte Praxedis presb. card. ss.

† Ego Bernardus sancti Petri ad Vincula presb. card. tit. Eudoxie ss.

† Ego Johannes tit. sancte Prisce presb. card. ss.

† Ego Gregorius tit. sancti Vitalis presb. card. ss.

† Ego Petrus tit. sancti Marcelli presb. card. ss.

† Ego Gratianus sanctorum Cosme & Damiani ss.

† Ego Gregorius sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Angeli diac. card. ss.

† Ego Leo sancte Lucie ad Septasolis diac. card. ss.

Datum Laterani per manum Blasii S. R. E. subdiaconi & notarii VII. idus martii indictione V. incarnationis Dominice anno M. CC. I. pontificatus vero domini Innocentii pape III. anno V.

CLII.

Similiter & monasterium S. Vigilii Senarum.

Anno 1202. III. nonas octobris.

Ex autographo penes nos.

Ibid. n. 7. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Johanni priori monasterii sancti Vigilii ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens illud a nobis petitur, quod religioni & honestati convenire dinoscitur, animo decet nos libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri consensum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium sancti Vigilii, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Adriani pape predecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium impresentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis Deo propitio poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Quod habetis in villa de Prisciano; quod habetis in loco, qui dicitur Malialle; & quod habetis in Nuvile; cursum etiam aque ad molendinum de Rilogo, sicut per quadraginta annos vestro nomine pacifice possidetis, vobis nihilominus confirmamus, & ut de cetero a nulla qualibet persona contra justitiam impediatur, auctoritate apostolica inhibemus. Sepulturam quoque loci ipsius liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme decedentium voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo &c.

Fac mecum† Domine
SCS PETRUS | SCS PAULUS
INNO PP. | CENTIUS IIJ.
signum in bonum.

BENE VALETE

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Johannes Albanensis episcopus ss.

† Ego Hugo presb. card. sancti Martini tit. Equitii ss.

† Ego Cencius sanctorum Johannis & Pauli presb. card. tit. Pamachii ss.

† Ego Gregorius sancti Georgii ad velum aureum diacon. card. ss.

† Ego Mattheus sancti Theodori diac. card. ss.

† Ego Johannes sancte Marie in Cosmidin diac. card. ss.

Datum Velletri per manum Blasii sancte Romane ecclesie subdiaconi & notarii III. nonas octobris indictione sexta incarnationis Dominice anno M. CC. II. pontificatus autem domini Innocentii pape III. anno quinto.

CLIII.

Traditio loci in territorio Veronensi pro monasterio ædificando.

Anno 1202. die secunda exeunte octobris.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Donatio. n. 359.

IN nomine Domini. Anno Domini millesimo ducentesimo secundo indictio- *Ibid. n. 8.*

diƈtione quinta die ſecunda exeunte oƈtobri in eccleſia ſanƈte Felicitatis in preſentia domni abbatis Gregorii Inſule, domni Drudonis, domni Martini, Azonis converſi, Erigoli, Martini de domina Data, Jacobini filii Iſnardi macellatoris, Omodei de Broilo, Zeche piſtoris, presbyteri Ivonis, domini presbyteri Bonitemporis, Osbergini ſartoris & aliorum teſtium rogatorum.

In nomine patris & filii & ſpiritus ſanƈti, amen. Nos Jacobinus de Biſo & Iſnardus judex & Adaminus de Bella, & Tempradinus & Capa pro ſalute & redemptione animarum noſtrarum noſtrorumque parentum damus & concedimus & offerimus, & donationem inter vivos inrevocabiliter facimus tibi domno priori Martino Camaldulenſi recipienti vice ipſius heremi Camalduli pro te tuiſque ſucceſſoribus & fratribus tuis in perpetuum locum pro eccleſia edificanda, ſecundum quod domus lignea ibi edificata eſt, qui locus jacet in Aveſa cum introitu & exitu ſuo, ſubjeƈtis tamen conditionibus ſervatis: mortuo ſcilicet priore ipſius loci domnus, prior Camalduli habeat conſilium ipſius loci per ſe vel per nuncium. Et ſi fratres ſunt concordes omnes vel major pars de alico monachorum ipſius loci, prior vel ejus nuncius eligat eum & confirmet, alioquin domnus prior mittat de conventu & proponat bonum & honeſtum. Propoſito autem priore non removeatur a priore Camaldulenſi, niſi malus fuerit. Liceat autem priori illius loci monachare & converſare convenientes & utiles illi domui cum conſilio tamen fratrum ibi deſervientium, & faƈta profeſſione & obedientia domno priori & conventui Camaldulenſi, quicumque ibi monachabuntur vel converſabuntur, faciant profeſſionem & obedientiam conventui & priori Camaldulenſi ſecundum conſuetudinem conventus, nec removeatur a priore niſi pro prelatione vel malitia, nec debeat prior Camaldulenſis convendere vel alienare theſauros, & poſſeſſiones vel auferre ipſius loci.

Aƈtum eſt hoc in civitate Verone in ſupraſcripto loco.

Ego Bonetus ſacri palatii notarius rogatus interfui & ſcripſi.

CLIV.

Johannes ep. Foro-livienſis alterum locum tradit pro conſtruendo cœnobio in ſua urbe.

Anno 1202. die prima novembris.

Ex eodem tabulario. §. Donatio n. 360.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione ejus M. CC. II. tempore Innocentii pape imperatore non exiſtente indiƈtione v. die primo menſis novembris in Forolivio in domo epiſcopi. Ego Johannes ſanƈte Livienſis eccleſie epiſcopus, preſente & conſentiente Drudone Livienſi archidiacono, in honorem Dei, & beate Marie virginis, & beati Thome martyris, beati Benediƈti & omnium Sanƈtorum per paƈtum in annis centum ad renovandum concedo, largior, & confirmo vobis domno Martino venerabili priori Camaldulenſis conventus pro vobis veſtriſque confratribus & ſucceſſoribus, ideſt duas tornaturas terre poſitas in Caſale territorio Livienſi & plebe ſanƈti Martini cum omnibus ſibi pertinentibus, & introitu ſuo & exitu, ad habendum, tenendum & ad eccleſiam ibi libere edificandam ſub penſione omni anno in menſe martii, vel infra indiƈtionem illius anni, mihi meiſque ſucceſſoribus reddenda, duodecim denarios Ravennates tantum, & ſi quo in tempore pe.... vel ei liberi plus darent vel relinquerent nobis de ſua profeſſione ibi juxta ſub hac penſione & conceſſione vobis libere remaneat jure patronatus vobis de gratia remiſſo, ut libere poſſitis vos & veſtri ſucceſſores ordinare & diſordinare, traƈtare & diſponere, ſicuti facitis in veſtris aliis liberis & manualibus eccleſiis. Tempore innovationis ego vel mei ſucceſſores renovabimus vos vel veſtros ſucceſſores, recepta ea mercede, quod priori Camaldulenſi, qui tunc fuerit, placuerit tantum & non plus, & quandocumque mei canonici invitati fuerint ad aliquam ſepulturam ipſius eccleſie, debeatis ipſos recipere cum honore & reverentia, & paramenta, que ibi habueritis, eis preſtare pro officio celebrando, & totum officium cum ultima miſſa, & ejus miſſe oblationibus ſit canonicorum, ſicuti veſtris liceat fratribus miſſas, quot voluerint ante ultimam miſſam canere, & earum oblationes habere, ſicut quando ita convenerint pro defunƈto debeant canonici majora loca in choro

Ibid. n. 6.

ro ecclesie obtinere, nec vos, nec vestri confratres debeatis crucem illius loci portare per civitatem, nec per burgos, & si que possessiones de plebe sancte Crucis ad vos pervenerint, quas propriis manibus vel sumptibus laboraveritis, de his decimas prestare non debeatis. In aliis vero decimis ejusdem plebis intromittere non debeatis, & possessiones canonicorum scienter non recipietis, & si eas receeperitis, de eorum jure esse postea cognoveritis, eas ipsis restituetis, & si alique possessiones vobis evenerint de plebibus sancti Mercurialis, sancti Martini & sancti Laurentii, nisi de illis, que vestris manibus vel vestrorum amicorum pro domo vestra laboraveritis, nobis & nostris successoribus medietatem decimarum solvere debeatis. Si que vestre domui evenerint, & si excommunicationem vel interdictum speciale vel generale fecerimus, illa sicut alii nostri clerici observare teneamini, & si quis nostrorum parochianorum in vita vel in morte se tradere voluerit, debeat per vos admoneri, ut nobis & nostris successoribus de suo testamento honorifice, ut decet pontificem, relinquere. Que quidem omnia firma tenere, modisque omnibus observare, & in nullo contra agere vel venire & auctorizare & defendere contra omnes personas in judicio & extra per me meosque confratres ac successores tibi suprascripto priori tuisque confratribus firmiter sub pena unius libre auri hinc inde promissa ad invicem spondemus. Et tu dictus prior hoc idem prenominato Drudoni archidiacono pro se & suis fratribus promittis, & soluta hinc inde pena maneant hec omnia firma & inconcussa. Ibid. n. 6.

Et Bonomartino imperiali ac Livii notario scripta jussu utriusque partis & suprascripti archidiaconi, in presentia abbatis Insulani & prioris Farazani, domini Argoliosi Forliviensis potestatis, domini Nicolai judicis, Upicini, Petri Auliverii, Boccaci notarii, Ugonis notarii hec omnia sunt facta.

CLV.

Idem facit Jacobus abbas S. Mercurialis.

Circa annum 1202.

Ex libro ejusdem monasterii dicto Gambaro pag. 49.

HOc est exemplum cujusdam scripture reperte inter multa instrumenta & privilegia & scripturas monasterii sancti Mercurialis de Forolivio a me Andrea ser Bene de Nomaiis notario de Forolivio vise & lecte, & per me hic exemplate, cujus quidem tenor talis est. Ibidem. Pium est piis operibus intendentes pietatis officio adjuvare, quapropter ego frater Ja.. licet indignus abbas monasterii sancti Mercurialis de Forolivio per me, meosque in perpetuum successores vobis ven. patri domno M.. generali priori ordinis Camaldulensis pro vobis vestrisque successoribus & ordine predicto, & vobis fratri........ ejusdem ordinis professo & domine Forolivese, & Bone sue sorori edificatoribus infrascripti loci pro ordine supradicto do & concedo licentiam & auctoritatem plenam & liberam fundandi & construendi locum religiosum & sacrum, seu ecclesiam cum omnibus domi.. & offici.. nece.. dicto loco in fundo & loco, qui dicitur Albaretum prope Forlivium in possessione quadam in hec latera constituta a primo *&c.* for... & p.. sancti Merc... qui locus & fundus, atque possessio ad prelibatum & parochiam & jus & proprietatem dicti monasterii & plebis sancti Mercurialis plenarie noscitur pertinere, ad habendum & sub hujus condictionis & pacti adjecto tenore, quod vobis vestrisque fratribus & successoribus & priori seu fratribus, vel quocumque nomine censeantur, qui habitant, vel de cetero habitaverint in loco vel ecclesia predicta, vel etiam ipsi ecclesie seu loco, non liceat, imo nullo modo debeant, vel possint aliquos de plebatu e parochia dicti monasterii sive plebis ad eamdem plebem & monasterium de jure vel consuetudine pertinentes ad divinum officium recibere, vel sepulturam, seu ad aliqua ecclesiastica sacramenta renumptiatis a nobis super predictis, & quolibet predictorum generale & specialiter & expresse omnibus, & singulis privilegiis & indulgentiis, & renuntiatis vobis vel vestro ordini, nunc vel in futurum competentibus

tibus a sede ap... vel ejus leg... impetratis, seu de cetero impetrandis & omni alii juris auxilio, quod vobis circa premissa possent in aliquo suffragari, dando & apportando a vobis vestrisque successoribus, & priore atque fratribus, qui pro tempore fuerint in eodem loco, vel ecclesia annis singulis dicto monasterio seu plebi nomine census & oneris unam libram cere nove pro loco & ecclesia supradicta.

CLVI.

Decisio causæ inter canonicos Patavinos, & hospitale de Mandria.

Anno 1202. die XIV. februarii, *more Veneto*.

Ex anecdotis mss. V. Cl. Johannis Brunacii pag. 153.

Ibid. n. 132.

IN nomine Dei eterni, amen. Nos Marcus Dei gratia episcopus Castellanus & G.. eadem gratia abbas sancti Ylarii cognoscentes ex delegatione pape Innocentii, appellatione remota, de causa decimarum, que vertitur inter canonicam sancte Marie de Padua & ejusdem ecclesie canonicos ex una parte, & hospitale ecclesie sancte Marie de Mandria & Luscum ministrum & conversum ejusdem hospitalis ex altera, cujus commissionis talis est tenor. Innocentius episcopus servus servorum Dei *&c.* Conqueritur namque Thomas Maurocenus Paduanus canonicus, & Paduane canonice sancte Marie & universitatis ejusdem ecclesie canonicorum sindicus, & procurator sive actor nomine predicte canonice de Lusco & fratribus hospitalis sancte Marie de Mandria pro se & sua ecclesia in hoc modo. Vobis domino Marco Castellano episcopo & donno G.. monasterii sancti Ylarii abbati conqueror ego Thomas Paduanus canonicus & ejusdem ecclesie sindicus de domino Lusco ministro & fratribus ecclesie sancte Marie de Mandria pro se & sua ecclesia, a quibus nomine dicte canonice peto possessionem vel quasi juris decimationis, & ipsam decimam, & ipsum jus decimationis & ipsas decimas terrarum, quas habent & possident vel ipsa predicta sua ecclesia in contrada, que dicitur Mandria, & generaliter in toto territorio Paduano ubicumque terras predictas habent, & per extimationem decimarum, quas ecclesie Paduane huc usque non prestiterint & solvere debebant, peto ducentas libras denariorum. Visis itaque super his rationibus, instrumentis, privilegiis, concessionibus, confirmationibus atque sententiis, allegationibus, confessionibus, ac testibus utriusque partis, & diligenter inspectis, habito quoque plurium sapientum conscilio, & habita deliberatione congrua, & terminis pluribus partibus datis, & hodie termino perentorio ad judicandum statuto. Cum Luscus ad audiendam sententiam non venerit, nec responsalem miserit, licet ejus absentia, donec repleatur presentia, Luscum predictum nomine sue ecclesie in restitutionem possessionis decimarum, & in earumdem decimarum restitutionem terrarum omnium, quas ipse habet & possidet pro sua ecclesia in ora, que dicitur Mandria, & generaliter in toto territorio Paduano, Thome memorato Paduane canonice sindico condemnamus, & pro extimatione fructuum retemptorum ex ipsis decimis provenientium in septem modios blave ad sextarium civitatis Paduane videlicet in duobus modiis frumenti, & in novem sextariis segale & novem de faba, & in viginti uno sextariis de milio, & in viginti uno de surgo ipsum Luscum memorato Thome sindico Paduane canonice auctoritate domini pape condemnamus, & a superfluo ejus, quod ipse Thomas petit pro fructuum extimatione, ipsum Luscum absolvimus. Actum est hoc in camera predicti domini mei M.. episcopi Castellani in presentia magistri Zamboneti judicis, presbiteri Marci de sancto Fantino, Jacobi diaconi Castellane ecclesie, Bernardi diaconi, Martini, Petri, Simeonis & aliorum anno Domini millesimo ducentesimo secundo, quartodecimo die intrante mense februario indictione sexta. Ego Valerianus presbiter Castellane ecclesie canonicus & notarius hanc sententiam in scriptis latam, & per dominum Marcum episcopum verbo & consensu domni G.. abbatis sancti Ylarii ibi presentis & juxta dominum episcopum sedentis recitatam, illorum scilicet episcopi & abbatis jussu & mandato scripsi & roboravi.

CLVII.

CLVII.

Innocentius III. *præcipit omnibus abbatibus Ord. S. Benedicti, ut Perusium conveniant ad capitulum generale.*

Anno 1203. III. kal. martii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Brevia n. 10.

Ibid. n. 3. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbatibus & conventibus per Thusciam, Marchiam & ducatum Spoletanum constitutis ad Romanam ecclesiam pertinentibus salutem & apostolicam benedictionem. Tacti sumus dolore cordis intrinsecus & gravi mero-re turbati, quod sicut multorum relatione didicimus & ipsa rerum evidentia manifestat, monasteria vestra, que sicut esse noscuntur specialius apostolica protectione munita, sic esse deberent in observantia regularis ordinis potiora, usque adeo sunt peccatis exigentibus deformata, & in spiritualibus & in temporalibus diminuta, quod jam eis multo deterius esse videtur, que gaudere poterant speciali privilegio libertatis, quam illis monasteriis, que archiepiscopis vel episcopis lege noscuntur diocesana subjecta, in quo siquidem apostolice sedi a multis detrahitur, quod ad reformationem & correctionem vestram extitit hactenus ultra quam debuerit negligens & remissa. Volentes autem, prout ex suscepto tenemur administrationis officio, reformationi monasteriorum vestrorum sollicitius imminere, quorum curam debemus gerere specialem, cum fratribus nostris deliberantes diutius, ut viam ad hoc possemus eligere meliorem, cum per legatos a nostro latere destinatos vos nequeamus annis singulis visitare, taliter duximus statuendum, quod hoc anno apud Perusium vos filii abbates singuli vestrum cum uno vel duobus tantum monachis & quinque dumtaxat equitaturis, ne monasteria in multarum personarum & equitaturarum numero immoderatis graventur expensis, convenientes in unum coram venerabili fratre nostro .. episcopo Castellano & dilectis filiis .. Camaldulensi & .. sancti Fridiani prioribus, quos in capitulo vice nostra volumus presidere, quique vos ad capitulum statuto termino convocabunt, de reformatione religionis & ordinis studiosius pertractetis & per eosdem vice nostra fungentes visitatores eligantur idonei, qui ad singula monasteria personaliter accedentes, que in ipsis circa temporalia & spiritualia corrigenda & reformanda cognoverint tam in capite quam in membris, regulariter appellatione remota corrigant & reforment. Ipsi autem visitatores cum ad monasteria vestra causa visitationis accesserint, quaternarium equitaturarum numerum non excedant, ne de ipsorum presentia propter expensarum gravamen monasteria lesionem incurrant, per quos ipsa speramus & cupimus in spiritualibus & temporalibus reformari. Si vero datum desuper fuerit, ut per hoc sollemne capitulum, quod cum multa deliberatione dignoscimur statuisse, monasteria vestra proficiant, singulis annis in diversis locis & sub diversis personis, que debeant in capitulo presidere, precipiemus capitulum celebrari, taliter auctore Domino providere volentes, quod per statutum nostrum monasteriis vel abbatibus nullum prorsus in libertate sua prejudicium generetur. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus & districte precipimus, quatinus vos filii abbates statuto loco & die juxta quod precepimus, convenire curetis, & sic auctore Domino in nostri executione mandati efficaciter procedatis, quod vobis ad animarum salutem proficiat, & per sollicitudinem nostram monasteria vobis commissa valeant in melius reformari, ne nos negligentiam vestram cogamur de cetero apostolica auctoritate punire.

Datum Laterani III. kalendas martii pontificatus nostri anno sexto.

CLVIII.

Ejusdem literæ ad episc. Arretinum & Castellanum pro Camaldulensibus.

Anno 1203. XIV. kal. junii.

Ex eodem archivo. §. Brevia n. 9.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. Aretin. & Castellan. episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii heremite Camaldulenses sua nobis querela monstrarunt, quod cum venerabilis frater noster .. Fesulanus episcopus de mandato nostro in .. filios Galbine Aretine diocesis excommunicationis, & in terram eorum interdicti sententias promulgarit, eo quod ipsi quoddam castrum cum tota curte in eorum prejudicium occuparant, illi sententias negligentes, *Ibid. n. 9.*

adhuc castrum & curtem detinent & reddere contradicunt: quocirca fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus sententias, sicut rationabiliter sunt prolate, usque ad satisfactionem condignam faciatis appellatione remota inviolabiliter observari. Quod si non ambo hiis exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur.

Datum Ferentini XIV. kal. junii pontificatus nostri anno sexto.

CLIX.

VVolcherii patriarchæ Aquilejensis definitio contra monasterium S. Michaelis de Lemo.

Anno 1203. die IV. novembris.

Ex authentico tabularii S. Mathiæ de Muriano in lib. A. pag. *6*.

Ibid. n. 13. HOc est exemplum cujusdam instrumenti ex authentico sumptum non cancellatum, nec in aliquo corruptum, cujus tenor talis est. Anno M. CC. III. indictione VI. die vero quarto intrante novembrio. Actum Parentii in majori ecclesia, presentibus domino Pompeo Petenensi episcopo, Henrico archydiacono Aquilegiensi & aliis multis. Cum dominus Volcherius patriarcha Aquilegiensis & marchio Istrie sederet pro tribunali in majore ecclesia sancti Mauri comparuit coram ipso dominus Folcherius Parentinus episcopus conquerendo, quod multi conantur destruere & minuere territorium proprietatum sancti Mauri, silicet territorium illustrissime domine Hasiche Istriensium comitisse. Unde prefatus episcopus fecit vocare coram predicto domino patriarcha viros ydoneos & honestos, qui compelli deberent per dictum dominum patriarcham ostendere & consignare confines predicti territorii sancti Mauri, qui vocati sunt de Parentio, Artuicus filius quondam Otonis, Cadolus quondam Recii, Johannes de Paulina, Johannes Malaossa, Cadolus Henrici de duobus castris, Odoricus Dominicus de Parentio, & Andreas de Muripel dyaconus, Hopo de sancto Laurentio, Bernardus Gastaldio, Johannes de Panci, Martinus de presbytero Ursone, & Marcus. Qui omnes supradicti coram prefato domino patriarcha, & per ipsum compulsi dixerunt & consignarunt confines sancti Mauri, juraverunt & dixerunt omnes judices hos esse confines termini proprietatum & territorii sancti Mauri. Incipiendo a Muglione veniendo a Manuchera recto tramite, & de Manuchera vaniendo ad Diglanum, quod est sancte Marie de Campo, & de Diglano veniendo ad Rossam presbiteri Albini, & deinde veniendo ad montem Messium, quod est de supra monasterium sancti Michaelis de Subterra versus Orientem, & deinde veniendo juxta lacum Vissignan.. & de dicto lacu veniendo juxta Ponzanum, & de Ponzano veniendo recto tramite juxta ecclesiam sancte Margarite castri sancti Laurentii, & deinde veniendo usque ad locum, qui dicitur Sablonorum, & de dicto veniendo ad montem Lezossum, & de dicto veniendo usque ad horam montis castri Calixeti versus Occidentem, & deinde veniendo usque ad campum Basilium, quod est sancti Michaelis de Lemo. Unde predictus dominus patriarcha & marchio hiis visis, auditis & diligenter examinatis sententialiter dixit & precepit, quod non liceat alicui persone a modo in antea frangere seu devastare aliquo modo predictum territorium sancti Mauri, nec non aliquo gravare ecclesiam Parentii de illo, quod testificatum est coram ipso. Et qui contrafecerit, subjaceat banno XC. Bissantiorum patriarche & marchioni, qui pro tempore fuerit, & episcopo Parentino penam mille librarum denariorum Aquilegiensium, pena soluta hoc instrumentum semper firmum & ratum permaneat.

Ego Henricus imperiali auctoritate notarius interfui rogatus a predicto domino patriarcha & episcopo scripsi & roboravi.

Ego Glielmus filius Ugolini olim Bulgarelli de Nascimpace de Ymola imperiali auctoritate notarius hoc instrumentum autenticum scriptum Henrici notarii manu imperiali auctoritate fideliter exemplavi, nil addens vel minuens quod sensum mutet, vel variet intellectum, de mandato venerabilis patris domini fratris Gratiadei Dei & apostolice sedis gratia episcopi Parentini, presentibus discretis viris fratre Lappo sancti Michaelis de Subterra abbate, & fratre Jacobo ordinis Carmelitarum dyocesis Parentine in episcopali palatio sub anno Domini M. CCC. XVIII. indictione prima die VI. maji.

Ego Girardus de Parentio imperiali auctoritate notarius authenticum hujus exempli vidi & ausculatavi & utrumque consonans reperii, & ideo me in testem subscripsi, & signum meum apposui.

Ego

Ego Laygentius filius Girardi de Caroado imperiali auctoritate notarius authenticum hujus exempli vidi, legi & abscultavi & utrumque consonans reperii, signum meum apposui, & nomen subscripsi.

Ego Guidotus quondam domini Silvestri imperiali auctoritate notarius authenticum hujus exempli *&c. ut supra.*

Ego Nucius filius ser Martini de Cisterne imper. auctor. notarius *&c. ut supra.*

CLX.

Alberti archiep. Ravennatis libellus emphyteuticus Enverardo abbati Vangaticiensi.

Anno 1204. die v. aprilis.

Ex apographis Vangaticiensibus & ex Silvestrio pag. 69.

Ibid. n. 18. IN Christi nomine. Anno Dominice nativitatis millesimo ducentesimo quarto tempore Innocentii pape nemine in Italia imperante die v. intrante mensis aprilis indictione VII. Ferrarie in palatio ecclesie sancti Stephani. Albertus divina miseratione sancte Ravennensis ecclesie archiepiscopus Enverardo abbati monasterii sancte Marie in Vangadicia & tribus successoribus tuis post te. Petitioni tue, que habetur in subditis, libenter accommodamus assensum, ob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, aquiritur; & quoniam sperasti, uti sex uncias principales integras de fundo Honesti, & de hoc, quod remanet de ipso fundo tertiam partem integram, & concedimus tibi predicto abbati tuisque successoribus, ut dictum est superius, totum quod habuerunt & detinuerunt Carlinus & Belizo in supradicto fundo Honesti, quod est de jure sancte Ravennensis ecclesie cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, arboribus atque cum omnibus sibi pertinentibus a tribus lateribus supradicti fundi fundus Burseta, a quarto latere fundus Turricula & Nugaritus, & concedimus vobis, ut supra legitur, fundum integrum, qui vocatur Turricula cum terris, campis atque cum omnibus sibi pertinentibus, a primo latere arcire Criscinus, ab alio latere Fossa mala perveniente in Conca de sancto Stephano descendente in fluvio Adici, a tercio latere fluvius, qui dicitur Adici, a quarto latere fundus Honesti & Nugaritus, omnia que infra designata latera vobis concedimus, ut superius legitur, constituta territorio Gavellense, omnia de jure sancte Ravennensis ecclesie emphyteotecario modo postulasti largiri a nobis, si tamen juste & rationabiliter a nobis petisti, & ab aliis minime detineri videntur sub statuta pensione omni martii mensis vel infra indictionem decem & octo denariorum Veronensium, & predictas res cultare, laborare & in omnibus meliorare Deo debeatis adjutore; nullamque tarditatem aut neglectum habere debeatis tam ad inferendam prescriptam pensionem, quam ad meliorationem prefatarum rerum. Et ne cuiquam presens preceptum aut prescriptam rem alicui dare, vendere aut oppignorare vel transferre, nec in ullo alio venerabili loco dare vel derelinquere audeatis, nec aliquando adversus sanctam benefatricem nostram Ravennensem ecclesiam aliquid contra justitiam tractare aut agere, nisi propria causa, si contigerit per justitiam tantummodo ventilare audeatis. Quod si in aliqua tarditate aut neglectu inventi fueritis contra agere de his superius affixis conditionibus, non solum de hoc precepto cadetis, verum etiam daturi eritis parti nostre sancte Ravennensis ecclesie nomine pene auri libram unam. Et si non persolveritis dictam pensionem infra biennium, ut leges censent, tunc pena soluta liceat actoribus sancte Ravennensis ecclesie vos exinde expellere, & qualiter placuerit ordinare; & post transitum tuum tuorumque successorum, qualiter superius legitur, tum prescripta res laborata & in omnibus meliorata, & quidquid inibi additum, melioratumque fuerit ad nostram Ravennensem ecclesiam, cujus est jus & proprietas, revertatur. Quam vero paginam precepti ego Manfredinus Dei gratia imperialis aule, Ferrarie ..... & sancte Ravennensis ecclesie tabellio scripsi atque complevi.

† LEGIMUS.

CLXI.

Traditio ecclesiæ S. Viti scholaribus universitatis Viceticæ.

Anno 1205. tertio nonas octobris.

Ex authentico tabularii S. Luciæ de Vicetia.

ibid. n. 20. HOc est exemplum ex authentico relevatum. In Christi nomine. Florisius & Nicolaus Dei gratia majoris Vicentine ecclesie archidiaconus & prepositus, necnon & universum ejus ecclesie capitulum dilectis in Christo fratribus magistro Roberto de Anglia, & Guilielmo Cancelino de Provincia, & Guarnerio de Alemannia, & Manfredo de Cremona rectoribus pro universitate scolarium in Vicentina civitate commorantium, & eidem universitati salutem & fraterne dilectionis affectum. Justis petentium desideriis facilem tenemur prebere assensum, & vota, que a rationis tramite non discordant, affectu digno prosequente complere. Eapropter dilecti in Christo fratres magister & vos tres ad hoc rectores prenominati, & ipsa universitas attendentes devotionem, quam erga Vicentinam ecclesiam habere dignoscimini, vestrisque justis postulationibus annuentes ad honorem Dei & Vicentine ecclesie, ac predicte universitatis ecclesiam sancti Viti juxta situm Vicentine civitatis positam, sicut ad donum & concessionem nostram nostrorumque predecessorum semper spectasse dignoscitur, cum omnibus possessionibus suis & pleno jure vobis pro dicta universitate recipientibus canonice duximus concedendam, & per presentem investituram per librum, quem in manibus tenemus, vobis factam. Nos quidem archidiaconus in spiritualibus, nos autem prepositus in temporalibus omne jus & dominium, quod in ea cum fratribus nostris habemus, pro nobis & ipsis vobis tribus rectoribus predictis suprascripta universitate concedimus, damus & conferimus, his quidem nobis retentis & reservatis, que inferius dicentur, videlicet confirmationem prelati suprascripte ecclesie sancti Viti, si fuerit regularis vel conventualis; si vero non fuerit conventualis, prelati ejus & clerici, qui in ipsa recipiatur ut frater, & hoc ad presentationem suprascripte universitatis. Item retinemus institutionem sive investituram & excedentium correctionem. Preterea volumus & retinemus, quod si dicta ecclesia fuerit secularis, sacerdos ejus cum clericis suis bis in anno, videlicet in resurrectione Domini & pentecoste veniant ad solemne baptisma, & teneantur oneri baptizandi, sicut & alii capellani nostri. Insuper in solempnitatibus resurrectionis & nativitate Domini, in celebrationibus quoque sancte Marie & aliis solemnitatibus, quando alii capellani nostri nobiscum conveniunt propter majores missas & letanias celebrandas, sicut dictum est, dicta ecclesia fuerit secularis, sacerdos cum clericis veniant & ipsi. Ad hoc volumus & retinemus, quod si canonici Vicentie ad exequias alicujus defuncti in predicta sancti Viti ecclesia celebrandas fuerint invitati, sive regularis sive secularis sit ecclesia, archipresbiter majoris Vicentine ecclesie vel ejus volunt.. alius pro canonicis presbyter missam celebret specialem, & percipiat pro canonicis dimidium omnium oblationum illius misse. Adhuc retinemus, quia volumus habere & percipere decimas omnium possessionum tam presentium, quam futurarum predicte ecclesie in Vicentina civitate vel plebem majoris ecclesie constitutarum, excepto de quatuor campis cum sedimine & ortis suis, si tamen fuerit religiosa ecclesia. Item in procurationibus domini pape, cardinalium & legatorum ejus volumus & retinemus, quod prelatus dicte ecclesie cum fratribus suis teneantur solvere partem procurationum, que illos contigerit, secundum ipsius ecclesie facultates, ad procurationem domini patriarche & nuntiorum ejus volumus eos teneri. Si vero dicta universitas removebitur, quod absit, a Vicentina civitate, dicta ecclesia cum omnibus possessionibus suis, quas tunc habuerit, si fuerit secularis, libere ad canonicam Vicentinam revertatur, sicut nunc est. Si autem fuerit regularis, teneatur ad predicta, sicut dictum est superius de regulari. Ab omnibus aliis exactionibus & oneribus dictam ecclesiam liberam vobis concedimus, & si aliis nostris ecclesiis imponeremus. Preterea si dicta ecclesia fuerit secularis, sive conventualis fuerit, sive non, representatio prelati & inferiorum ejus ad ordines promotio fiat per capitulum Vicentinum, si vero fuerit religiosa, representatio prelati tantum ad ordines fiat per capitulum Vicentinum, similiter inferiorum autem prelati per eundem prelatum fiat. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo quinto indictione nona tertio nonas octubri. In presentia presbyteri Artuxii de Fabrica, presbyteri

teri Thomaxii de sancto Stephano, presb. Alberti de sancto Salvaro, Martini clerici de Longa, Martini & Alberti, & Bo.. presbyteri, Clarii diaconi, Etilberti subdiaconi, Pieri & Johannis canonicorum Vicentine majoris ecclesie laudantium & confirmantium istam concessionem.

Et ego Bellellus notarius filius Alexandri Bellelli, prout in breviaturis quondam dicti Bellelli avi mei reperi, ita bona fide scripsi, & in publicam formam redegi.

Ego Jacobus Michael de Pajarinis imperiali auctoritate notarius publicus Vicentinus ac officialis curie episcopalis suprascriptum exemplum fideliter exemplavi bona fide.

CLXII.

Altera traditio ejusdem ecclesiæ monachis Camaldulensibus.

Anno 1206. die XII. februarii.

Ex authentico ejusdem loci.

Ibid. n. 23. HOc est exemplum ex authentico relevatum. In nomine Domini millesimo ducentesimo sexto indictione nona die duodecimo intrante februario. In Vicentia in ecclesia sancte Marie de domo, presentibus Alberto & Bonifatio presbyteris canonicis, & Clario dyacono & magistro Bonocompagno & aliis. Ibique magister Robertus de Anglia & dominus War.. de Alamannia rectores universitatis scolarium in Vicentina civitate commorantium pro se & tota universitate, ut dicebant, representaverunt fratrem Sansonum de religione & ordine Camaldulensium Vicentino capitulo dicentes. Rogamus dominum archidiaconum & prepositum & capitulum Vicentinum pro nobis & tota universitate scholarium in Vicentina civitate commorantium, ut fratrem istum dompnum Sansonum investiatis & instituatis de prioratu & ministratione ecclesie sancti Viti super Asticello & possessiones ejus. Unde domnus Florianus & Nicholaus archidiaconus & prepositus pro se & fratribus suis & capitulo Vicentino investivere & instituere suprascriptum fratrem Sansonum de prioratu & amministratione suprascripte ecclesie & possessionis ejus, archidiaconus videlicet in spiritualibus & prepositus in temporalibus, ut de cetero suprascriptus frater Sanson regat & gubernet suprascriptam ecclesiam & possessiones ejus ad honorem Dei & Vicentine ecclesie, ac suprascripte universitatis, salvo tenore conventionis, que inter predictos canonicos & suprascriptam universitatem conscripta est per me ipsum notarium.

Ego Bellellus not. filius olim Alexandri de Bellelli, prout in breviaturis olim Alexandri avi mei reperi, ita bona fide scripsi & in publicam formam redegi.

CLXIII.

Innocentius III. confirmat eam ecclesiam Samsoni priori ipsius.

Anno 1206. V. kal. decembris.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia n. 11.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. priori Camaldul. Ibidem. Veronen. salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos & humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine consovere. Eapropter dilecte in Domino fili tuis justis postulationibus inclinati ecclesiam sancti Viti Vicentie, quam scolares civitatis ejusdem divini amoris intuitu construxerunt, tuoque monasterio subdidere, ubi & per te monasterio ipsi, sicut eam juste possidet & quiete, auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis &c. Si quis &c.

Datum Rome apud sanctum Petrum V. kalendas decembris pontificatus nostri anno nono.

CLXIV.

Patroni monast. S. Helenæ ad flumen Æsinum promittunt emendationem omnium damnorum, quæ attulerant dicto cœnobio.

Anno 1207. IV. die exeunte majo.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Anno Dominice incarnatio- Ibid. n. 28.

nationis M. CC. VII. indictione x. tempore domni Innocentii pape vacante imperio IIII. die exeunte mense madii. Nos quidem in Dei nomine patroni monasterii sancte Helene, videlicet domnus Agervinus, & domnus Johannes & domnus Paulus & domnus Ugo & domnus Guarinus, & domnus Albizus, omnes vero promittimus corporali sacramento de offensis scilicet de bonis allatis monasterii sancte Helene & de ejus hominibus, ac de ejus ecclesiis, scilicet de animalibus, hoc est de equis, de bubus, de asinis, ac de ceteris animalibus; quicquid nos accepimus a tribus annis retro contra voluntatem abbatis dicti monasterii, & contra voluntatem hominum dicti monasterii, emendabimus abbati predicti monasterii sine omni tenore, & promittimus, quod de cetero de hinc ad proximum kalendas junii ad v. annos expletos non faciemus predam, nec aliquod malefitium dicto monasterio, nec ejus ecclesiis, vel ejus hominibus, neque equos, neque boves, nec asinos, nec porcos, nec capras, neque oves, neque pannos, neque aurum, neque argentum, neque hes, neque ferrum. Si contigerit, quod Deus avertat, quod aliquid predictorum fecerit, emendabit ad mandatum abbatis, & illius, qui secum erit in capite infra xv. dies, postquam requisitus fuerit ab abbate vel ab eo, qui secum erit in capite. Quod dictum est de monasterio sancte Helene, idem dicimus de heremita Mandriolis. Actum est hoc tempore abbatis Bernardi in claustro sancte Helene. In presentia domni Montis & Ugutionis, Guidonis & Seifredi, & Guidonis Berardi, & Rodulfi, & Angeli Boni infantis & Tebaldi & Saffi, Oliveri & Bonnipetri, & domni Guidonis, & Baldovini Januculi, & aliorum quamplurium.

Ego Jacobus notarius reipublice rogatu dictorum patronorum scripsi.

CLXV.

Mainardus ep. Imolensis confirmat ecclesiam S. Andreæ de Zagonaria monasterio SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Anno 1207. XVI. augusti.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ibid. n. 29. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno ab incarnatione ejus M. CC. VII. tempore Innocentii pape, imperatorem non habemus, die XVI. mensis augusti indictione x. apud monasterium sancti Ipoliti. Nos quidem in Dei nomine Mainardus Imolensis episcopus pro nobis nostrisque successoribus in episcopatu & remedio anime nostre & nostrorum antecessorum & successorum concedimus, & damus plenam licentiam & potestatem tibi presenti in Christi nomine domno Petro abbati monasterii sanctorum martyrum Laurentii, & Ipoliti accipienti vice & nomine dicti cenobii, & pro toto collegio, quod nunc inibi est, vel in futuro erit, & pro vestris successoribus ibidem commorantibus in perpetuum, videlicet habendi, tenendi, & ordinandi ecclesiam sancti Andree de Zagonari & disponendi pleno jure, & regendi populum ipsius ecclesie per quemcumque volueritis in perpetuum monachum, vel conversum vestrum in spiritualibus, & temporalibus sine aliquorum contradictione, impedimento vel obstaculo. Insuper dictam ecclesiam liberamus ab omni exactione episcopali, salvo jure plebis de Barbiano, scilicet in baptismo, & in litaniis, & in visitatione festi sancti Stephani, ab omnibus aliis sit exempta & libera. Salvo, quod debeat excommunicatum ab episcopo pro causa matrimoniali, vel alio spirituali negotio pro excommunicato tenere. Hoc autem ideo vobis facimus pro remedio anime nostre, & nostrorum antecessorum & successorum, & ut debeatis pro nobis orare. Hanc autem donationem, concessionem & absolutionem, & liberationem nos Mainardinus Ymolensis episcopus pro nobis nostrisqne successoribus in episcopatu promittimus tibi dicto domno Petro abbati tuisque successoribus firmam ratamque habere, tenere, & nullo modo vel ingenio contra agere vel venire, neque per nos, neque per aliquam personam, neque per successores nostros, neque per aliquam personam a nobis summissam, summittendamve, neque in judicio, neque extra sub promissione pene unius libre auri, & pena soluta hec datio, concessio, absolutio, liberatio, & omnia predicta in omnibus & per omnia, & in quolibet capitulo maneat firma in perpetuum; que omnia sunt scripta, & completa a me Zonatello Faventino notario rogatu dicti domni episcopi. Interfuere testes his omnibus dopnus Benedictus camerarius, dopnus Guilielmus, dopnus Johannes, dopnus Wido, presbiter Ugo, dopnus Dominicus, dopnus Johannes cellerarius, Wido Dux, Ram-

Rambertus sancte Lucie, Bonittus, & ego Zonatellus jamdictus Faventinus notarius omnia ista describens.

† Ego Mainardinus Ymolensis episcopus ss.

† Ego Gerardus Imolensis prepositus manu mea ss.

† Ego Albertus presb. & canonicus mm. ss.

† Ego presb. Clarius mm. ss.

† Ego Rodulphus diaconus ss.

† Ego Bencasa diaconus canonicus mm. ss.

In Christi nomine anno a nativitate Domini M. CC. XV. tempore Innocentii pape & Ottonis imp. die penultimo mensis decembris indictione III. Faventie. Hoc autem exemplum ego Aliottus Dei gratia Faventinus notarius, prout in ejus authentico per manum Zonatelli notarii *&c.* scripsi & complevi.

CLXVI.

Innocentii III. *literæ, ne graventur ecclesiæ Camaldulenses.*

Anno 1207. IX. kal. novembris.

Ex autographo Fontis-boni. §. Brevia n. 12.

Ibid. n. 30. INnocentius episcopus servus servorum Dei ven. fratri nostro .. episcopo Fesulano & dilecto filio .. priori Castellano salutem & apostolicam benedictionem. Cum venerabilis frater noster .. Arretinus episcopus & dilectus filius .. prior Camaldulensis in nostra essent presentia constituti, nos auditis, & intellectis, que hinc inde proponere voluerunt super controversia, que inter eos de Mojona, de Agna & de Lorenzano ecclesiis vertebatur, justitia exigente mandavimus, ut commissio, que super illis impetrata fuerat, inter eos suum processum haberet, ita quod idem episcopus interdicendo vel excommunicando seu aliquid exigendo lite durante nihil presumeret innovare. Vos ergo mandatum hujusmodi, si necesse fuerit, faciatis per censuram ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter observari.

Datum Corneti IX. kalendas novembris pontificatus nostri anno decimo.

CLXVII.

Rainerius qu. Guidalotti donat quosdam homines Johanni priori S. Margaritæ de Tosina.

Anno 1207. *more Florentino* VII. kal. februarii.

Ex tabulario S. Mariæ Angelorum de Florentia.

IN Dei nomine anno Dominice incarnationis M. CC. VII. septimo kalendas februarii, indictione undecima. Constat nos quidem in Dei nomine Rainerium filium quondam Guidalotti, & donnam Romeam uxorem predicti Rainerii, maritali vero consensu, atque legitima interrogatione Caroli judicis cum congruenti responsione sequenti. Nos insimul hoc donationis inter vivos instrumentum in presentiarum perfecti dominii, proprietatis, ac possessionis jure proprio & inrevocabiliter pro Dei timore, ac remedio animarum nostrarum, nostrorumque parentum donasse, & dedisse & judicasse, & tradidisse, atque concessisse tibi Johanni priori ecclesie & canonice sancte Margarite de Tosina pro dicta ecclesia & canonica, tuisque successoribus in perpetuum, & procuratorio nomine recipienti, vice & nomine domni prioris Guidi ecclesie & monasterii sancti Romualdi, & totius eremi Camalduli, & pro ipsa ecclesia & monasterio, ejusque rectoribus, & successoribus in perpetuum, integre videlicet quosdam nostros homines & colonos, & residentes cujuscumque sexus & conditionis, & eorum peculia & res, & omnes terras & possessiones, quas pro nobis habent, ac tenent, vel alii pro eis, & omnes redditus, & servitia, & eorum residia *&c.* Item omnes terras, & vineas, & casas, & capannas, & dunicata, & possessiones, & res omnes, quas nos habemus, & tenemus, atque possidemus, & nominatim dicemus, & .... in curte, & districtu de Pelago, dunicatum de Pavana *&c.* Datum Bardellioni in curte de Pelago. *Ibid. n. 28.*

Signa manuum dictorum jugalium, qui hec omnia fieri rogaverunt.

Ego Carolus Henrici imperatoris judex atque notarius hec omnia rogavi & scripsi & complevi, & rasi & emendavi superius.

CLXVIII.

CLXVIII.

Idem donat Camaldulensibus jus suum in plures ecclesias.

Anno eodem idibus februarii.

Ex apographo authentico Classensi.

Ibidem. IN nomine Domini amen &c. Rainerius olim Guidalocti de Pelago per se suosque heredes in perpetuum pro remedio anime sue, suorumque filiorum & parentum donavit pure & inrevocabiliter inter vivos domino magistro Lamberto vicario Camaldulensi recipienti vice domni Guidonis prioris Camaldulensis integrum suum jus patronatus ecclesiarum infrascriptarum, videlicet sancti Clementis de Pelago, sancti Salvatoris de Liciolo, sancti Petri de Casi, sancti Bartoli de Castro-novo, Plebis de Pomino, sancte Margarite de Tosina, & suum jus omnium bonorum & possessionum ad predictas ecclesias pertinentium sub annis Domini M. CC. VII. idibus februarii. Et Ego Karolus &c. notarius &c.

CLXIX.

Concordia inter abbatiam S. Mercurialis, & monaster. Camalduli Foro-liviensis.

Anno 1208. XXVIII. martii.

Ex MS. codice dicto Biscia pag. 90. *ejusdem abbatiæ.*

Ibid. n. 33. CUm lis & discordia verteretur inter abbatem & monasterium sancti Mercurialis ex una parte, & priorem, & conventum ecclesie sive loci sancte Marie de Camaldulis de Forlivio ex altera, occasione decimarum, quas dictum monasterium petebat a dicto priore & loco sancte Marie de Camaldulis de possessionibus, quas habent, vel possident, vel alii pro eis in plebatu sancti Martini in Strata, & sancti Mercurialis, & occasione possessionum, quas habent dicti prior & conventus de jure emphiteotecario dicti monasterii, quas alii prius tenuissent a dicto monasterio quocumque jure vel pacto, & occasione testamentorum, & oblationum, quas perceperant a parochianis dicti monasterii, & super pluribus aliis, talis concordia & amicabilis compositio, & voluntaria facta est inter eos. Quod dictus prior & conventus sancte Marie de Camaldulis de Forlivio, & eorum successores in perpetuum debeant, & teneantur dare, & presentare semper dicto abbati, & dicto monasterio, & eorum successoribus integras decimas de omnibus possessionibus & terris, quas habent dicti prior & conventus, vel habebunt de cetero in plebatibus sancti Mercurialis, & sancti Martini in Strata, scilicet de grano & vino tantum quocumque modo granum, vel vinum venerit ad eos de dictis possessionibus terris vel vineis. Item dare & presentare debeant dicto monasterio, & ejus abbatibus in perpetuum medietatem omnium testamentorum, vel oblationum sive in denariis, sive in possessionibus vel quibuscumque aliis rebus date sint, vel de cetero dabuntur ipsi ecclesie, vel priori a parochianis dicti monasterii, & quocumque modo eas perceperint. Item si receperint, emerint vel quocumque modo ad eos pervenerit in vita, vel in morte testamento, donatione, vel quocumque alio modo vel titulo, vel jam pervenit, vel perveniet de cetero de possessionibus, terris, vel vineis, vel de domibus, que sint, vel fuerint, vel de cetero esse appareant de jure, vel proprietate monasterii sancti Mercurialis, vel quas aliquis habuisset, vel tenuisset, vel teneat, vel tenebit a dicto monasterio sancti Mercurialis aliquo jure vel pacto, vel conditione per aliquod instrumentum, vel diaceptum, teneantur & debeant dictus prior, & sui fratres, & successores se renovare, & eas conducere ab abbate & fratribus, qui in dicto monasterio fuerint in pactum LX. annorum ad renovandum, dando pro renovatione & mercede locationis, & conductionis dicto abbati & monasterio XX. soldos Ravennates pro qualibet tornatura terre & vinee, & pro quolibet casamento, & omni anno pro qualibet tornatoria vel casamento pro pensione denarium unum Ravennatem, & tempore renovationis dabunt V. soldos Ravennates dicto monasterio pro qualibet tornatoria vel casamento. Et si requisiti per abbatem, vel ejus nuntium non se renovaverint infra mensem p.. requisitionem eo modo, ut dictum est, dicta possessio, vel vinea, vel domus ad dictum monasterium recidat, & libere ipsam occupet & accipiat, & semper retineat tanquam suum. Hanc compositionem fecerunt pro bono pacis & concordie. Atque dictus abbas remisit, & pro Deo donavit omnes decimas retemptas sibi debitas, & de minutis, blavis, & fructibus. Et hanc compositionem amicabilem, & omnia

& omnia supradicta promiserunt attendere & servare, & non contravenire in aliquo aliqua occasione, vel ingenio, vel modo sub pena CCC. librarum Ravennatum, & obligarunt suorum bona presentium & futurorum. Et pena soluta vel non, firma maneant omnia & singula supradicta. Acta sunt hec Forlivii in monasterio sancti Mercurialis presentibus, facientibus & consentientibus, & auctoritatem prestantibus domino episcopo Liviensi, dompno abbate, & toto capitulo sancti Mercurialis, dompno priore majoris heremi Camaldulensis, & priore & toto capitulo ecclesie sive loci sancte Marie de Camaldulis de Forlivio, ratificantibus omnibus dictam compositionem, anno Domini millesimo CC. VIII. tempore Innocentii pape, imperatore non existente, indictione XI. die XXVIII. mensis martii, presentia domini Nicolai judicis domini Palliani Diolis, Martini Bone, Severi & Signorelli Specie testium ad hec rogatorum. Et ego Rodulphus imperialis & Liviensis notarius, ut superius legitur, precepto & rogatu dictorum dominorum, quorum interat, presens hiis omnibus scripsi omnia hec, & causa memorie in publicam formam deduxi.

CLXX.

Promissio hominum de Zagonaria abbati SS. Hippolyti & Laurentii de Faventia.

Anno 1208. XII. aprilis.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ibid. n. 29. IN nomine Domini. Anno M. CC. VIII. tempore Innocentii pape, imperatorem non habemus, die XII. mensis aprilis indictione XI. Faventie in presentia Matei Capirois, & Fulconis, & Teuderici, Petri Burgi, & Palmerii, Albertini, & Papinaze & Jogii Sapientis, & Dinaogi notarii & alii quam plures. Nos quidem in Dei nomine Petrus Camitus, Benedictolus, Rubolus, & Zamus, Guilielmus, & Guirandus, & Bemarus, & Guido & Zanes ...... Carnevale, & Beneveniens, & Dominicus & Ugolinus, & Andreulus, & Sanguineus, & Rantolus & Aldrovandolus, & Beverellus, & Guido Balapagna, & Guilielmus, & Rigus Auliverii, & Calbulus, & Deus te adjuvet, Camito pro nobis, nostrisque successoribus & heredibus promittimus tibi donno Petro abbati sanctorum Ipoliti & Laurentii accipienti pro te, & tuis successoribus in dicto monasterio deservientibus, videlicet audire, & hobedire, & attendere, & observare, & adimplere, & facere, & firma & rata habere, & tenere homne preceptum, & homnia precepta, quod vel que, seu qualia nobis feceritis per vos vel per alios de facto, & discordia & injuria a vobis vel ab aliquo vestrum facta vel inlata in ecclesia Zagonari, vel in vestrum monachum vel conversum, seu in aliquem de vestris, & spetialiter promittimus, quod quidquid nobis preceperitis & dixeritis, quod abinc in antea intromittamus, vel faciamus de ecclesia Zagonari in omnibus & per omnia, sic faciemus & intromittemus, & non aliter, & insuper predicta omnia attendere, & facere, & observare, & adimplere, & firma & rata tenere, & habere, & contra non facere vel venire ullo modo, sacramento a nobis corporaliter prestito juramus & firmamus.

Decimo tertio vero die supradicti mensis in presentia presbyteri Bernardi & Danchivelli, & Rici, & Petravani, & Rodulfi nos Mateus Sanguineus, Guido Carnevale & Ugolinus Filipus, & Andreolus Trabani, Petrus Reculfus, & Bartolus Pignamonte, & Zulianus Sanguineus, & Albertinus Ugolini Rigoli pro nobis nostrisque heredibus & successoribus promittimus tibi donno Petro abbati sanctorum Ipoliti & Laurentii, & jam dicto monasterio deservientibus omnia supradicta in omnibus & per omnia, ubi superius dictum est, firma tenere, nec contrafacere vel venire, que etiam omnia supradicta a nobis sacramento corporaliter prestito juramus & firmamus. Decimo quarto vero die dicti mensis in presentia Rodulfi, Runzoli, & Aldovrandoli. Nos Guido Girardinus & Ugolinus Zentoli, & Albertus de Stufa, Guido de Fratis, & Bretaviolus, Guido Grilla, & Albertus Zagazari, & Guido de Vendiana, & Deusteadjuvet, pro nobis nostrisque heredibus & successoribus promittimus tibi donno Petro abbati sanctorum Ipoliti & Laurentii accipienti pro te, & tuis successoribus jam dicto monasterio deservientibus omnia supradicta in omnibus, & per omnia, ut superius dictum est, firma tenere, & non contrafacere vel venire. Que etiam omnia supradicta a nobis sacramento corporaliter prestito juramus, & firmamus. His omnibus supradictis interfui ego Albertinus Faventinus notarius, ut audivi & intel-

intellexi, ita causa memorie retinende precepto supradicti abbatis scripsi & complevi.

CLXXI.

Libellus emphiteuticus Gerardi abbatis S. Michaelis de castro Brittorum.

Anno 1208. die VIII. exeunte julio.

Ex autographo parthenonis S. Christinæ de Bononia M. 18.

Ibid. n. 34. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo CC. VIII. die octavo exeunte julio indictione XI. Petitionis emphyteoticis annuendo. Ego quidem donnus Gerardus Dei gratia abbas monasterii sancti Michaelis de castro Brittonum hoc emphyteosin instrumento presenti die renovationis causa do & concedo tibi Guidoni de Lambertino tuisque heredibus idest nominatim omne, quod Figerardi antiquitus & noviter a dicto monasterio in emphyteosim, & quod de eorum proprio ad me pervenit *&c.* habuerunt *&c.* in castro Brittonum & ejus curia & guardia & pertinentiis *&c.* Insuper do & cedo tibi *&c.* omne quod comites de Bagnacavallo & Guido Fillarardi antiquitus & noviter habuerunt *&c.* a dicto monasterio *&c.* Item concedo tibi locum, qui dicitur Paganorum, destructum cum suis pertinentiis & certis finibus ab Aquilone juxta stratam majorem sunt pertice C..... *&c.* Item aliam petiam ibi prope juxta stratam ... *&c.* ab aquilone possident heredes Ugonis marchionis *&c.*

Actum in claustro sancti Damiani indictione predicta.

† Ego Jacobus felicis memorie domini Henrici imperatoris tabellio his omnibus interfui *&c.* ss.

CLXXII.

Innocentii III. literæ, ne divexetur monasterium S. Petri de Puteolis urbis Lucensis.

Anno 1208. V. kal. decembris.

Ex tabulario capituli Lucensis AA. n. 44.

Ibidem. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilecto filio Gualtero canonico Lucano salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. abbas & conventus monasterii sancti Petri de Potheolis ordinis Camaldulensis nobis conquerendo monstrarunt, quod Guido canonicus Lucanus, nobiles viri Rainerius & Paganellus fratres domini de Vivinaria, Inghieramus de Vivinaria miles, Bonaventura & Contessa filii quondam Anrigi de villa Basilica ..... Arnolfis de Piscia & quidam alii Lucane civitatis & diocesis super quadam ..... summa, possessionibus & rebus aliis injuriantur iisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari; proviso, ne in terras ipsorum nobilium excommunicationis vel interdicti sententiam proferas, nisi super hoc a nobis mandatum receperis speciale. Testes *&c.* Datum Laterani V. kal. decembris pontificatus nostri anno undecimo.

CLXXIII.

Ejusdem aliæ, ut serventur jura & exemptiones eremi Avellanensis.

Anno 1202. XV. kal. januarii.

Ex apographo olim apud Grandium.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis rectoribus, potestatibus & consulibus in Patrimonio beati Petri in Thuscia, ducatu Spoleti, & Marchia constitutis tam presentibus, quam futuris salutem & apostolicam benedictionem. Cum velimus jura heremi Fontisavellane ad instar felicis recordationis Gregorii pape predecessoris nostri illibata servari, presentium vobis auctoritate precipiendo mandamus, quatenus privilegia, libertates & immunitates ab apostolica sede ac imperatoribus heremo ipsi concessas, & vos illibata servetis, & faciatis ab aliis, quantum in vobis fuerit, conservari, ita quod divinam & apostolice sedis gratiam exinde mereri possitis. Datum Laterani XV. kal. januarii pontificatus nostri anno undecimo. Ibid. n. 31.

Loco † plumbi.

CLXXIV.

CLXXIV.

Inventarium bonorum eccleſiarum Buitæ & Pratæ.

Circa annum 1208.

Ex archivo archiepiſc. Ravennæ Capſ. F. n. 2097.

Ibid. n. 32. REverendis in Chriſto patribus & dominis Hu.. Faventino epiſcopo, & Al.. Livienſi epiſcopo, & R.. abbati ſancti Johannis evangeliſte de Ravenna. Errus de Medicina eis in omnibus fidelis & ſubditus ſalutem & debite ſubjectionis obſequium.

Viſis namque veſtre dominationis literis animo ſuſcepi diligenti, & que mihi per eas precepiſtis, quamcicius potui, in omnibus ſtudui adimplere, & ad locum Buite & Prate ſtatim perrexi, & bona de predictis domibus bona fide diligenter inveni, & ſub firma cuſtodia ea poſui, & ea bona fide ſcribere feci, qualiter inferius declarabuntur. In primis apud eccleſiam Buite inveni unum antiphonarium de nocte, I. meſalem, I. ynnalem, I. humiliarium, I. ſalterium, & I. ordenum, & II. camiſes, & II. planetas, & IV. ſtolas, & II. amictos, & III. corporales, & unum calicem de ſtanno, & unum turibulum de couro, & IV. vaſa de vino & de iſtis tria ſunt plena vino & quartum vacuum, & III. tinacios de vino & I. vezolitum de V. corbis vacuum, & II. archas de pane, & I. caſtelatam, & VI. ſcrineos, & I. archamatram, & I. maſtellum, & IV. parvolos, & unum lebetem, & II. alios lebetes parvulos, & I. catenam, & I. linteamen, & I. copertorium de Agnellis, & I. zenzalarium, & XXI. brachia de panno lane, & I. aſcam, & II. trivelinos, & I. ſecurem, & I. dalatoriam, & II. gavardos de igne, & IV. colcitras, & IV. plumacios, & I. toalla, & II. menſuras, & VIII. paraſides, & I. catinum & II. zapas, & I. ſcitulam & I. piſtrinum cum ferro & maſinis, & X. arnas, & II. alias arnas, quas habet Guidotus in ſocida, & XXI. pecoras & V. arietes & II. porcos & II. troias & VII. porcelletos, & I. verrem, & V. banchas, & unum diſcum, & II. aſides, & I. cultrum, & I. gumeram, & I. trezam, & I. pertegarium, & II. ſetacios & I. cazam de ramo, & V. libras filati lini, & tertiam partem alterius libre, & II. libras lini menati, & IV. libras lini fini ſine caviclis & I. ſongiam parum minus & XII. corbas tritici, & I. corbam de faba, & IX. brachia panni lini & I. pellem copertam, & I. martellum & I. manaretam, & I. ronchonem, & I. batillum de ferro & III. vaſuras, & I. falce de feno, & XII. libras lane.

Ibid. n. 31. Apud vero obedientiam Prate inveni unum ſcrineum, & I. tinellam & I. parolum, & I. caſtelatam & I. vezolum, & medietatem alius vezoli, & IV. paraſides, & I. gumaram & I. colcitram, & I. capitalem, & I. zapam, & XXIII. covillos de arne & unum orceum de oleo & I. lebetem.

De eccleſia ſancti Blaſii veſtram dominationem flexis genibus humili prece depoſco, quatinus nequaquam miramini, ſi bona ejuſdem eccleſie ſcripta vobis non tranſmiſi, quia mea & de meis conſanguineis eccleſia eſt, & non de monaſterio ſancti Adelberti, ſicut ſunt eccleſie predicte, & ideo quia mee rationi aliquo modo non obeſſet, vobis ad preſens nequaquam direxi.

CLXXV.

Rainerius qu. Bernardi terras donat pro ædificatione monaſt. Camaldulenſis extra Peruſium.

Anno 1209. XV. kal. februarii.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Donatio n. 369.

IN Dei omnipotentis nomine. Anno Chriſti incarnationis milleſimo ducenteſimo nono, imperio imperatore vacante, Innocentio papa reſidente XV. kalendas februarii indictione XII. Manifeſtus ſum ego Raynerius quondam filius Bertrami Bernardi de Peruſio, qualiter per hanc cartam donationis ſimplicis & inter vivos, pleno jure proprietatis & dominii & poſſeſſionis ſponte & libera voluntate pro remedio anime mee, domine Erminie uxoris mee, noſtrorumque parentum, atque in remiſſionem peccatorum noſtrorum dono, trado, cedo & concedo tibi domno Guidoni priori Camaldulenſi recipienti nomine eccleſie ſancti Salvatoris heremi Camaldolenſis tantum de mea vinea, que eſt poſita non longe a civitate Peruſina in vocabulo Palliola juxta terrenum Bernardi mei fratris, & filiorum Cardinalis & Carlevaris & juxta viam pu- Ibid. n. 48.

publicam, quantum tibi placuerit recipere, & receperis seu recipies ex ipsa vinea a quacumque parte volueris pro monasterio, claustris & officinis ipsius construendis, & pro orto monasterii. Item dono, cedo & concedo tibi Leonardum Clare, & Berardum ejus filium cum eorum tenimentis, & resediis, & servitiis ...... & directo ...... que sunt posita prope Perusium in villa de Campo & ejus pertinentiis ubicumque de ipsis tenimentis invenitur. Item dono, cedo & concedo tibi unum donicatum meum similiter prope Perusium in loco, qui dicitur Campo, juxta terrenum dicti Bernardi & Alfani, viam publicam a duobus lateribus; & te exinde per manum domini Boni ejusdem rei testis ad proprium & jure donationis investio cum omnibus finibus, pertinentiis & accessionibus suis, & cum his, que supra & infra se continentur, & cum omni jure suo nulla inde mihi, nec meis heredibus deinceps potestate reservata, ad habendum, tenendum & possidendum & quidquid tibi & tuis successoribus deinceps placuerit vestro nomine faciendum sine mea meorumque filiorum & heredum molestia vel litis causatione. Et pro omnibus predictis rebus confiteor me a te recepisse meritum secundum legem & centuplum in vitam eternam & investituram ipsius beneficii & orationum tuarum & fratrum Camaldulensium: renunciando in hoc facto omni exceptioni & meriti non accepti, & omni juri patronatus mihi competenti vel competituro, omnique legum auxilio pro me facienti. Quod si in aliquo exinde contra te vel tuos successores ego vel mei heredes presumpserimus agere, causari, per placitum aut extra fatigare, & si dictas res omni tempore ab omni persona & nominatim a dicta uxore mea tibi & tuis successoribus legitime non poterimus defensare, quod quidem nostris expensis facere firmiter tibi promitto. Quod si non defensaverimus & omnia suprascripta non servaverimus, aut si aliqua occasione predicta revocare temptaverimus, aut si apparuerit datum factumve predictis nociturum per nos vel per aliquam personam, promitto pro me & meis heredibus tunc persolvere tibi & tuis successoribus suprascriptas res in duplum nomine pene, prout tunc valuerint, sub extimatione pretii, omnibus suprascriptis manentibus firmis post solutionem, & ipsas res omnes me pro te possidere guarento.

Actum in comitatu Perusino non longe ab hospitale Planiscarpini in plano Quatrubiani juxta stratam feliciter, & hanc cartam fieri rogavi.

Domnus Rainerius prior sancti Michaelis, domnus Mattheus prior de Fieri, prior sancti Savini, domnus Bonus, Laurentius Pieri .... Bernardinus Ferradii, Gerardus de Tacomandis .... Areng.. domnus Ugo Coll.. & alii huic rogationi interfuerunt.

Ego Ubertus notarius suprascriptis interfui, & omnia ut supra leguntur, rogatus scripsi, complevi, meoque signo firmavi.

CLXXVI.

Amaldi comitis Corsicani donationes monasterio Montis-christi.

Anno 1209. XI. kal. martii.

Ex veteri exemplo monasterii S. Michaelis in Burgo Pisarum, codice A. pag. 10.

IN nomine Domini, amen. Hoc est exemplum quadam cartula, qualis tenor talis est. Anno Domini ab incarnatione M. CC. IX. undecimo kalendas martii. Ex hac publica scriptura manifesto sit omnibus audientibus & legentibus. Arnaldus comes de confinibus Corsice coram me notario infrascripto, & coram infrascriptis testibus sana mente & corpore inrevocabiliter inter vivos dedit, atque tradidit, & donavit omnipotenti Deo & abbatie Montis-Christi pro remedio & salute anime sue & parentum suorum in manu domni Pacifici abbatis monasterii sancti Mamiliani insule Montis-Christi omnes possessiones suas, quas habet & tenet in suo allodio in Ampogniani, in Orezza insule Corsice, scilicet in loco dicto a le poggie di Giugno cum domos & casamenta, ortis, vineis, olivis, terras cultas & non cultas, & castagnetis. Item lu pio sopra la via publica cum omnibus suis pertinentiis confina in fiume Alto, ab alio latere lo Monachia, & ab alio latere lo Ceragio. Item dedit sibi Moriciano cum omnibus suis pertinentiis. Item dedit sibi Campile cum omnibus suis pertinentiis. Item dedit sibi la Porta d' Ampugnano cum omnibus suis pertinentiis. Item dedit sibi lo Collo de lo Poggio da la Corte & Carpineto cum eorum suis pertinentiis. Istas possessiones damus vobis cum domo & casamentis & vineis, ortis, nocetis, olivetis, castagnetis, buschis, silvis, & ista offertionem sponpon-

dit

Ibidem.

dit predictus dominus Amaldus in manu domini abbatis, cum est & confirmavit dicto abbati monasterii sancti Mamiliani, & ista fecit de sua spontanea voluntate in manus mee Marcus Rogerii imperiali auctoritate notarius inscribere rogavit.

Actum apud ecclesiam sancti Pelegrini prope finibus, Angelo de Ampugniano, & Martino & Sanello de Dossoalto, Vincenso Giovannicali de Giugnio & alii plures homines.

Ego Marcus Rogerii imperiali auctoritate notarius rogavi, scripsi, publicavi & affirmavi.

CLXXVII.

Concordia inter monaster. Lucense & consules Luci.

Anno 1209. v. idus martii *more Florentino.*

Ex tabulario ejusdem parthenonis. Sacc. K. n. 100.

Ibid. n. 38. IN Dei nomine amen, regnante serenissimo Ottone Romanorum imperatore & semper augusto. Lis, differentia & controversia vertebatur inter dominam Francam Uberti de Florentia abbatissam monasterii de Luco ex una parte, & Ughuccium & Tomeum consules de Luco pro ipso communi de Luco ex altera. Que abbatissa petebat ab eis, ut cessarent ab injuria & molestia, quas dicebat ipsos & communem de Luco inferre sibi de personis Petri, Pansole, Tornarii, Martonis, Allegreti, Martini, Brunone & Lucie, quos & quas consules predicti gravabant de datio pro supradicto communi ultra quam deberent. Que differentia, lis & causa cum esset satis agitata, fuit data cum ipsa ad laudandam & finiendam arbitrio Belli ejusdem ecclesie & monasterii conversi, & Giannini Martini & Orlandi, qui visis & auditis allegationibus utriusque partis laudaverunt & finierunt sic.

Nos Bellus, Gianninus & Orlandus laudamus & arbitramus, quod semper in infinitum consules de Luco imponant hominibus predictum datium & accatum sicut aliis hominibus ejusdem terre sine malitia. Impositione autem facta dicti consules Luci accipiant nunptium abbatisse ad faciendam collectam tempore opportuno. Facta autem collecta dentur domine abbatisse duas partes, tertiamque det consulibus de Luco. Datium viginti sex denariis semper habeat abbatissa & faciat colligi. Laudamus etiam & firmiter dicimus, quod homines predicti, scilicet Petrus, Tornarius, Allegrettus & Martinus vassalli monasterii & eorum heredes jurent communi de Luco & sint in eorum societate, hec omnia laudamus semper firmiter observanda sub pena decem librarum denariorum Pisanorum, & obligatio illius persone, qua magis possent distringi, quam penam pars infidelis prestet & det parti fidem servanti. Penaque dicta & soluta, omnia predicta in suo robore consistant. Factum est hoc laudum in parlatorio abbatisse de Luco anno millesimo ducentesimo nono, quinto idus martii indictione tertiadecima, presentibus Johanne Calzolario & Spinello de Puliciano, Martino & Dietaiuti magistro de Luco.

Ego Cambius serenissimi Octonis imperatoris judex & notarius predictis omnibus interfui, & hoc laudum in publicam scripturam redegi, ideoque subscripsi.

CLXXVIII.

Donationes factæ eremo SS. Jacobi & Verani de Calci.

Anno 1210. VI. idus maji *more Pisano* & XII. kal. martii *more Romano.*

Ex chartario S. Michaelis in Burgo Pisarum.

ANno Domini M. cc. x. sexto kal. maji indictione XII. Gerardus quondam Lambertucci, & Bonaccurso & Bartholomeus & Bonajuncta atque Vernaccius quondam Spinelli pro remedio anime nostre & omnium nostrorum defunctorum damus & offerimus ad eremitorium de Coste-aque, & donno Bernardo eremite supradicti loci unum petium terre positum in confinibus Calci, in loco dicto Coste-feminicola, tenet unum caput in via publica, quam nobis reservamus, latus in terra Gerardini quondam Malerbe, aliud in terra supradicti eremitorii, & est terra agresta prope ecclesiam sancti Andree de Lama. Actum Calci in domo supradictorum filiorum quondam Spinelli, que est prope ecclesiam sancti Andree, presentibus Bonajuncta quondam Ranuccini, Bandino quondam Lambertucci. Rogavit Benevenius filius Manni de Calci imperialis aule judex & notarius. Ibid. n. 48.

Anno Domini M. cc. x. duodecimo kal.

kal. martii indictione XIII. Bonajuncta quondam Ranuccini, & Maria uxor ejus filia Orlandi communi consensu obtulerunt & tradiderunt, & irrevocabiliter inter vivos pro salute animarum eorum & corporum se & eorum bona omnia omnipotenti Deo & ecclesie sanctorum Jacobi & Verani de Calci de loco Coste de acqua, ubi est heremus fratris Bernardi & sociorum ejus, & presbytero Dominico recipientibus pro ipsa ecclesia & loco cum omni jure &c. Rogavit Ascianensis domini imperatoris Frederici judex ordinarius & notarius, qui predictis interfuit, scripsit & complevit, testibus presbytero Stephano priore sancti Silvestri de Pisis, & presbytero Ugone capellano ipsius ecclesie sancti Silvestri, & Gerardo de Moneta jurisperito, in cujus porticu prope ecclesiam sancte Margarite Pisarum hec acta sunt.

CLXXIX.

Ottonis IV. imp. privilegium pro eremo Avellanensi.


Anno 1209. IV. kal. novembris.

Ex apographo Romualdi Blanci.

Ibid. n. 56. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto IV. divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Ad temporalis regni gloriam & eterne retributionis meritum apud regem regum nobis proficere credimus, si piis & religiosis locis sollicite provideamus, & Deo in his famulantes ab infestatione malorum hominum securos & quietos nostre defensionis munimine reddamus. Hiis autem precipue imperialis benignitatis clementiam libentius debemus impartiri, quibus sue religionis & honeste conversationis intuitu predecessores nostros Fridericum & Henricum imperatores augustos propensiorem imperialis eminentie gratiam & defensionis sue protectionem contulisse cognoscimus. Quia ergo fratres de heremo Fontis-avellane sacris operibus jugiter insudare & bona fama in domo Dei flagrare intelleximus, dignum duximus ampliori nostre serenitatis clementia locum & possessiones eorum intueri, & propensioris gratie beneficio personas & res ipsorum commendatas habere, & spetialius semper manutenere. Notum igitur facimus omnibus Christi & imperii nostri fidelibus tam presentibus quam futuris, quod nos prefatam ecclesiam scilicet heremum Fontis-avellane cum universis ejus pertinentiis in nostre tuitionis spetiale patrocinium tanta benevolentia suscepimus, ut omnia eidem ecclesie & fratribus inibi Deo servientibus tam in capite, quam in membris spectantia ea pace, que rebus fisci nostri debetur, semper perfrui velimus. Ea propter omnibus imperii nostri fidelibus, marchionibus, comitibus, civitatum consulibus, capitaneis, valvasoribus, & universis publicam administrationem gerentibus, & ceteris quibuslibet hominibus sub debito fidelitatis, qua imperio astricti sunt, firmiter precipiendo mandamus, quatenus nihil unquam de omnibus possessionibus, que prefatis attinent fratribus, violenter aut contra voluntatem ipsorum contingant, aut tollant, ac eos tam in hominibus, quam in animalibus, tam in edibus quam in agris, in omnibus omnino rebus & locis ad jus eorum pertinentibus nulla prorsus tributorum vel angariarum aliorumve servitiorum exactione molestent, quoniam nos eosdem fratres ac possessiones eorum ab hiis exactionibus liberos de cetero & immunes fore statuimus. Ad augmentum quoque imperialis gratie de fodro imperiali hanc eisdem fratribus indulgemus & concedimus commoditatem, quatenus id de eorum manualibus & quibuslibet eorum ecclesiis & terris & hominibus ubicumque positas & eis spetialiter attinentes habent possessiones, nec marchio, nec comes, nec capitaneus, nec ullus consulatus, aut potestas, nec aliqua penitus exigat persona, sed tempus, quo illud dandum est, fratres predicti id per omnes homines suos fideliter colligant, & de ipso ob salutem anime nostre ad utilitatem ecclesie sue disponant, & ipsi fratres & eorum homines a nostris nuntiis vel a quibuscumque aliis nulla datione graventur. Insuper jubemus, ut liceat eisdem fratribus, homines ipsorum super sua, idest ecclesie illius bona de loco ad locum pro libito suo transferre, & ad utilitatem suam transmittere nullo vetante vel impediente. Preterea statuimus, ut nullus judicum tam de civitatibus, quam de forinsecis locis habeat potestatem judicandi vel ad judicium vocandi homines predicte ecclesie, nisi causa prius fuerit ad priorem & fratres perlata, & ab eis emendatio vel secundum justitiam, aut secundum amicabilem compositionem reverenter & benigne requisita. Precipimus etiam firmissime omnibus judicibus tam in civitatibus, quam extra per castella & villas con-

constitutis, si quando contigerit predictos fratres proclamationem super illatis injuriis facere, ut statim judices celeri eis justitia subveniant, & presens promptumque juris auxilium contra adversantium violentias eis efficaciter impendant. Insuper statuimus, ut ipsi fratres in causis civilibus sacramentum calumpnie prestare non cogantur, & quod eis nulla prescriptio temporis objiciatur, nisi centum annorum, que tam preterita tempora, quam futura complectatur, & nulla civitas vel castrum suo statuto vel consuetudine possit contra ista in aliquo venire, & hec omnia ex certa nostra scientia concedimus & proprio motu statuimus. Precipimus etiam ejusdem ecclesie patronis firmiter injungentes, quatenus predictam ecclesiam vel in hominibus, vel in ullis rebus ipsius aliqua molestia vexare non presumant, eisdemque patronis & nostris simul nuntiis & ceteris imperii fidelibus diligenter injungimus, ut eamdem sancte Crucis ecclesiam de heremo Fontis-avellane per omnes personas ac pertinentias ejus, & ab omni incursu violentie semper defensare studeant. Confirmamus etiam eidem ecclesie omnes ejus possessiones, quas hactenus tenuit & possedit, & quas deinceps juste & rationabiliter acquiret, ac ipsi pacem in eis & quietem nostre auctoritatis edicto stabilimus. Preterea concedimus & confirmamus ipsi ecclesie omnes homines & possessiones, quas nunc habet vel imposterum juste est habitura, & quicquid juris habemus in eis, ipsi confirmamus, & nominatim hospitale apud Esinum cum universis suis pertinentiis. Precipimus quoque, ut nulla omnino persona super homines, monasteria, cappellas, & possessiones ac res ipsorum usarias vel commendatitias, vel alia indebita servitia presumat imponere, vel injuste imposita exercere. Insuper priori & fratribus ejusdem monasterii de nostra benignitate concedimus, quatenus possessiones monasterii cum ad ipsum juste & legitime devolvuntur, auctoritate sua earum intrent possessionem, & attestationes, quas produxerunt in causis suis, postquam fuerint autenticate, super eisdem causis postmodum sine iteratione juramenti licite producant. Si quis vero pretaxatis clementie nostre statutis ausu temerario contra ire presumpserit, pena quinquaginta librarum auri puri sit condemnatus, quarum medietas fisco nostro, residua prefate ecclesie exhibeatur. Ut autem hec nostra confirmatio rata in perpetuum habeatur, presentis privilegii paginam fecimus inde conscribi, & nostre majestatis sigillo corroborari. Volumus autem predictos fratres hujus privilegii donationibus uti in bonis illis, que ipsi jure proprii ad manus suas habent, non autem in hiis, que ex oblationibus fidelium pro certo canone receperunt &c. Hujus rei testes sunt Wolfrigus patriarcha Aquilegiensis, Albertus Maideburgensis episcopus, Otto Wirzeburgensis episcopus, Manegoldus Patavensis episcopus, Ludevvigus dux Bavarie, Bernardus dux Karinthie, Azzo marchio Estensis, comes Haritmanus de Wirtemberc, comes Albertus de Dilingene, Ezzelinus de Tarvisio, Henricus marescalchus imperii, Henricus camerarius imperii, Passavvera & Monachus de Villa judices curie nostre, & alii quamplures.

Signum domini Ottonis Quarti imperatoris invictissimi.



Ego Corradus Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Theodorici Coloniensis archiepiscopi, & totius Italie archicancellarius recognovi.

Acta sunt hec anno Domini M. CC. IX. regnante domino Ottone glorioso Romanorum imperatore, anno imperii ejus primo.

Datum in castro sancti Miniatis IV. kal. novembris indictione XIII.

CLXXX.

Alterum ejusdem pro Camaldulensibus.

Anno 1209. VIII. idus novembris.

Ex codice membranaceo S. Michaelis Pisarum.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otto quartus divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Cum omnibus ecclesiasticis personis & viris religiosis imperialem favorem clementer impendere teneamur, eorum precipue utilitatibus intendere omnino debemus, quorum nos orationibus commendamus humiliter & devote, & quos fervens religio & honesta conversatio *Ibid. n. 18.*

fatio serenitati nostre speciali devotione commendatos reddunt plurimum & acceptos. Attendentes igitur religionem & devotionem Camaldulensis ordinis omnium tam futurorum, quam presentium Christi imperiique nostri fidelium scire volumus industriam, qualiter nos pro remedio anime nostre & omnium parentum nostrorum, & quia nos eorum orationibus devote & humiliter commendamus, sanctam Camaldulensem eremum cum toto suo conventu & cum universis suis locis & possessionibus & rebus atque pertinentiis, quas nunc habent, vel imposterum concedente Domino juste poterunt adipisci, in specialem nostre majestatis protectionem recepimus, dignum & congruum decernentes predicti conventus monasteriorum, & quorumdam locorum eremi prefate nomina singulariter inferius annotare. In episcopatu Aretino monasterium Fontisboni cum hospitali & omnibus bonis suis; in ipsa civitate monasterium sancti Petri in Picculo, ecclesiam sancti Michaelis cum pertinentiis suis, ecclesiam sancti Laurentini prope civitatem Aretii, & omnia que ab episcopis Aretine civitatis eremo predicte concessa esse noscuntur, & ipsorum scripti assertione firmata, ecclesiam sancti Martini, que est juxta Letarcle, monasterium Silve-munde, monasterium de Pratalia, monasterium sancte Marie de Agnano, monasterium sancti Petri de Rota, monasterium sancti Salvatoris Berardingarum cum omnibus eorum pertinentiis, monasterium sancti Savini in Chio, monasterium sancti Andree de Castellione, monasterium sancti Quirici de Rosis, ecclesiam sancti Nicolai de Curte-luponis, heremum de Fleri cum monasterio suo, monasterium sancti Viriani cum omnibus pertinentiis eorum, monasterium sancti Bartholomei in Anglari cum toto castro Anglari & cum ecclesiis & villis, castellis & omnibus pertinentiis suis, plebem sancte Marie de Micciano cum ecclesiis & pertinentiis suis, ecclesiam sancti Johannis, que est in Anglari, ecclesiam de Monte-aureo, que modo sita est in Castellione, & castrum de Castellione, quod olim fuit in Monte-aureo, cum omnibus suis pertinentiis, & ipsum Montem-aureum, ecclesiam de Viario, castrum de Trecciano cum ecclesia & suis pertinentiis, & jus quod habet in castro de Capresa, & in toto ejusdem castri districtu, & omnia, que jam fuerunt Bernardini olim filii Sidonie, & omnia, que Quintavallis & Astuldus dederunt sive concesserunt per instrumenta vel alio modo prefate eremo, ecclesiam sancte Marie, que est sita in Montione, ecclesiam de Mojona, & totum castrum cum suis omnibus pertinentiis, ecclesiam de castello Laurentiano, & loca sive jura, que supradicta eremus habet in castro predicto, ecclesiam sancti Vitalis prope ipsum castrum cum omnibus pertinentiis suis, ecclesiam de Agna cum curia & hominibus, quos habet in predicto loco, & cum omnibus pertinentiis tam ecclesie, quam ejusdem curie, ecclesiam de Soci cum toto castro, & ejusdem castri curia & cum omnibus suis pertinentiis, ecclesiam de Condolese cum omnibus suis pertinentiis, & homines, quos habet predicta eremus in villa de Lonnano, & in villam de Tegiano, & in toto Casentino atque Mucello, & partem sive jus, quod habet predicta eremus in Partina, & in toto ejusdem districtu, & homines, quos habet in castro Serravalle, & quidquid juris habet in castro & ejus curia, & venditionem factam ab Henrico preposito Aretine canonice sancti Donati, & ejus canonicis, sicut in privilegio domini pape Innocentii III. & domini Henrici VI. continetur, & omnes curtes, quas habet predicta eremus in episcopatu Aretino, & Castellano, vel Fesulano atque Florentino, & quibuscumque aliis locis. In episcopatu Castellano monasterium sancte Marie de Diciano, monasterium sancti Sepulcri cum omnibus ad ipsum pertinentibus, ecclesiam de Planetulo cum castello & omnibus suis pertinentiis, plebem sancte Marie de Suara, ecclesiam de Vallialla cum parte & toto jure, quod habet in ipso castro & ejus curia. In episcopatu Fesulano monasterium sancte Marie de Poplena, & ecclesiam sancti Michaelis juxta ipsum cum omnibus eorum pertinentiis, monasterium sancti Johannis de Prato-veteri, ecclesiam sancti Bartholomei de Astra-petronii, ecclesiam sancti Egidii de Gaviferre, ecclesiam sancti Nicolai de Montemezzano, ecclesiam sancti Miniatis de Lonnano cum curte & ejus pertinentiis, monasterium Montis-muri, ecclesiam sive canonicam sancte Margarite de Tosina, & juspatronatus ejusdem ecclesie, quod fuit concessum eremo predicte a Raynerio quondam Guidalotti, & in plebe de Pomino, & plebe de Glaceto, & in aliis ecclesiis, sicut in publicis instrumentis continetur, & quidquid predictus Raynerius eremo prefate concessit. In episcopatu Florentino monasterium sancti Salvatoris de Camaldulo juxta civitatem


Flo-

Florentinam, monasterium sancti Petri de Luco, eremum Buldronis cum omnibus eorum pertinentiis. In episcopatu Lucano monasterium sancte Jucunde cum omnibus suis pertinentiis, monasterium sancti Petri in Puteolis cum capella burgi Porcarie, monasterium sancti Salvatoris de Cantiniano cum illo statuto, & omni libertate, quam dominus Henricus VI. imperator dicto monasterio concessit, & in ejus privilegio continetur, hospitale juxta burgum sancti Genesii cum omnibus suis pertinentiis. In episcopatu Volaterrano monasterium sancti Justi prope civitatem Volaterranam, monasterium sancti Petri de Cerreto, monasterium sancte Marie in Pulliciano, monasterium sancti Petri in Fontiano. In episcopatu Pisano monasterium sancti Stephani in Cintoria, monasterium sancte Marie de Morrona, monasterium sancti Savini in Montione cum omnibus eorum pertinentiis & possessionibus; in ipsa civitate Pisana monasterium sancti Michaelis, monasterium sancti Frigdiani, monasterium sancti Zenonis, hospitale sancti Frigdiani cum omnibus eorum pertinentiis. In episcopatu Clusino monasterium sancti Petri in Vivo Montis-amiati. In Marchia in Esinensi episcopatu monasterium Eremite, ecclesiam sancti Georgii. In episcopatu Auximano monasterium sancte Marie in Serra. In episcopatu Anconitano ecclesiam sancte Lucie. In episcopatu Camerinensi monasterium sancte Helene Esini cum omnibus suis pertinentiis; & similiter in Marchia eremum Aque-perellis & ecclesiam de Quadrigaria cum eorum pertinentiis. In episcopatu Pensauriense monasterium sancti Decentii, & eremum Sajoli. In episcopatu Ariminensi eremum de Montali. In episcopatu Cesenate hospitale de Rovereto. In episcopatu Ravennate monasterium sancti Apollinaris in Classe cum omnibus suis pertinentiis. In episcopatu Monte-feretrano monasterium sancte Trinitatis Montis-herculis. In episcopatu Foro-populiensi hospitale Aymerici, in Cava-de-colle monasterium sancti Paterniani de Ferraciano, monasterium sancte Marie de Urano juxta Bretonorium. In Galiata monasterium sancte Marie de Insula, eremum de Fajolo, monasterium sancte Marie in Trivio. In episcopatu Foro-liviensi ecclesiam sancte Marie juxta ipsam civitatem. In episcopatu Faventino monasterium sancti Hippolyti juxta civitatem. In episcopatu Imolensi monasterium sancti Eustachii. In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli juxta castellum Britti, monasterium sancte Christine; in ipsa civitate monasterium sancti Damiani, eremum Camalduli juxta ipsam civitatem, hospitale sancte Marie de Ravone. In episcopatu Tarvisino monasterium sancte Christine. In episcopatu Veronensi monasterium sancte Marie de Camaldulo. In episcopatu Vicentino monasterium sancti Viti. In episcopatu Senensi monasterium sancti Georgii de Api, monasterium sancti Vigilii infra civitatem Senensem. In insula Sardinie monasterium sancte Trinitatis de Sacraria, ecclesiam sancte Eugenie de Samanar, ecclesiam sancti Michaelis, & sancti Laurentii in Vanari, ecclesiam sancte Marie, & sancti Johannis in Altasar, ecclesiam sancte Marie in Contra, ecclesiam sancti Johannis & sancti Simeonis in Salvenero, ecclesiam sancti Nicolai de Trulla, ecclesiam sancti Petri in Scano, ecclesiam sancti Pauli in Cotrognano, ecclesiam sancti Petri in Olim, & monasterium in Orrea. In episcopatu Spoletino monasterium sancti Silvestri de Monte-Subasio cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Perusino possessionem, quam dedit Raynerius quondam Bertrami civis Perusinus eremo prefate; necnon igitur omnia cum omnibus ad ipsa monasteria, loca vel ecclesias pertinentibus, & ea que in antea juste Camaldulensis eremus poterit adipisci, sibi auctoritate imperiali perpetuis temporibus confirmamus. Confirmantes etiam singulis monasteriis, ecclesiis & locis Camaldulensis conventus quidquid juste ac rationabiliter possident, vel in antea dante Domino sibi poterunt obtinere. Eximimus quoque predictam eremum, & ejus monasteria & loca sui conventus ab omni gravamine injusto, precipientes districte civitatum, castrorum, villarum, burgorum & aliorum locorum ducibus, marchionibus, comitibus, potestatibus, consulibus, rectoribus, officialibus, & aliis ecclesiasticis secularibusque personis, quod predictam eremum & ejus conventum ad dationem aliquam, vel collectam seu libram, vel ad aliquam aliam exactionem illicitam quocumque nomine nominetur ad fossata facienda, ad muros edificandos, vel ad alia illicita munera aliquatenus cogere non presumant; sed predicta eremus & omnia loca sui conventus a predictis gravaminibus imperiali auctoritate liberata in Dei servitio liberius valeant immorari. Inhibemus etiam patronis predictorum monasteriorum, ecclesiarum & locorum, quod sub pretextu jurispatronatus & perversarum consuetudinum, quas sibi contra sa-

cros canones & ſacras leges uſurpare conſueverunt dicta monaſteria , eccleſias & loca ſingula moleſtare , vel eis violentiam in perſonis vel in rebus mobilibus ſeu immobilibus , vel alio jure nequaquam auferre preſumant. Prohibemus etiam , quod fratres & nuncii predictorum locorum euntes & redeuntes pro perſonis & animalibus , & omnibus rebus eorum ab aliquo , vel ab aliquibus pedagia vel paſſagia ſolvere non cogantur; ſed ſtando , eundo & redeundo auctoritate Dei & noſtra perpetua & firma ſecuritate fruantur. Pro remedio autem anime noſtre , & parentum noſtrorum ad imitationem conceſſionis noſtri .... Henrici Romanorum imperatoris divi auguſti, ſicut in ipſius privilegiis continetur, donamus eccleſie predicte ſancti Salvatoris Camaldulenſis eremi fodrum de curte Soci, & de Mojona , & de hominibus in eiſdem locis manentibus , ſive curiis eorumdem locorum cum angariis, perangariis, albergariis, quas nuncii noſtri ibidem accipere conſueverunt . Volentes , ut predicti homines , quia ipſi eremo vicini dicuntur, in lignis aliiſque commodis familiaribus eo expeditius valeant ei providere . De aliis vero locis ipſius eremi & monaſteriorum ſui ordinis & hominibus juxta conceſſionem ipſius domini Henrici imperatoris inde factam, ſicut in alio ipſius privilegio continetur, fratres Camaldulenſis ordinis fodrum noſtrum imperiale competenter colligant, & cui tunc dandum fuerit , perſolvant , niſi forte nobis placuerit illud eiſdem Dei ſervis donare . Concedimus preterea & ſtatuimus , ut nulla eccleſiaſtica ſeu ſecularis perſona aliquam poſſeſſionem Camaldulenſi eremo ſeu alicui domui ſui conventus competentem vel aliquo jure pertinentem ſine Camaldulenſis prioris licentia & uniuſcujuſque domus , conventus , prelati & fratrum conſenſu vendere vel alienare, donare vel permutare preſumant , nec aliquis eam accipere audeat ; & quod alia ſtatuta vel conſuetudines civitatum vel ullius communitatis aut perſone predicte eremo , & ſui conventus monaſteriis, & domibus & perſonis aliquatenus contra debitum non obſiſtant . Concedimus etiam eremo nominate eccleſie, ſuique conventus monaſteriis & domibus , quod nulla alia preſcriptio, quam octogenaria eis ab aliquo poſſit opponi vel aliquod prejudicium facere , non obſtante lege : *Quod quiſque juris* vel alia lege. Indulgemus quoque, quod homines Camaldulenſis eremi & monaſteriorum & locorum ſui conventus injuſte ab aliquo non inquietentur . Paſcua vero eremi jamdicte & Fontis-boni monaſterii animalibus, & ligna dicte eremo ſeu monaſterio neceſſaria in Alpibus abſque aliorum gravi jactura vel dampno concedimus, & ex noſtra benignitate largimur. Concedentes predicte eremo Camaldulenſi adinſtar domini Henrici VI. imperatoris, ut caſtris & villis ſuis, ſicut hactenus priores Camaldulenſes & eorum officiales conſueverunt, caſtaldiones ſeu vice-comites quoſcumque voluerint, preficiant, eoſque quoties ipſis placuerit, noſtra auctoritate removeant, & alios qui ipſis idonei videantur pro voluntate ſua ſubſtituant. Molendina quoque ipſius eremi ab omnibus exactionibus libera reddimus & penitus exempta ; & licitum ſit eis atque poſſibile fratribus predicte eremi facere novum aque-ductum per competentia loca ubicumque illis melius atque opportunius viſum fuerit in fluvio Arno, & in fluvio de Larclano , & in fluvio de Soara, ſpetialiter in villa Viajo, & ſancte Crucis, & in villa de Montione , & que habent in curte de Laurentiano & ſtatuta in fluvio Arno , & quod habent in caſtello de Biblena ſimiliter in fluvio Arno , & que habent in fluvio de Larclano , nulla prorſus contradicente ſeu reſiſtente perſona . Imperiali vero auctoritate prohibemus, ut nullus infra unum milliare a ſuperiori eccleſia ipſorum , que in eremo ſita eſt , aut in inferiori monaſterio Fontis-boni, ejus ſpecialiter obſequio pertinenti juxta conceſſionem domini Henrici imperatoris in..... ipſis munitionem, aut villam, vel habitationem cujuſcumque quantitatis audeat edificare de novo. Ad hec autem nuntiis noſtris per Italiam conſtitutis , qui modo ſunt, & pro tempore erunt , firmiter precipiendo mandamus, quatenus prenominatam eremum & conventum ſibi commiſſum , & omnia ſibi pertinentia non audeant moleſtare, ſed intuitu divine pietatis a malefactoribus tueantur . Et cum fuerit eis aliqua ex parte predictorum querimonia prepoſita, ſine gravamine faciant ſibi juſtitiam exhiberi . Ut autem cuncta predicta irrefragabiliter ab omni perſona penitus obſerventur , noſtre majeſtatis ſigillo preſens privilegium juſſimus communiri. Unde ſi quis contra hec fuerit auſus venire jamdicta, centum libras auri puri pro pena componat , medietatem earum camere noſtre, reliquam vero injuriam paſſis. Hujus rei teſtes ſunt Wolfherus patriarcha Aquilejenſis , Ubaldus Ravennas archiepiſcopus, Lotharius Piſanus archiepiſcopus,

pus, Ildebrandus Vulterranus episcopus, Engelhardus Cesenensis episcopus, Petrus Urbis prefectus, & Theobaldus frater ejus, Azo marchio Estensis, Ildebrandus Palatinus comes, Hartmarius comes de Hirchb..c, Ezzelinus de Tarvisio, Henricus marschalcus de Callendin., Henricus de Ravenesberc, Gunzelinus dapifer, & alii quamplures.

Signum domini Ottonis quarti Romanorum imperatoris invictissimi.



Ego Conradus Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Theodorici Coloniensis archiepiscopi, & totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M. CC. IX. indictione XIII. regnante domino Ottone IV. Romanorum imperatore gloriosissimo anno imperii ejus primo.

Data apud Ficiclum VIII. idus novembris per manum Gualterii protonarii.

CLXXXI.

Confirmatio sententiæ contra comites de Sarthiano ad favorem monasterii de Vivo.

Anno 1210. IV. kal. februarii.

Ex libro le Coppe *cancellariæ Montis-politiani* fol. 131. *& ex Murat.* T. V. col. 731.

Ibid. n. 46.

IN nomine Domini, amen. Hoc est exemplum cujusdam publici instrumenti publicati manu Alberigi de Rovereto imperialis aule notarii, cujus tenor inferius denotatur. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo indictione tertiadecima die veneris quarto ante kalendas februarii in Sena. Dompus Petrus prior monasterii de Vivo veniens ante presentiam domini Henrici Dei gratia Mantuani episcopi domini Ottonis Romanorum imperatoris invictissimi vicarii, & Alberti Struzii Cremonensis, & Passaguerre de Mediolano, & Monaci de Villa de Mediolano, & Ruffini de Placentia imperialis curie judicum petit infrascriptam sententiam contra heredes quondam comitis Manentis executioni mandari, cujus tenor talis est. *Edita est sententia ad annum* 1185. *sub num.* LXXXII. Et cum venisset responsurus Rambočtus filius quondam predicti comitis Manentis, proposuit predictam sententiam non deberi executioni mandari, quod dicebat eam injustam, tum quod, ut dicebat, fuit data contra predictum patrem suum eo absente, tum quod data fuit contra non possidentem, & multa alia allegabat. Tandem predictus Monachus presentibus & volentibus dictis domino vicario & judicibus, & eorum consilio, & presente suprascripto Rambocto, dictam sententiam contra heredes dicti comitis Manentis tamquam justam, executioni mandandam pronunptiavit, & executioni mandavit, & mandari jussit in omnibus & per omnia secundum quod in memorata sententia continetur. Predictus Monachus hanc cartulam inde fieri precepit. Interfuerunt Azo Casa notarius de Briscia, & Bondinerio de Mantua, Petrus Aretinus judex, Rogheretus Senensis judex, & alii quamplures inde testes.

Ego Albericus de Rovereto imperialis curie notarius interfui, & hanc cartulam scripsi.

CLXXXII.

Ottonis IV. imp. privilegium pro abbatia S. Salvatoris Montis-acuti.

Anno 1210. sexto idus februarii.

Ex apographis veteribus ejusdem abbatiæ.


IN nomine sancte & individue Trinitatis. Otho quartus divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus. Si petitionibus religiosorum virorum justis & rationabilibus in his, que pertinent ad loca divinis cultibus mancipata, assensum prebemus, id nobis non solum ad presentis vite curriculum prospere dirigendum, verum etiam ad eterna premia promerenda feliciter credimus profuturum. Quapropter noverint omnium sancte Dei ecclesie, nostrique imperii industria fidelium, quoniam dum jam partibus Italie essemus, adiit clementiam nostram abbas Carsedonius vir religiosus ex monasterio sancti Salvatoris, quod situm est in territorio Perusino sub monte Castellione secus fluvium Tiberis, petens a nobis, ut more *Ibid. n. 45.*

antecessorum nostrorum sublimitatis nostre tuitionem daremus. Cujus postulationi satisfacere dignum ducentes, ad imitationem serenissimi predecessoris nostri Henrici VI. Romani imperatoris divi augusti & regis Sicilie primum decernimus, ut cellas, que ad ipsum monasterium pertinent, idest cellam sancte Marie de Castellione cum omnibus suis pertinentiis, & cellam sancte Marie de Monte-acuto, cellam sancti Benedicti de Castro-felicitatis, sancte Marie de Nicone, sancti Florentii de monte Naxi in comitatu Aretino. Item omnes cellas in insula Pulvesi cum duabus piscariis in loco, qui dicitur Aque, cum colonis ibi residentibus. In comitatu Tudertino cellam sancte Petronille, cellam sancti Anastasii juxta viam Flaminiam; cellam sancti Florentii juxta muros civitatis Perusie, cellam sancti Juliani in loco, qui dicitur Mezzana, cellam sancte Juliane in Prineto. Has omnes cellas firmiter teneant cum omnibus suis rebus, sicut hactenus tenuerunt sine omni contradictione. Preterea confirmamus eidem monasterio castrum Petre-melline cum curte sua, & castrum Carpine inferius cum ecclesia & omnibus suis pertinentiis & totum, quod habet predicta ecclesia in Montone & in curia. Cellam etiam sancti Donati in Thesaula, & quidquid habet in comitatu Tudertino & Montem-acutum cum castris, villis, habitatoribus & omnibus suis appenditiis. Predicto etiam abbati ejusque successoribus eorumque ecclesie concedimus jurisdictionem super eorum hominibus & possessionibus ubicumque consistunt. Volumus igitur atque per presentis nostri edicti auctoritatem expressam jubemus, ut nullus fidelium nostrorum vel missi discurrant, aut quilibet ex judiciaria potestate hominibus his predictis locis, seu quecumque, que ad prefatum monasterium longe vel prope pertinent possessiones, neque in mancipiis, neque in quibuscumque rebus suis aliquam invasionem facere presumant. Sed neque dux, neque marchio, neque episcopus, comes, vicecomes aut castaldus, decanus, nec cujuslibet dignitatis persona magna vel parva potestatem habeat ex predicto monasterio angariam aut dationem aut fodrum exigendi, neque ad placitum aliquam causam ipsius monasterii provocandi; sed liceat abbati, si sibi utile videbitur, pro causa monasterii discutienda in placitum suum advocare. Nulla denique mala cura, neque aurum ab advocato ipsius monasterii requiratur, nec etiam bannum nostrum pro qualibet causa apparente monasterii exigatur aliquo modo; sed liceat memorato abbati & successoribus suis res vel possessiones jamdicti monasterii sub majestatis nostre defensione quiete possidere. Confirmamus etiam privilegia pontificum cum omnibus rebus sibi collatis & diversis hominibus commutationes, donationes, concessiones, seu omnia, que in instrumentis chartarum ad se pervenerunt, monasterium cum omnibus ad se pertinentibus prestarias vero & commutationes injuste factas irritas esse volumus. Oblatos vero ejusdem ecclesie nolumus vagari in seculo, sed ubicumque fuerint inventi, licentiam habeant abbas aut monachi, qui pro tempore fuerint, ad monasterium revocare. Quidquid enim de predicti monasterii possessione fiscus noster potest aquirere, totum nos memorato monasterio concedimus, ut eleemosinis pauperum accedat, & monachorum ibidem pro nobis famulantium. Et cum abbas decesserit, alium inter se in claustro eligant, quemcumque utiliorem invenerint. De imperiali quoque . . . . ipsi abbati & monasterio predicto suisque ecclesiis, ut nulla prescriptio tam in predictis, quam in futuris ipsius possit objici vel obesse nisi LXXX. annorum, volentes, precipientes, ut in possessionibus suis de novo faciant incastellationes, juxta quod ipsa videbitur expedire, & veteres, ubi poterunt, reedificent sine aliorum lesione. Homines quoque, qui de possessionibus suis ad civitates & castra contra voluntatem abbatis & fratrum se transtulerint vel transtulerunt, si ab ipsis legitime commoniti fuerunt, & nolverunt ad possessionem redire, liceat ipsi abbati & monasterio in possessionibus illis secundum ordinem juris & justitie habere obtinentiam. Addimus etiam, ut idem abbas & fratres sui in causis agendis pro se statuant economium vel procuratorem, quem volunt, qui sacramentum prestet calumpnie, & causas suas usque ad finem prosequatur. Statuentes, ut si qui emphiteuthe censum suum per biennium non solvant, emphyteusim, secundum, quod jus expostulat, amittant; & abbas debet ac monasterium liberam habere facultatem bona illa secundum justitiam & ordinem juris accipiendi, & tenendi vel locandi. Item confirmamus ipsi monasterio & abbati campum de Ranco, quem comitissa Ocdelina pro anime sue & parentum suorum remedio pie dedit ipso monasterio. Sic comes Rancherius de Blandineto ipsius Henrici VI. imperatoris publicum instrumentum irra-

irra-

irrationabiliter fecit, & idem imperator per nuntium suum Henricum de Lutrea idem monasterium juste misit in ejusdem campi possessionem & suorum pertinentium. Volumus etiam & precipimus, quod constitutio vel statutum alicujus civitatis, castri vel loci ipsi abbati vel monasterio ejus suisque ecclesiis non possit aut debeat citra justitiam obesse, vel aliquam eis afferre injuriam vel gravamen. Si quis autem ausu temerario circa hanc nostre jussionis paginam ire presumpserit, & eorum quoque copiam, quam fieri prohibemus, facere attemptaverit, centum libras auri purissimi pro pena componat, quarum medietatem camere nostre, reliquam partem ipsi abbati & ecclesie persolvi volumus. Ut autem hec semper rata possint habere, presentem paginam conscribi jussimus, & nostre majestatis sigillo jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Volfgerus patriarcha Aquilejensis, Johannes episcopus Camer... Henricus Mantuanus episcopus vicarius curie imperialis, comes de Gurg.. Azzo marchio Estensis, comes de Pid.. Ezelinus de Tarvisio, Salinverra de Ferraria, Guilielmus dapifer, Henricus marescalcus de Cald...m, Passaverra monachus, Ruffinus judices curie, & alii quamplures.

Signum domni Ottonis IV. Romanorum imperatoris invictissimi.



Ego Conradus Spirensis episcopus imperiali auctoritate cancellarius vice domini Theoderici Coloniensis archiepiscopi Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M. CC. X. domino Othone imperatore anno regni ejus XII. imperii vero I.

Datum apud civitatem Fulginii per manum Walterii protonotarii imperialis aule indictione XIII. sexto idus februarii.

CLXXXIII.

Ampla donatio Ferrarii de Fontaniva facta monasterio S. Viti de Vicetia.

Anno 1210. undecimo exeunte februario.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Donatio n. 372.

IN nomine Domini. Anno Domini millesimo ducentesimo decimo indictione tertiadecima die jovis undecimo exeunte februario in domo domini Ferrarii de Fontaniva, que est juxta cimeterium beati Viti juxta situm civitatis Vicentie extra portam sancti Petri, in presentia domini Uguccionis nepotis quondam domini Pilii judicis, & Girardi quondam Simeonis, Henrici Lollii & Marci filii domini Berni de P.n..do & Arnaldini Ganzerre, & Palmerii conversi Camaldulensis & Deotevvarde de Faventia & aliorum. Jure pure & mere & irrevocabilis donationis inter vivos & ad .... dominus Ferrarius de Fontaniva verbo & consensu domine Palmerie uxoris sue ibi presentis, & in presentia domini Wilielmi abbatis de Pratalia Camaldulensis & domni Henrici & domni Johannis, & domni Boni & domni Martini & domni Actonis fratrum Camaldulensium, & domni Jordani & domni Gregorii investivimus domnum Guidonem priorem Camaldulensem recipientem vice & nomine ecclesie sancti Salvatoris heremi Camaldulensis, & ita quod dum ordo Camaldulensis fuerit in predicta ecclesia sancti Viti, quod ipsa sit usufructuaria de presenti datione & possideat, & si ordo ille a dicta ecclesia sancti Viti cessaret, quod ecclesia heremi Camaldulensis hujus donationis cum dominio habeat usufructum, & usufructus & redditus & possessio ad dominium & proprietatem revertantur, & cum ea consolidentur nominatim de cuncta & immobili proprietate & toto eo territorio, quam & quod idem dominus Ferrarius habet & tenet vel videtur habere ipse, aut alii pro eo in villa Liserie, aut in ejusdem loci finibus, & in tota curia & arca & vvarda & pertinentia ipsius loci, exceptis vassallaticis & comitatu, & marigance & consortia & parte sua, quam habet in castro Liserie, que omnia donator jam dictus in se retinuit. Quam predictam donationem una cum accessu & ingressu seu cum superioribus & inferio- *Ibid. n. 47.*

rioribus suis cum sediminibus, areis, clausuris, divisionibus, buschis, silvis, pratis, campis, cultis & incultis, capulo & pasculo, venatione & piscatione & cum omnibus suis rationibus & actionibus, realibus & personalibus, competentibus & competituris, usibus aquarum & aqueductibus ad proprium idem donator predicto domno Widoni priori pro dicta ecclesia sancti Salvatoris, ut dictum est, dedit, cessit, tradidit & donavit, promittens quod nulla ratione vel occasione, neque eo quod donatio non sit actibus insinuata, vel quod sit immensa, seu aliqua ingratitudine eam retractabit. Et quod nulli alii hanc donationem dederat, vendiderat, donaverat, vel ullo modo alienaverat, nisi dicto domno Widoni pro dicta ecclesia sancti Salvatoris, ut dictum est, pro hac donatione. Et predicto eodemque modo idem donator nomine donationis predicte irrevocabilis inter vivos ad proprium eodem jure & eodem modo investivit sepedictum domnum Guidonem priorem recipientem, ut dictum est, pro dicta ecclesia sancti Salvatoris de quadam locatione, quam habet in Braitesena, quam ab eo tenent filii Baroncii de Braitesena ad reddendum omni anno, ut diximus, unum modium inter milium & surgium ad modium Vincentie, & x. solidos denariorum Veronensium. Et ita de cetero predicta ecclesia sancti Salvatoris, vel cui hanc donationem dedit jure proprietario, inde quicquid voluerit faciat sine omni sua suorumque heredum contradictione vel repetitione. Retinuit tamen ipse donator usufructum hujus donationis in vita sua. Equidem vero spopondit atque promisit predictus donator pro se & suis heredibus sepedicto priori stipulanti pro ecclesia hanc donationem legitime guarentare, defendere, & auctorizare ab omni parte & homine in pena dupli, aut boni cambii secundum quod pro tempore res fuerit meliorata, aut valuerit sub extimatione & suis expensis. Et si ecclesia predicta beati Salvatoris fecerit aliquod dispendium in defendendo vel agendo predictam donationem, totum dominus Ferrarius reficere promisit. Et obligavit ad pignus predicto domno Guidoni priori recipienti pro ecclesia omnia sua bona mobilia & immobilia presentia & futura pro sic vvarentare & defendere & attendere, ut dictum est. Et renunciavit donator omni remedio appellationis in qualicumque questione, que inter eos oriretur pro hac donatione, & his pactis, & quod renunciatio teneat tamquam suisset in scriptis peracta. Et constituit idem donator se possessorem de donatione pro ecclesia nomine ecclesie corporaliter intrabit possessionem, & jussit, ut ecclesia sua auctoritate intromittat. Pactum etiam fecit & promissionem donatoris pro se & suis heredibus domno Widoni priori stipulanti pro ecclesia, quod non probabit finem vel remissionem, vel refutationem, vel aliquod aliud quod prosit sibi & noceat ecclesie, nisi cum ..... manu notarii ex alio latere....... huic consonantis in concordio partium scripta, quia de his duo instrumenta consonantia rogata fuere.

Preterea eodem die apud ecclesiam predictam sancti Viti presentibus predictis Uguccione, Girardo, Marcio, idem donator concessit & dedit & remisit predicto priori nomine ecclesie predicte sancti Salvatoris, ut dictum est, redditum & usufructum sepedicte donationis.

Ego Spinellus sacri palatii notarius interfui, & hoc & aliud instrumentum huic consonans rogatus scripsi.

Hec est terra quam dominus Ferrarius de Fontaniva donavit ecclesie Camaldulensi in I. mansum qui tentus fuit per Martinum Grimaldi, quem nunc tenet Albertinus Claudii, sedimen cujus jacet in villa Liserie, coheret ei ab uno latere Henricus forbit.. & ab alio idem dominus Ferrarius, ab uno capite Ranfredinus de Ingar.. & ab alio Zanboninus fab.. & I. petia terre ipsius mansi jacet in Olnedo, coheret ei ab uno capite dominus Philippus & ab alio filii Peregrini de Maria, ab uno latere filii Zannonis, & ab alio .... Widote, & alia pecia jacet desuper a Fossesella, ab uno latere Hericus forb.. & ab alio ecclesia sancte Lucie, ab uno capite eadem ecclesia, & ab alio Henricus Forb.. & Gabriel Tardivelli. Item II. pecie terre a Fossesella insimul se tenentes ab I. capite Wido Henrici, & ab alio via publica, ab uno latere ecclesia sancte Lucie & ab alio Gabriel Tardivelli. Item I. pecia terre, que dicta fuit clausura Brixete, cui coheret ab uno capite palus communis Liserie, & ab alio via publica, que vadit in Runcostricto ab uno capite latere Henricus Forb.. & ab alio idem & filii Carlexaris. Item uno capite, qui dicitur caput Brixete inter sossam & tribolum, cui coheret ab uno capite Gabriel Tardivelli & ab alio Henricus Forb.. & hospitale Liserie & ab uno latere Henricus f. & ab alio idem Henricus. Item una pecia in Vanzofalone, cui coheret ab uno latere Odolricus Galle-

Galleti & ab alio Henricus & ab uno capite Henricus & ab alio ſtrada. Item alia pezia in Vanzoſalone & ab omnibus partibus habet Henricus forbit.. pt. ab una parte, qua habet Bartholomeus.

Item alius manſus, qui fuit tentus per Johannem Henrici, & nunc tenetur a filiis Johannis Henrici, ſedimen cujus jacet Liſeria, cui coheret ab una parte ſtrada, & ab alia abbas ſancti Felicis & tertia ſancte Lucie, & a quarta dominus Ferrarius, & una pecia terre in Runcoſtreto, que eſt circa duos campos & dimidium, cui coheret ab uno capite Henricus forb.. & ab alio Odolricus Galli, & ab uno latere via, & ab alio terra Odolrici Galli, que fuit illorum de Bertelaſio. Item una pecia terre Afrata q..nti, cui coheret ab uno capite Henricus f. & Gabriel Tardivelli, & ab alio capite Zamboninus fab.. ab uno latere Zamboninus fab.. & ab alio via publica. Item una pecia terre in Vanzoſalone, ab uno capite & ab alio filii Carlexaris, ab uno latere Henricus forbit.. & ab alio Bartholomeus Martivelli. Item unum caput a foſſa, cui coheret ab uno latere & a capite via & ab alio latere Henricus forbit.. & ab alio capite filii Petri de Alberico. Item una pecia in campo Sigardulo, a capitibus & a latere via & ab alio latere Bartholomeus. Item in eadem hora alia pecia, cui coheret ab uno capite & a latere via & ab alio capite Henricus forbit... Item due petie adarrota, que inſimul ſe tenent, quibus coheret a capite & a latere tribol.. & ab alio latere & capite.

Item adſunt due pecie prati, que inſimul ſe tenent a pratis paludis, quibus coheret ab uno capite Henricus forbit.. & ab alio Odolricus Galli. Item una peciola prati in eiſdem pratis, cui coheret ab uno latere filii Zanonis & ab alio Wido Henrici Forbiti, & a capite idem Wido & ab alio capite hoſpitale Liſerie. Et hec prata non ſunt diviſa inter manſos. Item adeſt una pecia prati que eſt in boſchita, & in mallatura in frata Liſerie, & ab omnibus partibus eſt illud...... Preterea adeſt unum ſedimen poſitum in villa Liſerie cui coheret ab una parte & ab alia Henricus Forbiti & a capite ſtrada, que vadit ad caſtrum, & ab alio ſtrada que vadit Bolzanum. Item adeſt illa locatio de Braiteſena, que nominata eſt in inſtrumento.

CLXXXIV.

Ottonis IV. imp. privilegium pro monaſt. S. Apollinaris in Claſſe.

Anno 1210. die ſecunda martii.

Ex autographo Claſſenſi.

IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Otto quartus divina favente clementia Romanorum imperator & ſemper auguſtus. Si eccleſias Dei & loca religioſa pro benignitatis noſtre favore reſpiciamus, ad meritum eterne beatitudinis apud regem regum id nobis indubitanter ſperamus profuturum. Eapropter noverit tam preſens etas fidelium imperii noſtri, quam ſucceſſiva poſteritas, quod nos adtendentes honeſtam & religioſam converſationem fidelium noſtrorum abbatis ſancti Apollinaris in Claſſe & fratrum inibi ſervientium Deo, concedimus ipſis & in preſenti ſcripto confirmamus, ut omnes perſone in eodem monaſterio & ejus attenentiis divinis mancipate & mancipande obſequiis plena gaudeant atque fruantur libertate & pace, videlicet ut nec ad angarias, vel perangarias, vel alias operas per aliquem etiam noſtrum miſſum aliamve majorem ſeu minorem perſonam, preter ea, que ad pia opera per canones & leges ſunt deputata, ullo modo cogantur, de ſuis quoque domicultibus, ideſt que ſuis propriis laboribus & per ſuas familias excolunt, nihil omnino ire compellantur per altam aliquam, humilemve perſonam, per noſtrum miſſum, ſeu per quemcumque alium per ullas civitates, communitates ſive ſingularitates, ſed nec aliquas collectas vel exationes quocumque nomine cenſeantur, vel hoſpitationes per aliquem vel per aliquos predictorum inviti ire cogantur. Statuimus etiam, ut homines prefati monaſterii tam in Romania, quam in Marchia, ſive in caſtris, ſive in villis habitent, juriſdictioni ſuorum dominorum, ſive inter ſe agant, ſive ab aliis conveniantur, omnino ſubjiciantur. Si vero ipſi alios conveniant, ſub eorum dominis agant, itaut actor ſemper forum rei ſequatur. Fodrum quoque alternis annis, qui unum jugum boum habuerit, duodecim den. Raven. tantum, qui autem duo juga XVIII. qui vero tria, cum quibus araverit, duos ſoldos, & ſic deinceps pro ſe & pro familiis ſuis perſolvat; qui vero unum ſolum bovem, cum quo aret, habuerit, ſex denarios pro ſe & familia

Ibid. n. 44.


familia sua tribuat; qui vero manibus operatur, vel alia opera exercet, quatuor denarios similiter pro se & familia sua persolvat, omni alia exactione quocumque nomine vocetur penitus cessante. Remittimus albergariam castri Gazii, quam occasione Cavalcacomitis exigere solebamus, statuentes & imperiali auctoritate nostra sancientes, ut de cetero nullus homo sive noster nuncius, sive quicumque alius eamdem albergariam requirat. Addicimus etiam & perpetuo sancimus, ut si quando predictus abbas & sui fratres, eorumque successores agant vel conveniant, non cogantur sacramentum calumnie prestare, nisi per syndicum vel actorem, & quod nulla eis prescriptio in rebus ecclesie opponatur, nisi centum annorum, non obstante illa lege, quod quisquis juris in alterum statuerit & cetera, vel alia lege, qua cavetur principales personas sacramentum calumnie debere subire. Item addidimus & ex nostre majestatis gratia concedimus, quod liceat sepe nominatis fratribus finito henphyteotico jure & locationum omnium & aliorum jurium vel defectu personarum temporis, vel alio modo possessionem ingredi imperiali auctoritate absque alicujus contradictione, non obstante aliqua consuetudine vel statuto civitatis alicujus vel castri, vel alterius loci, & quod liceat eis in eorum possessionibus molendina construere, & aquam de flumine publico per possessiones eorum sine omni contradictione derivare. Ordinamus etiam, ut si quando predictus abbas vel ejus fratres, seu eorum homines coram nostris judicibus, vel eis, quos alicui jurisdictioni prefecimus, agantur vel conveniantur sive causam amittant, sive in ea obtineant, pro libris nonnisi XII. denarios nostris judicibus & potestatibus persolvant, & infra XL. dies eorum cause decidantur, nisi majores inducias propter absentiam testium vel instrumentorum causa postulaverint, & statim executioni mandetur, & quod judicatum fuerit, nisi per appellationem suspendatur, firmissime teneatur. Preterea quascumque possessiones quecumque bona idem monasterium juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma prefato abbati & ejus successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. In comitatu Tudertino monasterium, quod vocatur sancta Illuminata, cum omnibus pertinentiis suis. In Perusino cellas quinque, videlicet sancti Severi, capellam sancte Margarite in massa Salliatica, monasterium sancti Petri in Colle, sancti Petri in Valle de Ponte juxta fluvium Tiberis, monasterium sancti Fortunati ex alia parte Tiberis. In comitatu Eugubino massam, que dicitur Bignoli, curtem que dicitur Pretorium, & aliam que dicitur Baruncelum, tertiam que dicitur Narcianula cum omnibus ad easdem pertinentibus. In comitatu Firmano curtem integram, que vocatur Campolongo, & castrum quod vocatur Pausuli, & aliud quod vocatur Pretorium, medium castrum Casalis, & medietatem castelli, quod vocatur Cast... cum medietate ecclesiarum earumdem, curtem sancte Marie de Cervaria, & sancti Apollenaris de Potentia, monasterium sancti Petri de Butrio cum fundo Turris & cum palude, que dicitur Rota, cujus Rote fines sunt ab uno latere fluvius Tenne usque ad medium, secundo latere litus maris, tertio latere terra sancti Blasii, & a quarto latere terra sancte Marie. Quidquid habet prefatum monasterium in curte sancti Elpidii, & sancti Juliani, & Montis-luponis, & Murivallis cum decimis & pertinentiis terre vestre donnicate & vestrorum hominum concessis a beate memorie Azone Firmano episcopo. In eodem comitatu Podiole cum curte sua cum omnibus sibi pertinentibus, & curtem Pozolani cum omnibus sibi pertinentibus. Quidquid Talanas reliquit jamdicto monasterio in Monte-luponi. In comitatu Auximi quartam partem castri, quod vocatur Monsaureus, cum piscationibus & venationibus suis & cum omnibus sibi pertinentinentibus. In comitatu Senogallie massam Merolariam & Casamauri, & tres fundos Ingallatti, Arille & Donazani; infra civitatem ecclesiam sancte Marie Scotorum. In comitatu Fanensi locum integrum, qui vocatur Raviniana cum omnibus sibi pertinentibus, & castrum unum, quod dicitur Turris, cum omnibus sibi pertinentibus. In eodem comitatu castrum Albignani cum omnibus sibi pertinentibus, & roncum, quod vocatur Sabatinum cum omnibus sibi pertinentibus, & XXV. modiolos terre in Monte-granario; in civitate ecclesiam sancti Apollinaris, & sancti Viti, & sancti Christophori cum omnibus ad easdem pertinentibus. Quidquid dictum monasterium habet in civitate Pesaurensi, & in ejus comitatu; quidquid habet in civitate Ariminensi, & in ejus comitatu,

tu,

tu, castrum Gazii cum curte sua integra, & massam Uzani integram; quidquid habet in castro Lonzani & in ejus curte, locum qui dicitur Fontana-Sabadina, & Faturium, & omnes splazas Uzani, & curtem Sale veteris & nove cum terminis eorum, a primo latere litus maris, secundo Pissatellus, tertio Vetretum & Paviranus, a quarto limes, qui dicitur Arcinus, percurrens a Prato usque in la stratella, & rivus Fabrice decurrens in mare; & quod habet in Castagneto, Branchise, Bulgaria & Burgar-novum, & curtem Casalicli cum castro suo, & castrum Pissatelli cum curte sua. In comitatu Feretrano fundum Tuxianum. In Saxenate curtem sancti Angeli de Plano, & castrum Civorii. In comitatu Cesenate massam Catiani cum ecclesia sancti Michaelis, & quod obvenit a Rainulfo de Galesese & uxore sua infra idem castrum, & totam curtem constitutam in comitatibus Ariminensi & Cesenate, medietatem curtis Verignani constitutam in comitatu Ariminensi, & quidquid etiam habet in civitate Cesene & comitatu, & curtem Sucuniani cum ecclesia sancti Apollinaris, & cum fundis, scilicet Sucunianum integrum, Ulmetam, Glauzanum, Flichi, Vincianum, Vezanellum, Tauranum, Tauranellum, Brugnanum, Silvam-veclam, Bagnolum, Fasulare, Campumlongum, Perlezzum, Sapingam omnes integros cum eorum pertinentiis. In comitatu Populiensi curtem Bagnolo cum pertinentiis suis, & cum ecclesia. In Liviensi massam Castrucii integram, massam Barisanam, & curtem Pertusacii cum ecclesia ibidem & eorum pertinentiis. In comitatu Faventino curtem, que dicitur Quadrate, cum fundis & casalibus suis, fundum Trentule, Susuanum, Pituli, & Saltum majorem & minorem, Granarolum, Ceredrum, Lacum, & massam integram, que dicitur Presenzanus, & Populanum, & castrum Pergule cum curte sua & cum appendicibus suis, & cum omnibus ad eamdem curtem pertinentibus. In Corneliensi monasterium, quod dicitur sancti Petri, massam, que dicitur Quinta, & massam, que dicitur Solustra, & medietatem castri, quod vocatur Limedalti cum curte sua, & cum fundis, casalibus & appendiciis suis, & cum omnibus sibi pertinentibus. In territorio Ravenne ecclesiam sancti Martini cum curte integra, que dicitur Aqua-longa, & sancte Marie in Bazano, & sancte Marie in Peratella cum omnibus eorum pertinentiis, & curtem Gambellarie; terras, & silvas, & paludes eidem monasterio circumpositas cum suis pertinentiis, a primo latere ripa Ursaria, & ecclesiam sancti Gervasii cum possessionibus juxta se positis usque ad litus maris, a secundo litus maris tribus milliariis infra ipsum mare extensum in portum Classicanum, a tertio Classatellus, & confinium inter vos & sanctum Severum perveniens ad duo masine in stratella, que pergit ad putheum Trestri, & cursus antiquus aque Refredene usque ad furcas, a quarto latere villa, que dicitur Bagnolus, & Sazanus, & sic pergit per Stadilianum usque ad fluvium Sapis. Infra civitatem Ravenne ecclesiam sancte Marie in Virtute, sancte Marie in Pace, sancte Barbare, & sancte Marie in Hortale cum casis & hortis, sancte Marie in Bononia, sancti Vincentii cum omnibus earum pertinentiis. In comitatu autem Ficoclensi & civitate quecumque habet, scilicet salinas & tumbas, domos, terras & vineas, paludes & omnes possessiones, quas donavit & tradidit Johannes de Milone .... predicto monasterio tam in predicta civitate, quam extra. Forosinfronati ecclesiam sancte Sophie cum omnibus suis pertinentiis. In comitatu Bononiensi medietatem ecclesie sancte Marie in Cavalli cum terris & silvis, paludibus, piscariis, venationibus ad eandem pertinentibus, & quidquid etiam obvenit a domina Maria, videlicet tumbas cum omnibus pertinentiis suis, & a Benone Petri Azonis. Ut igitur hec majestatis nostre concessio & confirmatio rata in perpetuum & inconcussa permaneat, presentem paginam conscribi jussimus, & nostre sublimitatis sigillo communiri. Statuentes & imperiali auctoritate nostra sancientes, ut de cetero nullus episcopus, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nulla civitas, nullum commune, nulla potestas, nulla denique persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica sepedictum monasterium vel ejus homines contra hanc nostram concessionem gravare, molestare vel quibuscumque injuriarum calumniis attemptare presumat. Quod qui fecerit in ultionem sue temeritatis quadraginta libras puri auri componat, dimidium camere nostre, reliquum injuriam passis. Et quod uberius credatur & perpetuo observetur, presentes paginas scribi jussimus, & nostri sigilli munimine roborari. Hujus rei testes sunt Wolfcherius Aquilejensis ecclesie patriarcha, Henricus Mantuanus episcopus imperii vicarius, Ubaldus archiepiscopus Raven-

Ravennas, comes Machinardus de Goritia, Cilinus de Trivguisio, Passaguerra, Monachus, Rufinus presbyter, Albertus Strucius judices curie & alii quamplures.

Signum domini Ottonis quarti Romanorum imperatoris invictissimi.



Ego Curradus Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Theodorici Coloniensis archiepiscopi, totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Domini M. CC. X. indictione XIII. die secundo intrante mense marcio.

Datum Ravenne per manum Walterii imperii protonotarii, regnante domino Ottone quarto Romanorum imperatore gloriosissimo regni ejus XII. imperii vero primo.

CLXXXV.

Innocentii III. literæ Ubaldo archiep. Ravennati circa ipsius jus in monast. Classis.

Anno 1210. v. nonas aprilis.

Ex tabulario S. Romualdi de Urbe.

Ibid. n. 43. INnocentius episcopus servus servorum Dei .. Ravennati archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem. Ad aures nostras te referente pervenit, quod bone memorie G.. predecessor tuus congregationi Camaldulensi monasterium Classense committens fidelitatis juramentum remisit abbatibus, qui pro tempore essent monasterii supradicti, nullatenus dubitans, quin in omnibus, juramento excepto, reverentiam consuetam & obsequia sine contradictione qualibet exhiberent. Nos itaque providere volentes, ne tui juris dispendium patiaris, ad exemplar felicis memorie Lucii & Urbani Romanorum pontificum predecessorum nostrorum presenti scripto decernimus, ut reverentia & obsequia, que de predicto monasterio presertim in promissione obedientie & intronizationis abbatis predecessoribus tuis consueverunt impendi, salvo eo quod de juramento prediximus, tibi semper tuisque successoribus impendantur. Nulli ergo &c.. nostre constitutionis &c. Datum Laterani v. non. aprilis pontificatus nostri anno duodecimo.

Pendet bulla plumbea cum literis
INNOCENTIUS PP. III.

CLXXXVI.

Confirmatio donationis ecclesiarum in Sardinia facta a Maria de Thori Camaldulensibus.

Anno 1210. prima die julii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Donatio n. 371.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, & in nomine sancte Marie semper virginis. Anni Domini millesimo ducentesimo decimo. Ego Maria de Thori kila fatho custa carta cum voluntate de ds.. & dessu donnu meu judike Comita de Laccon, & dessa mujere donna Agnesa Regina, & dessu fuu donnu Marine rege & cum voluntate de fios meos, las do anbas sas clesias meas sancta Maria & sancta Justa de Orria Pithinna ad sanctu Salvatore dessu heremum de Camaldula, & oferiolas in manu dessu priore majore de Camaldula domno Martino custas clesias meas cum omnia pertinentia issoru cum servos & cum ankillas & cum domos & cum saltos & cum vinias & cum terra de fune & cum omnia battor pedia carta est apus ecustas clesias. Et doli sa domo mea pecujare de Trugulbi, kiappo de parentes meos, cum omnia pertinentia sua. Domos & saltos & servos & ankillas & vinias & terras de fune & cum omnia battor pedia carta est appus ecusta domo, per as pa.. tide per de supriore de Camaldula, & istos heremitas de omnia cantu narat custa carta usque in sempiternum, amen, amen, amen. Ibid. n. 11.

Et ecustu bene kili fatho ad sanctum Salvatore de Camaldula pro anima mea, & de maritu meu, & de fiios meos & de tota sa domo mea. Non appat.. potestate fios meos. Ne neunu homine mortale distrumare lu. Ne dis mines kellu sesiat firmu & istabile, a voluntate dessu priore, dessos heremitos, promitt.. & provocapende priores, & monachos assa voluntate issopo, usque in finem seculi. Amen, amen, amen.

Et

Et ego Judike Comita de Laccon ki fatho custa carta pro p..cu Kimi fekit domna Maria de Thori thia mea & issos fiios & issu priore domnu Rub..tu, K..mi fuit ando pro Camaldula in sancta Maria. Et vojosos servos decustas clesias Kiappan therga, & ginithu davote in natiti, cale avean, & tratavan, sutta donnu Petru de Maroniu, & sutta sa mujere domna Maria de Thori usque in sempiterna secula. Amen.

Et si quis istam cartam injuste destruere voluerit, habeat maledictionem de Deo patre omnipotente, & de sancta Maria matre Domini, & de omnibus angelis & sanctis Dei. Amen. Et si quis eam audierit & dixerit, quod bene est, habeat benedictionem de Deo patre omnipotente, & de sancta Maria matre Domini & de omnibus angelis & sanctis Dei. Amen, amen, amen, fiat, fiat, fiat.

Et sunt testes, primus Deus omnipotens, deinde Ithocor de Navithan, Comita de Serra, Mariane de Laccon, Comita pinna, testes Gunnaci de Maroniu, Gosantine Dathen, Petru de Thori, T.s..s de Kita de majores de Janna Johanne Derthas ekita sua, testes. Et ego Petrus scriptor domini mei judicis Comite scripsi & complevi istam cartam, intrante mense julii prima die.

CLXXXVII.

Alia sententia pro monasterio de Vivo contra comites Sarthianenses.

Anno 1210. VI. kal. septembris.

Ex libro cancellariæ Montis-politiani le Coppe fol. 130.

Ibid. n. 46. IN nomine Domini, amen. Hoc est exemplum cujusdam publici instrumenti conditi manu Alberigi de Rogareto Papiensis notarii, cujus tenor inferius describitur. Anno Dominice incarnationis millesimo cc. x. indictione tertiadecima die veneris VI. kalendas septembris in claustro monasterii sancti Salvatoris de Monte-amiato. Cum dompnus Petrus prior de Vivo postularet sententiam latam ab Ottone Zondedario tunc judice imperatoris Frederici scriptam per manum Martini Philippi imperialis aule notarii contra Manentem de Sartiano executioni mandari contra heredes ejus, & per Monachum de Villa imperialis aule judicem & socios ejus pronunciata esset predicta sententia, tamquam justam executioni mandandam, & eam executioni mandaverit, apparet per instrumentum publicum factum ab Alberigo de Roveretò imperialis curie notario; & nunc idem prior nomine monasterii de Vivo postularet ab imperatore, ut illam sententiam faceret attendi, & effectui mancipari, & Tancredus & Rambottus fratres filii predicti quondam Manentis venissent contradicturi dicentes predictas sententias non debere executioni mandari, immo esse tamquam nullas annichilandas & cassandas, tamquam dicebant litem non fore contestatam super possessionibus & sacramentum calumpnie non fuerat prestitum, & super alia judicatum, quam petitum, & quia dicebant monasterium de Vivo nullum jus in possessionibus predictis habere, etsi quid habuerat, post dictam pronuntiationem alienaverat & propter expensas, quas fecerat in predictis rebus, dicebat se debere habere retentionem predictarum rerum, & spetialiter Castilioni, quem dicebant se titulo possidere, que dicebant, se paratos esse ostendere, & multa alia super iis allegassent, tandem ego Albertus Struzius Cremonensis imperialis curie judex de spetiali mandato domini Ottonis Dei gratia Romanorum imperatoris, & mandato domini Cunradi Spirensis episcopi imperialis aule cancellarii, & domini Henrici Mantuani episcopi imperialis aule vicarii, & presbyteri Caccie presentia, Johannis de Pado, & Ruffini de Porta Placentinorum imperialis aule judicum, dico & precipio Tancredo & Rambotto presentibus, & usque ad festum omnium Sanctorum proxime solvant predicto priori quantitatem, que est deducta in condempnationem, & jubeo priorem induci in possessionem rerum, super quibus, sive de quibus facta erat condempnatio, salvo de mandato domini imperatoris in omnibus & per omnia jure dictorum fratrum. Predictus Albertus hanc cartulam fieri precepit, unde duo instrumenta jussa sunt fieri in uno tenore. Interfuerunt dompnus Orlandus abbas monasterii sancti Salvatoris de Monte-amiato, comes Cunrado de sancto Martino, Pisanus judex de Pisce, Bondinarius & A.... de Mantua & alii quamplures testes.

Ego Alberigus de Rogareto Papiensis imperialis curie notarius interfui, & hanc cartulam jussu predicti Alberti scripsi.

CLXXXVIII.

Guido plebanus de Rivo-cornoclario donat ecclesiæ S. Mariæ de Rivo-frigido ecclesiam S. Michaelis.

Anno 1211. XI. kal. decembris.

Ex tabulario S. Petri de Luco. Sacc. B. 17.

Ad lib. XXXVI. n. 1. IN nomine Christi amen. Anno Domini millesimo ducentesimo undecimo idus decembris indictione decimaquarta. Constat me Guidum plebanum plebis & ecclesie de Rivocornoclario consensu meorum fratrum & canonicorum scilicet presbiteri Ubaldi, & presbiteri Ricoveri, & Thedaldi Ricoveri, Guidonis, Ronchi & Benintendi conversorum dicte plebis hoc donationis, traditionis ac concessionis instrumento in presentiarum donasse, tradidisse & concessisse tibi presb. Milanesi recipienti procuratorio nomine pro presbytero Rainerio rectore & cappellano ecclesie sancte Marie de Riofrido & ejus successoribus in perpetuum vice nomine & utilitate dicte ecclesie de Riofrido integre videlicet unam cappellam positam ad Casa-novam cum ejus residio, qui dicitur alla mura, edificatam in honorem sancti Michaelis, cujus fines hi sunt, a primo latere terra Ubertini & Rainerii, a secundo Ugolini Gianni, a tertio rivus, a quarto terra ecclesie de Casanova infra hos vel si alii sunt fines, totam cum omnibus pertinentiis & rebus suis, & cum omnibus super se & infra se habentibus in integrum cum omnibus redditibus, obventionibus, offersionibus, usuariis, massaritiis & omnibus ejusdem ecclesie quoquo modo vel ingenio competentibus. Item cum omni jure, actione, usu seu requisitione, & accessione & reverentia mihi & dicte plebi seu pro dicta plebe aliquo modo vel ingenio competenti in integrum, ut dictum est, dono, do, trado, & concedo tibi presbytero Milanesi recipienti pro supradicto presbytero Rainerii & ejus successoribus in perpetuum ad victum & utilitatem dicte ecclesie de Riofrido ad habendum, tenendum & possidendum, & quidquid sibi suisque successoribus ad utilitatem predicte ecclesie de Riofrido deinceps placuerit, salvo tamen jure & ratione, quod & quam habet dicta plebs in populo dicte cappelle & in ipsa cappella, scilicet in spiritualibus, & quod annuatim de cetero in perpetuum prenominati presbyter Rainerius & sui successores ibi in perpetuum dent & solvant mihi meisque successoribus pro supradicta cappella & rebus unam libram cere bone sine malitia in medietate quadragesime majoris omni anno & non amplius, & faciant celebrare officia divina quotidie in dicta ecclesia, nisi fuisset impedimentum evidens. Si vero adversus ea, que dicta sunt, pro me meisque successoribus, aut per aliquam submissam vel submittentem a me personam factum est vel fuerit, vel a dicta plebe, aut si nomine dicte cappelle & rerum superius adnexarum in dictum presb. Rainerium suorumque successorum in placito vel extra placitum litigare vel fatigare seu molestare, ac vel aliquam injuriam seu brigam movere, aut amplius, quam ea, que superius leguntur, superimponere presumpsero, seu si contra quemlibet agentem semper legitimam defensionem tibi & successoribus non exhibuero, aut si apparuerit datum aut factum, quod contra predicta vel aliquid contra dictorum sit vel in antea faciam, tunc pene nomine unde ageretur predictarum rerum duplum ejusdem bonitatis & estimationis dare, & insuper libras quinquaginta bonorum denariorum omneque damnum & expensam exinde competituras in duplum resarcire de jure sub districtu illius persone, per quam magis distringi possim, tibi predicto presbytero Milanesi procuratorio nomine recipienti pro supradicto presbytero Rainerio, obligando pro me, meisque successoribus in perpetuum solemni stipulatione suam semper firmitatem obtinentem, & in his omnibus omni legis & juris auxilio & omni exceptioni penitus renuncio.

Actum in claustro plebis dicte.

Signa manus predicti plebani, qui hec omnia, ut superius legitur, fieri rogavit.

Signa manuum Aldobrandini filii olim Ugolini, & Benedicti filii Petri Fesulani, & Cambii filii Landulfi, & Renaldini filii Fulcardini testium ad hec omnia rogatorum.

Ibid. n. 2. Postea sequenti die presentibus & rogatis ad hec testibus Guidone & Pedrone filii Gianni Bianchi, & Renaldino, dictus presbyter Rainerius per stipulationem promisit Paganello converso dicte plebis, recipienti procuratorio nomine pro supradicto plebano & ejus successoribus in perpetuum dare & solvere ei, & dicte plebi pro jamdicta cappella & rebus omni anno unam libram cere bone sine malitia in media quadragesima

majo-

majori, & omnia predicta in totum, ut dictum est, servare. Si contra fecerit, promisit ipsi Paganello, ut dictum est, suscipienti libras viginti quinque bonorum denariorum nomine pene dare, & omne damnum & expensas emendare predictis in sua firmitate curantibus.

Actum apud Riofridum in domo dicti presbyteri Rainerii.

Ego Cambius serenissimi Octonis judex & notarius predictis omnibus interfui, & hec omnia rogatus scripsi & complevi.

CLXXXIX.

Sententia inter eremum Calcensem & plebem ejusdem loci.

Anno 1211. xv. kal. januarii.

Ex tabulario S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ibid. n. 2.

IN nomine sancte & individue Trinitatis, amen. Cum summus pontifex Innocentius III. literas misisset domino Lothario Pisane ecclesie archiepiscopo, & abbatibus sancti Pauli de ripa Arni & sancti Michaelis Discalciatorum eis commisisset causam, que erat vel esse sperabatur inter fratrem Bernardum eremitam Celle posite in Calci, que dicitur sancti Jacobi & sancti Verani ex parte una, & plebem Calcensem ex altera, predictus frater Bernardus eremita predicte Celle presentia & auctoritate & consensu Juliani fratris sui eremite dicte Celle pro se & dicta Cella, & eorum oratorio ex una parte, & presbyter Bene camerarius suprascripte plebis Calcensis, qui in ipsa plebe vices plebani nunc gerit pro suprascripta plebe, & presbyter Argumentus cappellanus ecclesie sancti Andree de Calci de loco dicto Lame pro suprascripta ecclesia ex alia, posuerunt in dominum Lotharium Pisane ecclesie archiepiscopum & domnum Lucam abbatem sancti Pauli de ripa Arni, & domnum Jacobum abbatem sancti Michaelis Discalciatorum arbitros inter se concorditer electos omnes lites & discordias, que inter predictum eremitam ex parte una, & dictam plebem Calcensem & suprascriptum capellanum sancti Andree pro suprascripta ecclesia ex alia, de dicta Cella & oratorio, vel eorum occasione erant, vel esse poterant, eorum libero arbitrio inter eos definiendis. Et promiserunt & convenerunt inter se ad invicem, videlicet dictus frater Bernardus eremita consensu suprascripti Juliani fratris sui eremite dicens, se habere posse & debere dictam Cellam & ecclesiam in suprascripto loco suprascriptis presbytero Bene & presbytero Argumento recipientibus pro suprascriptis plebe & capella sancti Andree, obligando se suosque successores dicte Celle & ipsam Cellam tenere & habere firmum & ratum totum quicquid de predictis litibus & discordiis suprascripti arbitri dixerint. Quod si non fecerit, aut si contra factum fuerit, & post tertiam ammonitionem factam a Pisano archiepiscopo, quod contra que dixerint. predicti arbitri esset factum, non emendaverit, quod ab inde in antea nullum officium possit aut debeat in dicta Cella vel oratorio aut ecclesia celebrari, nisi celebraretur de consensu plebani dicte plebis vel ejus, qui loco suo esset, suorumque fratrum. Et dictus presbyter Bene pro suprascripta plebe, & suprascriptus presbyter Argumentus pro suprascripta capella sancti Andree respondentes ipsum eremitam dictam Cellam & ecclesiam non debere vel posse habere, per stipulationem convenerunt & promiserunt supradicto fratri Bernardo eremite recipienti pro se & suis successoribus eremitis dicte Celle pro suprascripta Cella, obligando se pro suprascripta plebe, & ejus plebanos, & plebem & capellanos suprascripte capelle, & ipsam capellam tenere firmum & ratum totum, & quidquid de predictis litibus & discordiis suprascripti arbitri dixerint. Quod si non fecerint, aut contra factum fuerit ab inde in antea dicta Cella & ecclesia & oratorium sit liberum & libera, & possint in ea libere divina celebrari. Qui arbitri concorditer arbitrati sunt & pronunciaverunt, ut liceat prenominatis eremitis habere & edificare ecclesiam de consensu & auctoritate Pisani archiepiscopi, & ea edificata habere in ea sub tecto & non supra tectum tintinnabulum, & ante edificationem ipsius ecclesie, & post edificationem possint habere capellanum, qui eis celebret divina, ita quod si fuerit secularis, & non eremita, promittat plebano Calcensi, vel ei, qui loco plebani fuerit, obedientiam sicut ceteri capellani Calcensis plebatus. Si vero eremita fuerit, promittat plebano, vel ei, qui loco plebani fuerit, coram clericis plebis per librum & stolam, quod non recipiet aliquem masculum vel feminam dicti plebatus ad confessionem, vel ad alia ecclesiastica sacramenta sine

licen-

licentia & parabola Pisani archiepiscopi, vel plebani dicte plebis, vel ejus, qui loco plebani fuerit. Si vero de parochia alterius capelle & non plebis fuerit, sine licentia & parabola illius capellani, de cujus capella fuerit, & quod non liceat eis, nec debeant aliquod officium celebrare populo, nisi edificata ecclesia eorum predicta ea die, qua festum erit ipsius ecclesie, & non debeant habere sepulturam, nisi eremitarum & domesticorum suorum tantum, & ut ab aliquo vel aliquibus dicti plebatus decimas vel primitias, vel pro eleemosina de decimis & primitiis aliquid non recipiant. Item ut non liceat eis habere aliquem conversum vel conversam, qui vel que moretur alibi, nisi cum eis in eorum domo. Hoc autem arbitrium & predictum compromissum datum & factum est Pisis in ballatorio curie Pisani archiepiscopatus, presentibus domino presbytero Martino monacho sancti Michaelis Discalciatorum, & presbytero Alberto de Modana, & magistro Bandino capellano sancti Philippi de Burgo, & presbytero Amato capellano sancti Georgii, & domno Archangelo camerario. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo undecimo indictione quartadecima quintodecimo kalendas januarii. Quod predictum arbitrium ab utraque parte incontinenti receptum est & approbatum.

Ego Silvester filius Boni domini Henrigi Romanorum imperatoris judex & notarius hoc compromissum a me rogatum, & predictum arbitrium a suprascriptis arbitris me presente datum eorum parabola & mandato scripsi & firmavi.

CXC.

Traditio ecclesiæ S. Michaelis de Muriano facta Camaldulensibus a Marco ep. Castellano.

Anno 1212. decimo exeunte martii.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Donatio n. 375.

Ibid. n. 4. IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno Domini millesimo duodecimo mense martio die decima exeunte indictione decima quinta Rivoalti. Nos Marcus Dei gratia Castellanus episcopus de consensu & voluntate canonicorum nostrorum ecclesiam sancti Michaelis positam in palude juxta canalem de Muriano refutantes, & a jurisdictione nostra, si quam in ea habemus, eximentes, ipsam cum circuitu & pertinentiis suis tam in temporalibus, quam in spiritualibus tibi Alberto fratri Camaldulensi, nomine prioris & ecclesie heremi Camaldulensis concedimus & offerimus pleno jure. Hanc autem refutationem, concessionem & oblationem tibi Bartholomeo sancti Pauli presbytero & notario conscribendam & roborandam mandavimus in presentia presbyteri Alberti sancti Johannis de capite Rivoalti & Henrici correzarii & aliorum.

† Ego Marcus Dei gratia Castellanus episcopus manu mea subscripsi.

† Ego Petrus Castellanus archidiaconus manu mea ss.

† Ego Mattheus Jorgani presbyter manu mea ss.

† Ego Marcus presbyter Castellane ecclesie manu mea ss.

† Ego Petrus diaconus Castellane ecclesie manu mea ss.

† Ego Angelus Velario diaconus Castellane ecclesie ac canonicus manu mea ss.

† Ego Albertus Maruynus presbyter testis ss.

† Ego Bartholomeus sancti Pauli presbyter & notarius de mandato prefati domini Marci Castellani episcopi hanc refutationem, concessionem & oblationem scripsi, complevi & roboravi.

Ego Angelus Barbaro diaconus & notarius hoc exemplum exemplavi hoc eodem anno & mense ac indictione, secundum quod reperi in authentico domini Marci Castellani episcopi suo sigillo impresso, nec minui, nec ampliavi, scripsi, complevi & roboravi.

CXCI.

Alia a clericis Murianensibus.

Anno 1212. mense aprili.

Ex archivo sancti Michaelis de Muriano.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejusdem M. CC. XII. mensis aprilis indictione XV. Rivoalti. Nos presbyteri & clerici ecclesie sancte Marie plebis Muriani, & plebanus & clerici sancti Stephani de eadem Murianensi, & parochiani earumdem ecclesiarum de auctoritate & consensu domini nostri B.. Torcellani episcopi eximimus a jurisdictione nostra ecclesiam sancti Michaelis positam in palude juxta canalem de Muriano cum omni *Ibidem.*

omnibus suis pertinentiis eam refutamus, & quantum in nobis est, concedimus tibi Alberto fratri Camaldulensi nomine ecclesie eremi Camaldulensis pleno jure in perpetuum, salvo eo, quod prior vel prelatus, qui ibidem in ecclesia sancti Michaelis per tempora fuerit, dicte ecclesie sancte Marie octavo die ante festum sancti Michaelis mensis septembris vel usque ad vigiliam ipsius festi, duas ampullas boni vini, que teneant tres libras, & in vigilia assumptionis sancte Marie mediam libram boni incensi annuatim pro censu perpetuis temporibus solvere debeant. Quod si quocumque tempore contra hanc refutationem & concessionem carte ire temptaverimus, tunc emendare debeamus cum nostris successoribus tibi & tuis successoribus libras denariorum Venetorum centum, & hec refutationis & concessionis charta maneat in sua firmitate.

Signum infrascripti domini B.. Torcellani episcopi, qui me notarium pro se scribere, & hec consensit & fieri rogavit.

Ego Philippus Balbi presbyter ecclesie sancte Marie pleb. manu mea ss.

Ego Petrus Trivisano presbyter ecclesie sancte Marie plebis Murianensis manu mea ss.

Ego Dominicus presbyter Dalmatinus manu mea ss.

Ego Jacobus Rambaldus clericus ecclesie sancte Marie mm. ss.

Signum Johannis Balduini plebani ecclesie sancti Stephani, qui pro se scribere rogavit.

Ego Jacobus Greci presbyter ecclesie sancti Stephani de Murianis mm. ss.

Ego Blasius Acilino clericus ecclesie sancti Stephani de Muriano mm. ss.

Ego Bardolodo Aruti procurator ecclesie sancte Marie de Muriana mm. ss.

Ego Marsilio Balbi procurator ecclesie sancte Marie de Muriano mm. ss.

Ego Leonardus Massario mm. ss.

Ego Stephano Marino mm. ss.

Ego Johannes Benedicto subdiaconus ecclesie sancti Stephani mm. ss.

Ego Vitalis Greci mm. ss.

Signum Venerandi Marino procuratore ecclesie sancti Stephani de Muriano, qui scribere nescit, pro se scribere rogavit.

Signum Martini Bollani, qui scribere nescit, pro se scribere rogavit.

Signum Jonathe Greci, qui hec fieri rogavit, & scribere pro se.

Ego Marco Acilino mm. ss.

Signum Marci Mauro, qui pro se scribere rogavit.

Signum Marci Campulo procurator sancti Stephani, qui scribere nescit, pro se scribere rogavit.

Ego Albertus Maruxus presbyter & notarius rogatus interfui, scripsi, complevi & roboravi.

CXCII.

Guido prior Camaldulensis ratam habet hanc traditionem.

Anno 1212. III. kal. maji.

Ex eodem chartulario.

IN Christi nomine, amen. Cum dominus Guido prior heremi Camaldulensium intellexisset ab Alberto confratre suo, quod presbyteri & clerici ecclesie sancte Marie plebis Muriani, & plebanus & clerici sancti Stephani de eadem terra Muriani, & parochiani earumdem ecclesiarum omnem jurisdictionem, quam in ecclesia sancti Michaelis posita in palude juxta canalem de Muriano habebant, & ipsam ecclesiam dicto Alberto pro prefato monasterio heremi Camaldulensis recipienti refutassent pleno jure cum omnibus suis pertinentiis, ipsam a suo dominio penitus eximentes, hoc excepto, quod is, qui jam dicte ecclesie sancti Michaelis per tempora prior fuerit, dicte ecclesie sancte Marie octavo die ante festum sancti Michaelis de septembri, vel usque ad vigiliam ipsius festi duas ampullas boni vini, que teneant tres libras, & in vigilia assumptionis beate Marie mediam libram boni incensi annuatim pro censu perpetuis temporibus solvere teneatur, predictus prior de consensu suorum fratrum, videlicet domni Ruberti abbatis, & domni Nicolai, Savini, Matthei, Guidonis, Jacobi, Berardi, Gerardi, Alberti, quicquid promissum est tam supra ecclesie refutationem, quam censsus exhibitionem ratum habuit, atque firmum cunctis, qui prefate ecclesie sancti Michaelis futuris temporibus prelati fuerint, per se & successores suos suprascriptus prior dans integram potestatem, ut nominate ecclesie sancte Marie censum, prout pretaxatum est, sub pena centum librarum Venetarum, persolvere debeant annuatim, & pena soluta nihilominus ipsum censum persolvere teneantur; dictus quoque prior Camaldulensis de consensu suprascriptorum fratrum potestatus est se velle, quod prior, qui predicte ecclesie sancti Michaelis Ibidem,

chaelis

chaelis primo fuerit preferendus, de predicto censu exhibendo secundum morem terre faciat instrumentum, & se ratum & firmum, quod inde fecerit cum suis successoribus habiturum. Quod factum est in capitulo Cantiniani presentia Burlegensi quondam Johannis, Gregorii quondam Villani, Guidonis quondam Martini, Galgani filii Bertrami anno Dominice nativitatis M. CC. XII. tertio kal. madii indictione XV. Petrus judex & notarius domini imperatoris, cujus presentia hec acta sunt, ibi fui, & hec ad memoriam scripsi.

Ego Angelus Barbaro diaconus & notarius hoc exemplum exemplavi anno Domini mill. ducentesimo duodecimo mense octubri indictione prima Rivoalti, secundum quod reperi in instrumento facto per manum Petri judicis & notarii domini imperatoris nihil addens vel minuens, quod sententiam mutet, complevi & roboravi.

CXCIII.

Ecclesia S. Gervasii de Belluno conceditur Acegæ.

Anno 1212. XIII. exeunte majo.

Ex autographo parthenonis SS. Gervasii & Protasii de Belluno.

Ibid. n. 5. ANno Domini millesimo CC. XII. indictione XV. die XIII. exeunte mense madii in presentia presbyteri Martini capellani, presbyteri Baldinelli, presbyteri Ermanni, domini Vidolini de Busajo, Flordeveglii de Castellione, Johannis Mugardi & aliorum. Ante dominum Phylippum Dei gratia Bellunensem & Feltrensem episcopum, dominus Balduinus Bellunensis ecclesie decanus in pleno capitulo Bellunensis ecclesie de consensu & pari voluntate ejusdem capituli, scilicet domini Balduini de Servano, presbyteri Widonis, domini Jacobini, domini Henrigeti, domini Jonathasii, domini Odolrici, presbyteri Pecculli Bellunensium canonicorum ipsis presentibus nomine Bellunensis ecclesie dedit, tradidit, concessit atque locavit domine Acege de civitate Belluni cum pura & plena & mera libertate ecclesiam sanctorum martirum Gervasii & Protasii cum tota terra & circuitu ejusdem ecclesie, & cum omni jure & omnibus racionibus & actionibus & accessionibus & omnibus jurisdicionibus, quas visi sunt habere & tenere usque ad hanc diem, & que est scita inter civitatem Belluni & villam Milliarii, remittens & refutans per se & dictos canonicos & suos successores ipsi domine Acege & suis successoribus omne jus suum, omnesque raciones & acciones & jurisdiciones suas & omne servicium, propter quod ipsa domina Acega & sui successores annuatim in festo sancti Martini debent dare Bellunensi ecclesie unam libram incensi, & quod ultra hoc nullo modo in alico vel in aliquibus eam molestare, nec aggravare, vel ejus successores debeant, nec alia superimposita facere, & ut ipsa domina Acega & sui successores a modo habeant & teneant cum pura & plena & mera libertate cum omni jure & omnibus rationibus & accionibus & jurisdicionibus per illa ecclesiam sibi pertinentibus, sine memorati domini decani & dictorum canonicorum & suorum successorum contradictione atque impedimento, ulla inquisitione.

Actum in civitate Belluni in canonica Bellunensi in domo Bellunensium canonicorum.

Ego Albericus sacri palacii notarius interfui, & jussu domini decani scripsi.

CXCIV.

Traditio decimarum facta Livaldo priori S. Mariæ ad Carceres.

Anno 1212. II. intrante septembri.

Ex anecdotis V. Cl. Johannis Brunatii

IN Dei eterni nomine amen. Anno M. CC. XII. indictione XV. die secundo intrante septembri in presentia domini Zamboni & Albertini de sancto Martino, Piligrini, Henrici de Benedicto, Petrace, Baldi, & aliorum apud puteum Caurani. Ibique Johannes Grajatadus sindicus & actor monasterii sancti Stevani de Padua, ut continetur in carta facta per Artusium notarium pro ipso monasterio & pro ecclesia sancte Tecle de Este designavit domino Livaldo priori ecclesie sancte Marie ad Carceres pro ipsa ecclesia recipienti totam paludem, & terram, & vineas ac prata ad ipsam paludem pertinentem, sive pertinere debere a costa montis Baonis, & Ceole & montis Busii, sicut recte vadit & trait a fonte Walteroli usque ad fossam Migliarine, esse de pertinentia & fundo Estensis, & decimam & jus decimandi ad predictum monasterium & ecclesiam san- Ibid. n. 8.

sancte Tecle pertinere, qui dominus prior dixit, quod designationem ab ipso Johanne factam pro ecclesia sancte Tecle non recipiebat, set pro predicto monasterio sic &c. Ego Albertinus imperialis aule notarius interfui, & hanc cartam jussu dicti Johannis scripsi.

CXCV.

Promissio Alberti prioris S. Michaelis de Muriano presbyteris Murianensibus.

Anno 1212. mense octobri.

Ex archivo S. Mariæ de Muriano.

Ibid. n. 4. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno incarnationis ejusdem M. CC. XII. mensis octubris indictione prima Rivoalti. Post refutationis & concessionis cartulam hic in Rivoalto factam hoc presenti anno mense aprili indictione XV. quam presbyteri & clerici sancte Marie plebis Murianensis, & plebanus & clerici sancti Stephani de eodem Muriano, & parochiani earumdem ecclesiarum de auctoritate & consensu domini B.. Torcellani episcopi mihi Alberto fratri Camaldulensi fecerunt de ecclesia sancti Michaelis posita in palude juxta canalem de Muriano cum omnibus suis pertinentiis, ut in ea legitur, &c. Promittens promitto ego quidem suprascriptus Albertus prior institutus in eamdem ecclesiam sancti Michaelis, consenciente mihi domno Guido priore heremi Camaldulensis, secundum quod continetur in instrumento publico facto per manum Petri judicis & notarii domini imperatoris anno Dominice nativitatis M. CC. XII. tertio kal. madii indictione XV. cum meis successoribus, quod ego & ceteri priores vel prelati, qui ibidem in ecclesia sancti Michaelis per tempora fuerint, dicte ecclesie sancte Marie octavo die ante festum sancti Michaelis mensis septembris, vel usque ad vigiliam ipsius festi duas ampullas boni vini, que teneant tres libras, & in vigilia assumptionis sancte Marie mediam libram boni incensi annuatim pro censu perpetuis temporibus solvere debeamus. Quod si quocumque tempore contra hanc promissionis cartam ire temptavero, tunc emendare debeam cum meis successoribus suprascripte ecclesie sancte Marie vel plebanis, aut prelatis, qui per tempora ibi fuerint, & eorum successoribus libras denariorum Venetorum centum, & hec promissionis carta maneat in sua firmitate.

† Ego donnus Albertus prior sancti Michaelis mm. ss.

† Ego donnus Johannes mm. ss.

† Signum Petri ejusdem sancti Michaelis conversi, qui hec fieri rogavit.

† Signum Guidonis conversi ejusdem loci, qui hec fieri rogavit.

Ego Albertus Maruynus presbyter & notarius complevi & roboravi.

Ego Dominicus Petenello de Clugia publicus imperiali auctoritate notarius.

CXCVI.

Castrum Plarosariæ traditur communi Fabriani a Morico abbate S. Victoris.

Anno 1212. XII. kal. novembris.

Ex chartulario S. Catharinæ de Fabriano.

IN nomine Domini, amen. Hoc est exemplum exempli cujusdam instrumenti reperti in quodam libro sive registro communis Fabriani sub hac forma. In nomine Christi, amen. Forma locamenti facti inter dompnum Moricum abbatem ecclesie sancti Victoris & suos confratres nomine dicte ecclesie ex una parte, & domnum Thodinum consulem Fabriani nomine communantie Fabriani ex altera. In primis dictus abbas cum suis confratribus presentibus, volentibus, scilicet Florentino preposito prefate ecclesie, domno Placito, domno Bono, domno Albrico & Johanne de Pergula castaldo & converso dicte ecclesie dederunt & concesserunt Thodino consuli Fabriani recipienti nomine communantie de Fabriano totum castrum Plarosarie cum universis ejusdem castri hominibus & castellanis, scilicet cum hominibus dicte ecclesie & cum tota ejus curte, & omnes homines dicte ecclesie, ubicumque dicta ecclesia habet sive in villis, sive in castris extra communantiam Fabriani, ad faciendum omnia communia negotia castri Fabriani, & communantia ipsius castri ad preceptum & voluntatem consulis vel oratoris communis Fabriani, sicut faciunt alii castellani de Fabriano in collectis, bandis, & folliis, & causis & omnibus aliis communibus negotiis, reservata dicte ecclesie castellania de hominibus castri Plarosarie, & curte ejus, scilicet quod castellani castri Plarosarie habitent & incastellent, guaitent, Ibid. n. 6.

 coquent,

coquent, cavent & claudant de lignamine in castro Plarosarie, & non in Fabriano, nec a consule cogantur ista in Fabriano facere. Item dictus abbas cum suis confratribus nomine dicte ecclesie promiserunt tenere per se suosque successores omnes dictos homines ad eam bonam consuetudinem, quam alii boni homines de Fabriano tenent suos homines de communantia Fabriani, qui bene tenent, servata & omni quarto anno collecta v. solidorum Lucensium pro quolibet predictorum foculariorum, quam collectam predicta ecclesia habet liberam hanc potestatem petendi & colligendi pro suo velle sine communis omni contradictione a dictis suis hominibus & castellanis. Item concesserunt dicto Thodino consuli Fabriani recipienti vice communantie dicti castri liberam potestatem faciendi castrum vel aliud munimen ubicumque vellet in territorio ecclesie sancti Victoris pro facto communis Fabriani & Plarosarie, salvo castro Plarosarie. Item dictus abbas cum predictis suis confratribus nomine dicte ecclesie dederunt, concesserunt Thodino consuli Fabriani recipienti nomine communantie Fabriani potestatem faciendi guerram & pacem de castro Plarosarie, turri, girone & burgo cuicumque vellet ex voluntate consulis & communis Fabriani, preter quam castrum & turrim nullo tempore detinent, nec dictam ecclesiam ex eo offendent. Item concesserunt potestatem dicto Thodino nomine communantie Fabriani faciendi calcinare a vanco de medio superius versus Fabrianum ubicumque voluerit, & incidendi de lignis communiter vel divisim. Item dictus abbas cum predictis suis confratribus promiserunt dare turrim, gironem & burgum Plarosarie in tenutam dicti Thodini consulis Fabriani nomine communantie dicti castri. Item dominus Thodinus consul Fabriani habito communi consilio nomine communantie dicti castri promisit tenere abbatem sancti Victoris & dictam ecclesiam cum dictis suis hominibus ad eam bonam consuetudinem, quam tenent alios bonos homines de Fabriano, & non accipere collectam guastaldo ecclesie sancti Victoris, quem pro tempore habebit, & conservare & manutenere castrum Plarosarie cum suis castellanis, sicut castrum Collis-amati, & juvare dictam ecclesiam de omnibus suis rationibus & justitiis, quas in communantia Fabriani habet, sicut alios bonos homines de Fabriano, & nullo tempore destruet castrum Plarosarie, nec permittet, quod destruatur; & si destrueretur, juvabit ecclesiam ipsam reconciliare bona fide sine fraude, & dare dicte ecclesie medietatem de foliis & bannis dictorum hominum & salariis, quos dicta ecclesia in communantia concessit, & medietatem pedagii, si que in curte Plarosarie colligeret, exacta prius ratione curie camerarii & arbitri, que dictus consul per se suosque successores promisit, & utraque pars hec omnia, ut superius leguntur, semper firma tenere & observare sub pena centum marcharum puri argenti ad vicem compromissam sacrosanctis evangeliis corporaliter tactis sollempni stipulatione spopondit, & pena soluta hunc contractum cum omnibus in eo insertis semper firmum & illibatum tenere & observare promittunt.

Actum juxta Conjunctulos in pede plagie de Mespelis sub anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo duodecimo imperante domino Ottone Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore & semper augusto XII. kalendas novembris indictione XV. Magister Moricus, magister Fabrianus, Adam Florentini, Bernardus Besce, Gentilis Tricarelli & Aymerigus de Niblano hujus contractus rogati sunt testes.

Ego Acto Dei gratia invictissimi Ottonis Romanorum imperatoris & semper augusti notarius hec omnia rogatus in publicam formam redegi.

CXCVII.

Compositio inter Francam abbatissam S. Petri de Luco & Guidonem plebanum Rivi-cornoclarii.

Anno 1212. III. nonas decembris.

Ex tabulario ejusdem parthenonis. Sac. E. n. 32.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen. Lis & differentia vertebatur inter domnam Francam de Ubertis humilem abbatissam ecclesie & monasterii sancti Petri de Luco vice & nomine ipsius monasterii & pro ecclesia sancte Marie de Riofrido ex una parte, & dominum Guidonem plebanum ecclesie & plebis de Rivo-cornoclario pro se & ipsa plebe ex altera; que talis erat: Petebat namque dicta domina abbatissa a supradicto plebano pecuniam & res ad se & ad ipsam ecclesiam pertinentem, & ut absolveret cappellanum & curatum dicte *Ibidem.*

dicte ecclesie de Riofrido ab omni vinculo juramenti, & ut res ablatas vel injuste detentas vel susceptas per se vel per alium de ipsa ecclesia reddere vel restituere, & alia sicut in libello inferius continetur. Que differentia prius fuit commissa priori sancti Laurentii a summo pontifice, postea vero de voluntate partium presbytero Johanni cappellano monasterii prefati, & presb. Azzoni de Casanova, & presb. Melanensi rectori & cappellano de Riofrido, & Rainerio de Via eorum arbitrio finiendam & laudandam, quemadmodum continetur in compromissione inde facta per manum Jacobi judicis & notarii, qui scilicet Johannes presbyter, & presb. Azzo, & presb. Melanensis & Rainerius eorum concordia laudaverunt, finierunt & arbitrati sunt, quod dictus plebanus restituat, reddat solidos centum Bononiensium de illis, quos abstulit cappellano de Riofrido. Item laudaverunt & arbitrati sunt, quod dictus plebanus restituat dicte abbatisse unam cappam & unum pellicionem & unum coopertorium, que res fuerunt presbyteri Rainerii cappellani ecclesie de Riofrido & conversi monasterii prefati. Pro quibusdam aliis indumentis ipsius presbyteri & conversi solidos duodecim Pisanorum veterum det dictus plebanus ipsi abbatisse. Item laudaverunt & arbitrati sunt, quod dictus plebanus absolvat presbyterum Melanensem ab omni vinculo juramenti, & quod dictus plebanus debeat dare predictos denarios in manibus dicti presb. Johannis vice abbatisse hinc ad quindecim dies proximos, & omnes alias res superius notatas hinc ad proximos sexdecim dies. Item laudaverunt & arbitrati sunt, quod parochiani de Riofrido debeant eligere pastorem in dicta ecclesia de Riofrido cum consensu & voluntate domine abbatisse & omnium aliorum patronorum ad honorem & reverentiam domini episcopi Florentini & plebani dicte plebis. Hec omnia laudaverunt & arbitrati sunt semper firmiter observanda. Et si aliquis eorum contra predicta vel aliquid predictorum per se vel per alium faceret, debeat dare & solvere parti predicta servanti libras quinquaginta bonorum denariorum nomine pene *&c.* *Ibidem.*

Latum est hoc laudum in parlatorio monasterii predicti anno millesimo ducentesimo duodecimo, tertio nonas decembris indictione prima, presentibus & rogatis testibus, scilicet Boncetto filio Ughetti, & Meliore filio Petronis, & Uberto & Guidone Theudorici de Valle Arni, & Susinello filio Aldobrandini.

Ego Cambius serenissimi Octonis imperatoris judex & notarius predictis interfui, & rogatus ab arbitris & partibus ss.

Ego Jacobus judex & notarius, predictis omnibus, dum agerentur, interfui, & ex mandato predictorum arbitrorum hec omnia scripsi, & rogatus a partibus in publicam formam redegi, ideoque ss.

Ego Franca humilis monasterii sancti Petri de Luco abbatissa vice & nomine ipsius monasterii, & pro ecclesia sancte Marie de Riofrido ss.

CXCVIII.

Innocentii pape III. *epistola contra Guidonem comitem infestum Camaldulensibus.*

Anno 1213. VIII. kl. octobris.

Ex archivo Fontis-boni. §. Brevia n. 13.

INnocentius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Pisano & .. episcopo Florentino, & dilecto filio .. electo Arretino salutem & apostolicam benedictionem. *Ibid. n.* 11. Cum nobilis vir comes Guido suum in multis offenderit Redemptorem, & traditam sibi potestatem ab ipso multotiens contra eum presumpserit exercere, deberet saltem in vite vespere constitutus, sue delicta corrigere juventutis & Domini faciem in confessione oris & satisfactione operis taliter prevenire, ut in tremendi necessitate judicii ab ipso, qui reddet singulis secundum opera sua, posset indulgentie gratiam expectare. Ipse vero, quod dolentes referimus, necdum a via mala cohibet pedes suos, set quasi proprie salutis curam ac divini nominis timorem abjecerit & amorem, contempta Dei patientia, que quantum in ipsa est ad penitentiam ipsum adducit, confusionem sibi thesaurizat & iram, religiosos viros, quorum patrocinium sibi deberet beneficiis & obsequiis comparare, ut apud Dominum allegarent precibus causam suam .... fame ac salutis dispendium affligendo. Ecce enim sicut multorum relatione didicimus, fratres Camaldulenses, qui seculi voluptatibus abdicatis mortificarunt cum vitiis & concupiscentiis membra sua crucifigentes sibi mundum cum apostolo, & se mundo, multipliciter opprimens & affligens, nu-

per fecit juxta ipsorum heremum quamdam viam, per quam non solum armatos, sed etiam istriones cum mulierculis ire facit, cum accessus terminorum suorum mulieribus ab antiquo fuerit interdictus. Nuper quoque quosdam boves ipsorum eisdem fecit violenter auferri, & eos donec a quibusdam conversis eorum quamdam quantitatem bladi recepit pro illis, reddere non curavit, hiis & aliis modis eorum quietem per se ac suos adeo inquieta.. ut nisi aliter provideatur, eisdem sui ordinis instituta nequeant observare. Volentes igitur & eorum tranquillitati, & ejusdem comitis saluti pariter providere, ipsum per nostras monemus, rogamus & exhortamur in Domino in remissionem sibi peccaminum injungentes, quatinus brevitatem considerans vite sue, que cum jam senilem pervenerit ad etatem, omne autem quod antiquatur & senescit prope interitum esse constet, proculdubio longa esse non potest, recogitet in amaritudine annos suos, & attendens, quod ex universis, que habere videtur, sola sua opera sequentur eumdem, que si bona fuerint ad eterna gaudia ipsum ducent, si vero mala, perpetuam ipsum pertrahent ad gehennam, sui tandem incipiat misereri & satisfacere studens Domino de commissis ab ecclesiasticorum virorum & specialiter dictorum Camaldulensium molestatione de cetero conquiescat, ne forte preoccupatus subito die mortis, penitentie spatium querat, nec valeat invenire. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si prefatus comes, mandatum nostrum super hoc neglexerit adimplere, vos tam super predicta via, quam aliis, ipsum ab eorumdem Camaldulensium vexatione cessare per censuram ecclesiasticam appellatione remota previa ratione cogatis. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum eam nihilominus exequantur, vos denique fratres archiepiscope & episcope, ac fili electe super vobis ipsis & credito vobis grege taliter vigilare curetis extirpando vitia & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possitis reddere rationem.

Datum Signie VIII. kal. octobris pontificatus nostri anno sexto-decimo.

CXCIX.

Ejusdem literæ pro reformatione monasterii Vangaticiensis.

Anno 1213. VII. kl. octobris.

Ex tabulario eodem. §. Brevia. n. 15.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum dudum ad correctionem & reformationem monasterii de Vangaditia laborantes proficere non possemus, nec hujusmodi Babilon, quam studio multo curavimus, ad sanitatem nullatenus perveniret, quinimmo ejus computruissent adeo cicatrices, ut earum fetor etiam laicos ad nauseam provocaret. Demum attendentes ferro debere vulnera resecari, que fomentorum non sentiunt medicinam, venerabili fratri N.. episcopo tunc electo & dilectis filiis.. priori sancti Georgii & .. canonico Veronensi dedimus in mandatis, ut E.. quondam ejusdem loci abbatem, qui a regimine ipsius nostra fuerat auctoritate amotus, quam etiam monachos universos per alia monasteria collocantes, virum aliquem religiosum bone opinionis & vite sollicitum, in spiritualibus & temporalibus circumspectum monasterio preficerent antedicto, qui secum viris prudentibus & religiosis assumptis, monasterium ipsum spiritualiter & temporaliter reformaret. Qui mandatum apostolicum fideliter exequentes dilectum filium S.. domus vestre de Verona priorem, virum utique providum & honestum ipsi monasterio prefecerunt, injungentes eidem, ut ad minus duodecim viris idoneis de ordine vestro assumptis ad ejusdem reformationem intenderet sollicite ac prudenter, nobis nihilominus per suas literas, quod fecerant, intimantes, ut eorum processus per approbationem nostram stabilitatem debitam sortiretur. Volentes igitur sic ejusdem monasterii reformationi & statui providere, quod ex hoc juri apostolice sedis, ad quam nullo medio pertinet, minime derogetur, de fratrum nostrorum consilio ipsum priorem concedentes dicto monasterio in abbatem, liberam ejusdem monasterii correctionem & plenam tibi, fili prior, & successoribus tuis duximus committendam, ita tamen quod, qui pro tempore fuerit electus ibidem, Romano pontifici presentetur, ab eo confirmationis & benedictionis gratiam receptu-

Ibid. n. 10.

cepturus, ad cujus amotionem, si quando propter excessus suos fuerit amovendus, inconsulto Romano pontifice nullatenus procedatur.

Datum Signie VII. kal. octobris pontificatus nostri anno XVI.

Ibid. n. 10.

CC.

Idem Romanus pontifex confirmat ecclesiam S. Michaelis de Muriano Guidoni priori Camaldulensi.

Anno 1213. VII. kl. octobris.

Ex eodem archivo. §. Brevia. n. 14.

Ibidem. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulen. salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostrii ad debitum perducatur effectum. Quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu ecclesiam sancti Michaelis sitam in palude juxta carnalem de Moriano, sicut eam juste & pacifice possidetis, vobis, & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *&c.* nostre confirmationis *&c.*

Datum Signie VII. kalendas octobris pontificatus nostri anno sexto-decimo.

CCI.

Ejusdem privilegium Grimaldo abbati S. Apollinaris in Classe.

Anno 1213. VII. kl. novembris.

Ex autographo tabularii Classensis.

Ibid. n. 12. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Grimaldo abbati sancti Apollinaris in Classe, ejusque fratribus *&c. iisdemmet verbis scriptum est privilegium ac illud Alexandri* III. *& Urbani* III.

† Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Johannes Sabinensis episcopus ss.

† Ego Ugo Hostiensis & Velletrensis episcopus ss.

† Ego Benedictus Portuensis & sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Cinthius tit. sancti Laurentii in Lucina presb. card. ss.

† Ego Cencius sanctorum Johannis & Pauli tit. Pamachii presb. card. ss.

† Ego Petrus sancte Pudentiane tit. Pastoris presb. card. ss.

† Ego Guala sancti Martini presb. card. tit. Equitii ss.

† Ego Johannes tit. sancte Praxedis presb. card. ss.

† Ego Guido sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Angelus sancti Adriani diac. card. ss.

† Ego Petrus sancte Marie in Aquiro diac. card. ss.

† Ego Benno sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Laterani per manus Rainaldi acoliti & capellani domini Innocentii pape III. VII. kal. novembris indictione II. incarnationis Dominice anno M. CC. XIII. pontificatus vero ejusdem domini Innocentii anno sexto-decimo.

Pendet plumbeum sigillum.

CCII.

Bobonis Perusinorum potestatis donationes Camaldulensibus.

Anno 1214. VIII. exeunte julio.

Ex chartario Fontis-boni. §. Donatio. n. 378.

IN nomine Domini amen. Sancti Spiritus adsit nobis gratia. Anno domini millesimo ducentesimo quartodecimo indictione secunda octava die exeunte julio. Nos Bobo Dei gratia Romanorum consul & Perusinorum potestas nomine communis Perusii cum consilio & voluntate infrascriptorum consiliariorum, qui sunt concessi & dati hoc anno nobis ad consiliandum, & aliorum prudentum nostrorum nobiliorum civium, qui interfuerunt primo & secundo consilio, ad honorem Dei omnipotentis & beate Marie perpetue virginis damus, concedimus & transfactamus tibi domno Salimbene monacho Camaldulensi & tuis successoribus in perpetuum, scilicet podium Mortarii positum juxta montem Teuzium in capite vallis Saracene cum terreno ibi posito desuper via usque ad ripas montis Teuzi, & totum terrenum, Ibid. n. 17.

sicut

ſicut trahit via, que venit de Megiana ſuperiori verſus Pruculianum, & ab inde in ſubtus uſque ad aliam viam, que venit de Pruculiano & vadit verſus Furcellam, & revertitur ad pedem montis ad locum, qui dicitur Lavacci juxta dictam Megianam, terram, ſylvam, aquam, arbores, paſcura, & totum quod communantia Peruſina habet & tenet juxta dictos fines, vel aliquis pro dicta communantia, tibi damus & concedimus, & corporaliter per Petrum Stephani judicem communis Peruſii facimus] te inde inveſtiri, ut admodo habeas licentiam & poteſtatem in dicto loco intrare, tenere, frui, & poſſidere, & facere ibi hoſpitale, monaſterium & romitoria, & ad alia celebranda, que vobis veſtriſque ſuccеſſoribus placuerint pro ſervitio Dei, ita tamen quod vos veſtrique ſucceſſores teneantur celebrare divina officia & manutenere habitum regule Camaldulenſis, & volumus, quod non ſit tibi, nec tuis ſucceſſoribus licitum dictum] locum alicui ſpeciali eccleſie, nec certe perſone dare nec concedere, nec ſubtuponere, nec aliquem contractum facere inde. Et ſi veneritis contra, ita quod ſubtuponeretis dictum locum alicui ſpeciali eccleſie, ſive certe perſone, predictus locus revertatur ad communem Peruſii. Item ſi dictus locus deſiſteret & deveniret ad ſecularem, quod abſit, ita quod non eſſet ibi hoſpitale, ſive monaſterium, aut heremum, vel aliquis loco predicto ſerviendo, ſimiliter revertatur ad communem Peruſii & defendere, guarentare & acquietare dictum terrenum per me meoſque ſucceſſores tibi domno Salimbene & tuis ſucceſſoribus ab omni perſona hominum omni tempore promitto ſub pena centum librarum bonarum dominii Lucenſis, quam quidem dationem & conceſſionem facimus tibi amore Dei omnipotentis, & beate Marie ſemper virginis, & beati Michaelis archangeli & ſanctiſſime Trinitatis, & ſemper divina officia & omnia celebrentur ibi ſecundum regulam Camaldulenſem. Ideo per me meoſque ſucceſſores ipſam dationem & conceſſionem firmam tenere, & omnia ſupradicta obſervare & non contravenire ſub dicta pena centum librarum promittimus, & pena ſoluta ſic ſit firmum omni tempore.

Actum eſt & conceſſum in eccleſia ſancti Laurentii Peruſii. Qui interfuerunt & conſenſerunt & dederunt eorum verbum in hoc inſtrumento hii ſunt, Raynerius Andrionis, qui tunc erat camerarius communis Peruſii, Petrus Stephani judex communis Peruſii &c. *cum aliis quinquaginta.*

Poſtmodum vero eodem menſe ultimo die exeunte in palatio communis Peruſii coram infraſcriptorum conſiliariorum, & aliorum prudentum noſtrorum nobiliorum civium, qui interfuerunt huic conſilio, dominus Bobo Oddonis Bobonis Dei gratia Romanorum conſul & Peruſinorum poteſtas inſimul cum Raynerio Andrionis camerario communis Peruſii, & Petro Stephani judice communis Peruſii cum voluntate & conſenſu infraſcriptorum conſiliariorum & aliorum prudentum, qui interfuerunt huic conſilio, dederunt & conceſſerunt & confirmaverunt prefatum locum prenominato Salimbene monacho Camaldulenſi & ſuis ſucceſſoribus in perpetuum eodem modo, ut ſupra dictum eſt, & ſub dicta pena eodem modo promiſſa. Qui interfuerunt & conſenſerunt & dederunt eorum verbum huic inſtrumento hii ſunt. Petrus Cupe, Andreas Jacobi, Marſilius *&c. cum aliis fere triginta.*

Hi ſunt, qui interfuerunt & viderunt & conſenſerunt, quando Petrus Stefani judex communis Peruſii miſit dictum domnum Salimbene in poſſeſſionem ipſius loci & terreni, & inveſtivit ipſum ind. ..... ſcilicet Raynerius Andrionis, qui tunc erat camerarius communis Peruſii, Jacobinus notarius, Oliverius prior ſancti Severi, presbyter Urlandus, Petrus notarius, presbyter Aneſtaſii, Rainutius Stiramontagne, Bonajunta Martoli, & Guidone Azolini teſtibus.

† Ego Simon Dei gratia Imperialis aule notarius habens poteſtatem emancipandi, dandi tutores ſeu curatores & interponendi decretum minoris alienationis interpoſitionis his omnibus interfui vocatus & rogatus ſubſcripſi & autempticavi.

CCIII.

Capella S. Michaelis de Caſanova traditur parthenoni S. Petri de Luco.

Anno 1214. IV. idus auguſti.

Ex autographo ejuſdem aſceterii. Sacc. B. n. 40.

IN nomine Chriſti amen. Anno Domini milleſimo ducenteſimo decimo quarto, quarto idus auguſti indictione ſecunda feliciter. Conſtat me quidem presbyterum Milaneſem rectorem eccleſie & ca- *Ibid. n. 19.*

& capelle sancte Marie de Riofrido propositis sacrosanctis Dei evangeliis, eorumque invocantem testimonium me nihil ad cessionem ipsius ecclesie facere, sed pro utilitate & melioramento per hoc instrumentum donationis donasse, dedisse, tradidisse atque concessisse tibi domne Franche Uberti de Ubertis de Florentia Dei gratia abbatisse ecclesie & monasterii sancti Petri de Luco recipienti vice & nomine ipsius monasterii sancti Petri de Luco in perpetuum integre, videlicet omnia jura & actiones, & rationes mihi & predicte ecclesie sancte Marie de Riofrido competentes & pertinentes in ecclesia & capella sancti Michaelis de Casanova, & in rebus & pertinentiis omnibus ejusdem. Insuper concedo, cedo & mando a te procuratricem tamquam in rem dicti monasterii facio ac libere in placito & extra nomine dicte ecclesie & monasterii de Luco, agere & requirere possis. Predicta vero omnia in totum, ut dictum est, una cum omnibus super eis & infra habitis, omnique jure & actione & requisitione mihi & dicte ecclesie de Riofrido competentibus in totum, ut dictum est, dono, trado & concedo, & cedo tibi predicte abbatisse recipienti vice & nomine dicti monasterii in perpetuum habendum, tenendum, possidendum, & quidquid tibi tuisque successoribus deinceps placuerit nomine dicti monasterii faciendum, & ab omni tenitore exigendum, & obligo me presbyterum Milanesem & meos successores, & capellam & ecclesiam de Riofrido, quod si umquam in tempore ego vel mei successores vel aliqua persona a nobis submissa vel submittenda de predictis omnibus in totum vel pro aliqua parte vel eorum occasione quolibet modo vel ingenio adversus te predictam abbatissam, vel adversus predictum monasterium agere vel litigare, seu in aliquo molestare in placito vel extra presumpserimus, vel si apparuerit datum vel factum, quod contra hec sit; & si predicta omnia semper firma & incorrupta non tenuerimus, pene nomine libras quinquaginta dare, omneque damnum & expensas exinde competituras resarcire de jure sub obligo potestatis vel alterius persone, per quod magis cogi possim, tibi dicte domine abbatisse pro dicto monasterio recipienti tuisque successoribus promitto, suam semper hoc instrumento
Ibid. n. 15 firmitatem obtinente. Et in his omnibus omni juri & exceptioni & ecclesiastico privilegio penitus renuncio, & solvi pretium Guidoni plebano de Rivocornoclario de meo proprio libras sexdecim solidorum pro dicta ecclesia.

Actum in ecclesia & monasterio predicto.

Signum manus presbyteri Milanensis, qui hec omnia ita fieri rogavit.

Signa manuum Benitendi calzolarii, & Cursi filii Bonaccursi, & Dominici filii Orlandi rogatorum testium.

Item constituo me predicta omnia pro te & dicto monasterio possidere quocumque tempore in corporalem possessionem intraveritis dare vobis licentiam recipienti vice & nomine dicti monasterii intrandi quocumque tempore placuerit.

Ego Cambius imperialis aule judex & notarius hec omnia rogatus scripsi & complevi.

CCIV.

Sententia Volcherii Aquilejensis patriarchæ pro Folcherio ep. Parentino contra monasterium S. Michaelis de Lemmo.

Anno 1214. IV. decembris.

Ex antiquo exemplo S. Mathiæ de Muriano. Lib. II. pag. 2.

IN nomine Dei eterni amen. Anno Ibid. n. 16.
Domini M. CC. XIV. indictione II. die sabati quarta die mensis decembris. Cum dominus Volcherius sancte Aquilejensis sedis patriarcha, necnon diocesis Forojuliane, Istrie & Carniole marchio ecclesie Parentine in choro majoris ecclesie sancte Marie & sancti Mauri dominus Folcherius Parentinus episcopus veniens coram ipso dicens: Domine patriarcha jam longum tempus est, quod fui in questione coram vobis pro ecclesia mea cum domino abbate sancti Michaelis de Lemo Parentine diocesis, & super quedam hexenia, que nobis & ecclesie nostre dictus abbas occasione dicti sui monasterii dare tenetur, & modo postquam dictus abbas est ad vestram presentiam, ego sum paratus probare, sicut ratio postulat coram vobis, quod antecessor meus scilicet dominus Petrus bone memorie Parentinus episcopus habuit & possedit quiete & pacifice predictam decimam & hexenia. Scilicet in nativitate Domini porcum unum unius anni, in carnisprivio duas spatulas porchi, in resurrectione Domini duos agnos, in festo sancti Mauri castratum unum unius anni ab antecessoribus dicti abbatis, & ab

omni-

omnibus aliis, qui laborabant dictum territorium non ſunt adhuc vigintiquatuor anni. Ad hec dictus abbas ſancti Michaelis de Lemo reſpondit & dixit: Domine patriarcha & ego hic ſum cum fratribus meis, dico quod non recordor, neque ſcio, quod monaſterium meum numquam ſolviſſet eccleſie Parentine illud, quod dominus Folcherius epiſcopus dicit, ſed ſi probare poteſt cum privilegio vel cum honeſtis & idoneis viris, ego una cum fratribus meis ſumus parati ſtare in juditio & ſententie veſtre. Ad hec dictus dominus patriarcha precepit dicto domino epiſcopo Parentino teſtes & privilegium ſi habet conducere. Qui in continenti conduxit privilegia ſua & teſtes, ſcilicet domnum Johannembonum abbatem ſancti Michaelis de Subterra, Albertinum archidiaconum Parentinum, presbyterum Varicendum, preſbyterum Andream; & diaconum Dominicum canonicos eccleſie Parentine, qui compulſi per dictum dominum patriarcham juraverunt & dixerunt omnes concorditer, quod ſciunt pro certo, quod eccleſia Parentina debeat habere decimam de toto territorio ſancti Michaelis de Lemo per quemcumque laboretur & hexenia in canipa epiſcopatus Parentini per fratres & famulos dicti monaſterii pluries tempore domini Petri bone memorie epiſcopi Parentini. Unde dictus dominus Volſcherius patriarcha, his auditis & examinatis & habito ſuorum fidelium conſilio, dixit. In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, amen. Nos Volf.. Dei gratia ſancte ſedis Aquilejenſis patriarcha audita & examinata queſtione vertente in & contra fratrem noſtrum F.. Parentinum epiſcopum nomine ſue eccleſie ex una parte, & dilectum filium noſtrum.. abbatem ſancti Michaelis de Lemo Parentine dioceſis nomine dicti monaſterii ex altera, ſuper facto quorumdam decime & henxenii dicimus & ſententiamus, quod dictus dominus F., Parentinus epiſcopus, & ejus ſucceſſores in perpetuum habeant predictam decimam memorati territorii ſancti Michaelis de Lemo tam de omnibus frugibus, quam de animalibus per quemcumque dictum territorium laborabitur. Exceptis de labore duorum parium bovum, quod abbas & ejus ſucceſſores fecerint in dicto territorio ſuis propriis familiis & expenſis. De retentis decimis & henxeniis remittimus, & abſolvimus abbatem predictum. Quam ſententiam dictus dominus F.. epiſcopus & abbas humiliter acceptaverunt, & precepit dictus dominus patriarcha predictam ſententiam obſervari ſub pena quingentarum marcharum auri Aquilejenſi, medietas patriarche, & alia parti ſervanti ſententiam predictam, & nihilominus ſententia firma ſit & rata. Teſtes interfuerunt Conradus Tergeſtinus electus, Octo Civitenſis decanus, Philippus canonicus Aquilejenſis, Equilpertus comes de Goritia & aliis. Quam ſententiam juſſit dictus dominus Volcherius patriarcha ſuo ſigillo roborari.

Ego Cadulus Parentinus notarius ex precepto domini Volcherii patriarche Aquilejenſis hanc ſententiam ſcripſi & roboravi.

Ego Nicolaus)
Ego Andreas de Parentio)
Ego Gabriel Mugl.) omnes iſti
Ego Coldanus de Parma) ſunt notarii.
Ego Marcus Gual.)
Ego Johanes de Guſlaro.)

CCV.

Innocentii pp. III. *literæ pro monaſterio Pulliciani.*

Anno 1215. nonis februarii.

Ex autographo Fontis boni. §. Brevia. n. 16.

INnocentius epiſcopus ſervus ſervorum [f] Ibid. n. 22.
Dei venerabili fratri .. epiſcopo Florentino, & dilecto filio .. abbati ſancti Miniatis Florentine dioceſis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Abbas & conventus monaſterii de Pulichiano Camaldulenſis ordinis nobis conquerendo monſtrarunt, quod G., eccleſie ſancti Michaelis de Macinaria Vulterrane dioceſis ſuper jure patronatus ipſius eccleſie injuriatur eiſdem. Ideoque diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus partibus convocatis, audiatis cauſam, & appellatione remota fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis, per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes *&c.*

Datum Laterani nonis februarii pontificatus noſtri anno octavodecimo.

CCVI.

CCVI.

Receptio literarum ejusdem facta ab Adelardo cardinali ep. Veronensi pro monasterio Follinate.

Anno 1214. *more Veneto* XII. exeunte martio.

Ex chartulario ejusdem monasterii. n. 1010.

Ibid. n. 15. DIe XII. exeunte martio in palatio episcopatus Verone in presentia domini magistri Castellini archipresbyteri insule Porcaricie, domini Bonisenioris camerlengi domini episcopi, Wilheloni notarii. Ibique dominus Adelardus Dei gratia sancte Romane ecclesie venerabilis Veronensis episcopus precepit mihi Boneto notario, ut darem exemplum cujusdam rescripti domini pape Patavino notario de sancto Benedicto nuncio domni Patavini Candiane abbatis, & domni fratris Jordani ministri sancti Benedicti de Padua, & domni Johannis prioris sancte Crucis, & abbatis Fuline, ut dicebat, tenor cujus talis est, ut hic inferius legitur. Innocentius episcopus servus servorum Dei ven. fratri .. Veronensi episcopo sancte Romane ecclesie cardinali salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte dilectorum filiorum .. abbatis & conventus monasterii sancti Firmi Verone nobis est oblata querela, quod cum monasterium de Folina Cenetensis diocesis ad suum monasterium pertineat pleno jure, J.. qui se gerit pro abbate loci ejusdem ipsum monasterium occupatum detinet in eorum prejudicium & gravamen, alias eisdem injurias irrogando; ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram eamdem appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere; nullis literis veritati & justitie prejudicantibus a sede apostolica impetratis. Tu denique frater episcope super te ipso & credito tibi grege taliter vigilare procures extirpando vicia & plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die coram tremendo judice, qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possis reddere racionem. Datum Laterani v. kl. junii pontificatus nostri anno sextodecimo. Et anno Domini Millesimo CC. XIV. indictione secunda.

Ego Bonetus domini Ottonis regis quarti notarius vidi & perlegi literas rescripti domini pape bullatas bulla domni Innocentii summi pontificis secundum quod superius legitur &c. rogatus exemplavi.

CCVII.

Bernardus fundator eremi de Calci ipsam subjicit monasterio S. Michaelis in burgo Pisarum.

Anno 1216. *more Pisano* XIV. kl. octobris.

Ex autographo S. Michaelis Pisarum.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Anno ab incarnatione ejus millesimo ducentesimo sextodecimo indictione tertia quartodecimo kalendas octobris. Quoniam nullus propria virtute, propriisque viribus, nisi divina miseratione bonorumque hominum patrociniis adjutus valet secularis conversationis incolatum deserere, & virtutum gradibus ad alta conscendere, & Marie quietem adipisci, nisi Marthe sollicitudine fuerit administratus; ideo ego frater Bernardus fundator & rector ecclesie sanctorum Verani & Jacobi de Calci de loco dicto Coste de aqua, & eremi pro utilitate & augmento suprascripte ecclesie & eremi, consilio & consensu Leonardi, Hermenii & Henrigi quondam Ugolini, Vallientris, & Johannis de Assalita, & Bonajuncte quondam Ranuccini fratrum meorum in predicto loco existentium, & nos predicti fratres scilicet Leonardus, & Henrigus, & Johannes & Bonajuncta consensu & voluntate suprascripti fratris fundatoris & rectoris predicte ecclesie & eremi supponimus nos & suprascriptam ecclesiam & eremum, & insuper damus, & offerimus & tradimus tibi donno Guidoni abbati monasterii & ecclesie sancti Michaelis de Burgo recipienti pro conventu Camaldulense, & pro ipsa ecclesia & monasterio sancti Michaelis, predictam ecclesiam sanctorum Verani & Jacobi, & predictum locum & eremum, cum omni jure & proprietate & actione & pertinentiis & adjacentiis eorum & cujuslibet eorum, & omnes terras cultas & incultas, agrestas & domesticas ad nos vel ad aliquem nostrum, vel ad alium pro nobis, vel pro aliquo nostrum, sive pro *Ibid. n.* 22.

pro suprascripta ecclesia & loco & eremo pertinentes, & que ad ipsam ecclesiam & locum & eremum pertinent, vel pertinere possunt. Et nominatim terras & vineas & domum de Caprile, castagnetum de Edere, castagnetum de Muro, castagnetum de Planellis, castagnetum de Fontanis & omnes alias possessiones & alia omnia bona ad nos & ad suprascriptam ecclesiam & locum, & eremum pertinentes & pertinentia, &c. Quatenus tu suprascriptus domnus abbas & tui successores pro suprascripto conventu & pro suprascripta ecclesia & monasterio sancti Michaelis suprascripta omnia & singula habeatis & teneatis, & possideatis, & ipsis omnibus & singulis suprascriptorum agere & experiri vos & vestri successores pro suprascripto conventu, & pro suprascripta ecclesia, & monasterio sancti Michaelis possitis & valeatis. Et insuper possessionem, quam de suprascriptis omnibus & singulis suprascriptorum habemus, tibi suprascripto domno abbati pro suprascripto conventu, & pro suprascripta ecclesia, & monasterio sancti Michaelis recipienti damus & tradimus. Qui suprascriptus frater Bernardus & alii suprascripti sui fratres promiserunt suprascripto domno abbati recipienti pro suprascripto conventu & pro suprascripta ecclesia & monasterio sancti Michaelis obedientiam, & manus eorum in manibus ipsius domni abbatis recipientis pro suprascripto conventu & pro suprascripta ecclesia & monasterio sancti Michaelis miserunt, & incontinenti corporaliter miserunt suprascriptum abbatem in possessionem suprascripte ecclesie sanctorum Verani & Jacobi, & loci & eremi recipientem & adprehendentem pro suprascripto conventu, & pro suprascripta ecclesia & monasterio sancti Michaelis, que omnia & singula suprascriptorum suprascriptus abbas recepit, ut dictum est, per omnia, ita quod prefata ecclesia, & eremus & locus sanctorum Verani & Jacobi debeat esse & manere pro eremitorio, & pro eremitis ibi existendis, & in tali ordine me Monacum judicem & notarium rogaverunt.

Acta sunt hec omnia suprascripta apud suprascriptam eremum in suprascripta ecclesia sanctorum Verani & Jacobi presentibus Salinbene quondam Guidonis, & Ugolino quondam Johannis, & Bandino quondam item Bandini testibus ad hec rogatis.

Ego Monacus dictus Rainerii Vellionis domini imperatoris Henrici judex & notarius hec suprascripta rogatus scripsi & firmavi.

CCVIII.

Ecclesia de Longano prope Bellunum subjecta declaratur monasterio de Follina.

Anno 1215. II. intrante novembri.

Ex autographo ejusdem monasterii. n. 1007.

ANno Domini millesſ. cc. xv. indictione IV. die veneris secundo intrante novembri, presentia Tardivelli preconis, Paganoti de Agardo, qui moratur Contasso &c. & aliorum. Coram supradictos testes presbyter Tonbertus de Longano confessus & manifestus fuit, quod tertia pars ecclesie Longani est monasterii de Folina, & quod dicta tertia pars ecclesie supradicte habet XVII. concollos terre jacentes .. uredo &c. & ibi donus Oldoricus celerarius monasterii Foline nomine ipsius monasterii & pro ipso monasterio investivit supradictum presbyterum Tonbertum de Longano de ipsa tertia parte ecclesie cum supradictis terris & decimis ad voluntatem abbatis, taliter quod dictus presbyter omni anno debeat dare XL. solidos denariorum jamdicto monasterio ad festum sancti Martini &c. Actum in villa Longani. *Ibid. n. 26.*

Ego Leonardus Manfredini quondam filius sacri palatii notarius interfui & scripsi &c.

CCIX.

Gregorius abbas S. Gregorii de Urbe locat aliquot cryptas sui monasterii.

Anno 1215. XX. decembris.

Ex codice Gregoriano pag. 254.

ANno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo quintodecimo pontificatus domni Innocentii III. pape indictione IIII. mense decembri die vicesima. Nos quidem Gregorius Dei gratia abbas venerabilis monasterii sancti Gregorii in Clivo Scauri una cum consensu & de communi voluntate fratrum & consociorum nostrorum in dicto monasterio monachorum, videlicet Bartholomei presbyteri prioris, Raynaldi presbyteri, *Ibid. n. 23.*

byteri, Pauli presbyteri & yconomi, Angeli presbyteri, Romani diaconi, Nicolai presbyteri, Andree diaconi, Mathei atque Johannis & aliorum ante presentiam subscriptorum testium propria nostra voluntate pro jamdicto nostro monasterio ad meliorandas, domosque faciendas concedimus, & ad inhabitandum locamus tibi vero Paulo de Grisayco, & filiis tuis legitimis atque nepotibus tuis, qui queve de ipsis filiis tuis nascentur tantummodo: idest duas cryptas simul junctas cum parietibus & sininis suprascriptis omnibusque eorum usibus, utilitatibus & pertinentiis positas Rome in vocabulo Circli sub palacio majori nostri monasterii juris loco, qui dicitur, vel dici solet porticus Materiani, inter hos affines, a primo latere nostrum monasterium possidet, a secundo supra est vinea juris nostri monasterii, a tertio latere tenet Nicolaus frater tuus juris nostri monasterii pariete communi mediante, a quarto autem latere est via publica per quadraginta solidos bonorum denariorum Senatus, quos nobis pro hac locatione nomine mercedis das. De quibus nos bene quietos vocamus, & non solute mercedis exceptioni omnino refutamus hoc tenore, ut a modo annuatim in festo sancti Gregorii ipsi nostro monasterio pensionis nomine dabis duodecim bonos provisinos Senatus, & non liceat tibi nec filiis aut nepotibus tuis utriusque sexus hanc locationem ulli alii ecclesie, vel pio loco, seu potenti persone relinquere, nec ullo penitus modo dare, nec etiam ulli alii persone prius vendere vel obligare, aut aliter alienare quam dicto nostro monasterio & ad minus justi pretii decem solidis provisinorum: quod si emere vel pignori recipere noluerit, vendere debeat tali persone, que ipsi nostro monasterio sine malitia placeat, & que tu debes, adimpleat & persolvat, prius tamen dicto eo min... dato, & corpus tuum & corpora filiorum & nepotum tuorum tempore mortis cimiterio nostri monasterii sepeliri facere teneamini, decimas, primitias & oblationes, si quas voluntarie non coacti prebere volueritis, aut quicquid tempore mortis pro animabus vestris dare sponte disposueritis nostro monasterio relinquere & dare teneamini, vel ecclesie sancte Marie de Manu, si facta fuerit & ibi presbyter fuerit, & liceat vobis & omnibus, qui supra, tenimentum nostri monasterii venerint ad habitandum per edificia totius palatii majoris nostri monasterii juris pro omnibus vestris & eorum agendis sese defendere atque tueri: & si dicte crypte hinc usque ad unum annum apte ad habitandum non fuerint & ibi non habitaveris, ab hac locatione omnino cadas, & dicte crypte cum omni earum melioratione ad dictum monasterium libere revertantur, nullo jure vel usu obstante, finita vita tua & filiorum ac nepotum tuorum utriusque sexus, dicta locatio pariter finiatur, & ipsi nostro monasterio libere revertatur. Verumtamen si pronepotes tui voluerint ipsi nostro monasterio quadraginta solidos provisinorum dare, sine mora dictum monasterium dictas cryptas in hunc autem modum relocare eis teneatur, & sic semper procedat, pena invicem promissa unius boni auri libre. Testes Guassus Arenule, Petrus filius ejus, Octabianus de Guasseo, Guasseus filius ejus, Oddo Johannis Saraceni, Stefanus de Laur... Johannes Merci, & liceat tibi pro resarciendis cryptis & ovile tollere de nostro tenimento lapides ubicumque inveneris sumere & tollere *&c.*

CCX.

Aliæ binæ locationes ab eodem abbate factæ.

Anno 1216. XVII. januarii.

Ex eodem codice pagg. 257. 261.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo sextodecimo & anno decimo octavo pontificatus domni Innocentii tertii pape indictione quarta mensis januarii die decimoseptimo. Nos quidem Gregorius Dei gratia abbas venerabilis monasterii sancti Gregorii in Clivo Scauri una cum consensu & de voluntate fratrum & consociorum nostrorum in dicto monasterio monachorum, videlicet presbyteri Raynaldi prioris, Pauli presbyteri & yconomi, Romani diaconi, Angeli presbyteri, Nicolai presbyteri, Andree diaconi & aliorum propria nostra voluntate concedimus & ad habitandum locamus vobis Johanni Salinbene, & Johanni Marci, atque Johanni Carchi, necnon & Nicolao Reatino, atque Dionysio & filiis & nepotibus vestris legitimis *&c.* idest quinque cryptas sinino coopertas cum introitibus *&c.* positis ante portam nostri monasterii sub palatio majori nostri monasterii juris. Fines vero crypte locate Salinbene hi sunt: A primo latere est cri- Ibidem.

pta locata Johanni Marci juris nostri monasterii pariete communi mediante, a secundo retro est vinea juris nostri monasterii, a tertio nostrum monasterium possidet, a quarto autem latere est plazza juris nostri monasterii. Fines crypte locate Johanni Marci hi sunt: a primo latere Johannes Carci juris nostri monasterii pariete communi mediante, a secundo retro est vinea juris nostri monasterii, a tertio tenet Salinbene juris nostri monasterii & communi pariete mediante, a quarto latere est plaza juris nostri monasterii. Fines crypte locate Johanni Carci hi sunt, a primo latere Johannes Marci, a secundo retro est dicta vinea, a tertio tenet Nicolaus Reatinus juris nostri monasterii pariete communi mediante, a quarto autem latere est plazza juris nostri monasterii. Fines crypte locate Dionysio hi sunt, a primo latere Nicolaus Reatinus, a secundo retro est predicta vinea, a tertio nostrum monasterium possidet, ab utroque latere pariete communi mediante, a quarto autem latere est plazza juris nostri monasterii: pro eo quod ab unoquoque vestrum pro hac locatione nomine mercedis accipimus viginti solidos provisinorum Senatus *&c. ut in alia anni superioris*. Testes Johannes Silvestri, Romanus Johannis Pauli Romanus, Johannes Bobonis, Paulus de Grisanto, Octabianus clericus & rector ecclesie sancte Marie in Petrotio.

In nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo sexto, & anno decimo octavo pontificatus domni Innocentii tertii pape indictione quarta mensis januarii die decimo septimo. Ego quidem Octavianus clericus dispensator & rector ecclesie sancte Marie in Petroccio jure & dominio monasterii sancti Gregorii in clivo Seauri pertinentis, presentibus & consentientibus in hoc mihi domno Gregorio Dei gratia abbate predicti monasterii cum presbytero Raynaldo & aliis monacis & consociis ejus ante presentiam subscriptorum testium propria mea voluntate pro jam dicta ecclesia concedo, & loco tibi vero Petro Silvestri pro te & Nicolao fratre tuo, cujus in hac causa negotium geris, & filiis & nepotibus tuis & ejusdem fratris tui masculis & legitimis tantum, idest unum casalinum cum pariete suo de una parte cum introitu & exitu suo, omnibusque suis usibus, utilitatibus & pertinentiis positis in Rome regione curtis dompne Micine prope dictam meam ecclesiam, cui a tribus lateribus via est, quartum finem non habet, quia triangulum est, pro tribus libris bonorum provisinorum Senatus, quas mihi pro hac locatione nomine mercedis *&c.* das *&c.* hoc tenore, ut a modo annuatim in festo sancte Marie ex mense augusti predicte mee ecclesie nomine pensionis dabitis sex bonos provisinos Senatus, & non liceat tibi, nec ipsi fratri tuo, nec filiis aut nepotibus tuis & ejus hanc locationem ulli alii ecclesie vel pio loco relinquere, nec ullo penitus modo dare, nec etiam alicui persone prius vendere vel obligare, aut aliter alienare, quam dicte ecclesie, & ad minus justi pretii decem solidos provisinos Senatus, si sic emere noluerit, vendat eam tali persone, que ipsi ecclesie sine malitia placeat, prius tamen dicto eo minus dato ei. Finita vero vita tua & dicti fratris tui & filiorum & nepotum tuorum, & ejusdem fratris tui masculini sexus tantum dicta locatio finiatur, & dicte ecclesie libere revertatur. Necnon si hinc usque ad terminum quatuor annorum sine mora & impedimento evidentis rei in dicto casalino domum aptam ad habitandum non feceritis, & tam in ea, quam in aliis nostris domibus, quas ibidem in palatio dicte nostre ecclesie habemus, ad habitandum non veneritis, ab hac locatione cadatis, & sicut fuerit meliorata, ad dictam ecclesiam libere revertatur, nisi mea vel successorum nostrorum fuerit voluntas vobis plus in antea indutias dare. Novissime autem pro me & successoribus meis tibi pro te & dicto fratre tuo tuis & ejus filiis *&c.* defendere promitto *&c.*

Testes Romanus Johannis Pauli, Johannes Marci, Johannes Carchi, Salinbene, Nicolaus Reatinus.

Ego Johannes Leonis sancte Romane ecclesie scriniarius habens potestatem dandi tutores & curatores emancipandi, decretum interponendi, & alimenta decernendi hec dicta propria manu conscripsi, & ne possit in futurum dubitari, ideo me subscribo.

CCXI.

CCXI.

Juspatronatus ecclesiæ S. Cæciliæ Pisarum traditur monasterio S. Michaelis in Burgo.

Anno 1216. XII. kl. martii.

Ex authentico ejusdem monasterii.

Ibid. n. 30. IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo sextodecimo indictione quarta XII. kalendas martii. Manifestum sit omnibus, quod ego Rainerius Vicecomes quondam Gherardi Vicecomitis pro remedio anime mee dono & trado pure & irrevocabiliter inter vivos vobis domno Guidoni venerabili abbati ecclesie & monasterii sancti Michaelis de Burgo pro ipsa ecclesia & monasterio recipienti totum juspatronatum, & patronatus ipse totus, qui & quod mihi pertinet vel pertinere potest in ecclesia & de ecclesia sancte Cecilie, que est edificata in civitate Pisana prope locum vel in loco, qui dicitur Rivolta, & omnia jura & actiones omnes, que & quas habeo & mihi pertinent vel pertinere possunt in suprascripta & de suprascripta ecclesia sancte Cecilie pro patronatu, & pro quocumque modo vel jure, & quacumque occasione vobis suprascripto domno Guidone venerabili abbati suprascripte ecclesie & monasterii sancti Michaelis pro ipsa ecclesia & monasterio recipienti, ut predictum est, dono & trado & cedo nullo jure vel actione aliqua inde mihi reservato vel reservata; & precipio vobis pro suprascripta ecclesia & monasterio sancti Michaelis vestra auctoritate intrare possessionem vel quasi seu patronatus & juris vel quasi, & nostre predicte ecclesie & monasterii jure proprio possidere vel quasi. Et constituo me pro vobis pro suprascripta ecclesia & monasterio sancti Michaelis possidere vel quasi quoadusque adepti fueritis pro suprascripto monasterio possessionem vel quasi. Hoc acto & intellecto suprascripta donatione & traditione, & cessione, & possessionis datione vel quasi, quod si acciderit me mori filio masculo relicto legitimo ex me, qui ad etatem viginti annorum perveniat, vel qui legitimum filium masculum ex se relinquat, quod hec donatio, & traditio, & cessio, & possessionis datio vel quasi nihil valeant, & ad me & ad predictum filium meum revertatur, ac si nulla donatio vel traditio sive cessio, aut possessionis datio vel quasi inde facta fuisset, & quod me vivente & predicto filio meo vivente nihil mihi vel predicto filio meo obstent suprascripta, quo minus uti possim & possit jure patronatus suprascripte ecclesie, tamquam si nullam donationem vel traditionem, vel cessionem vel possessionis dationem vel quasi inde fecissem. Et in tali ordine me Bonacursum judicem & notarium suprascripti contrahentes hanc chartam rogaverunt scribere. Actum Pisis in claustro suprascripte ecclesie & monasterii sancti Michaelis de Burgo presentibus Bonfilio aurifice quondam Michaelis, & Antonio speciario quondam Ildebrandini testibus ad hec rogatis.

Ego Bonacursus filius quondam Patrignonis de Patrignone Enrici Romanorum imperatoris judex ordinarius atque notarius suprascriptis interfui, & hanc chartam rogavi, scripsi & complevi.

CCXII.

Charta permutationis Samsonis abbatis Vangaticiensis cum Ailice comitissa Estensi.

Anno 1216. XIV. martii.

Ex apographis ejusdem monasterii.

IN nomine Domini Dei eterni. M. CC. XVI. indictione IV. die XIV. introeunte martio Rhodigi in domo marchionis in presentia domini Guilielmi de Lendenaria, domini Johannis judicis de Tezo de Legnaco, Cagnoli de Legnaco, domini Azonis de Buxio, domini Bexinci, domini Taurelli de Agullino, Federici vicecomitis, Ambrosini de Albomo de Rhodigio, Martini judicis, Gregorii notarii, Guerre de Sarzano & aliis. Ibique domnus Sansonus abbas monasterii sancte Marie de Vangatitia verbo & consensu domni Ottonis prioris Montis silicis, domni Petri, ex arbitrio domni Albrigeti, Panis de Mileo, & fratris Petri ad libellum perpetualem dedit domine Alis comitisse vice & nomine filii sui Azzolini Novelli marchionis Estensis recipienti, totam terram, que ad monasterium pertinet, secundum quod fuit designata per allodium monasterio a Mardimaco in josum usque in capite inferiori terre, quam dominus Ingenolfus tenet, & inde ad transversum recta linea usque ad Tartarellum, que sit centum Ibid. n. 27.

man.

mansi, & si minus centum mansorum ibi reperiretur, promisit ei complere usque ad centum mansos de alia terra, que remanet monasterio deinde in josum; & si plus centum mansis foret, superfluum remanet monasterio. Reddendo annuatim in festivitate sancte Marie de augusto dicto monasterio tres libras incensi vel octo diebus ante, aut postea in pena xxv. librarum Venetiarum. Et si abbas recipere noluerit dictum fictum, ponatur super altare sancte Marie, & ita valeat, ut reciperet a dicta comitissa cum obligatione suorum bonorum sub pena quingentarum librarum Venetiarum, constituens se pro monasterio possidere. Promisit dicto abbati pro monasterio recipienti vice & nomine dicti filii sui. Fecit datam & refutationem, finem vel remissionem de illa terra & valle, que est terra, quam tenet dominus Ingenolfus in josum, & quod expediet illam ab omni persona, que ab inde in josum teneretur per marchionem Estensem. Et si non posset expedire, quod dabit cambium similem monasterio de alia terra, que est in ea parte, quam abbas nunc ei dedit. Et tenere aggeres, & fieri facere per ripam fluminis & alibi, ubi fuerit necesse, ad eam terram manutenendam. Et quod faciet dominum ejus filium, cum fuerit in etate in dictu sapientis hominis laudare & confirmare, & promittere hunc contractum. Quod si non attenderet, promittit ei abbati pro monasterio dare quingentas libras nomine pene, & pena soluta contractus sit firmus. Et facta laudatione & confirmatione, & promissione per ipsum Azzolinum, ut sapiens dicit, dicta comitissa debet esse liberata de predicta obligatione.

Ego Zamboninus Ubertini notarii domini Federici imperatoris notarius hoc instrumentum ex imbreviaturis dicti Ubertini notarii quondam patris mei a domino Azzone Estense marchione mihi concessis, sumpsi, scripsi, & corroboravi, nihil addens de eo, quod in ipsa imbreviatura reperii, nec minuens, quod ipse abbreviature mutet sententiam, nisi forte in sillaba vel litera, aut puncto, seu in compositione literarum vel syllabarum currente anno Domini M. CC. LII. indictione x. die x. exeunte novembre.

CCXIII.

Gregorius abbas S. Gregorii de Urbe locat Castrum-vetus.

Anno 1216. XXVIII. aprilis.

Ex codice Gregoriano pag. 173.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo sextodecimo indictione quarta mensis aprilis die vigesimo octavo. Ego Justinus Dei gratia sacri Romani imperii scriniarius rogatu subscriptarum partium subscriptum arbitrium a me probatum publicis literis pro futura memoria scribere curavi, quod quidem tale est. *Ibid. n. 23.*

In nomine Domini. Ego Justinus Dei gratia sacri Romani imperii scriniarius electus arbiter sub compromisso pene sexcentum librarum provisinorum nomine bone plejarie hinc inde firmo, nihilominus manente arbitrio a dompno Gregorio abbate venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii, quod ponitur in Clivo Scauri, & Raynaldo priore, Paulo yconomo, Nicolao camerario monachis ejusdem monasterii, & pro ipso monasterio ex una parte, & ex adverso a Gerardo Johannis Nicolai & Andrea fratre ejus pro se & pro Nicolao fratre eorum, & pro filiis & nepotibus masculis ipsorum tantum & pro Girardo de Petro, & Johanne Matthei nepotibus eorum, & pro filiis dicti Girardi de Petro, & Johannis masculis tantum, de castro, quod vocatur Castrum-vetus, & omnibus ejus tenimentis intus & de foris, & de quantitate pecunie petite pro dicto castro, & de omnibus conditionibus & tenoribus & modis infrascriptis. Laudo & sub jamdicta pena & plejaria, firmo nihilominus manente arbitrio, precipio quatinus dicti abbas & yconimus cum monachis dicti monasterii pro ipso monasterio obligent & pignori ponant, & investientes jure pignoris tradant dictis Andree & Girardo pro se & omnibus dictis personis dictum Castrum-vetus cum omnibus ejus tenimentis & pertinentiis tam intus ipsum castrum, quam extra positis territorio Nepesine civitatis inter hos fines. A primo latere est fossatus silve Henglesis, que dividit hunc tenimentum, per quem decurrit aqua fontis de Vico usque in Treliam, & est cava dicte silve Henglesis, que dividit hoc tenimentum, & sunt terre dicti castri Henglesis, sicut recte trahit usque in ter-

terram que vocatur Vallis Pezola, que est sancte Lye, & descendit per fossatum de Coco usque in rigum, qui decurrit sub Filissario; & a secundo est dictus rigus, sicut ascendit usque in locum, qui dicitur Vadum longum, de quo rigo medietas est hujus tenimenti; a tertio est via, que ascendit a dicto Vado longo & vadit contra Mazanum per montem Stratum usque in cilium montis Sanarelli, & descendit per fossatum de Pili usque in Treliam, & a quarto est Trelia a dicto fossato de Pili, sicut decurrit usque in fossatum, per quem decurrit aqua fontis de Vico, de qua Trelia medietas est dicti tenimenti pro quingentis quinquaginta libris Senatus, quas precipio, quod Andreas & Girardus pro se & dictis personis eis pro dicto monasterio solvant pro solvendis debitis ipsius monasterii. Item precipio sub dicta pena nomine plejarie, quod dictus abbas & ejus successores & monachi ipsius monasterii pro ipso monasterio non habeant potestatem ullo modo nec per se, nec per alios recolligendi ac repetendi dictum castrum cum ejus tenimentis; immo renuntient & refutent dictis personis, quod nullo tempore, donec locatio fiat, ab eis repetant, & recolligant dictum castrum, ac concedant eis quicquid juris habent adversus Durantescos in dicto castro & ejus tenimentis, tam per Senatum, quam quoquo alio modo, & postquam licentiam habebit dictus abbas a domino papa Innocentio de locatione facienda dictis personis de dicto castro, vel si domnus Innocentius papa premortuus fuerit ei, locet ipse cum monachis dicti monasterii dictum castrum cum omnibus ejus tenimentis intus & de foris dicto Girardo & Andree & Nicolao pro se filiis, & nepotibus eorum masculis tantum, & isti solvant omni anno in festivitate sancti Gregorii dicto monasterio & ejus servitoribus septem solidos provisinorum nomine pensionis, & si in festo non solverint, in octavo duplum solvere teneantur: & si dictum castrum aliquando vendere voluerint, vendant prius dicto monasterio eo minus pretio, quod inde habere potuerint octo librarum provisinorum, & si emere noluerit dictum monasterium, vendat deinde cum eorum consensu tali persone, que eis placeat sine malitia, & tunc dictum eo minus tantum eis dabunt pro consensu excepto alii ecclesie & pio loco, quibus nullo modo vendant, nec relinquent. Mortuis vero personis dictum monasterium teneatur relocare usque in tertiam generationem aliis masculis descendentibus de dictis personis, & sic deinceps semper & tempore renovationis teneantur descendentes de dictis personis dare pro renovatione dicto monasterio sexdecim libras provisinorum, & ad mortem dicti Girardi & Andree & Nicolai, videlicet ad mortem uniuscujusque istorum habeat dictum monasterium octo libras provisinorum, & ad mortem aliorum de unoquoque habeat dictum monasterium centum solidos provisinorum, ita tamen si non sepeliantur in dicto monasterio, sed si sepeliantur, non teneantur prestare, sed si de filiis & nepotibus dicti Girardi, Andree & Nicolai, & Girardi de Petro, & Johannis Matthei decederet aliquis, viventibus patribus vel avis eorum, sive sepeliantur, sive non, nihil prestent. Item precipio sub dicta pena, quod dictum monasterium habeat potestatem ordinandi presbyteros in ecclesiis dicti castri, qui habeant decimas, primitias, & oblationes & mortuorum tantum. In tenimentis vero dicti castri intus & de foris & molendino nihil habeant dicte ecclesie, excepta ecclesia sancti Angeli quatuor staria terre & unum pezolum vinee, que data fuerunt ei in consecratione ecclesie: & ecclesia Salvatoris habeat potestatem macinandi proprium granum in mola sive molitura, que precipio, ut dicte ecclesie habeant interim tantum, donec locatio fiat dictis personis, ipsi teneant & possideant, ac lucrentur dictum castrum jure pignoris intus & de foris, & habeant omnia jura bandi & sanguinis ac foris facture, & totius alius questus, & observent omnes dictos tenores inter se dictus abbas & ejus successores pro monasterio, & dicti Girardus & Andreas, & omnes alie dicte persone, que superius dicte sunt, dum pignus durat, ac si esset facta locatio. Item precipio, quod si dictus Girardus, Andreas, Nicolaus, Girardus de Petro, & Johannes Matthei in dampnum venerint de dicto castro per dominum papam, vel per imperatorem, vel per senatum, vel per Durantescos quocumque modo, dictum monasterium non teneatur eis aliquid resarcire pro dampno, excepto quod si per Durantescos de quarta parte dicti castri & tenimenti ejus in dampnum venerint, de jure quod teneantur eis resarcire, & dicti Andreas, Girardus, & Nicolaus, & dicte persone vel eorum successores non repetant dictam pecuniam a dicto monasterio, nisi in modum defensionis. Item precipio, quod Girardus & Andreas faciant fideli-

tatem

tatem dicto monasterio, & faciant facere a Nicolao Johannis, Nicolao & Girardo de Petro, quam citius potuerint, & compellati fuerint, & semper filii & nepotes descendentes ex istis post mortem avi vel patris faciant hoc sacramentum, & filii ejus faciant post mortem ejus: & sic precipio de gradu in gradum a tempore renovationis faciant hoc sacramentum, qui tunc erunt. Item precipio sub dicta plejaria & pena firmo manente arbitrio, quod hec omnia supradicta ad invicem observent, & contra non veniant. Item precipio, quod si Oddo de Maximo dativus judex voluerit addere, vel minuere vel emendare super his, quod potestatem habeat addendi & minuendi & emendandi. Laudatum & a dictis partibus comprobatum anno mense & indictione suprascripta, unde hi sunt testes.

Nicolaus Petri de Paulo pictor.
Johannes Bottus frater ejus.
Stephanus Thome Johannis Cinthii.
Johannes Petri Johannis Cinthii.
Angilerius Pauli de Stephano.
Johannes Marchi.
Dionysius frater ejus.

Ego Justinus Dei gratia sacri Romani imperii scriniarius complevi & absolvi.

CCXIV.

Alia Samsonis abb. Vangaticiensis permutatio cum Ailice comitissa.

Anno 1216. xv. exeunte augusto.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ibid. n. 27. IN nomine Domini Dei eterni. Anno Domini M. CC. XVI. indictione quarta die xv. exeunte augusto Rhodigio in domo marchionis in presentia domini Rolandi archipresbyteri Rhodigii, domini Guillielmi de Lendenaria, Taurelli de Agellino, Widonis Cingna, Imboce de Montagnana, domini Pasqualis de Urbana, Federici notarii, Gerardi notarii, domni Venture causidici de Ripa, domini Vitalis de Verona, Gilberti notarii, Bencii de Rhodigio, presbyteri Zennarii de Valle, Verre de Sarzano, & aliorum multorum rogatorum. Ibique domina Ailis Estensis comitissa uxor quondam domini Azonis Estensis marchionis confessa fuit se nomine finiti & conventi precii accepisse a domino Sansone abbate monasterii sancte Marie de Vangadicia pro ipso monasterio VIIII. centum libras denariorum Veneticorum, & renuntiavit exceptioni non numerate pecunie, pro quo pretio predicta domina Ailis vendidit, tradidit ac investivit nomine venditionis ad proprium dictum abbatem pro dicto monasterio de omni illa ratione & actione, reali & personali, quam dominus Azo marchio filius ejusdem domine abebat in villa Placentie, & in toto lacu & valle de Grotariolo cum terra laborativa, & aquis, & piscationibus, & nemoribus, & venationibus & jurisdictionibus, tam in terris, quam in aquis, sicut dividit & trait, & sicut terminatum est inter dictum monasterium & commune Merlarie, a capite canalis Inferni & trahit aliut canale versus Meliadinum, tantum quantum dictus lacus de Grotarolo tenet a dicto canale de Meliadino recta linea cum terra & aqua, & nemore & paludibus usque ad canalem de Balduina, & ab alio capite versus meridiem usque ad terram dicti monasterii, secundum quod designatum fuit & terminatum per potestatem Padue, & prout continetur in instrumento facto per me Savere notario, & precepit dicta domina Ailis predicto abbati, ut auctoritate sua in tenutam intraret de suprascripta venditione, & promisit suprascripta domina venditrix non impedire &c. sed ab omni homine defendere, & sub pena mille librarum Venetiarum, & insuper promisit, quod quando dictus filius Azo erit tali tempore, quod poterit confirmare de jure suprascriptam venditionem, quod ipse confirmabit, & ratam habebit, & confessa fuit, quod ista pecunia fuit data pro redemptione filii sui, pro qua fuerat impignoratus apud Florentinos &c. & obligavit dicta domina omnia bona sua, & omnes suas dotes, & specialiter quidquid ipsa habebat in Colonia & in Montebusio. Quod si aliquo tempore monasterium impediretur ab aliquo de predicta venditione, predictus abbas, aut sui successores possint se tenere supradictas terras & dotes dicte domine comitisse, & quod sua auctoritate possit dictus abbas & sui successores intrare in tenutam de toto eo, quod ipsa habet in Colonia & in Montebusio, & ubicumque ipsa haberet sua bona, & sic dictus Azzo ejus filius aut sui heredes impedire monasterium, aut contravenire aut defendere nollent, & auctorizare dictam exemptionem, prout superius legitur, fecit ipsa domina finem & donationem dicto abbati pro monasterio de toto eo, quod habebat in Colonia & in Montebusio, cum abbatem con-

constituit & ejus successores pro monasterio suos nuntios & procuratores, ut ad rem suam propriam ad habendum, tenendum *&c.* Actum est hoc in supradicto loco.

Ego Savere sacri palatii notarius interfui & rogatus & scripsi.

CCXV.

Traditio monasterii S. Antonii de Tuderto facta Camaldulensibus.

Anno 1216. III. novembris.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Donatio. n.383.

Ibid. n. 28. IN nomine Domini amen. Anno ejusdem incarnationis millesimo ducentesimo sexto decimo temporibus domni Honorii tertii pape die tertia mensis novembris indictione quarta. Hoc quidem tempore nos Tudinus quondam filius Donadei, & Plenerius domine Ranaldine milites Tuderti & patroni ecclesie sancti Antonii Tuderti una cum domina Ranaldina edificatrice ejusdem ecclesie sancti Antonii, & consentientibus aliis sororibus, scilicet Amacucia, Juliana, Agnes, Margharita, Magdalena, & alia Margharita, Juburga *&c.* pro redemptione animarum nostrarum & omnium parentum nostrorum & in remissionem omnium peccatorum tradimus & irrevocabiliter donamus & concedimus atque offerimus Deo & ecclesie sancti Salvatoris heremi Camaldulensis per manus domni Benedicti prioris sancti Sepulchri & sancti Fortunati Tuderti heremum sancti Antonii cum omnibus suis pertinentiis ad plenam ordinationem, & ut in dicto loco semper sint moniales, & ad omnimodam reformationem in perpetuum permansuram & correctionem ipsam ecclesiam donamus & concedimus, ut supra dictum est, Deo & supradicte heremo Camaldulensi, & abbatisse, quam nobis dederit, in perpetuum receptura sine nostra electione, salvo jure episcopi, sicut in carta domini pape continetur, quod est confirmatio abbatisse & correctio in spiritualibus, & promittimus per stipulationem hanc, ordinationem, traditionem & donationem, & omnia suprascripta in perpetuum tenere, & nulla ratione contravenire sub pena centum librarum auri puri, quam penam legitime dare & solvere promittimus, si contra fecerimus, & omnia supradicta non observaverimus.

Hoc actum est in angulo claustri juxta chorum predicte ecclesie sancti Antonii coram domno Mattheo, & presbytero Actone monachis sancti Fortunati, Camucio & Masseo Rigicti hujus rei investitore rogatis testibus.

Et ego Petrus notarius predicte donationi & concessioni interfui & rogatus scripsi.

Per manum Nicolai vicarii Camaldulensis.

Testes Camucius, Tudinus, Rollandinus, Gregorius de Spallaq.. Nicolaus, Marinus.

CCXVI.

Gregorius abb. S. Gregorii de Urbe confirmat locationem Castri-veteris.

Anno 1216. XXII. novembris.

Ex codice Gregoriano pag. 175.

IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo sexto indictione quinta mensis novembris die vigesimo secundo. Nos dompnus Gregorius Dei gratia abbas venerabilis monasterii sanctorum Andree apostoli & Gregorii, quod ponitur in Clivo Scauri, Raynaldus prior, Nicolaus presbyter, Paulus yconimus, Romanus diaconus, Nicolaus camerarius, Mattheus diaconus, Johannes subdiaconus, Clemens presbyter, Andreas presbyter, Oddo diaconus, Romanus subdiaconus monachi dicti monasterii pro ipso monasterio in presentia domini Oddonis de Maximo dativi judicis hac presenti die propria nostra bona voluntate locamus & concedimus vobis Girardo Johannis Nicolai Andree, & Nicolao germanis fratribus unicuique vestrum pro quinta parte pro vobis & pro filiis & nepotibus vestris, pro unoquoque pro quinta parte eorum filiis masculis tantum: id est totum & integrum castrum, quod dicitur Castrum vetus intus & de foris, cujus castri possessionem a nobis vobis traditam possidetis cum omnibus ejus tenimentis & terris sementaritiis cultis & incultis *&c.* positis territorio Nepesino inter hos affines a primo latere est fossatum *&c. ut in superiori charta.* Et totum jus redditus, sive aliud jus, quod habet dictum castrum in terris .... Stalla & Calcate, pro qua locatione confitemur in presentia dicti judicis & Justini scriniarii & testium subscripto- Ibid. n. 23.

rum ad hec spetialiter rogatorum recepisse a vobis quingentas quinque libras provisinorum Senatus, pro quibus renuntiamus & refutamus vobis omne auxilium exceptionis non numerate pecunie, de quibus reddidimus Stephano Johannis Cinthii centum quinquaginta duas libras provisinorum Senatus, quas ei debebamus, pro quibus pignori habebat tenimentum dicti monasterii, posito territorio Mole rupte in loco, qui dicitur Porcineta, & ducentas duas libras provisinorum Senatus solvimus Petro Astaldi Petri Romarucii, & Stephani & matri ejus, quas ei debebamus: pro quibus pignori habebant casale dicti nostri monasterii positum in valle Galere, & unam pedicam terre sementaritie ab alio latere Galere, que dicitur pedica Curtabrace, & tenimentum nostri monasterii positum in vocabulo Cancellate in tenimento Mole rupte, & quadraginta libras provisinorum solvimus Oddoni judici, quas ei debebamus, & centum quinquaginta sex libras provisinorum solvimus cum alia pecunia Johanni Maximi pro pretio tenimenti Mole rupte, quod nobis vendidit sub his tenoribus, quod omni anno in festivitate sancti Gregorii reddetis nobis & nostris successoribus pro dicto monasterio nomine pensionis septem solidos provisinorum Senatus *&c. ut in laudo.*

Gregorius Malialardus testis, Petrus Catilini testis, Nicolaus Alberici testis, Philippus Bartholomei Alberici testis, Nicolaus Adami testis, Petrus Marinus testis.

† Ego Justinus Dei gratia sacri Romani imperii scriniarius complevi & absolvi.

Ego Adamus judex rector judicum urbis videns hoc instrumentum fideliter exemplatum per Justinum scriniarium de dictis quondam Justini olim patris sui, cui fidem habeo, me subscribo.

† Ego Jacobus Consolinus judex adhibens fidem huic instrumento fideliter exemplato ideo me subscribo.

† Ego Johannes Petri Sanniti scriniarius & prior scriniariorum adhibens fidem *&c.* me subscribo.

† Ego Petrus de Justinis scriniarius adhibens fidem *&c.* me subscribo. Testes Gregorius Malialardus, *cum ceteris, ut supra.*

CCXVII.

Aliud examen testium pro monasterio Follinate.

Anno 1216.

Ex authentico ejusdem monasterii. n. 317.

Millesimo ducentesimo sexto decimo. Testes domni .... monachi sindici monasterii sancte Marie de Fullina... ante dominum Jordanum Dei gratia Paduanum episcopum, domnum Balduinum abbatem monasterii de Carraria & domnum Gregorium priorem montis de Crucibus domini pape Innocentii tertii judicum delegatorum ..... dominum Gabrielem priorem & sindicum monasterii sancti Firmi de Verona .... *&c.* quadraginta unus annus est & plus, quod eram in villa Mareni in quadam domo comitisse Sophie cum domino Sigifredo Cenetensi episcopo, quia eadem comitissa tunc ad mortem infirmabatur .... Petrus ibi ..... abbas erat de ordine de Claravalle .... venit quondam ...... comitissam, quia moriebatur, & ivit ad.. ... *&c.* secure erat ille abbas ... *&c.* sciret, quia erat de Claravalle & de ordine Cistercienst. ℞. quia induebatur & utebatur tantummodo vestibus albis. Interrog. quod credit se scire plus quinquaginta annis. ℞. credo, quia ille abbas fuit institutus abbas in eo monasterio per illos de Claravalle, set aliter nescit, & scio quod monasterium de Fullina est hedificatum in episcopatu Cenetensi, & in illis plebibus fui sepius ad sinodum cum episcopo Sygifredo & cum Mattheo Cenetensi, & monachos de Fullina visum habeo recipere ordinationem ab episcopo Cenetensi & in ecclesia de Ceneta .... & vidi abbatem Ubertum & abbatem Bernardum & qui fuerunt post eos abbates de Fullina venire ad Cenetam ad capitula Cenetensis episcopi, & scio quod vidi abbatem Ubertum esse abbatem de Fullina, & postea vidi eum destitutum .... qui fuit destitutus per abbatem de Claravalle ... *&c.* scio quia vidi abbatem Bernardum predictum in Venetiis tempore, quo sepulcrum Christi fuit a Saracenis violatum, qui illuc iverat ad dandam penitentiam domino Viviano de Forminica, qui ibat ultra mare, visum habeo quadraginta unus annus & plus, scilicet a tempore, quo obiit comitissa Sophia, monachi, qui pro temporibus fuerunt in monasterio de Fullina, habere & te-

Ibid. n. 15.

& tenere illud monasterium & ejus possessiones sine alicujus contradictione, preter ab uno anno & medio, quia illi de monasterio sancti Firmi ipsos monachos de Fullina molestant & conturbant. Inter. quomodo scit quadraginta unum annum esse, quod hoc est. ℟. Quia audivi hoc anno legi millesimum sepulture predicte comitisse, & dicebatur, quod erat quadraginta unus annus, quod ipsa obiit circa festum sancti Johannis baptiste.

Bellonus de Cavalca de Ceneta jurando eodem die dixit. Ego scio quod monachi de Claravalle de Mediolano & de Cistello scilicet monachi albi habuerunt & tenuerunt triginta quinque anni sunt & plus monasterium de Fullina *&c.* & qui se credit habere bene XL. annos, & scio quod vidi abbatem Ubertum *&c.* & postea vidi eum destitutum *&c.* & scio quod vidi abbatem Bernardum *&c.* & audivi monachos monasterii de Fullina dicere, quod illi de Claravalle de Mediolano de ordine Cisterciensi eum removerant de illo loco, sed aliter nescit, & postea vidi abbatem Philippum regere monasterium de Folina *&c.* & post eum vidi abbatem Henselmum qui modo est abbas monasterii de Fullina *&c.*

Mengelfredus de Torro de valle Mareni jurando eodem die dixit. Credo quod habeo plus quinquaginta annis & quadraginta anni sunt & plus, quod visum habeo monachos albos *&c.* tenere & regere aliquando cum abbate, & aliquando sine abbate monasterium de Fullina *&c.*

Albrigetus presbyter de Mianis jurando eodem die dixit *&c.* & vidi quemdam abbatem de Claravalle de Mediolano, qui vocabatur Johannes, ad monasterium de Fullina, quando instituit abbatem Ubertum in eo monasterio *&c.* & quod hic (*Johannes*) fuit intus a portis monasterii de Fullina in domo hosterii, ubi hospites recipiuntur, & bene est circa triginta quatuor annos, quod hic fuit &c. quod abbas Ubertus per septem annos vel circa stetit abbas in eo monasterio, & vidi quod ille abbas Johannes venit ad monasterium Fulline & destituit abbatem Ubertum, & quod ibi fuit dominus Guecelo de Camino, presbyter Adhelperius de Mareno *&c.* & scio, quod idem abbas de Claravalle tunc instituit Bernardum abbatem in eo monasterio *&c.*

Vitus notarius de Cisono de valle Mareni jurando dixit, visum habeo per quinquaginta annos & plus *&c. ut supra*. Johannes abbas de Claravalle *&c.* & instituit abbatem Bernardum *&c.* & quod ibi erant dominus Guecelo major de Camino & alii *&c.* & bene sunt triginta anni vel circa, quod hoc fuit. Item quod ille abbas Johannes de Claravalle erat crossus, curtus & calvus *&c.* quod abbas Bernardus fuit abbas in eo monasterio per annos quindecim & plus, & vidi abbatem Phylippum per octo annos & plus stare in eo monasterio per abbatem *&c.* & scio quod abbas Henselmus, qui modo est abbas de Fullina octo anni sunt, & plus stetit in eo monasterio per abbatem *&c.* & vidi abbatem Petrum stare per abbatem quinque annos & plus, plus est triginta annis *&c.* & postea vidi abbatem Gerardum ibi stare per abbatem per plures annos, sed nescit, a quo fuit institutus, & nunquam vidi monachos nigros stare in eo monasterio, sed tantum albos. Item quod institutio abbatis Bernardi facta fuit ab hosterio juxta monasterium Fulline, scilicet a domo, ubi hospites recipiuntur, & postea fuit confirmata in claustro illius monasterii *&c.*

Scinella notarius de Ceneta die XII. exeunte septembris jurando dixit: Quinquaginta anni sunt *&c. ut supra*, intellexi questionem fore inter monasterium de Fullina & monasterium sancti Firmi de Verona *&c.* quod ordo Cisterciensis est, quod monachi illius ordinis portant vestes albas, & non portant lineas vestes, nec comedunt carnes, nec mulieres intrant eorum ecclesias, & quod jejunant a festo exaltationis sancte Crucis omni die preter diebus dominicis usque ad festum Dominice resurrectionis *&c.* & scio quod Ubertus, qui fuit de Vercellis, fuit abbas de Fullina *&c.*

Presbyter Johannes canonicus Cenetensis jurando dixit *&c.*

Bernardus plebanus de Cisone eodem die jurando dixit *&c.*

Ego Warnerius sacri imperatoris F. notarius has attestationes audivi, scripsi & exemplavi anno Domini millesimo ducentesimo septimo decimo indictione quinta die duodecimo exeunte augusto jussu domini Jordani Paduani episcopi, domni Balduini abbatis monasterii de Carraria, domni Gregorii prioris montis de Crucibus judicum delegatorum domini pape Innocentii tertii corroboravi.

CCXVIII.

Excerpta ex interrogationibus & responsionibus in causa libertatis eremi Camaldulensis & membrorum ejus contra episcopum Arretinum sub Guidone priore Camaldulensi.

Circa annum 1216.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Testificat. n. 4. 5.

Ibid. n. 25. & 35. INterrogatus donnus Rainerius prior sancti Michaelis VII. kal. decembris dixit *&c.* Quod semper vidit heremum Camaldulensem & Fontem bonum ipsa & ea esse libera & franca ab omni homine tam episcopo, quam comitibus & proceribus, & ab omni jure patronatus *&c.* nisi soli pape. Inter. Si ivit Romam. ℞. Sic; duabus vicibus tempore prioris Martini *&c.* & alia vice ivit Florentiam, & fecit moram quindecim dierum in eundo, stando & redeundo, quando tractabatur causa electionis episcopi Aretini, qui nunc est; & alia vice dicit, se ivisse Florentiam pro causa clericorum civitatis Aretine *&c.* & hoc fuit, quando erat vicarius Camaldulensis, qui modo est episcopus Fanensis, & alia vice dicit se ivisse ad balnea de Rapolano anno proximo preterito in estate *&c.* & in proxima preterita estate dicit se ivisse Perusium pro ista lite, que nunc tractatur, & tunc cum essent in presentia domini pape Innocentii prior Camaldulensis & episcopus Aretinus pro presenti lite, isto teste presente & audiente ipse, dominus papa quesivit a priore Camaldulensi, an haberet privilegium exemptionis, & ipse respondit: Sic; adjungens, quod habebat ibi presentialiter duo privilegia, & apud hospitium habebat quedam alia, & tunc ad preceptum domini pape ostendit sibi quoddam privilegium, quod ipsemet papa concesserat, in quo continebatur, quod nullus episcopus poterat interdicere vel excommunicare congregationem Camaldulensem, & quod poterant recipere ordines a quocumque episcopo mallent, & tunc dominus papa dixit, isto teste presente & audiente, quod ex tenore illius privilegii habebat domum Camaldulensem liberam & exemptam adjungens & dicens: Deum invoco testem, ponendo manus suas ad pectus, quod si ego hodie de novo concederem tale privilegium alicui ecclesie, ego haberem ipsam liberam & exemptam; & dixit episcopo Aretino: Custodi animam tuam, quia vides, quod ecclesia Camaldulensis non pertinet ad te, sed ad me. Et episcopus Aretinus dixit tunc dirigendo sermonem ad dominum papam: Postquam sic habetis eam, dimittamus de capite, & procedamus de membris; & dominus papa dixit episcopo Aretino, quod vis dicere de membris omnia sunt sub uno capite, & ita pertinent ad me membra sicut & capud. Et episcopus dixit: Ego debeo habere in eis correctionem; & papa respondit. Nullam debes habere correctionem, quia ex quo non potes excommunicare & interdicere, ergo non potes corrigere; & tunc predictis verbis non respondit prior Camaldulensis. Interrog. Si postquam dixerunt hec dominus papa & episcopus Aretinus fuit tractatum de hiis questionibus coram domino papa. Resp. Non; quod ipse viderit & audierit. Inter. Si scit, quod privilegia Teodaldi & Immonis episcoporum Aretinorum fuerunt ostensa priori Camaldulensi coram papa Innocentio. Resp. Non, & dicit se nescire, quod aliquod privilegium ostenderit episcopus Aretinus, nisi de sua fidelitate. Interrog. Si scit, quod dominus papa dixerit verba predicta post litis contestationem vel prius. Resp. Se non interfuisse litis contestationi. Interrog. quo die & quo mense, & quibus presentibus episcopus Aretinus, & dominus papa dixerunt predicta verba. Resp. quod secunda feria ante sanctum Romualdum, ut credit de die, presentibus vicario Camaldulensi, qui nunc est, donno Benedicto, donno Egidio camerario, donno Ugone vicecomite Camaldulensi, presentibus cardinalibus bene decem, ut credit scilicet camerario domini pape, episcopo Hostiensi, Gu... Petr.. Leone episcopis Tusculano & Albanensi, domino Stephano domini pape .... & aliis *&c.* Interrog. *&c.* respondit se vidisse per dictum tempus quinquaginta tunc annorum predicta loca heremi & Fontis-boni haberi & teneri a priore & fratribus Camaldulensibus pro suo allodio, & cum tempore Placiti prioris Camaldulensis esset contentio intra quosdam monachos, scilicet donnum Petrum Ricinellum, & quemdam, cujus nominis non recordatur, an filii Ubertini essent patroni Camaldulenses, dictus prior Placitus precepit domno Bonofilio .... ut iret ad domnum Leonardum tunc sacristam, & facere sibi dari instrumentum de concessione Malduli, & allato instrumento prior ivit in camera, & cum eo iverunt domnus Bonofilius & domnus Leonardus predicti, & hic testis, & domnus Guido,

do, qui fuit Florentie, & donnus Rainerius Malafeta & non plures, quod ipse recordatur, nisi de donno Mauro, coram quibus predictis prior Placitus legit predictum instrumentum, in quo continebatur, quod Maldulus dederat proprio & sui juris locum, in quo est heremus Camaldulensis Romualdo, quem locum hiis finibus designabant: ab una parte locus, qui dicitur Fajolum, ab alio mo..ffinusc..s, a tertio castellum Donnellum, & quarto loco dicit hic testis, quod est *Crux lapidea*, que est in summitate ascensus, quando itur a Fontebono ad heremum. Interrogatus de nominibus testium dicit, quod unus vocatur Donellus frater Malduli, alius Petrus, & alius Johannes, & de nomine notarii dicit, quod erat Guillielmus. Interrogatus de annis Domini dicit, quod dicebatur in instrumento M. XII. Interr. de nomine imperatoris vel pape dicit, quod non recordatur &c. Inter. Si erat ibi nomen imperatoris vel pape. ℞. Sic. Interrog. quanta indictio erat scripta in ipso instrumento. ℞. quod erat ibi scripta septima vel octava. Inter. si anni Domini erant in principio instrumenti vel in fine. ℞. in principio. Inter. Si aliqua litera erat scripta in instrumento, antequam ponerentur anni Domini. ℞. Sic. Inter. Que? ℞. In nomine Dei eterni, amen. Inter. Si signum notarii erat in principio vel fine. ℞. in principio, & in fine erat aliud signum non uniforme primo. Inter. cujusmodi signum erat primum, & cujusmodi ultimum. ℞. Se non recordari. Inter. Si prior legit totum instrumentum. ℞. Sic. Inter. Si ipse testis legerit totum instrumentum; respondit: Sic, postquam legit ipse prior. Inter. Si legit totum instrumentum in eodem loco antequam discederet, & presentibus predictis. ℞. Sic. Inter. si instrumentum erat conceptum in prima persona vel tertia, respondit, quod in prima. Inter. in quo die vidit dictum instrumentum, & in quo mense, & in quo anno, & si in mane vel sero vel in media nocte. ℞. die jovis exeunte junio, & post horam nonam ante vesperas in secundo anno sui monachatus, & dicit se esse certum, quia jam sunt triginta anni, quod ipse monachum se &c. Inter. si sciat se vidisse plura instrumenta, que facta essent per manum ipsius notarii. ℞. sic, sed non recordatur, quod continebatur in aliis instrumentis. Inter. apud quem vidit & ubi. ℞. Camalduli, & non alibi, quod ipse recordetur. Inter. de quo loco dicebatur in instrumento Donellum & Maldolum fuisse. ℞. de quadam villa, que est inter Reginopolim & Mojonam, sed de nomine ville non recordatur &c. & nescit, de cujus curia sit villa predicta &c. Interrog. si finitis annis Domini & indictione scribebantur in principio narrationis: Manifestus sum ego Maldulus, vel ego Maldulus. ℞. quod post annos Domini ponebatur quidam prologus de contemtu mundi & salute anime, & post ipsum prologum scribebatur, Ego Maldulus. Inter. que fuerint verba ipsius notarii in subscriptione. ℞. quod continebatur: Ego Guilielmus not. huic carte rogatus interfui & subscripsi. Interrog. dicit se audisse a prioribus & fratribus Camaldulensibus per totum dictum tempus, quod predicta loca heremi & Fontis boni tenebant pro allodio & suo proprio &c. quod nulli suberant, nec tenebantur respondere de aliquo jure, nisi soli domino pape. Inter. a quibus audivit &c. ℞. a prioribus Radulfo, Ildebrando, Placito, Martino & a Guidone, qui nunc est, & a vicariis dompno Johanne, dompno Jacobo, dompno Simone, dompno Gerardo, qui modo est episcopus Anconitanus, magistro Lamberto, donno Egidio, donno Rustico, & donno Nicolao, qui nunc est, qui omnes vicarii Camaldulenses, & a camerariis Camaldulensibus, scilicet donno Bonfilio, donno Mauro, donno Petro, donno Ubaldo, & ab eo, qui nunc est, de Morrona, donno Guidone abbate sancti Michaelis Pisarum, donno Henrico & donno Egidio, qui nunc est, & ab aliis Camaldulensibus, de quorum nominibus non recordatur. Inter. resp. quod tempore priorum Radulfi & Ildebrandi erat conversus & tempore prioris Placiti erat monachus. Inter. ℞. &c. donnum Leonardum, qui modo est prior de Castellione, vivere &c. Item dicit se interfuisse, quando prior Martinus Camaldulensis prohibuit sub pena excommunicationis, ne quis incideret infra terminos constitutos &c. Item dicit se audivisse legi a prioribus Camaldulensibus, scilicet Placito, Martino & Guidone, qui nunc est, in quodam libro, qui dicitur, Consuetudo heremi, quod Maldulus viderat visionem quamdam, in qua vidit scalam erectam usque ad celum, per quam ascendebant & descendebant homines albi, & in quo libro continetur in serie ipsius scripture, quod locus, in quo est heremus, fuit datus Romualdo a Maldulo, qui viderat predictam visionem, & hic testis hec eadem legit in eodem libro &c. Interrog. Si sciat, quis fuit auctor ipsius libri.

libri . ℞. Non &c. Item se interfuisse electionibus priorum Camaldulensium, scilicet Martini & Guidonis, qui nunc est, quas electiones dicit hoc modo fuisse celebratas apud heremum in capitulo. Scilicet mortuo priore Camaldulensi convocantur fratres Camaldulensis ordinis tam abbates, quam priores de diocesi Aretina & aliis episcopatibus, & eis apud heremum congregatis constituunt duos, qui vota singulorum examinant, & unus ex eis de voluntate alterius electionem pronunciat hoc modo: Ad honorem Dei & beate Marie & beati Romualdi & omnium Sanctorum, & domini pape & totius conventus Camaldulensis eligo talem in priorem, & hec dicitur fuisse facta sine requisitione vel consensu episcopi Aretini &c. Facta vero electione predicti donni Martini, dicit eum fuisse ductum in ecclesiam eremi cantando: Te Deum laudamus, a fratribus Camaldulensibus, a quibus positus fuit in sede in dicta ecclesia. Deinde vero expleto hymno, & facta oratione ante altare duxerunt eum ipsi fratres in capitulum, & statim promiserunt ei obedientiam abbates & priores, & alii qui erant ibi; & officiales representaverunt ei claves, & ipse concessit, quibus voluit, & statim cepit amministrare tam in temporalibus, quam in spiritualibus, ut prior; & hec vidit &c. Item dicit se interfuisse duobus capitulis generalibus celebratis apud Camaldulum semel tempore prioris Martini, & semel tempore prioris Guidonis, qui nunc est, in quorum utroque congregatis fratribus ordinis Camaldulensis tam abbatibus, quam prioribus de diversis episcopatibus, utrumque predictorum priorum incipientem in principio capituli in claustro Fontis-boni: Veni creator spiritus, & postea statim dicentem fratribus: Benedicite, & postea audivit eos dicentes primum sermonem, scilicet priorem Martinum in suo capitulo prefato, & priorem Guidonem in suo similiter, & post primum sermonem injunxerunt, quibus eis placuit, ut facerent suos sermones; quibus sermonibus expletis dicti priores quilibet in suo tempore fecerunt exire de ipso claustro omnes, qui non erant de conventu Camaldulensi, & remanserunt ibidem priores cum suis fratribus, ut ordinarent de suis agendis &c. Interrog. Si vidit ibi recipi episcopum Martinum, qui nunc est. ℞. Sic, cum pulsatione campanarum, Aqua sancta & incenso. Item dicit se vidisse recipi apud Fontem bonum cum pulsatione campanarum, Aqua sancta & incenso episcopum Tudertinum, episcopum Urbevetanum & episcopum Fesulanum, qui nunc est; quem episcopum Tudertinum dicit illuc venisse tempore prioris Placiti, quia volebat ei dare monasterium sancti Fortunati &c. omnes episcopi consueverunt ita recipi undecumque sint, & hoc dicit se audisse a priore Martino, a priore G.. qui nunc est, & a domno Gerardo nunc episcopo Anconitano, & ab eo, qui nunc est episcopus Fanensis, qui erant vicarii Camaldulenses. Inter. Si vidit aliquem predictorum tunc episcoporum celebrantem Missam vel facientem sermonem vel remissionem apud monasterium Fontis-boni. ℞. de Missa, quod recordatur, sed de sermone solempni vel remissione solempni dicit, non. Inter. ex qua causa audivit dici a predictis, quod episcopi recipiebantur ibi, ut dictum est, undequaque essent. ℞. quod dicebatur a quibusdam, quid est hoc, quod recepimus episcopum Aretinum cum pulsatione campanarum, Aqua sancta & incenso, & ideo fuit tunc responsum, quia ita est consuetudo hujus eremi recipere omnes episcopos, & ita eos recipimus undecunque sint &c. Item dicit, quod eo tempore, quo erat combustum monasterium Fontis-boni, quam combustionem credit fuisse in cathedra sancti Petri in nocte, fratres Camaldulenses ceperunt inter se contendere quibusdam dicentibus, quod locus ille erat nimis rigidus & ideo videbatur eis bonum, ut dicebant, quod mutaretur monasterium in quemdam campum ibi superiorem, quia locus ille erat nimis expositus soli, & dicebatur ibi esse quidam fons &c. sed cum fuisset responsum a quibusdam aliis, quod locus ille, ad quem volebant transire, pertinebat ad episcopum Aretinum, & ideo dicebant se dubitare, ne ipse episcopus concederet locum illum eis, donnus Bonfilius & donnus Bartholus &c. iverunt ad istum testem apud sanctum Petrum piccolum, & iverunt isti duo, & hic cum eis ad episcopum Amideum, qui erat tunc in palatio veteri ante plebem, quod palatium modo est destructum, & exposuerunt ipsi episcopo donno Bonofilio dicente ista verba: Vos scitis de dampno, quod contingit nobis, & qualiter monasterium Fontis-boni est combustum, sed vellemus illico monasterium reedificare in tali campo, nominando ipsum campum; verumtamen quia vos habetis ibi facere, & filii Rainerii Ubertini, volumus ipsum locum proprio adquirere a vobis & ipsis, & vellemus vobiscum & cum

& cum illis cambiare ipsum locum accipiendo & dando vobis alibi terras, quia videtur nobis, quod essemus ibi melius, & quod volumus esse in nostro allodio, ideo volumus ipsum locum primo acquirere: unde episcopus ille ad hec respondens dixit: De vestro dampno ego doleo, sed non concedo vobis, ut ipsum locum mutetis, in quo eratis, set potius rehedificate ibidem, quia estis in vestro allodio *&c. Et infra*: unde episcopus quasi motus dure respondit eis quasi redarguendo dicens: Vos speculum totius Tuscie, & vultis transire ad locum, unde possit esse suspicio, & diceretur, quod essetis in loco alterius, set consulo vobis, ut reedificetis monasterium in loco, in quo prius fuerat, tamquam in eorum allodio *&c.* Inter. quot diebus steterunt Camaldulenses a die combustionis, antequam inciperent reedificare incipiendo murare & ponere ligna in monasterio pro edificio. ℞. quod non recordatur *&c.* De monasterio Pratalie dicit *&c.* quod dompnus Rodulfus primo fuerat prior Camaldulensis & abbas de Pratalia *&c.* quia dicebatur ipse domnus Rodulfus retinuisse ipsum monasterium ad suam manum, & faciebat ipsum regi per jamdictum donnum Petrum & ideo querebat ab eo de spiritualibus & temporalibus, & de continentia rerum ipsius monasterii, quem donnum Petrum dicit se vidisse promittere obedientiam Ildebrando priori Camaldulensi pro monasterio de Pratalia *&c.* dixit idem donnus Petrus: Ego promitto tibi (*Ildebrando*) obedientiam in iis, que ad Deum spectant, secundum regulam beati Benedicti & consuetudinem Camaldulensis ordinis, & fuit osculatus tunc manus ipsius Ildebrandi *&c.*

Inter. quando (*Guilielmus*) fuit factus abbas Berardingorum. ℞. quod erat major heremi, & ivit illuc pro facto illius domus. Inter. Si vidit eundem donnum Guilielmum removeri de monasterio Berardingorum. ℞. Non *&c.* & non tamen vidi eum fieri in abbatem Berardingorum, sed vidi eum instare, & esse abbatem.

De Agnano ex congregatione Camaldulensi, & quando illuc vadit prior Camaldulensis, recipitur cum Aqua sancta & incenso, & sedet in ecclesia & mensa loco abbatis, & quando abbas eligitur in ipso monasterio *&c.*

Item de monasterio Silvemunde dicit, quod vidit donnum Johannem de Ca..i..a abbatem ipsius monasterii promittere obedientiam Ildebrando priori Camaldulensi, apud sanctum Petrum piccolum in capitulo, sed non recordatur quot anni sunt *&c.* dicit se vidisse donnum Bonum abbatem ipsius loci, qui dicit ibi fuisse positum per donnum priorem Ildebrandum isto teste presente. Interrog. quot fratres monachi erant in monasterio Silvemunde, quando vidit ibi poni donnum dictum Bonum pro abbate. ℞. tres & unus cappellanus, sicut credit de numero, sed dicit, quod erant ibi bene triginta conversi, & ipsos monachos dicit fuisse donnum Ubertum, & donnum Valentinum, sed de nomine tertii non recordatur, & cappellanum dictum fuisse presbyterum Johannem *&c.* isto teste *&c.* quia morabatur apud sanctum Petrum piccolum ipsius monasterii (*Silvemunde*) domum obedientialem *&c.* cum prior Martinus mitteret ipsum donnum Griffum (*renunciata ab eo abbatia Silvæmundæ*) ad sanctum Hippolytum de Faventia ipse donnus Griffus nolens illuc ire, rediit ad monasterium Silvemunde, & cepit retinere ipsam abbatiam contra voluntatem prioris Camaldulensis, unde cum esset apud veterem ecclesiam cathedralem extra civitatem Aretii, dominus Bernardus cardinalis apostolice sedis judex hanc controversiam fieri coram eo inter priorem Martinum & ipsum domnum Griffum presente Amideo episcopo Aretino *&c.* & quando hic testis requireret ipsum episcopum, ut faceret mandatum domini pape, ipse episcopus respondebat, non debetis mihi hoc onus imponere, quia ipsa domus de Silvamunda vestra est, & ille est vester monachus, & ipse redibit ad mandatum vestrum, & hec verba fuerunt in palatio ipsius episcopi, quod tunc erat ante plebem Aretinam *&c.* Item dicit fuisse abbatem ipsius monasterii post dictum donnum Ubertum, donnum Benedictum, qui dicit fuisse mortuum & sepultum apud sanctum Angelum de Prato *&c.* Item dicit, quod postea donnus Johannes tunc vicarius Camaldulensis, qui modo est abbas de Vangaticia, petiit ab isto teste consilium de ponendo & instituendo donnum Raynerium, qui steterat sub isto teste apud ipsum sanctum Michaelem abbatem Silvemunde *&c.* idem vicarius fecit eundem Raynerium abbatem Silvemunde *&c.* Item dicit postea fuisse factum in abbatem monasterii Silvemunde donnum Johannem, qui mortuus est *&c.*

De monasterio sancti Michaelis Aretii dicit, quod vidit ibi stare presbyterum Johannem conversum Camaldulensem pro cappellano ipsius ecclesie, cujus tempore vidit

vidit ad ipsam ecclesiam sancti Michaelis venire Ildebrandum priorem Camaldulensem & donnum Rodulfum cum eo, & ipsemet testis *&c.* & vidit ipsum presbyterum Johannem coram eodem priore Ildebrando constitutus, qui erat conversus Camaldulensis & portabat pannos albos, sicut conversus Camaldulensis, sed aliter non vidit eum hic testis conversari, sed fuit tunc confessus, quod fuerat factus conversus tempore Gregorii prioris Camaldulensis, & tunc vidit hic testis presb. Johannem promittere obedientiam predicto priori Ildebrando in quadam camera, ubi fuit postea capitulum juxta campanile ipsius ecclesie, & dictis hiis interfuisse tunc donnum Teodericum priorem sancti Petri piccoli, & Bonum conversum ipsius ecclesie, uti dicebatur, quod esset conversus, qui dicit fuisse & esse conversum Camaldulensem, & morabatur pro priore Camaldulensi *&c.* Item dicit, quod postea alia vice transactis duobus annis, sicut credit de tempore, vidit eundem priorem Ildebrandum venire ad dictam ecclesiam sancti Michaelis, & predictum donnum Rodulfum cum eo, & hic testis venit tunc similiter cum ipsis in societate Barleti scutiferi donni Rodulfi, & tunc vidit ipsum priorem mittentem Juliolum scutiferum suum pro donno Johanne tunc monacho sancti Veriani *&c.* posuit ipse prior eumdem Johannem in sede in ecclesia, ut esset prior ipsius ecclesie *&c.* quem domnum Johannem dicit stetisse sex mensibus, & non plus *&c.* & post eundem *&c.* vidisse fieri priorem *&c.* donnum Gregorium *&c.* qui primo stabat Camalduli. Inter. Si vidit presbyterum Johannem portare cotam lineam. ℟. Sic, & capam albam *&c.* Inter. Si ille donnus Johannes cappellanus sancti Michaelis respondebat episcopo vel archipresbytero plebis Aretine in aliquo. ℟. non, quod ipse viderit. Inter. ex qua causa dictus donnus Johannes fuit confessus, quod fuit conversus. ℟. quod ipse prior Camaldulensis quesivit ab eo, si esset conversus Camaldulensis, & ipse respondit sic. Inter. quomodo scit, quod dictus donnus Bonus moraretur in ecclesia sancti Michaelis pro priore Camaldulensi. ℟. quod ipse Bonus ita dixit huic testi. Inter. Si viderit ipsum Bonum conversari. ℟. non, sed vidit ibi conversari Willelmatium per dictum priorem Ildebrandum, qui stabat in ipsa ecclesia sancti Michaelis pro clerico & eum fecit conversum, quando fecit conversum predictum presbyterum Enricum *&c.*

Item de facto plebis de Micciano, & audivit eum tunc dicentem in plebe de Micciano, non est plebanus, & ideo volo mittere pro tali Bono clerico, qui erat Florentiam, & erat conversus Camaldulensis, sicut dixit tunc ipse prior *&c.* post paucos dies ipse prior rediit ad dictum monasterium sancti Petri piccoli, & prefatus (*Azo suus*) scutifer similiter venit illuc cum predicto clerico, & tunc vidit hic testis ipsum clericum deferentem capam albam & gunellam de panno Camaldulensi, & apud ipsum priorem Placitum dicentem ei: Ego feci te venire, quia volo ponere plebanum in plebe de Micciano, & ille respondit tunc eidem priori: Ego sum vester clericus, potestis de me facere quidquid vultis, & ego paratus sum acquiescere voluntati vestre, & tunc vidit hic testis ipsum priorem Placitum investire eundem clericum de plebe de Micciano, ut esset plebanus ejus de plebe, & administrari in temporalibus & spiritualibus, & in continenti vidit eundem clericum promittere obedientiam eidem priori Placito pro dicta plebe, & hec fuerunt in claustro predicti monasterii sancti Petri piccoli, & ita fuit missus ad dictam plebem, sed non ivit hic testis *&c.* sed vidit eundem plebanum pro ea pluries venire ad priorem Camaldulensem *&c.* & vidit eum portare pannos Camaldulenses sicut conversum *&c.* Item dicit se vidisse tempore alterius plebani *&c.* & ipsum plebanum dicit se audisse dicentem, quod erat conversus Camaldulensis, & vidit eum portare pannos Camaldulenses, ut conversum. Item dicit, quod post ipsum plebanum vidit hic testis quemdam clericum pinguem, qui dixit fuisse plebanum plebis de Classe, venire ad Martinum priorem Camaldulensem apud ecclesiam sancti Michaelis Aretii, & ibi vidit hic testis ipsum clericum conversari, & fieri conversum Camaldulensem per ipsum priorem Martinum, & vidit eumdem clericum promittere in manu ipsius prioris se victurum secundum regulam beati Benedicti & consuetudinem ordinis Camaldulensis, & tunc vidit ipsum ita factum conversum portare regulam, scilicet librum sic appellatum, & ponere super altare sancti Michaelis, & postea tunc vidit ipsum priorem Martinum investire ipsum de plebe de Micciano, ut esset ibi plebanus & administrator in temporalibus & spiritualibus, & tunc vidit ipsum plebanum promittere obedientiam pro ipsa plebe eidem priori Martino, & injunxit tunc ipse prior huic testi, ut

iret

iret ipse & Merandus vicecomes, qui ibi erant, cum ipso plebano ad plebem de Miciano, & investirent eum de ipsa plebe *&c.* Item dicit, quod postea vidit ibi esse in dicta plebe plebanum, quod adhuc est ibi, qui plebanus confitebatur & dicebat, quod erat conversus Camaldulensis, & hoc audivit hic testis ab eo dici jam sunt IIII. anni, quod plebanus dicebat, quod fecerit eum conversum prior de Anglari, & prior de Planetulo, & postea in eodem anno, quo audierat hec hic testis dici abeo .... reprehenderet eum, quia non portabat pannos Camaldulenses, ipse plebanus acquiescens contentioni ejus, venit secum Aretium, & emit pannos albos pro capa & tunica, & abinde eum vidit portare pannos Camaldulenses, ut conversum, sed non eum fieri conversum *&c.*

Item dicit se ivisse cum Martino priore Camaldulensi ad monasterium de Rote tempore abbatis Ildebrandi, & tunc vidit ipsum priorem Martinum ibi recipi tamquam dominum *&c.* & admonere eos (*monachos Rotæ*) de observatione ordinis Camaldulensis *&c.* & audivit eum tunc dicentem ipsi priori: Ego eram prior sancti Quirici de Rosis, & vos fecistis me hic abbatem, & sto hic pro vobis *&c.* Item dicit se alia vice ivisse ad predictum monasterium de Rote, quando non erat ibi abbas, cum Guidone priore Camaldulensi, qui nunc est, quem dicit illuc ivisse tunc, ut faceret ibi abbatem, & cum ibi esset, congregatis coram eo fratribus ipsius monasterii, & Willelmo & Raynerio Ubertini patronis in claustro ipsius monasterii, prior predictus petiit a monachis & patronis predictis, si vellent, quod ipse prior eligeret ibi abbatem, & eis respondentibus: Sic; ipse prior dixit: Ad honorem Dei *&c.* eligo donnum Guidonem priorem de Anglari in abbatem istius loci, & postea venit tunc idem prior Camaldulensis ad monasterium de Pino, prius directo nuntio pro predicto priore de Anglari, & veniens ipse electus invenit priorem Camaldulensem apud ipsum monasterium de Pino, & statim rediens ipse prior Camaldulensis ad monasterium de Rote, & hic testis cum eo posuit dictum electum in sede abbatis cum hymno: Te Deum laudamus, & cum pulsatione campanarum, isto teste presente & vidente; & inde ivit ipse prior Camaldulensis cum fratribus ejusdem monasterii, & cum ipso abbate in capitulum, & investivit eumdem abbatia, & ipse abbas promisit eidem priori obedientiam *&c.* alia vice viderat hic testis donnum Benedictum abbatem ipsius monasterii de Rota promittentem obedientiam eidem priori Martino *&c.* Iste testis juravit in prima nostra delegatione super tota causa dicere veritatem, sive coram nobis, vel coram aliis quibuscumque delegatis a domino papa super examinationem testium in predicta causa, & juravit VII. kal. decembris, & cepit dicere proxima sequenti die, sed propter brevitatem temporis, que supererat de nostra jurisdictione, & propter varias occupationes, que imminebant ante finem ipsius jurisdictionis, pretermisimus eum examinare, eum reservantes examinationi in futurum *&c.*

Stephanus abbas sancti Justi de Vulterris jurando pridie kalendas septembris eadem atteststatus est. Factus fuit Placitus prior Camaldulensis, quia prior Rodulfus erat electus in episcopum Anconitanum circa finem augusti. Et de jurisdictione prioris Camaldulensis in eremum de Fieri missum fuisse Rainerium ab Ildebrando priore ad collem de Spillo, scilicet ad ecclesiam sancte Marie, que subest heremo de Fieri. Deinde donnum Orlandum custodem fuisse ecclesie sancti Basilii de Cortona, qui locus sancti Basilii subest monasterio de Fiere. Dixit de consuetudine Camaldulensi esse, quod quilibet prior sive abbas ordinis Camaldulensis visitet per se vel per alium heremum Camaldulensem intra XXX. dies proximos post suam promotionem, nisi evidenti necessitate excusetur. Prior Petrus de Fiere emerat ab episcopo Hieronymo decem libris terram intra certos fines, ubi continetur locus, ubi est modo dicta ecclesia sancti Basilii, quod instrumentum dixit fuisse scriptum per Boverium judicem. Petrum, Johannem, Martinum & Thomasium stetisse & fuisse pro priore Camaldulensi in heremo vel monasterio de Fiere, antequam hic testis esset monachus. Hieronymus consecravit ecclesiam sancti Basilii. Amideum episcopum Arretinum invitatum primo ab ipso teste, & Rainerium episcopum Castellanum invitatum communiter ab ipso episcopo Aretino, & ab ipso teste, tunc priore heremi de Fiere, consecrasse heremum de Fiere, & dixit, quod dedit episcopo Castellano expensas victualium apud monasterium de Fiere, & episcopo Aretino c. soldos pro expensis. Amideum episcopum Aretinum caritative expetisse hospitari nocte in heremo. Similia dixit de monasterio sancti Andree de Castellione Aretino, subesse scilicet ecclesie Camaldulensi. Similia de-

monasterio sancti Savini de Chio. Audivit, quod marchiones dederunt eam ecclesie Camaldulensi, quando erat capella. Similia de monasterio sancti Quirici de Rosis. Item de ecclesia Curtis Luponis, de monasterio Berardingorum, de monasterio Rote, sancti Viriani, Silvemunde. Martinum priorem Camaldulensem amovisse de ipso monasterio Grissum abbatem ipsius loci, ipsum Griffum litigantem ad usque jamdictum priorem coram domino Bernardo cardinali apostolice sedis. Anteceffores Guillielmini de Roti cum consortibus ejus concefferunt monasterium Silvemunde ecclesie Camaldulensi. Similia de monasterio Pratalie, sancti Michaelis Aretii. Ecclesia de Nasciano obedientialis abbatie de Rota. Cum testis effet prior de Fiere, quando moriebatur aliquis de fratribus ipsius monasterii de Fiere, ipse testis mittebat brevia secundum consuetudinem Camaldulensem tam Camaldulum, quam per alias ecclesias conventus Camaldulensis, in quibus brevibus continebatur: Obiit talis vel talis frater seu monachus heremi de Fiere ex congregatione Camaldulensi. Quidam conversi de Fiere habebant pannos rusticanos mediocriter nigros, qui panni appellantur lazzus. Interrogatus si vidit alios monachos seu conversos, qui non essent de ordine Camaldulensi, portantes pannos albos, respondit, Sic, sed dixit, quod monachi & conversi de predictis monasteriis dicuntur esse de ordine Camaldulensi. Rodulfus ex priore electus episcopus Anconitanus dedit literas abbatibus & prioribus conventus Camaldulensis, ut venirent Camaldulum pro eligendo novo priore, qui elegerunt donnum Placidum abbatem de Urano. Mortuo Placido priore Martinus major eremi dedit similes literas. Hildebrandus tunc erat prior sancti Frigdiani. Electus fuit prior Camaldulensis Martinus. Giaolus conversus Camaldulensis vidit episcopum Martinum Camaldulum venientem antequam prior Camaldulensis (*Martinus*) iret Romam ad concilium Innocentii pape. Rodulfus tribus annis fuit prior, Martinus sexdecim &c.

Ego Julianus sacri palatii notarius suprascriptos testes omnes numero XXVIIII. in sexaginta quinque cartis scriptos sub domno B.. archidiacono Florentino & magistro B.. canonico Castellano domini pape delegatis examinantibus eosdem ipsos testes in mei presentia fideliter eorum dicta scripsi, & de eorum mandato & auctoritate subscripsi.

Ego Bonensegna Florentinus archidiaconus supradictos testes omnes una cum magistro Bonajuncta canonico Castellano auctoritate domini pape presente Juliano notario suprascripto studiose & fideliter examinavi &c.

† Ego magister Bonajuncta canonicus Castellanus &c.

CCXIX.

Honorius III. Rom. pont. monasterium S. Mariæ de Urano apostolica protectione donat.

Anno 1217. VII. idus junii.

Ex Vaticano regesto anni I. epist. 475.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & fratribus monasterii sancte Marie de Urano Camaldulensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. In regesto noni anni felicis memorie Alexandri pape III. predecessoris nostri sic perspeximus contineri. P.. procuratori ecclesie sancte Marie de Urano & fratribus ejus. Suscepte dispensationis officium nos hortatur multipliciter & invitat, ut illis, qui relicta domo rebusque paternis soli Deo militare desiderant, apostolice sedis presidium impertiamur, & eorum jura propensiori cura debeamus & sollicitudine defensare. Quo circa dilecti in Domino filii devotionem vestram, quam erga beatum Petrum & nos ipsos habere noscimini, diligentius attendentes, vos & locum vestrum & ecclesiam, quam beato Petro, & nobis, & Romane ecclesie obtulistis, cum omnibus bonis, que predicta ecclesia in presentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut ecclesia vestra seu vos ipsi nullius archiepiscopi vel episcopi, aut alicujus ecclesiastice persone, preterquam Romani pontificis jurisdictioni debeatis in posterum subjacere, sive in aliquo respondere. Ad indicium autem hujus a sede apostolica percepte libertatis tres libras cere nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus &c. Si quis autem &c. Datum Beneventi VII. idus augusti. Nos igitur predicti predecessoris nostri vestigiis inherentes, vos & locum vestrum, & ecclesiam cum omnibus bonis, que

Ibid. n. 34.

Ibid. n. 32.

que predicta ecclesia impresentiarum juste ac pacifice possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut ecclesia vestra, seu vos ipsi nullius archiepiscopi vel episcopi, aut alicujus ecclesiastice persone, preterquam Romani pontificis jurisdictioni debeatis in posterum subjacere, sive in aliquo respondere, salva obedientia & reverentia Camaldulensis eremi debita. Ad indicium autem hujus percepte a sede apostolica libertatis tres libras cere nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Nulli ergo *&c.* nostre protectionis & constitutionis *&c.* Si quis autem *&c.* Datum Anagnie VII. idus junii pontificatus nostri anno primo.

CCXX.

Eremus de Calei petit protectionem apostolicam.

Anno 1218. *more Pisano* XVII. kl. julii.

Ex tabulario S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ibid. n. 32. IN eterni Dei nomine amen. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum, quod Leonardus & Ghiandatus fratres eremi Aque de Coste Pisane diocesis constituerunt & fecerunt suos procuratores Johannem & Henrigum fratres ejusdem loci ad hec presentes tam pro eis, quam pro seipsis ad impetrandum a summo pontifice literas commissionis super recipiendo a summo pontifice ipsos fratres & locum ipsum, & ecclesiam ad honorem sancti Jacobi apostoli & beati Verani martyris constructam cum omnibus possessionibus & rebus predicti loci acquisitis & inantea aquirendis sub sua domini pape protectione, & ad faciendum confirmari paginam, quam dominus Innocentius papa fecit de receptione predicti loci, & super faciendo ita quod dominus papa mittat precipiendo abbati sancti Michaelis Pisarum, ut idem abbas ipsos fratres & locum regere non postponat. Et ut si quando aliquem Dominus vocaverit, quod liceat abbati, & ipsis fratribus ipsum in eodem loco sine aliquo obstaculo sepelire. Et ut omnibus, nisi sint excommunicati vel interdicti, ibi advenientibus sit licitum in loco illo audire divina, & fratribus ipsis presentibus celebrare. Et ut venientes ad conversionem in illo loco liceat recipere, & ad agendum & tractandum facta & negotia ipsius loci, & ad omnia & singula super his facienda, que ad hec suprascripta pertinent vel pertinebunt, promittentes eisdem Johanni & Henrigo tenere firmum & habere ratum, & facere & observare totum & quidquid de supradictis vel eorum occasione fecerint ipsi procuratores vel aliquis eorum.

Actum apud dictum locum heremi presentibus domino Geronimo & Benentende testibus rogatis Dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo octavo decimo indictione quinta octavodecimo kalendas julii.

Ego Monachus dictus Rainerii Vellionis domini imperatoris Henrigi judex & notarius hec suprascripta rogatus scripsi & firmavi.

CCXXI.

Henricus III. confirmat monasterium Vangaticiense Guidoni priori Camald.

Anno 1217. x. kl. julii.

Ex autographo Fontis-boni.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. In literis felicis memorie Innocentii pape predecessoris nostri sic perspeximus contineri. Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum dudum ad correctionem & reformationem monasterii de Vangaditia laborantes proficere non possemus, nec hujusmodi Babilon, quam studio multo curavimus ad sanitatem ullatenus perveniret, quinimmo ejus computruissent adeo cicatrices, ut earum fetor etiam laicos ad nauseam provocaret, demum attendentes ferro debere vulnera resecari, que fomentorum non sentiunt medicinam, venerabili fratri N.. Regino episcopo tunc electo, & dilectis filiis .. priori sancti Georgii & V.. subdiacono nostro canonico Veronensi dedimus in mandatis, ut tam E.. quondam ejusdem loci abbatem, qui a regimine ipsius nostra fuerat auctoritate amotus, quam etiam monachos universos per alia monasteria collocantes, virum aliquem religio- *Ibid. n. 33.*

monasterio sancti Savini de Chio. Audivit, quod marchiones dederunt eam ecclesie Camaldulensi, quando erat capella. Similia de monasterio sancti Quirici de Rosis. Item de ecclesia Curtis Luponis, de monasterio Berardingorum, de monasterio Rote, sancti Viriani, Silvemunde. Martinum priorem Camaldulensem amovisse de ipso monasterio Griffum abbatem ipsius loci, ipsum Griffum litigantem ad usque jamdictum priorem coram domino Bernardo cardinali apostolice sedis. Antecessores Guillielmini de Roti cum consortibus ejus concesserunt monasterium Silvemunde ecclesie Camaldulensi. Similia de monasterio Pratalie, sancti Michaelis Aretii. Ecclesia de Nasciano obedientialis abbatie de Rota. Cum testis esset prior de Fiere, quando moriebatur aliquis de fratribus ipsius monasterii de Fiere, ipse testis mittebat brevia secundum consuetudinem Camaldulensem tam Camaldulum, quam per alias ecclesias conventus Camaldulensis, in quibus brevibus continebatur: Obiit talis vel talis frater seu monachus heremi de Fiere ex congregatione Camaldulensi. Quidam conversi de Fiere habebant pannos rusticanos mediocriter nigros, qui panni appellantur lazzus. Interrogatus si vidit alios monachos seu conversos, qui non essent de ordine Camaldulensi, portantes pannos albos, respondit, Sic, sed dixit, quod monachi & conversi de predictis monasteriis dicuntur esse de ordine Camaldulensi. Rodulfus ex priore electus episcopus Anconitanus dedit literas abbatibus & prioribus conventus Camaldulensis, ut venirent Camaldulum pro eligendo novo priore, qui elegerunt donnum Placidum abbatem de Urano. Mortuo Placido priore Martinus major eremi dedit similes literas. Hildebrandus tunc erat prior sancti Frigdiani. Electus fuit prior Camaldulensis Martinus. Giaolus conversus Camaldulensis vidit episcopum Martinum Camaldulum venientem antequam prior Camaldulensis (*Martinus*) iret Romam ad concilium Innocentii pape. Rodulfus tribus annis fuit prior, Martinus sexdecim *&c.*

Ego Julianus sacri palatii notarius suprascriptos testes omnes numero XXVIIII. in sexaginta quinque cartis scriptos sub domno B.. archidiacono Florentino & magistro B.. canonico Castellano domini pape delegatis examinantibus eosdem ipsos testes in mei presentia fideliter eorum dicta scripsi, & de eorum mandato & auctoritate subscripsi.

Ego Bonensegna Florentinus archidiaconus supradictos testes omnes una cum magistro Bonajuncta canonico Castellano auctoritate domini pape presente Juliano notario suprascripto studiose & fideliter examinavi *&c.*

† Ego magister Bonajuncta canonicus Castellanus *&c.*

CCXIX.

Honorius III. *Rom. pont. monasterium S. Mariæ de Urano apostolica protectione donat.*

Anno 1217. VII. idus junii.

Ex Vaticano regesto anni I. epist. 475.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & fratribus monasterii sancte Marie de Urano Camaldulensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. In regesto noni anni felicis memorie Alexandri pape III. predecessoris nostri sic perspeximus contineri. P.. procuratori ecclesie sancte Marie de Urano & fratribus ejus. Suscepte dispensationis officium nos hortatur multipliciter & invitat, ut illis, qui relicta domo rebusque paternis soli Deo militare desiderant, apostolice sedis presidium impertiamur, & eorum jura propensiori cura debeamus & sollicitudine defensare. Quo circa dilecti in Domino filii devotionem vestram, quam erga beatum Petrum & nos ipsos habere noscimini, diligentius attendentes, vos & locum vestrum & ecclesiam, quam beato Petro, & nobis, & Romane ecclesie obtulistis, cum omnibus bonis, que predicta ecclesia in presentiarum juste & legitime possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut ecclesia vestra seu vos ipsi nullius archiepiscopi vel episcopi, aut alicujus ecclesiastice persone, preterquam Romani pontificis jurisdictioni debeatis in posterum subjacere, sive in aliquo respondere. Ad indicium autem hujus a sede apostolica percepte libertatis tres libras cere nobis nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Decernimus *&c.* Si quis autem *&c.* Datum Beneventi VII. idus augusti. Nos igitur predicti predecessoris nostri vestigiis inherentes, vos & locum vestrum, & ecclesiam cum omnibus bonis,

Ibid. n. 34.

que predicta ecclesia impresentiarum juste ac pacifice possidet, aut in futurum justis modis Deo propitio poterit adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti patrocinio communimus. Statuentes, ut ecclesia vestra, seu vos ipsi nullius archiepiscopi vel episcopi, aut alicujus ecclesiastice persone, preterquam Romani pontificis jurisdictioni debeatis in posterum subjacere, sive in aliquo respondere, salva obedientia & reverentia Camaldulensis eremi debita. Ad indicium autem hujus percepte a sede apostolica libertatis tres libras cere nobis, nostrisque successoribus annis singulis persolvetis. Nulli ergo *&c.* nostre protectionis & constitutionis *&c.* Si quis autem *&c.* Datum Anagnie VII. idus junii pontificatus nostri anno primo. *Ibid. n. 34.*

CCXX.

Eremus de Calei petit protectionem apostolicam.

Anno 1218. *more Pisano* XVII. kl. julii.

Ex tabulario S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Ibid. n. 32. IN eterni Dei nomine amen. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum, quod Leonardus & Ghiandatus fratres eremi Aque de Coste Pisane diocesis constituerunt & fecerunt suos procuratores Johannem & Henrigum fratres ejusdem loci ad hec presentes tam pro eis, quam pro seipsis ad impetrandum a summo pontifice literas commissionis super recipiendo a summo pontifice ipsos fratres & locum ipsum, & ecclesiam ad honorem sancti Jacobi apostoli & beati Verani martyris constructam cum omnibus possessionibus & rebus predicti loci acquisitis & inantea acquirendis sub sua domini pape protectione, & ad faciendum confirmari paginam, quam dominus Innocentius papa fecit de receptione predicti loci, & super faciendo ita quod dominus papa mittat precipiendo abbati sancti Michaelis Pisarum, ut idem abbas ipsos fratres & locum regere non postponat. Et ut si quando aliquem Dominus vocaverit, quod liceat abbati, & ipsis fratribus ipsum in eodem loco sine aliquo obstaculo sepelire. Et ut omnibus, nisi sint excommunicati vel interdicti, ibi advenientibus sit licitum in loco illo audire divina, & fratribus ipsis presentibus celebrare. Et ut venientes ad conversionem in illo loco liceat recipere, & ad agendum & tractandum facta & negotia ipsius loci, & ad omnia & singula super his facienda, que ad hec suprascripta pertinent vel pertinebunt, promittentes eisdem Johanni & Henrigo tenere firmum & habere ratum, & facere & observare totum & quidquid de supradictis vel eorum occasione fecerint ipsi procuratores vel aliquis eorum.

Actum apud dictum locum heremi presentibus domino Geronimo & Benentende testibus rogatis Dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo octavo decimo indictione quinta octavodecimo kalendas julii.

Ego Monachus dictus Rainerii Vellionis domini imperatoris Henrigi judex & notarius hec suprascripta rogatus scripsi & firmavi.

CCXXI.

Henricus III. *confirmat monasterium Vangaticiense Guidoni priori Camald.*

Anno 1217. x. kl. julii.

Ex autographo Fontis-boni.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. *Ibid. n. 33.* In literis felicis memorie Innocentii pape predecessoris nostri sic perspeximus contineri. Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum dudum ad correctionem & reformationem monasterii de Vangaditia laborantes proficere non possemus, nec hujusmodi Babilon, quam studio multo curavimus ad sanitatem ullatenus perveniret, quinimmo ejus computruissent adeo cicatrices, ut earum fetor etiam laicos ad nauseam provocaret, demum attendentes ferro debere vulnera resecari, que fomentorum non sentiunt medicinam, venerabili fratri N.. Regino episcopo tunc electo, & dilectis filiis .. priori sancti Georgii & V.. subdiacono nostro canonico Veronensi dedimus in mandatis, ut tam E.. quondam ejusdem loci abbatem, qui a regimine ipsius nostra fuerat auctoritate amotus, quam etiam monachos universos per alia monasteria collocantes, virum aliquem relig-

giosum bone opinionis & vite sollicitum in spiritualibus & in temporalibus circumspectum monasterio preficerent antedicto, qui secum viris prudentibus & religiosis assumptis monasterium ipsum spiritualiter & temporaliter reformaret. Qui mandatum apostolicum fideliter exequentes dilectum filium S.. domus vestre de Verona priorem, virum utique providum & honestum, ipsi monasterio prefecerunt, injungentes eidem, ut ad minus duodecim viris idoneis de ordine vestro assumptis ad ejusdem reformationem intenderet sollicite & prudenter. Nobis nihilominus per suas literas, quod fecerant, intimantes, ut eorum processus per approbationem nostram stabilitatem debitam sortiretur. Volentes igitur sic ejusdem monasterii reformationi ac statui providere, quod ex hoc juri apostolice sedis, ad quam nullo medio pertinet, minime derogetur, de fratrum nostrorum consilio ipsum priorem concedentes dicto monasterio in abbatem, liberam ejusdem monasterii correctionem & plenam tibi fili prior & successoribus tuis duximus committendam, ita tamen quod, qui pro tempore fuerit electus ibidem, Romano pontifici presentetur, ab eo confirmationis & benedictionis gratiam recepturus. Ad cujus amotionem, si quando propter excessus suos fuerit amovendus, inconsulto Romano pontifice nullatenus precedatur. Datum Signie VII. kalendas octobris pontificatus nostri anno sextodecimo. Nos igitur ejusdem predecessoris nostri vestigiis inherentes liberam ejusdem monasterii correctionem & plenam tibi fili prior & successoribus tuis duximus committendam, ita tamen quod qui pro tempore fuerit electus ibidem, Romano pontifici presentetur, ab eo confirmationis & benedictionis gratiam recepturus, ad cujus amotionem, si quando propter excessus suos fuerit amovendus, inconsulto Romano pontifice nullatenus procedatur. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c. Datum Anagnie x. kalendas julii, pontificatus nostri anno primo.

Videntur loca sigilli deperditi.

CCXXII.

Lis composita inter abbatissam Luci & cappellanum S. Georgii.

Anno 1217. VI. kl. julii.

Ex autographo parthenonis Luci capſ. E. n. 36.

IN Dei nomine amen. Cum lis & differentia verteretur coram domino Boninsegna diacono filio Arringhi, & Petro sindico ecclesie & monasterii sancti Petri de Luco inter dominam Francam Uberti de Ubertis de Florentia ejusdem ecclesie abbatissam ex una parte, & presbyterum Guidonem cappellanum sancti Georgii pro se & ipsa ecclesia pro altera, que lis & differentia sive controversia talis erat. Petebat namque dictus Petrus vice & nomine dicti monasterii a prefato sacerdote Guidone pro dicta ecclesia annuatim dare & solvere dicto monasterio unam tortam habentem octo seriquas ovorum, & tantum caseum, quod sit ad hoc sufficiens, & Missam cantari ab eodem sacerdote pro monasterio in ecclesia sancti Bartholomei de Luco annuatim in die nativitatis Domini in aurora diei, & lectum unum, quem ei dicta abbatissa commodaverat; e contra sacerdos Guido petebat a dicto Petro sindico pro ipso monasterio sibi solvi & dari pro dicta ecclesia sancti Georgii ferculum unum laganorum annuatim in die sancti Benedicti, & decimam sive beneficium annuatim duorum stajorum grani & blade, & unum orceum vini pro decima sive beneficio, & duas partes porci, & duos mantellos sibi emendari. Que lis & differentia fuit commissa a partibus, abbatissa presente & consentiente, nobis plebano Rainerio sancti Johannis majoris, & presb. Rainaldo de Luco, & presb. Bonacurso, & presb. Alberto, & presb. Bottiero nostrorum arbitrio laudanda, finienda & arbitranda. Unde nos dicti arbitri visis & auditis petitionibus utriusque partis & diligenter inspectis, & habito prudentum quorumdam virorum consilio, concorditer laudamus, arbitramus, dicimus & precipimus, quod dictus presb. Guido suique successores pro ecclesia predicta solvat & det ipsi monasterio annuatim in octava sancti Georgii tortam unam habentem octo seriquas ovorum & tantum caseum, quod sit ad hoc sufficiens. Item laudamus &c. quod ipse & sui successores cantent Missam pro dicto mo-

Ibid. n. 35.

monasterio annuatim in ecclesia sancti Bartholomei de Luco in die nativitatis Domini in aurora diei, non remanente evidenti impedimento vel verbo domine abbatisse. Si autem impedimentum esset, quod non posset interesse ad Missam cantandam, debeat dictus sacerdos notificare dicte domine abbatisse per unum diem ante. Item laudamus &c. quod monasterium predictum & annuatim ipso sacerdoti suisque successoribus crostellum unum laganorum in die sancti Benedicti, dum tamen sic in monasterium facte sint. Si autem studiose, non teneatur facere. Item laudamus &c. quod habeat decimas sive beneficium in terris & rebus, quas Johannes & Donusdeo preceperunt permutationis & cambii nomine a dicto monasterio; & si ipsi non darent decimas predictas, precipimus & dicimus, quod domina abbatissa det ei adjutorium & consilium in riaquirenda decimatione predicta secundum suum posse bona fide, sine fraude, remoto ei malo sofismate. Item laudamus &c. quod dicta domina abbatissa, sive dictus sindicus quiete & pacifice dimittat dicto presbytero Guidoni, donec in dicta permanebit ecclesia, sed postea a predicta abbatissa, aut cui ipsa concesserit, remanere debeat. Item laudamus &c. quod omnia alia, que inter se dici & requirere poterat, sint ad arbitrium & voluntatem dicte domine abbatisse. Hec omnia laudamus, arbitramus & dicimus semper firmiter observanda & tenenda. Et si quis &c. Actum est hoc laudum & arbitrium in parlatorio dicto abbatisse anno millesimo ducentesimo decimoseptimo sexto calendas julii indictione quinta, presentibus ad hec rogatis testibus, scilicet Rustico de Florentino, & Ildebrandino filio Amiani, & Acuto filio Bonucci, & Mariano filio Fiorini.

Ego Jacobus judex atque notarius predictis omnibus interfui, & hec omnia ex mandato dictorum arbitrum scripsi & complevi, atque in publicam formam redegi ideoque subscripsi.

CCXXIII.

Samson abbas Vangaticiensis se abdicat a regimine monasterii.

Anno 1217. IV. augusti.

Ex originali archivi Fontis-boni.

Ibid. n. 33. Die IV. ineunte augusto in capitulo monasterii sancte Marie de Vangadicia, in presentia domini Capit. de utroque, Martini Capit. Este & aliorum, ibique domnus Guido major prior Camaldulensis ordinis coram capitulo ejusdem dicti monasterii sancte Marie de Vangaticia, idest coram monachis & conversis prefati monasterii recitavit, & dixit, quod domnus abbas Sanson sepe & sepius petiit a me licentiam, vel a nobis, quod concederemus sibi, quod posset dimittere officium prelature dicti monasterii Vangaticie, quia contemplationi vacare volebat, desiderabat etiam sedere ad pedes Domini cum Maria, cujus petitioni nolebamus prestare assensum, ipse tamen illud, quod desiderabat, volens effectui mancipare, nobis sigillum monasterii in signum refutationis, & litteras proprias sigillo proprio sigillatas refutationis formam continentes, & suam voluntatem nobis transmisit, secundum quod hic inferius legitur. Sanctissimo patri & speciali per Deum domino G.. Dei gratia Camaldulensium fratrum priori, suus humilis monachellus Sanson debitam in Christo reverentiam cum obedientia. Quia jamdudum desideravi vacare quieti, meditationibus instare divinis, & fugere penitus illecebras seculares, vobis cum multa precum instantia frequenter supplicavi, ut vestra nobilitas cessionem meam recipere dignaretur, modo quia meum in hac parte desiderium respexit oriens ex alto, temporis opportunitatem mihi largiens opportunam, cum possideatis in pace locum & gentem, & non erit de cetero, qui se vobis opponere dante Domino presumat, nolo diutius crastinare, quos effectus ignorans penitus, quod ventura pariat dies, ad dilecte solitudinis quietem redeo, cum effectionibus prelationem monasterii de Vangadicia apostolice sedi, imo Deo potius & vobis resignans, promittendo per illam, qua sum obedientia vobis in Spiritu-sancto, ut dignum est, obligatus, prelationis officium ulterius non requiram, ideoque vobis & fratribus liberam creandi prelatum tribuo facultatem, per dilectum fratrem Oto priorem Montis-silicis &c. quam refutationem dictus prior in capitulo coram fratribus recepit, & firmam & ratam habuit. His autem peractis dixit fratribus prior predictus: Volo examinare vota fratrum, & continuo mecum exiens de capitulo cepit singillatim coram duobus monachis Camaldulensibus Thoma videlicet & Jacobo vota fratrum examinare, quibus omnibus examinatis, major pars & sanior monachorum & conversorum monasterii memorati con-

corda-

cordabat in magiſtro Johanne Camaldulenſis eremi &c. Unde dictus domnus prior reverſus in capitulo, & convocatis fratribus omnibus, monachis & converſis pretaxati monaſterii, invocato nomine ſanctiſſime Trinitatis &c. & ſancti Theobaldi confeſsoris, elegit predictum magiſtrum Johannem in abbatem monaſterii de Vangadicia &c., & commiſit eidem domno electo curam & providentiam & adminiſtrationem dicti monaſterii, precipiens monachis & converſis, ut ipſi obedirent ei electo in omnibus & per omnia, & ipſe electus promiſit & fecit dicto domno priori Camaldulenſi & ſuis ſucceſsoribus catholicis obedientiam ſecundum regulam beati Benedicti & conſuetudines Camaldulenſes, & ipſe prior eidem electo commiſit claves monaſterii prefati.

Actum ibidem anno Domini M. CC. XVII. indictione V.

Ego Saverius ſacri palatii notarius ad hec omnia ſupraſcripta interfui, & audivi, & vidi, & rogatus ſcripſi.

CCXXIV.

Ruſticus ep. Tudertinus confirmat monaſterium S. Antonii Guidoni priori Camaldulenſi.

Anno 1217. menſe auguſto.

Ex eodem archivo. §. Donatio. n. 384.

Ibid. n. 31. IN nomine Domini. Anno milleſimo ducenteſimo decimoſeptimo menſe auguſto, & exeunte die .... temporibus domni Honorii tertii pape pontificatus ejus anno ſecundo indictione quinta ...... quidem ipſe ego Ruſticus Dei gratia Tudertinus epiſcopus licet indignus pro anima mea & redemptione peccatorum meorum do, dono, tribuo atque concedo tibi domno Guidoni priori Camaldulenſi & ſucceſsoribus tuis in perpetuum per presbyterum Johannem monachum veſtrum vice veſtra recipientem, plenam & liberam poteſtatem eccleſie ſancti Antonii prope civitatem Tudertinam in monte de Arcis poſite, itaut epiſcopus Tudertinus nullas exactiones ſeu precationes ab eadem eccleſia percipiat, & ab omni munere & poteſtate Tudertini epiſcopi ſit exempta. Ipſa tamen eccleſia pro annuo canone & cenſu unam libram cere annuatim in feſto ſancte Marie de auguſto epiſcopo Tudertino perſolvat, & eam ordinandam de monialibus, & inſtituendam & deſtituendam & corrigendam tam in capite, quam in membris vobis predicto priori & veſtris ſucceſsoribus liberam tribuo poteſtatem, atque concedo, que ibidem honeſte vita monaſtica deſerviant Jeſu Chriſto. Verum ſi in eccleſia illa monache eſse deſinerent, & monacharum inſtantia honeſta vacaret, pleno jure & poteſtate ad epiſcopum Tudertinum predicta eccleſia revertatur.

††† Signum manuum ſupradicti epiſcopi, & presbyteri Johannis monachi, qui hoc inſtrumentum fieri rogarunt.

Actum in civitate Tudertina & intra in curia veteri epiſcopi Tudertini preſentibus Philippo ſubdiacono & camerario epiſcopi, Nicola, & Claravalle, Ranaldo Gilii, domno Ruffino priore ſancti Antimi, & presbytero Bonaſpetie teſtibus rogatis.

Et ego Petrus Phanuelis ſancte Romane eccleſie judex interfui & rogatus ſcribere ſcripſi.

CCXXV.

Honorii papæ III. literæ Johanni abbati Vangaticienſi.

Anno 1217. v. kl. decembris.

Ex tabulario ejuſdem monaſterii.

HOnorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio .. abbati de Vangadicia ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Solet annuere ſedes apoſtolica piis votis & honeſtis petentium precibus favorem benivolum impartiri. Ex tua ſane relatione accepimus, quod A.. & quidam alii predeceſsores tui quedam bona eccleſie de Vangadicia in grave ipſius alienaverint eccleſie detrimentum. Ea propter dilecte in Domino fili tuis precibus grato concurrentes aſsenſu, auctoritate tibi preſentium indulgemus, ut alienationes predictas tibi liceat ſublato appellationis obſtaculo legitime revocare. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c. Ibid. n. 33.

Datum Laterani v. kalendas decembris pontificatus noſtri anno ſecundo.

CCXXVI.

CCXXVI.

Ejusdem privilegium Guidoni abb. S. Michaelis in Burgo Pisarum.

Anno 1217. nonis decembris.

Ex chartulario ejusdem monasterii.

Ibid. n. 32. HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Guidoni abbati monasterii sancti Michaelis, quod in civitate Pisana situm est, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Officii nostri nos admonet, & invitat auctoritas *&c.* Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicis recordationis Adriani, & Alexandri predecessorum nostrorum Romanorum pontificum sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & sancti Benedicti regulam, atque Camaldulensem consuetudinem in eodem monasterio dignoscitur institutus, futuris ibidem temporibus inviolabiliter conservetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam sancti Laurentii de Rivolta cum hospitali & pertinentiis suis. Ecclesiam sancte Cecilie. Jus vestrum in ecclesia sancti Christophori de Colignola cum integris parochiis & diocesibus suis. Eremum sanctorum Verani, & Jacobi, que posita est in confinibus Calci, in loco qui dicitur Costacqua, cum omnibus possessionibus & pertinentiis suis. Quiquid habetis in villa de Ghessano, de Colignola, de Mezzana, de Leona, de Bottano, & infra Marceto. Quiquid habetis in ecclesia sancte Marie juxta ecclesiam sancti Petri in gradu, salvo solito censu Pisani archiepiscopi, & quiquid habetis justa muros civitatis, tam in terris quam in vineis vobis nihilominus confirmamus. Ordinationes monachorum seu clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, & ea gratis, & absque pravitate vobis voluerit exhibere, alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate, vobisque postulata indulgeat. Clericos vero, sive laicos liberos, & absolutos, qui ad vos conversionis gratia transire voluerint, suscipiendi habeatis liberam facultatem. Ad hec presentis decreti assertione sancimus, ut nullus infra terminos parochie vestre, vel ecclesiarum vestrarum, sine consensu diocesani episcopi & vestro aliquam ecclesiam edificare presumat. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati, vel interdicti sint, nullus obsistat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, in quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo *&c.*

† Ego Honorius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Nicholaus Tusculanensis episcopus ss.

† Ego Guido Prenestinus episcopus ss.

† Ego Ugo Ostiensis episcopus ss.

† Ego Pelagius Albanensis episcopus ss.

† Ego Petrus Sabinorum episcopus ss.

† Ego Leo tit. sancte Crucis in Hierusalem presb. card. ss.

† Ego Petrus sancte Pudentiane tit. Pastoris presb. card. ss.

† Ego Rubertus tit. sancti Stephani in Celio monte presb. card. ss.

† Ego Stephanus basilice XII. apostolorum presb. card. ss.

† Ego Gregorius tit. sancte Anastasie presb. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Rainerius sancte Marie in Cosmedin diac. card. ss.

† Ego Romanus sancti Angeli diac. card. ss.

† Ego Stephanus sancti Adriani diac. card. ss.

† Ego Egidius sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

Datum Laterani per manum Rainerii S. R. E. vicecancellarii nonis decembris indictione V. incarnationis Dominice anno M. CC. XVII. pontificatus vero Honorii pape III. anno secundo.

CCXXVII.

CCXXVII.

Ejusdem amplissimum privilegium Rainaldo priori Fontis-avellanæ.

Anno 1218. VI. idus aprilis.

Ex apographo archivi Armanni Eugubii. T. I. pag. a.

Ibid. n. 36. HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Raynaldo priori heremi sancte Crucis Fontis-avellane, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus &c. In primis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum, & beati Benedicti regulam sub heremitica observatione in eadem ecclesia noscitur institutus, perpetuis ibidem temporibus observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est, cum omnibus pertinentiis suis; monasterium sancte Marie de Faventia una cum capellis suis & pertinentiis earum; ecclesiam sancti Johannis de Acereto cum omnibus possessionibus suis; ecclesiam sancti Barnabe de Gamundio; ecclesiam sancti Silvestri de Arimino cum bonis quondam Calcoli & domibus; ecclesiam sancte Marie de Beforca; ecclesiam sancti Donati de Urbino; ecclesiam sancti Mariani; ecclesiam sancti Salvatoris de Fano; ecclesiam sancti Martini de Barti cum omnibus earum pertinentiis, & quidquid habetis in comitatu Fanensi. Quidquid habetis in ecclesia sancte Marie de Portuno, & in possessionibus suis. Quidquid habetis in castro & in curte Turilis; ecclesiam sancti Bartholomei de Senogallia; ecclesiam sancte Lucie cum omnibus pertinentiis earum. Quidquid habetis in Fractula & curte ejus; ecclesiam sancti Septimii; ecclesiam sancti Lotherii; ecclesiam sancte Marie de Cirvignano cum omnibus earum pertinentiis. Quidquid habetis in ecclesia sancti Petri de Montetebaldi, & in ecclesia sancti Cosme cum pertinentiis suis. Et quidquid habetis in curte Ripalte extra Neulam; ecclesiam sancti Nicolai de Valle-rea & in curte Vallis-ree; ecclesiam sancti Laurentii de Colle-alto; ecclesiam sancti Domnini; ecclesiam sancte Marie de Valle-mergo cum omnibus earum pertinentiis; & quidquid habetis in ecclesia sancti Petri de Cordonase; & quidquid habetis in villa Dulii & in toto comitatu Nucerino. Ecclesiam sancti Angeli de Clandida cum capellis & earum pertinentiis, & Belliscium cum curte sua; ecclesiam sancti Angeli de Ripalda cum curte & pertinentiis suis; ecclesiam sancte Marie de Pundo; & quid habetis in curte Montis-ajati; ecclesiam sancti Fortunati de Capitalis; ecclesiam sancti Petri de Bugno cum curtibus & earum pertinentiis, & medietate castri Frontonis cum curte ejus; Vallem Sorclani cum omnibus pertinentiis suis, & cum curte Finilli; ecclesiam sancti Angeli de Sortecle, sancti Bartholomei de Taruco, sancti Marcelli de Monte-scapto cum omnibus pertinentiis earum; ecclesiam sancti Angeli de Monte-sicco; ecclesiam sancti Paterniani de Casale Clusi cum curtibus & ejus pertinentiis; & quidquid habetis in comitatu Callensi. Ecclesiam sancte Crucis de Esio cum suis pertinentiis; ecclesiam sancti Leonardi de Esino; ecclesiam sancti Laurentii de Auximo; ecclesiam sancti Petri de Casarolis; ecclesiam sancti Christophori de monte Filetrano; ecclesiam sancti Superantii de Cingulo cum omnibus earum pertinentiis, & quidquid habetis in toto comitatu Auximano. Ecclesiam sancti Anastasii de castro Ficardo, sancte Marie de Recanato cum capellis & ejus pertinentiis, & quidquid habetis in toto episcopatu Humanensi. Et quidquid habetis in ecclesia sancti Paterniani de castro sancti Johannis de Firmo, ecclesiam sancti Johannis de Busco, & totas possessiones Alberti Rustici; ecclesiam sancti Leonardi de Volubrio cum capellis & ejus pertinentiis, & quidquid habetis in toto comitatu Firmano. Ecclesiam sancti Angeli de Mutiliana; ecclesiam sancti Laurentii de Corinaldo; ecclesiam sancti Martini de Castignano; sancti Paterniani de Sumat; sancti Ilarii de Esculo cum omnibus earum pertinentiis, & quidquid habetis in toto comitatu Exculano. Ecclesiam sancti Nicolai de Cornu cum pertinentiis suis, & quidquid habetis in comitatu Pennensi. Ecclesiam sancte Crucis de Barclan, sancti Blasii de Urbisalia, sancti Angeli de Camusano, sancti Damiani de Fonte-bono; sancti Michaelis de Aqui-

Aquimolis cum capellis & earum perti-nentiis, & quidquid habetis in toto comitatu Camerini. Ecclesiam sancti Angeli de Spoleto, & sancti Fabiani de Trevi cum omnibus earum pertinentiis; & quidquid habetis in comitatu Spoletano, & quidquid habetis in Fulginate. Ecclesiam sancti Salvatoris de Monte-alto, sancti Martini de Ampuzano, sancti Quirici cum capellis suis & earum pertinentiis; ecclesiam sancti Matthei & quidquid habetis in comitatu Perusino. Ecclesiam sancti Cassiani & sancti Fortunati cum capellis & earum pertinentiis; Ecclesiam sancte Crucis de Monte majore, & sancti Egidii de Castello, sancte Crucis de Citerna, sancti Petri de Agilone cum capellis & earum pertinentiis, & quidquid habetis in toto comitatu Castellano. Ecclesiam sancti Mariani de Palcano, sancti Johannis de Botano, sancti Silvestri de Castellare, sancti Donati de Flea cum curtibus, & capellis & earum pertinentiis. Monasterium sancti Andree de Insula - Manfredi cum capellis & pertinentiis suis, ecclesiam sancti Apollinaris, sancti Thome, sancti Bartholi de Camporegiano cum pertinentiis earum; monasterium de Monte-salajolo cum pertinentiis suis, & quidquid habetis in comitatu Eugubino. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus colitis *&c. ut in consimilibus bullis.*

Perfice † *gressus meos*
SCS | SCS
PETRUS | PAULUS
HONO | RIUS
PP. | III.
in semitis tuis.

BENE VALETE

Ego Honorius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Nicolaus Tusculanensis episcopus ss.

† Ego Guido Prenestinus episcopus ss.

† Ego Hugo Ostiensis & Vellitrensis episcopus ss.

† Ego Pelagius Albanensis episcopus ss.

† Ego Petrus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Leo tit. sancte Crucis in Hierusalem presb. card. ss.

† Ego Petrus sancte Pudentiane tit. Pastoris presb. card. ss.

† Ego Stephanus basilice XII. apostolorum presb. card. ss.

† Ego Gregorius tit. sancte Anastasie presb. card. ss.

† Ego Thomas tit. sancte Sabine presb. card. ss.

† Ego Guido sancti Nicolai in carcere Tulliano diac. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Gregorius sancti Theodori diac. card. ss.

† Ego Rainerius sancte Marie in Cosmedin diac. card. ss.

† Ego Stephanus sancti Adriani diac. card. ss.

Datum Laterani per manus Rainerii S. R. E. vicecancellarii VII. idus aprilis indictione VI. incarnationis Dominice anno M. CC. XVIII. pontificatus vero domni Honorii pape III. anno secundo.

CCXXVIII.

Acto episc. Camerinensis concedit sepulturam liberam ecclesiæ S. Blasii de Fabriano monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1218. IV. kl. maji.

Ex autographo chartarii S. Blasii.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Anno Christi M. CC. XVIII. indictione sexta tempore Honorii pape in palatio domini episcopi Camerinensis IIII. kalendas madi .... Quoniam episcopalis officii est ecclesiarum necessitatibus ac utilitatibus .... Acto Camerinen....... dilecto in Christo fratri Hermando abbati ..... justis petitionibus annuentes, quod nomine ecclesie sancti Blasii ad monasterium sancti Victoris pertinentis, postulare voluistis, dignum duximus esse concedendum. Unde quia petistis, ut sepulturam ecclesie sancti Blasii de burgo Fabriani concedere deberemus ei liberam sepulturam, sicut aliis ecclesiis de Fabriano. Ideo concedimus ei liberam sepulturam velud alie ecclesie Fabriani habent. Salvo in omnibus jure aliarum ecclesiarum, a quibus corpora sumuntur, tam in cimiteriis, quam in aliis, & nostra. *Ibid. num 42.*

† Testes sunt de hoc rogati presbyter Telonasius abbas Cripte, presbyter Bonus canonicus Camerinensis, Acto prior ecclesie sancti Gregorii, presbyter Mainardus capellanus domini episcopi, & presbyter Bonomus prepositus sancti Victoris.

Ego Acto notarius Camerinensis rogatus hec omnia scripsi.

† Ego Acto Camerinensis episcopus propria manu supscripsi.

† Ego Rainaldus Camerinensis archidiaconus propria manu subscripsi.

† Ego Adinolfus concanonicus diaconus indignus propria subscripsi manu.

† Ego Jacobus Camerinensis canonicus propria manu subscripsi.

† Ego Ofredutius Camerinensis canonicus propria manu subscripsi.

CCXXIX.

Gregorius abbas S. Gregorii de Urbe locat clericis SS. Johannis & Pauli.

Anno 1218. XII. maji.

Ex codice Gregoriano pag. 252.

Ibid. n. 39. IN nomine Domini. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo decimo octavo, & anno secundo pontificatus domni Honorii tertii pape indictione sexta mensis madii die duodecimo. Nos quidem Gregorius Dei gratia abbas venerabilis monasterii sancti Gregorii in clivo Scauri una cum consensu & communi voluntate fratrum & consotiorum nostrorum in dicto monasterio monachorum, videlicet Nicolai presbyteri & prioris, Nicolai Mazzoeli presbyteri, Andree presbyteri ..... Romani diaconi, Petri Gualterii, Matthei subdiaconi, domini Guidonis, Gregorii, Romani, Crescentii atque Placidi ..... & aliorum, mandato domni Honorii tertii pape, nec vi coacti, nec dolo seducti, sed propria voluntate pro jamdicto monasterio ante presentiam subscriptorum testium ad hoc specialiter rogatorum, concedimus & locamus .... per Johannem Leonis scriniarium nostrum procuratorem a nobis specialiter constitutum, investientes tradi vobis clericis venerabilis basilice sanctorum Johanni & Pauli, videlicet presbytero Johanni, Raynerio, Petro Alberto, Centio Camponiani, Centio de Cone, Rogerio, atque presbytero Romano, Angelo atque Johanni Gregorii vestrisque successoribus ad opus & utilitatem predicte vestre basilice, ut infra legitur, perpetuo; id est quinque cossas antiquas, quarum una parva & altius cum aliis non extenditur cum arcubus suis supra in circuitu, & cum omnibus suis usibus & utilitatibus & pertinentiis, excepto pinna parietis, que superеminet, quam vestris vel dicti domini pape expensis dirui facere ex pacto convento debetis, & specialiter cum tanto de cripticella retro dictas cossas, quod sufficiat ad duas privatas sine malitia faciendas tantum, positis infra Urbem, ab uno & altero latere via, que pergit juxta predictam basilicam sanctorum Johannis & Pauli & tenimentum nostri monasterii inter hos fines: a primo latere retro nostrum monasterium possidet, a secundo & tertio scilicet subtus & desuper est predicta via, a quarto latere dicta vestra basilica tenet. In quibus vero cossis vel supra quas a modo vobis vel successoribus vestris ad opus & utilitatem dicte basilice liceat domum facere & in altitudinem vel summitatem eam, que nunc est, tectum sine malitia fieri facere. Hanc autem locationem vobis, ut dictum est, denotare inferius facimus pro quinquaginta libris bonorum provisinorum Senatus, quas nobis pro dicto monasterio nomine mercedis datis, de quibus nos bene quietos vocamus, & non solute mercedis exceptionem omnino refutamus, easque pro debito nostri monasterii solvimus .... sub pensione a modo annuatim ipsi nostro monasterio reddenda in festo sancti Gregorii unius Papiensis denarii, quam si in festo non dederitis, in octava duplicetis, & si duplicare contempseritis, ab hac locatione omnino cadatis, & hanc locationem vobis facimus tali tenore, & ex pacto convento lege adjecta, quod non liceat vobis nec successoribus vestris aliquo in tempore dictas cossas vel domum aliqua subscripta occasione altius edificare, nec tollere, nec etiam alterius tenimenti nostri monasterii fenestram vel aliquod foramen sive voltas facere, & postquam dicta domus in dictis cossis completa, & ut dictum est, tecto cooperta fuerit, nullo in tempore nostrum monasterium per eam aliquam patiatur injuriam vel jacturam. Verumtamen si aliquando vos aut successores vestri, quod absit, predictas cossas cum arcubus eam altius edificare tentaveritis, vel, ut dictum est, ipsi nostro monasterio per eas aliquam injuriam vel jacturam feceritis, & que dicta sunt & inferius denotantur, non observaveritis, ab hac penitus locatione dicta basilica vestra cadat, & vos cadatis, & libere, sicut erit meliorata, ipsi nostro monasterio revertatur, nullo jure vel usu a senatu & populo Romano introducto obstante; quod, quemve in hac causa pro vobis & successoribus vestris & predicta vestra basilica nobis omnino refutatis. Et ut hec omnia nobis

bis plenius observentur predictus dominus papa Honorius per apostolicas literas ejus sigillo signatas, prout melius noverit, vobis, vestrisque successoribus, sicut separatim superius denotatur, sub excommunicationis vinculo precipiet, observare; novissime autem pro nobis & nostris successoribus pro dicto nostro monasterio vobis vestrisque successoribus predicte basilice sanctorum Johannis & Pauli hanc concessionem & locationem, ut dictum est, observare, & ab omni homine, si opus fuerit, defendere nomine plejarie & principalis obligationis promittimus sub pena quatuor librarum boni auri pro eo, quod vos pro vobis successoribusque vestris pro dicta vestra basilica nobis pro dicto nostro monasterio nostrisque successoribus, que dicta sunt, omnino nomine plejarie & principalis obligationis perpetuo sub eadem pena observare & adimplere, & contra nulla ratione venire promittitis, & soluta pena hec cartula firma permaneat, quam scribere rogavi Johannem Leonis scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta sexta. Testes presbyter Petrus ecclesie sancte Marie de Ferrariis, Thadeus Pulgamini, Jacobus Obitionis Rubei, Petrus Johannis Gregorii, Petrus Sutrinus, Centius Obitionis Rubei, Johannes Pontis Corbuli, Paulus Magni.

Ego Johannes Leonis sancte Romane ecclesie scriniarius habens potestatem dandi tutores, & curatores emancipandi, & decretum interponendi, & alimenta decernendi complevi & absolvi.

CCXXX.

Honorius pp. III. *committit reformationem S. Andreæ de Candiculis Camaldulensibus.*

Anno 1218. xv. kl. decembris.

Ex autographo Fontis-boni. §. Brevia. n. 18.

Ibid. n. 30. HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Presentate nobis venerabilis fratris nostri Hostiensis episcopi apostolice sedis legati litere continebant, quod cum idem monasterium de Candiculis, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, invenisset adeo in spiritualibus dissolutum & in temporalibus annullatum, quod dissolutiones, infamationes & opprobria, que de illo exierant totam fere provinciam corrumpant & nauseam transeuntibus inferant; ipse habito prudentum virorum consilio, ac intellecto, quod per fratres ordinis vestri melius quam per alios posset ac honestius reformari, sepesatum monasterium vobis reformandum commisit, salvo tamen in omnibus jure & proprietate Romane ecclesie, ad quam noscitur pertinere. Nos igitur piam intentionem ipsius episcopi attendentes, considerantes etiam, quod ad hoc sollicitudo vestra potest non modicum existere fructuosa, universitatem vestram monemus attentius & hortamur per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ad reformationem monasterii memorati taliter intendatis, quod sollicitudinem & diligentiam vestram possimus in Domino commendare, & ex hoc vobis cumulus eterne retributionis accrescat. Datum Laterani xv. kal. decembris pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXXI.


Friderici II. *regis præceptum pro monasterio Vangaticiensi.*

Anno 1219. v. kl. aprilis.

Ex apographis Vangaticiensibus.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum rex augustus & rex Sicilie. Regie majestatis a Deo nobis creditum postulat & requirit officium, ut unicuique, quod suum est, equitatis jure conservetur, precipue autem ecclesiis & monasteriis ad serviendum Deo continua devotione deputatis favorem & opem gratie nostre eo magis familiaribus studiis impendimus, quo certius ad remissionem peccatorum in eterna bonorum retributione nobis quidem id profuturum speramus. Eapropter cognoscat tam presens etas, quam successiva posteritas, quod nos ob remedium anime nostre piam & pronam aurem gratanter accommodantes, rationabilibus & justis petitionibus Johannis venerabilis abbatis de Vangadicia Camaldulensis ordinis, religiosi quidem & sane opinionis viri, clementer annuentes, & felicis memorie gloriosissimi Friderici avi nostri Romanorum imperatoris vestigiis inherentes, sicut in ejus privilegio continetur, monasterium sancte Dei genitricis ordinis Ibid. n. 44.

Camaldulensis constructum super Athesis fluminis ripam ad locum, qui quondam Petra dicebatur, nunc autem Vangadicia vocatur, una cum abbate & fratribus divino inibi obsequio mancipatis, & cum omnibus suis possessionibus & rebus mobilibus & immobilibus, & ea que hactenus possedit, & in futurum Deo favente justo aquisitionis titulo possidebit, sub nostra regali tuitione & defensione gratanter suscipimus, omnesque res & possessiones ejus mobiles & immobiles seseque moventes, quas abbas & fratres ejusdem monasterii vel ipsi, vel per alium possident, vel de cetero aquisierint, eidem ecclesie perpetua stabilitate per nostre auctoritatis robur & munimen confirmamus, ex quibus quedam duximus exprimenda vocabulis, videlicet possessiones, quas habet in predicto loco, qui dicitur Vangadicia, & in Abbatia, & in aliis quibuscumque locis; in episcopatu Veronensi infra civitatem ecclesia sancti Salvatoris cum omnibus suis pertinentiis; & in Bardulino, in Ilasio, in Albareta, in Porto, in curia Leniaci, terram scilicet arabilem, prata, silvas, saliceta, sationes, venationes, paludes, piscationes, cum omnibus suis pertinentiis, & adjacentiis, que ad curiam Leniaci pertinent, cujus terminus currit superius caput silve ipsius monasterii usque in Tartarum, que silva vocatur Gazuolo, & est ex alia parte Athesis, Salvaterra, Ramodepalo, Borseda, Torreda, in Contra, in Arquada, in Rodigio, in Pontieno, in Conte, in Squinacio, in Donino, in Bonisago, in Martegio, in Sarzano, in Mardinago, in Veneza cum omnibus suis pertinentiis, in Cogula, Clausurella, Cavezana, Saguedo, in Merlaria, in Scudasia, in Palso, in Vighizolo, in Corrigia, in Villa, in Este, Vallis Almerici, in Monte Silicis, in Padua, in curte de Piove, in villa Cornede, in Denajolo. Hec igitur supradicta & cetera omnia, que in aliquo regni nostri loco prefata possidet ecclesia, cum casis, capellis, decimis, placitis, mercatis, theloneis, ripis, ripaticis, molendinis, collectis, viis & inviis, vineis, agris, terris cultis & incultis, silvis, pascuis, montibus, planitiebus, venationibus, aquis aquarumque decursibus, stellariis, paludibus, piscationibus, armaniis, tansis, bannis, ac olivetis, universis exhibitionibus cum omni honore & districtu, salva tamen regali justitia, confirmamus. Tum id abbati & ecclesie, ac suis successoribus, & eorum hominibus indulgemus, ut nullus inde respondere teneatur, nisi nobis aut certo misso nostro ad hoc specialiter deputato & destinato. Precipimus igitur regalis auctoritatis nostre edicto, quatenus nullus archiepiscopus, episcopus, dux, marchio, comes, vicecomes, consul vel potestas vel ullum commune civitatis alicujus loci, nec ulla omnino persona, magna vel parva, secularis vel ecclesiastica, supradictum monasterium, & ejus abbatem, & fratres & homines in curtis predictis, vel in ullis rebus aut functionibus sibi pertinentibus inquietare, divestire vel quocumque modo molestare presumat. Quod si quis contra hec precepta nostra venire presumpserit, centum libris auri pena feriatur, que medietas ipsi fisco nostro, residuum abbati prefate ecclesie persolvatur. Pro quorum omnium certa & inviolabili observatione & memoria presentem paginam majestatis nostre sigillo communivimus, testibus subscriptis, qui sunt Gherardus Salburghensis archiepiscopus, Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Henricus Balensis episcopus, Rodigerius marchio Montis-ferrati, Hermannus marchio de Baden, Egno comes de Via .... Gerardus & Ultricus comes .... Anselmus curie nostre Marescalcus, Fridericus camerarius, Berardus dapifer & alii quamplures.



Signum domini Friderici Romanorum regis invictissimi & semper augusti, & regis Sicilie.

† Ego Conradus Metensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Gofredi Moguntini archiepiscopi & totius Alemannie archicancellarii.

Datum apud Agenovum anno Dominice incarnationis M. CC. XVIIII. quinto kalendas aprilis indictione VII. regnante domino Friderico Romanorum rege semper augusto & rege Sicilie anno VII. feliciter, amen.

CCXXXII.

CCXXXII.

Honorii III. delegatio pro monasterio de Follina.

Anno 1219. III. kl. junii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

Ibid. n. 15. HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. abbati & conventui de Follina Cisterciensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. Cum illius locum licet immeriti teneamus in terris, qui non est Deus dissensionis, sed pacis, his nos convenit robur apostolicum adhibere, que aliquando in contentione reducta judicio sunt vel concordia terminata. Eapropter dilecti in Domino filii vestris postulationibus grato concurrentes assensu diffinitivam sententiam, quam dilecti filii T.. prior sanctorum Marine & Juliani de Urbanis, & plebanus sancti Pauli de Venetiis auctoritate nostra pro vobis contra monasterium sancti Firmi de Verona super eo quod ..... abbas & conventus ejusdem monasterii vestram ecclesiam ad se pleno jure pertinere dicebant, & rebus aliis exigente justitia promulgarunt, sicut est justa & legitima provocatione suspensa, auctoritate apostolica confirmamus. Datum Rome apud sanctum Petrum III. kal. junii pontificatus nostri anno tertio.

CCXXXIII.

Quarta pars castri Civitellæ adjudicatur monasterio Valle-castrensi.

Anno 1219. XII. exeunte septembri.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 48. IN nomine patris & filii & spiritus sancti, amen. Anni Domini sunt M. CC. XVIIII. indictione septima a tempore domini Honorii pape III. die XII. exeuntis mensis septembris. Cum litis & controversia verteretur inter domnum Armanum Dei gratia Vallis-castri abbatem & ejusdem conventum pro dicta ecclesia ex una parte, & dominum Albizo Marci ex altera, que litis & contentio talis erat. Petebat enim dictus abbas & ejusdem conventus pro dicta ecclesia versus dictum dominum Albezo quartam partem Civitelle, sicut continetur in instrumento facto a domino Mattheo, ab ecclesia Vallis-castri in restitutione sinaitas, quas tenet & possidet, vel homines sui possident, vel alii pro eo, quas sinaitas ..... dictam Civitellam a capite b..c..eta & aqua Arelle & vadit supra heremum, & pergit Aletane, & etiam petiit, sicut continetur in instrumento ..... sanctissimo sancto Romualdo ..... sinaitas & penitus destruat, & deguastet molendinum constructum in capite clusarum & in antea ...., neque edificet nullum molendinum ibi. Unde pro dictis litibus utraque pars dederunt se in manibus domini Bentevogli Rolandi ...... a suo arbitrio & a suo mandato quid..... quidlibet & dicere, & laudare, & arbitrare inter eos, & precipue sub pena L. librarum denariorum .... alteri pro stipulatione invicem promiserunt. Unde ego predictus Bentivolus electus arbiter ex voluntate partibus supradictis in Christi nomine laudo, precipio & arbitro, ut predictus dominus Albezo Marci restituat & reddat sinaitas, & dimittat ad predictum abbatem, & ad ecclesiam Vallis-castri, sicut in instrumento continetur, concessa a beato Romualdo, & etiam sicut declaratum est & determinatum. Item precipio & arbitro, & laudo, ut in dictas sinaitas & lites dictus dominus Albezo, neque alii pro eo nullam litem, nullamq.....inantea faciat, neque permittat facere nullum molendinum, nec istud, nec .... a capite clusarum usque ad saxum Helene Ragiese, & comuni voluntate utriusque partibus de petitione castri Civitelle .... laudo, arbitro & precipio, quod predictus abbas nomine ipsius hecclegie habeat quartam partem Civitelle, sicut continetur in instrumento facto a domino Mattheo hecclesie Vallis-castri. Insuper dico & precipio, quod homines, quos predictus abbas posuerit vel habuerit in predictam Civitellam, libere utantur. Item homines domini Albizi aquis, pascuis, pratis & montaneis, & lignis & lapidibus sine omni contradictione in perpetuum. Item precipio, ut dictus dominus Albezo det medietatem modiolum terre per ortum a predicta heglesia. Item ex altera parte precipio, laudo & arbitro, quod dictus dominus abbas & ejus conventus & antecessores suos ...... instrumento domino Albezo, quod dominus Guilielmus abbas fecit a domino Mattheo, omnia suprascripta laudo, precipio, dico & arbitro, quod utriusque partibus debeant observare, & observent sub pena predicta pars non observans observare volenti dare teneatur. Et precipio abbati, ut capiat

piat plateas pro domibus hominibus suis usque ad festum omnium Sanctorum. Insuper precipio abbati & fratribus, ut dent dicto Albezo xx. libras in festum sancti Michaelis, & XLI. libras in festum sancti Andree. Actum est hoc ante heclesiam sancti Romualdi in presentia istorum testium, scilicet domini Fasarelli & Attutii Bentivolii, Amicus Fabri, Petrum Bonihomini, & Marco, Benvenutum Calderarii, Marco Girardi & aliorum plurium rogati sunt testes.

Ego Pellegrinus notarius scripsi.

CCXXXIV.

Literæ Honorii papæ III. *abbati de Follina.*

Anno 1219. VIII. kl. novembris.

Ex authentico ejusdem monasterii. n. 667.

Ibid. n. 15. HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & conventui monasterii sancte Marie de Fulina Cisterciensis ordinis salutem & apostolicam benedictionem. Petente quondam procuratore monasterii sancti Firmi Veronen. monasterium vestrum, quod ad illud pleno jure pertinere dicebat, post quasdam ab apostolica sede commissiones obtentas, tandem coram bone memorie P.. tituli sancte Pudentiane presbytero cardinali a felicis recordationis Innocentio papa predecessore nostro in partibus auditore concesso lis extitit contestata, & cum dictus procurator de suo tunc non posset jure docere, de tuo fili abbas & alterius partis procuratoris assensu causa fuit venerabili fratri nostro.. episcopo Paduano & suis conjudicibus ab eodem predecessore nostro commissa, qui visis rationibus partium monasterium vestrum ab impetitione partis alterius per diffinitivam sententiam absolverunt, eidem parti censum viginti solidorum Veronensium in ipso monasterio reservantes, cujus cognitione sententie ad apostolice sedis examen per appellationis delata remedium quibusdam coram nobis ex parte tua fili abbas utcumque inciderant, adjectis nos de tuo, & procuratoris alterius partis assensu, dilecto filio.. abbati Galven.. & suis conjudicibus scripsimus, ut de ipsius confirmatione vel infirmatione sententie ac de adjectis facerent, sicut faciendum de jure viderent, quorum duo ipsorum sententiam judicum, quo ad censum pronunciaverunt nullam, set quoad alia confirmaverunt monasterio vestro, partem alteram condempnantes in ducentis quinquaginta libris Veronensibus pro expensis. Horum quoque processum venerabilis frater noster.. patriarcha Gradensis & sui conjudices delegati a nobis legitimum decreverunt, a quibus ante prolationem sententie pars monasterii sancti Firmi, quia exceptiones suas non admiserant, appellarunt. Sane te fili abbas & procuratore partis adverse in nostra super his presentia constitutis, nos auditis & intellectis hinc inde propositis sententiam ipsius Paduani & suorum conjudicum super eo, quod vestrum monasterium absolverunt ab impetitione monasterii sancti Firmi, duximus confirmandam super petitione predicta, eidem monasterio sancti Firmi perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo omnino hominum &c. Si quis &c.

Datum Viterbii VIII. kl. novembris pontificatus nostri anno quarto.

Ego Gerardus domini Ottonis imperatoris notarius prout vidi & reperii in privilegio scripto predicto memorati domini Honorii pape currente anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo indictione VIIII. die penultimo januarii, nichil addens vel minuens ad hoc, quod sensus vel intellectus ipsius mutatur privilegii jamdicti me sciente, nisi forte in punctis vel sillabis, scripsi & corroboravi secundum quod ipsum vidi proprio sigillo sigillato jamdicti domini Honorii pape.

CCXXXV.

Ejusdem pro monasterio de Candiculis reformando a Camaldulensibus literæ.

Anno 1219. V. kl. novembris.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia. n. 20.

HOnorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo & dilecto filio .. archipresbytero Florentino salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. prior & conventus Camaldulen. quibus monasterium de Candiculis, reformandum commisimus, exposuerunt humiliter coram nobis, quod cum venerabilis frater noster .. Ostiensis episcopus olim dum in partibus illis legationis officio fungeretur, monasterio ipsi officium visitationis impendens monachos nigros habitantes ibidem propter Ibid. n. 46

mul-

multiplices eorum excessus ab eodem monasterio, quod per ipsorum malitiam fere ad extremam exanimationem devenerat, duxerit amovendos, in eos, si vel ad idem redirent monasterium, vel monachos Camaldulenses, quibus ille reformandum commisit, in aliquo molestarent, excommunicationis sententiam promulgando, illi, qui percussi dolore ac attriti debuerant accipere disciplinam, tamquam in profundum venerint peccatorum, excommunicatione contempta in eodem monasterio se ausu temerario receperunt, & ibi divina celebrantes officia, vel potius prophanantes, libros, ornamenta, privilegia & res alias ipsius monasterii exinde per violentiam asportarunt. Ne igitur predicti monachi de sua pertinacia glorientur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus predictam excommunicationis sententiam sollempniter innovantes, faciatis eamdem tandiu appellatione remota inviolabiliter observari, donec ipsi restituentes taliter asportata, ab ejusdem monasterii molestatione penitus conquiescant.

Datum Viterbii v. kal. novembris pontificatus nostri anno quarto.

CCXXXVI.

Aliæ commissionis ejusdem rei Guidoni priori Camaldulensi.

Anno 1219. v. kl. novembris.

Ex eodem. §. Brevia n. 19.

Ibidem

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum venerabilis frater noster .. Hostiensis episcopus tunc apostolice sedis legatus per monasterium de Candiculis transitum faciens invenisset illud usque adeo in spiritualibus deformatum & in temporalibus diminutum, ut sicut fuerat aliquando in reverentia & honore, ita multis esset scandalo & horrori, vobis illud reformandum commisit, salvo in omnibus jure ac proprietate Romane ecclesie, ad quam nullo pertinet mediante. Nos quoque quod factum fuerit per eumdem episcopum approbantes, vobis nostris dedimus literis in mandatis, ut ad reformationem ipsius monasterii taliter intendere curaretis, *Ibid. n. 46* quod exinde sollicitudinem vestram possemus merito commendare. Unde quod id laudabiliter sicut audivimus inchoatis, gratum gerentes admodum & acceptum, ut ex iteratione mandati nostrum plenius agnoscatis affectum, universitati vestre per iterata scripta mandamus precipiendo, quatinus reformare monasterium ipsum modis omnibus studeatis, ponendo ibidem personas honestas & utiles, sicut videritis expedire, ita quod & Deum propitium, & nos inde vobis reddatis favorabiles & benignos.

Datum Viterbii v. kal. novembris pontificatus nostri anno quarto.

CCXXXVII.

Ædificatio eccl. Porciliensis prope Patavium.

Anno 1219. XIV. novembris.

Ex exemplo S. Michaelis de Muriano.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem nativitatis M. CC. XIX. indi- *Ibidem n. 49.* ctione septima die XIV. intrante novembri Padue in episcopali capella coram domino Floriano archipresbitero, Danisio, Henrico & Lafrancho canonicis Paduanis, domno Jordano priore sancti Benedicti, domino Johachimo .... capellano domini Jordani Dei gratia episcopi Paduani, domino Jacobino, & Cavello & Leopardo judicibus de Padua & aliis. Dominus Jordanus Dei gratia Paduanus episcopus Petro de Bonicis dedit lapidem primarium ad ecclesiam religionis edificandam ad honorem sancte Marie virginis in campo uno de terra jacente in confinio Padue in Porcilia prope flumen, quem ipse Petrus de Bonicis dedit prefato domino episcopo, ut constat in quodam publico instrumento per me Guarnerium notarium confecto, salvo quod subsit eadem ecclesia episcopo Paduano tantummodo nullo medio, & salvo jure canonicorum Paduan. in decimis, & ecclesie sancti Thome de Arena & aliarum ecclesiarum circumstantium in quartisiis, in parochiis & parochianis. Et si forte aliquando imposterum questio aliqua oriretur inter rectores ipsius ecclesie sancte Marie & canonice Paduane, vel rectores dicte ecclesie sancti Thome vel rectores aliarum ecclesiarum circumstantium de decimis sive quartisiis, seu parochiis & parochianis, idem dominus episcopus & successores ejus sine questione aliqua causam vel causas seu questiones illas libere valeat ad voluntatem suam & debeat deffinire. Et hec omnia sic facta sunt & ordinata de voluntate & consensu ipsius Petri de Bonicis.

† Ego Guarnerius de Campo cruce sacri imperatoris F.. notarius &c. scripsi.

CCXXXVIII.

Honorii III. papæ literæ pro monasterio S. Savini Pisarum.

Anno 1220. XIV. kl. maji.

Ex cod. membranaceo S. Michaelis Pisarum.

HOnorius episcopus servus servorum *Ibid. n. 55.* Dei dilecto filio .. priori sancti Petri

tri ad Vincula Pisarum salutem & apostolicam benedictionem. Cum monasterium sancti Savini ordinis Camaldulensis, sicut ex parte abbatis & conventus ejusdem fuit propositum coram nobis, in civitate Pisana & aliis locis Thuscie consueverit multas terras & possessiones habere, quarum notitiam nullam habent, & Hugo de Tignano, G.. de Strata & quidam alii tam civitatum, quam Pisan. Lucan. & Vulterran. diocesum, quos ipsi vobis expriment nominatim, illas scire credantur, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus illos moneas ex parte nostra prudenter, ut ipsi Deum habentes pre oculis, gratia quoque ac timore postpositis, studeant indicare, ne pro defectu eorum a monasterio ipso fiant penitus aliene.

Datum Viterbii XIIII. kal. maji pontificatus nostri anno IIII.

CCXXXIX.

Friderici II. imp. diploma pro monasterio Padolironis.

Anno 1220. mense novembris.

Ex autographo S. Pontiani de Luca.

Ibid. n. 52.

IN nomine sancte & individue Trinitatis Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus & rex Sicilie ad eterni regni premium & temporalis imperii incrementum apud regem regum nobis proficere non ambigimus, si ad pacem & profectum ecclesiarum studium prebere curaverimus & operam diligentem. Quare ad imitationem antecessorum nostrorum illustrium imperatorum ac regum, interventu quoque dilecti fidelis nostri Azzonis abbatis monasterii sancti Benedicti desuper Padum & omnium fratrum suorum, de quorum orationibus multum confidimus, & quorum fraternitatem habentes, diligimus ipsum monasterium sancti Benedicti super Padum, quod nobis specialiter pertinet, cum omnibus suis possessionibus, & monasterium de Gunczaga, & monasterium de Lecto paludano, & monasterium Sextense positum in comitatu Lucano, & monasterium sancti Pontiani & sancti Martini in Colle cum omnibus eorum possessionibus, & omnia alia monasteria & ecclesias ubicumque sint predicto monasterio sancti Benedicti pertinentes cum omnibus possessionibus, predicti abbatis personam & omnes monachos, clericos & conversos suos, familiam quoque & omnes habitatores suos, omnia etiam bona mobilia & inmobilia ipsius monasterii, & omnium ecclesiarum suarum & hominum suorum, ubicumque sint, in tutelam nostre defensionis & protectionis recipimus, & ea omnia predicta ab omni imperiali exactione & jurisdictione, & cujuscumque potestatis, civitatis vel communis, & omnium nunciorum nostrorum & ministrorum nostrorum presentium & futurorum, & ab omnibus insuper albergariis, arimaniis, angariis, & perangariis, fodris, collectis, bannis, gualdimoniis exempta omnino, libera, absoluta esse volumus, atque precipimus pro anime nostre remedio & parentum nostrorum, que omnia in integrum predicto monasterio sancti Benedicti super Padum in perpetuum donamus, concedimus & confirmamus & lege semper valitura corroboramus. Specialiter autem omnia bona mobilia & inmobilia, que ab Henrico tertio & quarto, Lothario, & Friderico & Henrico imperatoribus & quicumque imperatores eidem monasterio & suis ecclesiis largiti sunt, videlicet quatuor mansos in Lecto paludano ab Henrico sexto, & octo ab inclito rege Conrado bone memorie datos, concessos & confirmatos, & que a marchione Tethaldo, & a progenitoribus suis Bonifacio & Alberto marchionibus, & nobilissima comitissa Matilda & duce Guelphone & ab aliis viris nobilibus, capitaneis, valvasoribus & ab aliis vassallis & hominibus nostris cujuscumque conditionis sepedicto monasterio & omnibus aliis suis ecclesiis donata, collata, concessa sunt & confirmata, omnia etiam bona & possessiones, quos Hermanus faber de Pigognaga pro remedio anime sue eidem monasterio contulit & concessit, necnon & possessiones, quas a filiis quondam Preytolini de Castellarano idem monasterium emit, & omnes, de quibus dictum monasterium & ecclesie privilegia vel chartas authenticatas habent, ad jamdicti monasterii & omnium ecclesiarum suarum pacem & quietem, & firmitudinem, utilitatem, & corroborationem, precipue omnes boscos de Pigognaga, videlicet Carpenetam, Spinetam, saccam de Petreta, & saccam de Razeta, & Savetam, & omnia quecumque habet idem monasterium in curte de Pigognaga, sicut continetur in privilegiis suis, & in carta Johannis notarii, & alia, que in antea Deo dante adipisci & adquirere poterit, donamus, concedimus & confirmamus, & per hanc divalem paginam corroboramus in perpetuum. Preterea omnes possessiones, omnes terras & omnes paludes, que tempore Friderici & Henrici imperatorum & nostro tempore predicto monasterio, & omnibus suis ecclesiis, & suis hominibus & nunciis nostris intromisse, seu impedite, vel sai-

site

site fuerint vel sunt eidem monasterio, & ejus ecclesiis, & omnibus suis hominibus restituimus, reddimus, donamus & confirmamus, & presenti privilegio corroboramus. Insuper omnes possessiones, quas Albertus abbas Gualterio de Gunzaga in beneficio feudi sine licentia nostrorum antecessorum dedit, que possessiones in dampnum & detrimentum ipsius monasterii vertuntur, quod nequaquam pati possumus, nec debemus, Azzoni abbati monasterii sancti Benedicti suisque successoribus nomine prefati monasterii imperiali auctoritate reddimus & restituimus, & eorum datum, si quid fuerit in irritum reducimus, & in perpetuum cassamus, & de predictis possessionibus, videlicet braida monasterio Gunzage adjacente cum burgo in ea posito, & aliis quibusdam possessionibus monasterii de Gunzaga in Lecto paludano positis, & in curte Gunzage de consilio curie nostre vice monasterii predicti, quod ad nos specialiter pertinet, lege semper valitura ipsum investimus, & cum omni honore & districtu, & jurisdictione ipsi abbati corroboravimus suisque successoribus in perpetuum. Statuentes & districte sub debito fidelitatis nostre precipientes, ut nullus dux, marchio, comes, nullus gastaldio, nullus nunciorum vel fidelium nostrorum, nec ullus etiam ipsius Gualterii heredum vel proheredum, nulla denique persona prefatum monasterium de jamdictis possessionibus de cetero molestare aut perturbare presumat. Ad indicium autem majoris nostre gratie, quam habemus in idem monasterium pro pace ipsius & tranquillitate, si quid questionis in presentiarum moveri potest, aut in antea ullo tempore poterit super bonis mobilibus & inmobilibus predicti monasterii, & omnium ecclesiarum suarum, que modo habent & suorum hominum, aut in antea Deo dante habebunt, de mera liberalitate nostra omni juri renunciantes penitus cassamus atque dimittimus pro stabilitate imperii nostri, & remedio anime nostre & parentum nostrorum. Statuimus insuper & districte sub debito fidelitatis precipimus, ut nullus archiepiscopus, episcopus &c. dictum monasterium sancti Benedicti super Padum, monasterium de Gunzaga & de Lecto paludano, & monasterium Sextense & sancti Martini in Colle, & omnes ecclesias suas &c. predictum abbatem cum omnibus subjectis suis clericis & laicis, &c. ledere, perturbare vel molestare, seu impedire & invadere per quodvis ingenium audeat, vel huic nostre largitioni, concessioni, & confirmationi, & restitutioni contradicere presumat, set idem monasterium &c. volumus esse libera & penitus ab omni exactione exempta. Si quis &c. Hujus rei testes sunt Bertoldus Aquilegensis patriarcha, Siffridus Augustensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Bertoldus Brixiensis episcopus, Ludevicus dux Bavarie, comes palatinus Reni, Guillielmus marchio Montisferrati, Azzo marchio Hestensis, Anselmus de Justingen. marescalcus, Warnerius dapifer de Hollandia, aliique plures.

Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti & regis Sicilie.

Ego Conradus Dei gratia Metensis & Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius totius Italiæ archican. recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M.CC.XX. mense novembri indictione IX. regnante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto & rege Sicilie anno vero imperii ejus I. regni autem Sicilie vicesimo tertio feliciter amen.

Datum in castris apud Urbem anno & mense & indictione prescriptis.

CCXL.

Præceptum ejusdem imp. pro monasterio S. Severi in Classe.

Circa annum 1220.

Ex tabulario Classensi.

QUamvis omnibus, qui imperatorie libertatis filii fore dignoscuntur, tutele imperialis patrocinium de jure impendere debeamus, illi tamen quadam specialis dilectionis prerogativa a nobis sunt amplectendi, & brachiis consolationis fovendi, quorum fides & sincera devotio circa nos & imperium evidentibus experimentis laudabiliter claruerunt. Nam si ea, que ab antecessoribus nostris regibus & imperatoribus religiosis personis concessa sunt, nos pro eorum & nostra salute confirmamus, proculdubio in eterna nobis vita majorem gloriam provenire minime dubitamus. Quapropter cognoscant universi imperii nostri fideles per Italiam constituti, presentes & futuri, quod nos ex consueta benevolentie nostre gratia, & pro sedula petitione dilecti & fidelis nostri Almerici abbatis ecclesie sancti Severi de Classe suprascriptam ecclesiam sancti Severi & predictum abbatem, & omnes sui monasterii fratres & universas res & possessiones, quas idem monasterium intus & extra in presenti juste possidet, vel imposterum Domino largiente rationabiliter poterit adipi- *Ibidem.*

sci, sub nostram imperialem protectionem atque tutelam suscipimus. Concedimus quoque & confirmamus jamdicto monasterio ejusque rectoribus, que per precepta & privilegia antecessores nostri concesserunt, videlicet ut in insula nostra domnicata utantur piscationibus & pascuis, & dimidiam portam sancti Laurentii cum ripis fluminum, & omnia mobilia, & inmobiles possessiones & pertinentias, quas monasterium sancti Severi habet modo, vel de cetero juste poterit adipisci in civitate Ravenna vel in suburbiis, & in episcopatu vel in comitatu Anconensi, & quidquid habet in comitatu Esi, vel in Senogalie, vel in Pesaurensi, vel Ariminensi, vel Ficoclensi, vel Cesenensi, vel Populiensi, vel Liviensi, vel Faventino, vel Imolensi, vel Bononiensi, vel Ferrariensi, vel Comaclensi, vel Gobiensi, aut in comitatu Callensi, vel in Castellanensi Felicitatis, vel Bobiensi, vel in quocumque locorum juste obtinet vel obtinebit. Volumus etiam & precipimus predictum monasterium ab omni datione, functione, albergaria, pedigaria & ripatico liberum esse & absolutum. Insuper vero eidem sancto loco concedimus, ut ab hinc aldiones sive quilibet residentes ad nullum placitum vadant, nullamque districtionem, nisi in dominium & districtionem abbatis ejusdem monasterii, sed liceat abbatem & monachos pro Dei amore animeque nostre remedio sub nostre protectionis tuitione quiete vivere & Deo famulari, & pro nobis Dominum deprecari, omnium hominum contradictione remota. Concedimus etiam & confirmamus eidem monasterio id totum & omnia ea, que Cavalcacomes in suo testamento reliquit, liberavit & judicavit. Damus insuper, concedimus & confirmamus omne id & ea omnia, que Gerardus Ravenne archiepiscopus in suo privilegio eidem monasterio indulto concessit, precepit & confirmavit cum omnibus lateribus suis in eodem privilegio comprehensis. Preterea censemus, quod dicto monasterio prescriptio aliqua non currat, nisi prescriptio sexaginta annorum, & quod abbas ejusdem monasterii non cogatur jurare de calumpnia in aliquibus causis, sed sindicus, non obstante aliquo statuto. Sancimus quoque ex nostra imperiali auctoritate, ut quicumque de possessionibus predicte ecclesie sancti Severi aliquid habet vel per feudum, vel per emphyteosin vel aliquo alio modo, non liceat ei dare, vel derelinquere, vel alienare in alium venerabilem locum, & quod factum est, in irritum revocamus. Volumus preterea, ut ab illa gravi & importabili collecta, quam marchiones, comites, proceres, valvassores eis, suisque nominibus imponunt, eos liberos esse; *&c.* Hec autem *&c.* Si quis *&c.*

CCXLI.

Præceptum ejusdem imp. pro Martino abb. S. Apollinaris in Classe.

Anno 1220. mense octobris.

Ex autographo Classensi.

Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus & rex Sicilie. Si ecclesias Dei & *Ibid. n. 50.* loca religiosa pio benignitatis nostro favore respiciamus, ad meritum eterne beatitudinis apud regem regum id nobis indubitanter speramus profuturum. Eapropter noverit tam presens etas fidelium imperii, quam successura posteritas, quod nos attendentes honestam & religiosam conversationem fidelium nostrorum Martini abbatis sancti Apollinaris in Classe & fratrum ibidem servientium, concedimus ipsis, & presenti scripto confirmamus, ut omnes persone in eodem monasterio & ejus attinentiis divinis mancipate, & mancipande obsequiis plena gaudeant, atque fruantur libertate & pace. Videlicet ut nec ad angarias vel perangarias, vel alias operas per aliquem etiam nostrum missum, aliamve majorem seu minorem personam, preter ea, que ad publica opera per canones & leges sunt deputata, ullo modo cogantur. De suis quoque domicultilibus, iisdemque suis propriis laboribus, & per suas familias excoluerint, nihil omnino prestare compellantur per altam aliquam humilemve personam, per nostrum missum, seu per quemcumque alium, per ullam civitatem, communitatem sive singularitatem, sed nec aliquam collectam vel exactionem quocumque nomine censeatur, vel hospitationes per aliquem vel per aliquos predictorum inviti prestare cogantur. Statuimus etiam, ut homines prefati monasterii tam in Romania, quam in Marchia, sive in castris, sive in villis habitent, jurisdictioni suorum dominorum, sive inter se agant, sive ab aliis conveniantur, omnino subjiciantur. Si vero ipsi conveniant, sub eorum dominis agant, itaut actor semper forum rei sequatur. Fodrum quoque alternis annis, qui unum jugum bovum habuerint, duodecim denarios Ravennatium tantum; qui autem duo juga, XVIII. qui vero tria, cum quibus araverit, duos solidos, & sic deinceps pro se & familiaribus suis persolvant; qui vero unum solum bovem, cum quo aret, habuerit,

sex

sex denarios pro se & familia sua tribuat; qui vero manibus tantum operatur vel alia opera exercet, quatuor denarios similiter pro se & familia sua persolvat, omnia alia exactione, quocumque nomine vocetur, penitus cessante. Adjicimus etiam, ut si quando predictus abbas, seu ejus fratres, seu eorum homines coram nostris judicibus, vel eis, quos alicui jurisdictioni prefecimus, agant vel conveniantur, sive causam amittant, sive in ea obtineant pro libra, nonnisi duodecim denarios nostris judicibus & potestatibus persolvant, & infra quadraginta dies eorum cause decidantur, nisi majores inducias propter absentiam testium vel instrumentorum causa postulaverit, & statim executioni mandetur, & quod judicatum fuerit, nisi per appellationem suspendatur, firmissime teneatur. Statuimus etiam indissolubiliter, ut si aliquis homo sepedicti abbatis vel fratrum predictorum sine herede & ab intestato, existentibus agnatis vel cognatis decesserit, non fiscus, sed agnati vel cognati secundum voluntatem sui domini succedant. Si autem agnati vel cognati, vel eorum domini non extiterint, fiscus succedat. Ut igitur hec majestatis nostre concessio & confirmatio rata in perpetuum & inconcussa permaneat, presentem paginam conscribi jussimus, & nostre sublimitatis sigillo communiri. Statuentes, & regali auctoritate nostra sancientes, ut commune Cesene, & homines dicti communis non debeant inquietare possessiones dicti monasterii positas in curte Sale, & in curte castri Casalicli cum omnibus earum pertinentiis infra hec latera. A primo latere litus maris, a secundo Pissatellus, a tertio Vetrera, & Paviranus, a quarto limes, qui dicitur Arzir, percurrens a predicto usque in Castratellum, & rivus Fabrice decurrens in mare; & non debeant inquietare curtem castri Pissatelli, immo dictas possessiones, & res & homines residentes supra dictis possessionibus sinant, & dimittant liberos & quietos dicto monasterio. Sancimus item, ut commune Fani non debeat inquietare possessiones & homines dictarum possessionum ad monasterium pertinentes positas in Marchia in loco, qui dicitur Ravigniana, immo dictas possessiones & homines dictarum possessionum sinat & dimittat liberas & quietas monasterio memorato. Et si quos homines receperunt dicte communitates in eorum communitatibus de hominibus dicti monasterii, eos dimittant & restituant dicto monasterio libere & quiete. Statuimus insuper ac firmiter prohibemus, quatinus de cetero nullus episcopus, nullus dux, nullus marchio, nullus comes, nulla civitas, nullum commune, nulla potestas, nulla denique persona humilis vel alta, secularis vel ecclesiastica sepedictum monasterium, vel ejus homines contra hanc nostram concessionem gravare, molestare, vel quibuscumque injuriarum calumniis attemptare presumat. Quod qui fecerit, in ultionem sue temeritatis quadraginta libras auri componat, dimidium camere nostre, reliquum injuriam passis. Hujus rei testes sunt Bertholdus patriarcha Aquilegiensis, Sifridus Augustensis episcopus, Ulricus Pataviensis episcopus, Ludovicus dux Bavarie, & comes palatinus Reni, Anselmus de Rustingen marescalcus, Wernerus de Holandia senescalcus, & alii quamplures.

Datum in castris prope Bononiam anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo vicesimo mense octubris indictione nona regnante domino nostro Friderico secundo Dei gratia illustrissimo Romanorum rege semper augusto & rege Sicilie, anno Romani regni ejus in Germania octavo, & in Sicilia vicesimo tertio, feliciter, amen.

Extant foramina sigilli deperditi.

CCXLII.

Actonis ep. Camerinensis definitio pro monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1220. VIII. kl. novembris.

Ex exemplo S. Blasii de Fabriano.

IN Dei nomine amen. Hoc est exemplum cujusdam instrumenti laudi seu arbitrii .... cujus tenor talis est. In nomine Domini. Nos A.. Camerinensis episcopus arbiter electus .... & controversiis inter presbiterum Bonum sindicum & yconomum de sancto Victore de Clusis nomine ... ecclesie, & Petrum Guelfutii pro se & procuratorio nomine filiorum Ormanni, scilicet tales: Cotenatii, Fidesundi, Guelfolini, Rigotii, Gerardi, Giberti & domini Urzionis, que lites tales erant. Coram vobis domno A., Camerinensi episcopo conqueror ego dopnus Bonus yconomus ecclesie sancti Victoris nomine dicte ecclesie, peto ab eis mihi restitui nomine dicte ecclesie in primis campum de Lalumorta, vignale Be-

Ibid. n. 51.

Benazonis, campum de plano Troyle, campum de valle Forvitoris, medietatem terrarum, quas habet dopnus Placitus in Paradiso, & in campo Actonis montanarii, campum de Campo donico, terram de Cruce Serre, vineam de Cartiro, terram de Coldarale, terram de Valgisule, terram de Bresano juxta Guibertum, terram de Fonte morico, molendinum ante domum filiorum Actonis Cotuli, palatium, domos, & plateas, quas habebat Egidius Actonis Bruni tempore sui obitus juxta filios Guelfi, & filium Carsidonii, vel alibi ubicumque habuit, & montaneas, terras & vineas, quas habuit in Montagnano & Valle, & generaliter ubicumque habuit. Ex adverso ego Petrus Guelfutii nomine meo & sindicario nomine Cotenatii, Fidefundi, Guelfolinii, Rigotii, Gerardi, Giberti, & domini Urzionis petivi a presbytero Bonomo yconomo ecclesie sancti Victoris, ut permictat nos ..... quiete habere & possidere de manso, que fuerunt Gilii Actonis Bruni, campus ...., campus de Lu morta, campus de Paradiso, quem tenet domnus Placidus, campus quem tenet Rainerius, & filius Mancini pro dompno Placito, & due petie terre in pede .... & campus de valle Forvidorii, hec omnia sunt de curte Troyle. Item terram, quam tenet filius Bosteccle in villa sancti Laurentii, clausuram, quam habet Grunda, pignus in villa Mantusani, terram quam tenet Fantolus in eadem villa, unam petiam, quam tenet Bigalli, unam petiam in Collecelluni, cerquetum unum in Collecelluni, filii Martini Morici cum suo manso, mansum quem habuit Baruzii, quem tenet Radicina, Vanni cum suo manso, filii Actonis de Cico cum suo manso, Baronti cum suo manso, filii Adami Actonis Segnoris cum eorum patruo, & eorum mansum, & filii Benedictoli Alberti Bigalli, filii Actonis Franci cum eorum manso, Fantolinus de Nobile cum suo manso, terram quam habent filii Actonis Rainutii ad laborandum in valle Montagnani, campus de Campo dompnico, vineam de Cantiro, terram de Fonte Morico, molendinum ante domum filiorum Actonis Cotuli, palatium, domos, quas Egidius Bruni tempore sui obitus habebat juxta filios Guelfi, & filium domini Carsedonii, & omnia alia que Egidius Actonis Bruni tempore sui obitus habebat, ipse habebat vel alius pro eo ubicumque habebat, & ubicumque sunt sita. De quibus litibus & controversiis compromiserunt in me A.. Camerinensem episcopum, ut quicquid inter eos arbitrii plene dicerem vel laudarem de predictis litibus, presentibus partibus vel absentibus, sedendo, stando tantum promiserunt habere, quicquid dicerem, laudarem vel arbitrarem; atque preciperem sub pena C. librarum Lucen. sollempni stipulatione a parte parti invicem promissa, & pena soluta a parte non observanti arbitrium in sua firmitate durare. Unde in Dei nomine habito consilio cum plena deliberatione arbitror, dico & laudo, atque precipio, ut dicti filii Guelfutii, scilicet predictos restituant & dent dicto yconomo, & permittant libere & quiete possidere & habere dictum yconomum pro dicta ecclesia omnia legata sive relicta ab Egidio Actonis Bruni dicta vel facta monasterio sancti Victoris, ut apparet in testamento facto per manum Johannis notarii. Item arbitror & dico atque precipio, ut vineale Benazonis cum suis pertinentiis predicti restituant & dent dicto yconomo, & eum libere & quiete possidere & habere permittant pro dicta ecclesia, receptis a dicto yconomo VI. libris denariorum Lucensium, vel ab alio pro dicta ecclesia. Item arbitror, dico & laudo, atque precipio, ut fundum Plani infra finaitas cum suis pertinentiis restituant & dent dicto yconomo pro dicta ecclesia, & eum libere & quiete possidere & habere permittant, solutis centum libris Lucensibus a dicto yconomo vel ab alio pro dicta ecclesia, & cedant, & dent, & concedant & renuntient quiquid juris habet in dictis possessionibus dicto yconomo recipienti pro dicta ecclesia. Item arbitror, dico, & laudo atque precipio, ut dicti filii Ormagni permittant libere & quiete possidere campum Paradisi & campum Actonis Montanarii dictum yconomum pro dicta ecclesia, & percipere fructum quoad vixerit dompnus Placitus, eo mortuo dictas possessiones pro medietate deveniant in dictis & eorum heredibus solvendo VI. libras Lucenses dicte ecclesie, & recipiant dictas possessiones a dompno Placito detentis in ensiteosin in tertia eorum generatione masculina finita legitima, & dominum Orgionem recipiant partem, quam sibi contigit de dictis possessionibus a dompno Placito detentis in ensiteosin in tertia generatione femenina legitima, & pro incenso recipiant a predictis II. Lucen. annuatim. Item precipio, & laudo atque precipio sub predicta pena, ut omnes alias possessiones, que in libellis supradictis, recipiant in enphyteosim ab ecclesia usque in tertia generatio-

tione masculina finita solvendo annuatim I. brazolum de grano, ut dictus Bonomus syndicus teneatur facere predictis fieri instrumentum enfiteoticum, & ecclesia teneatur defendere in jure cum instrumentis & testibus bona fide sine fraude, ita tamen quod non teneatur de dictione, neque expensis propter hec. Hec omnia precipio utrique parti observare sub dicta pena, & pena soluta arbitrium maneat in sua firmitate. Ab aliis petitionibus utramque partem absolvo. Factum est hoc in anno Christi millesimo CC. XX. indictione VIII. tempore Honorii pape, VIII. kalendas novembris in castro Cerreto, factum est hoc in presentia istorum testium, scilicet domino Pagannello, Actus Appillaterra, Johannes Gentilis, Gentilis Tolentini, domino Appillaterra, presbytero Albrico & alii quam plures.

Ego Gentilis notarius Camerinensis hoc arbitrium jussu domini A. Camerinensis episcopi scripsi & publicavi.

Et ego Deutesalve Blanci imperiali auctoritate notarius, ut inveni predictum instrumentum scriptum manu dicti Gentilis notarii, ita hic de mandato domini Johannis de Gavasia judicis communis Fabriani fideliter sine fraude absque signo dicti notarii transcripsi & exemplavi sub anno Domini millesimo CC. LXX. VII. indictione quinta, apostolica sede vacante, die XV. intrante junio in palatio communis Fabriani, presentibus domino Jacopo Deutesalvi, domino Bartholutio domini Bartoli judicis, Benvenuto Martini, Jacopo Alberti, & Deutesalve Viviani notariis testibus ad hec rogatis & vocatis.

CCXLIII.

Friderici II. imperatoris præceptum pro monasterio Burgi S. Sepulcri.

Anno 1220. XIII. kl. decembris.

Ex veteri exemplo Burgensi.

Ibid. n. 51. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Fredericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator & semper augustus & rex Sicilie.

Imperialem decet solertiam ecclesiam & religiosos, & loca spetialiter imperio pertinentia in sua justitia manutenere ac defendere, eisque bona ipsorum ac possessiones, que a ducibus, imperatoribus & regibus predecessoribus nostris, sive a quibuslibet aliis personis eis tradite & confirmate fuere, & liberaliter augmentare ac privilegia firmare perpetuo ac corroborare, hoc enim ad presentis vite cursum feliciorem, & ad eterne vite retributionem nobis profuturum non dubitamus. Ad notitiam itaque universorum imperii nostrorum fidelium tam presentis etatis, quam successure posteritatis pervenire volumus, quod nos Burgum sancti Sepulcri situm in comitatu Castelli, & Burgenses, necnon cetera ejusdem loci, & abbatem Gratianum, suosque successores, omnes quoque fratres, & res ac possessiones predicto loco pertinentes sub tuitionem, dominiumque nostrum specialiter accepimus, confirmantes omnia privilegia a predecessoribus nostris eisdem collata; precipientes quoque firmissimo ac perenni edicto irrefragabiliter sancientes, ut nullus unquam archiepiscopus vel episcopus, dux vel marchio, & nulla unquam major minorve persona in abbatia illa & Burgo predicto, aut in aliquibus eorum personis, seu pertinentiis aliquid sibi juris audeat, & scribere vel fodrum aliquod seu dationem, aut aliquam aliam publicam functionem ab eis exigere vel recipere, nec alicui hominum sit licitum ab imperii dominicatu ea tollere, & sub alicujus potestate collocare, & si aliquando sub alio constituta fuerit, & in aliquo publico instrumento injuste recepit, irritum totum revocamus, quia non decet, ut specialis domus & res monasterii indebitum aliene servitutis jugum sustineat, sed abbatia illa & Burgus ejus, ac Burgenses nulli mortalium infra Burgum vel fines Burgi teneatur respondere, nisi nostre majestati imperiali, aut nostro certo nuntio, vel abbati illius Burgi, & per universum nostrum imperium eundo & redeundo cum omnibus rebus suis salvi sint & securi, & neque in personis, neque in rebus suis eos injuste audeat aliquis inquietare vel molestare. Idem dicimus de lib. . . . . infra fines Burgi habentibus, quamvis in Burgo non habitent. Statuimus etiam inviolabiliter, ut capitanei, qui sunt habitatores ejusdem Burgi, & ipsorum mansnadarii & alibet homines ea, que juraverunt huic abbatie & Burgo prenominato, & fines & pactiones, quas fecerunt, firma perpetuo tenere & illibata ipsi & eorum heredes. Castella quoque, que sua voluntate destruxerunt, de cetero non reedificent, & nec ecclesias, nec aliquod edificium deinceps faciant, nec fieri permittant infra terminos in hac conven-

tione

tione denotatos. Quicumque autem liber homo in Burgo illo nunc habitat vel habitare voluerit, omnia sua rata & justitia in omni loco sibi salva sint & secura. Preterea que dicta sunt predicto abbati & monasterio sancti Sepulchri concedimus, damus & largimur esse ...... placitum atque districtum, totamque jurisdictionem Burgi sancti Sepulchri & omnium pertinentiarum ejus, quam de jure tenere debet, & ut justitiam faciat in Burgo illo toto, & in omnibus pertinentiis ejus, ipsius abbatie ac sepedicti Burgi per se vel per alium, & consules eligantur ibi vel statuantur de voluntate & consensu abbatis supradicti, & nulla unquam ecclesiastica secularisve persona de cetero ecclesiam aliquam vel hospitale in Burgo supradicto vel ejus districtu sine voluntate sepedicti abbatis edificet. Preterea universas ecclesias, possessiones & tenimenta, atque justitias, massaritias quoque, aliosve homines & generaliter .... vel bona, que ecclesie illi sancti Sepulcri ab imperatoribus vel regibus, vel apostolicis aliisve personis collata sive confirmata sunt, aut in futuro, dante Deo, conferentur, & nominatim ecclesiam illam, que est juxta claustrum monasterii, & juxta plateam Burgi, & aquam illam regalem, quam habent in flumine Tiberis, sicut illi ecclesie antiquitus concessa fuit, & massaritias de Casaprati, sicut eodem monasterio concessa sunt, & auctoritate nostre celsitudinis perpetuo confirmamus, firmiterque precipiendo sancimus, ut nulla magna parvave persona ex omnibus supradictis aliquid audeat violenter auferre vel mutare, aut injuste detinere. Res quoque ac possessiones omnes Burgensium, quas nunc juste habent, aut in futuro legaliter & cum voluntate abbatis aquisierint, ac similiter omnes ejusdem monasterii res ac possessiones rationabiliter acquisitas seu acquirendas ab omni mala usaria liberas & absolutas esse decernimus. Si quis vero de rebus seu pertinentiis supradicte ecclesie nunc aliquid injuste tenet, & infra XL. dies postquam fuerit tertio requisitus a supradicto abbate ejusve successoribus non satisfecerit, ad justitie bannum jure subjaceat, & abbati liceat in tenimentum intrare nostra auctoritate, quousque plenam consequatur justitiam nihil obnoxius. Precipimus, ut Burgus ille non crescat unquam, nec extendatur, nisi in allodium abbatie sancti Sepulcri, & Burgus ille quantumcumque potest & voluerit, augmentetur & protendatur infra allodium prenominate abbatie ex omni parte. Voluntas insuper & preceptum nostrum est, ut si quis Burgensem aliquem sancti Sepulcri in Burgo illo vel ejus districtu super aliqua re impetierit, & securitatem in manu abbatis sancti Sepulcri protestare noluerit, Burgen. non teneatur illi sub alico respondere. Hec omnia supradicta de abbate & abbatia sancti Sepulcri, & Burgi & Burgensium & omnium pertinentiarum suarum rata semper & firma permanere precipimus, salva in omnibus imperiali nostra justitia. Si quis autem, quod absit, magnus vel parvus contra hujus nostri augustalis edicti statutum venire presumpserit, vel ipse Burgum a nostra speciali proprietate aut ab hac sancti Sepulcri attemptaverit removere, pene centum ille librarum argenti puri subjaceat .... earum medietatem camere imperiali & alteram medietatem abbatie prenominate persolvat, & hoc preceptum in sua stabilitate permaneat. Ad hec sub eadem pena & sub debito fidelitatis & sacramenti, quo nobis tenentur, firmissime precipimus consulibus Aretine civitatis & Castellane presentibus & futuris, & toti populo earumdem civitatum Aretii & Castelli habitantibus, quatenus abbati & abbatie Burgi sancti Sepulcri, & Burgo & Burgensibus bona fide fortiam, & adjutorium, & consilium ad se defendendum tribuant, & nullam eis guerram vel malum faciant. Ut autem hec omnia verius credantur, a cunctis & ab universis omni tempore hoc nostre serenitatis preceptum diligentius observetur, presentem hujus sacre & perpetue jussionis paginam majestatis nostre precepto jussimus insigniri. Hujus rei testes sunt Bertoldus Aquilejensis patriarcha, Sifridus Au.. episcopus, Uldericus Patavensis episcopus, Albertus Tridentinus electus, Bertoldus Brixiensis episcopus, Ludovicus dux V. Bavarie, comes Palatinus Reni, Willelmus marchio Montis Ferrati, Azo marchio Estensis, Anselmus de Rustingen marescalcus, Wernerus dapifer de Olandia & alii quamplures.

Signum domini Frederici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti & regis Sicilie.

Ego Conradus Dei gratia Metensis & Spirensis episcopus imperialis aule cancellarius vice domini Coloniensis archiepiscopi, & totius Italie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo XX. XIII. calen-

calen-

calendas decembris indictione nona regnante domino nostro Frederico Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto & rege Sicilie anno Romani imperii ejus primo, regni autem Sicilie XXIII. Feliciter, amen.

Ego Bencivenna Angeli imperiali auctoritate notarius, ut in authentico privilegio domini Friderici sigillato suo sigillo rotundo, in quo sigillo ejus erat forma, & in manu sinistra pallam, & in dextera vero manu sceptrum regale tenebat, ut vidi & inveni in prenominato privilegio, & ipsum legi & adscultavi & subscripsi, & sicut inveni ibi, fideliter scripsi, & nihil addidi, nec minui, sed eum scripsi, & solemniter publicavi sub annis Domini M. CC. XLIII. die nono exeunte aprili indictione prima tempore domini Frederici secundi Romanorum imperatoris.

Actum in abbatia Burgi sancti Sepulcri in camera capellani dicte abbatie, & de his omnibus Ventura, & Selvangnus, & Bonodie testes vocati fuerunt.

Et relegens cancellavi & signavi in quibusdam locis & insuper in sumitate signavi, & hic subscripsi, que superius oblivioni tradidi signo crucis † *& nostre majestatis munimine.*

Loco † signi notariatus.

CCXLIV.

Sponsio rectoris ecclesiæ S. Petri de Viprecillis facta abbati S. Victoris.

Anno 1220. XI. kl. decembris.

Ex autographo S. Blasii de Fabriano.

Ibid. n. 55. IN nomine sancte & individue Trinitatis amen. Anno Domini millesimo ducentesimo XX. regnante domno Honorio papa & Frederico Romanorum imperatore & semper augusto XI. kalendas decembris indictione VIII. Domnus Adam rector ecclesie sancti Petri de Viprecillis accedens ad presentiam venerabilis viri Ermanni abbatis monasterii sancti Victoris de Clusis pro ipsa ecclesia sancti Petri promisit ei obedientiam & reverentiam, & nomine ipsius ecclesie, & ipsi & successoribus ejus obedire secundum Deum, quamdiu ipsam ecclesiam tenebit, & promisit & juravit ad sancta Dei evangelia de bonis ejus non vendere, nec alienare sine ipsius voluntate, & quolibet anno inferre in ipso monasterio pro reverentia & subjectione unum par spallarum de porco cum duabus focaciis magnis in festo sancti Stephani de Natali, promittens eidem abbati & successoribus suis stipulanti contra predicta non facere, nec venire sub obligatione bonorum ipsius ecclesie & suorum.

Actum apud ecclesiam sancti Blasii de Fabriano sub die & indictione predicta. domnus Albricus, domnus Severus conversi ipsius monasterii, dominus Tebaldus & Acto Rollandi, & Adam Florentini hiis omnibus interfuerunt, & rogati sunt testes.

Ego Moricus imperialis aule tabellio his omnibus interfui, & rogatus scripsi & subscripsi.

CCXLV.

Fridericus II. imp. constituit Conradum ep. Mettensem Italiæ legatum.

Anno 1220. V. kl. decembris.

Ex exemplo Classensi.

EXemplum exempli sumpti ex autentico sigillato sigillo domni Friderici imperatoris scripti per manum Guidonis Fabe ad perpetuam memoriam. *Ibid. n. 51.* Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo primo tertio kalendas februarii indictione nona. Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus archiepiscopis, episcopis, abbatibus ceterisque ecclesiarum prelatis, nec non marchionibus, comitibus, capitaneis, valvassoribus & nobilibus, atque potestatibus, consulibus seu rectoribus, & communitatibus omnium civitatum & oppidorum simul & rectoribus, atque populo, & universis per Lombardiam, Romaniolam & Thusciam, atque per totam Italiam constitutis dilectis fidelibus suis gratiam suam & bonam voluntatem. Post multas ac diversas imperii perturbationes, que ex obitu felicis memorie incliti patris nostri imperatoris Henrici usque ad tempora nostra in mutatione rerum ubique locorum imperii percreverunt, per ejus misericordiam, qui salvat sperantes in se, sedatis per totam Theotoniam scissionibus omnibus inter principes, pace quoque & quiete undique reformata, nobisque illius providentia, qui in sui dispositione non fallitur, cum omni imperiali sublimatione in soliis patrum pacifice constitutus; ecce jam ex adjutorio Dei & ex paterno summi pontificis & vene-

venerabilium in Chriſto patrum dominorum cardinalium aſſenſu cum fideli principum famulatu, culmen recepimus imperialis affectionis, firmum propoſitum reformande pacis, & unitatis, atque concordie nobis & imperio admodum neceſſarie per Lombardiam, Romaniolam & Thuſciam, ſeu totam Italiam firmiter habentes; remittimus autem a latere noſtro legatum ad vos cariſſimum principem & familiarem noſtrum Conradum Metenſem epiſcopum imperialis aule cancellarium, quem inter ceteros imperii principes invenimus fideliorem, & non immerito habemus cariorem, & non ſolummodo fidelitates & alia jura noſtra a vobis requirat vice imperiali & recipiat, immo etiam diſcordias omnes in Italia & ſingulis partibus Italie ad pacem & concordiam revocando, vices noſtras ſuppleat in ſingulis, immo univerſis, que ad honorem & utilitatem noſtram & imperii ſpectaverint adimplendis. Scire igitur volumus univerſitatem veſtram, quod nos iam dicto cancellario & legato noſtro plenam dedimus auctoritatem legationis, & poteſtatem ſupponendi civitates, burgos, caſtra ſeu villas, marchiones, comites, capitaneos, valvaſſores ſeu quoslibet per univerſam Italiam & partes ejus conſtitutos banno noſtro, & contrahendi, faciendi quoque conceſſiones, penas etiam exigendi, conficiendi tabelliones, dandi poſſeſſiones, & reſtituendi, habendi etiam jus animadvertendi in facinoroſos, necnon in omnibus agendis noſtris & imperii per totam Italiam & partes ejus pertractandis, in dictis & factis agendis & faciendis, prout viderit & commodum & honorem noſtrum & imperii expedire, ratum habentes & incommutabile quidquid ipſe in his ſtatuendis decreverit, & faciendum tamquam ab ore proceſſerit imperialis majeſtatis. Decernimus ſuper omnia, ne ab ipſo legato noſtro in aliquo caſu ad noſtram audientiam fiat appellatio, ſed quidquid vice noſtra per totam Italiam & partes ejus dixerit vel fecerit, ratum ab omnibus obſervetur & incommutabile. Quod & nos, ſicut dignum eſt, promittimus imperiali firmitudine approbare, & quidquid ante adventum noſtrum in Ytaliam, nobiſque in Ytalia conſtitutis jam dudum fecit, & adhuc vice noſtre fecerit majeſtatis, approbamus & ſemper ratum haberi imperiali ſancimus auctoritate. Mandamus ideoque univerſitati veſtre firmiter precipientes, quatinus eidem principi & legato noſtro in omnibus & per omnia tamquam nobis intendatis, ſancientes indubitanter, quod ſi quis ei in aliquo obviare preſumpſerit, banno ab ipſo tamquam a nobis ſpecialiter impoſito requiremus ab eodem, nec minus idem preſumptuoſus indignationem imperialem ſe noverit gravius incurriſſe. Ad hujus autem noſtre legationis evidentiam, noſtrique mandati firmam obſervantiam ſub teſtimonio ſubſcriptorum hoc ſcriptum eidem legato dedimus auctoritatem imperialis majeſtatis bulla roboratum. Ad majorem gratie noſtre evidentiam concedentes eidem legato noſtro poteſtatem, & liberam plenamque facultatem faciendi judices ordinarios, & omnia ea inſtituenda & peragenda, que ad officium legationis quocunque modo largius videntur pertinere, ſuper eis omnibus, ſicut ſuperius apertius denotatur. Hujus rei teſtes ſunt Bertholdus Aquilegienſis patriarcha, Syfridus Moguntinus archiepiſcopi, Sifridus Auguſtanus, Ulricus Pataavienſis, Bertoldus Brixienſis, Henricus Bononienſis, Henricus Mantuanus epiſcopi, Albertus Tridentinus electus, Lodovycus comes palat. Rheni Dux Bavar. Guillelmus marchio Montis-ferrati, Anſelmus de Juſtin. marſcalcus Limbur. Varnerius dapifer imperii, Eberhardus de Lutra & alii quamplures. Datum in caſtris prope Sutrium in pede montis Roſi anno Domini M. CC. XX. quinto kal. decembris indictione VIIII. feliciter.

CCXLVI.

Compromiſſio in Rolandum ep. Faventinum facta de litibus inter abbatem S. Hippolyti, & inter priorem S. Proſperi.

Anno 1220. v. exeunte novembri.

Ex autographo monaſterii S. Hippolyti.

IN nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Anno a nativitate ejuſdem M. *Ibid. n. 55.* CC. XX. tempore Honorii pape, & Frederici imperatoris die v. exeunte novembri indictione VIII. Faventie in palatio epiſcopatus in preſentia presbyteri Zachei Faventini canonici, presb. Jacobi plebis de Bagnacavallo, Buntopati notarii, & Bonaventure de Marciliano, ac mei Petri ſancte Ravennatis eccleſie notarii. Albertus prior eccleſie ſancti Proſperi vice & nomine ipſius eccleſie pro ſe ſuiſque fratribus & converſis, & ſuis ac illorum ſucceſſoribus, preſente & conſen-

sentiente presbytero Bonafide ejusdem ecclesie canonico, & domnus Ugo abbas monasterii sanctorum Laurentii & Hippolyti vice & nomine ipsius monasterii pro se suisque fratribus & conversis ac successoribus, presentibus & consentientibus dompno Johanne monacho dicti monasterii & Mascharello & Orlandolo conversis, compromiserunt in domnum Rolandum Faventinum episcopum de omnibus litibus & discordiis, ac controversiis, que vertuntur inter eos super quantitate pecunie solvende ab abbate predicto ipsi priori pro medietate tenimenti & possessionis, in quo & qua sunt edificata molendina, & ea, que spectant ad ipsa molendina, cum curia & eorum coherentiis, & de faciendo instrumentum ab ipso priore abbati predicto, & recipiendo de ipsa possessione & tenimento, quod possidet, est posita in Busseto juxta stratam publicam, & jus ecclesie dicte sancti Prosperi, & de facto expensarum ab eis factarum pro ipsis molendinis, & eorum hedeficiis ac pertinentiis construendis. Insuper de omnibus litibus & discordiis, que aliquo modo vertuntur inter eos super facto promissionum initarum inter ipsos, sicut apparet per publicum instrumentum scriptum per manum Aliotti notarii. Promittentes dicte partes inter se & dicto domino episcopo stipulanti stare ac parere omni laudo & arbitrio *&c.* sub promissione pene ipsi domino episcopo stipulanti, & inter eos invicem promisse centum librarum Ravenne, & pena soluta vel commissa ab ea parte, que contrafecerit, laudum seu arbitrium ab ipso domino episcopo factum in perpetuum maneat firmum, & debeat prefatus dominus episcopus laudare vel arbitrari ab hac die dominica proxime ventura usque ad XV. dies, quod si non fecerit, liceat ipsi abbati habere regressum ad abbatem sancti Ambrosii de Racla, & ejus conjudices a domino papa super his judices delegatos. Insuper promiserunt sub eadem pena se taliter facturos & curaturos, quod fratres & conversi utriusque domus huic consentiant compromisso, & dare pignora pro his omnibus attendendis, & observandis ipso domino episcopo ad sui voluntatem. His omnibus interfui ego supradictus notarius, qui hoc compromissum rogatu supradictorum scripsi *&c.*

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Ego Rolandus Faventinus episcopus ex communi consensu partium, scilicet donni Ugonis abbatis monasterii sanctorum Laurentii & Hippolyti & ejusdem collegii ex una parte, & Alberti prioris sancti Prosperi & sui collegii ex altera cognoscens de controversiis *&c.* visis *&c.* pronuntio, laudo & arbitror, ut dictus prior vice & nomine sue ecclesie cum ejusdem collegio debeat concedere, & concessionis instrumentum facere ipsi abbati recipienti vice & nomine ipsius monasterii de posta molendinorum, & clusa cum aqueductu seu canali pro medietate, que clusa posita est in Marsiliano. Posta vero molendinorum est in campo dicte ecclesie sancti Prosperi juxta stratam publicam, sicut dictus prior acquisivit a communi Faventie, ut in publico instrumento confecto & scripto per manum Rodulfi Faventini notarii. Item debeat dictus prior facere pacti instrumentum in LX. annis ad renovandum de duabus perticis terre, & duobus pedibus & duabus unciis, ubi nunc sunt molendina hedificata cum hedificiis, & curte & coherentibus & pertinentibus ad predicta, sub pensione & renovatione tempore innovandi simul prestanda II. solidorum Ravennatium tantum. Item pronuncio, laudo & arbitror, quod dictus abbas & suum collegium solvat predicto priori pro predictis perticis terre, pedibus & unciis VI. libras Ravenne, & XIII. solidos, pro diminutione vero XX. librarum promissarum dicto priori ab abbate prefato occasione damnorum receptorum a communi Faventie dictus abbas solvere debeat VII. libras Ravenne jamdicto priori *&c.* Facta est hec pronuntiatio, & latum est hoc laudum seu arbitrium sub anno Domini M. CC. XX. tempore Honorii pape, & Federici imperatoris die X. intrante decembris indictione VIII. Faventie in palatio episcopatus. Interfuere testes magister Petrus Faventinus canonicus, archipresbyter sancte Agathe, archipresbyter sancti Savini, & Gisellus ejus conversus, & dominus Tebaldus judex.

Ego Petrus sancte Ravennatis ecclesie notarius his omnibus interfui, qui hanc pronuntiationem, laudum seu arbitrium latum seu pronuntiatum a dicto domino episcopo precepto ejusdem ad perennem memoriam scripsi & in publicam formam redegi.

CCXLVII.

Friderici II. *imp. præceptum pro eremo Avellanensi.*

Anno 1221. VII. kal. julii.

Ex archivo collegii Hungarici de Urbe.

Ad lib. XXXVIII. n. 1. IN Dei nomine amen. Hoc est exemplum cujusdam privilegii heremi sancte Crucis Fontis avellane, quod sic incipit. In nomine sancte & individue Trinitatis. Fredericus divina favente clementia Romanorum rex semper augustus. Ad temporalis regni gloriam, & eterne retributionis meritum apud regem regum nobis proficere credimus, si piis & religiosis locis sollicite provideamus, & Deo in iis ab infestatione malorum hominum securos & quietos nostre defensionis munimine reddamus, his autem precipue regie benignitatis nostre clementiam libentius decrevimus impertiri, quibus sue religionis & honeste conversationis intuitu serenissimum patrem nostrum Henricum Romanorum imperatorem semper augustum propensiorem imperialis excellentie sue gratiam, & defensionis sue protectionem contulisse cognovimus, quia fratres de eremo sancte Crucis Fontis-avellane & ceteros fratres in suis ecclesiis ad ipsam eremum pertinentibus commorantes sacris operibus jugiter insudare, & bona fama in domo Dei flagrare intelleximus, dignum duximus ampliori nostre serenitatis clementia locum ipsum, & loca ipsius superius nominata, & possessiones eorum intueri, & propensioris gratie beneficio personas & res ipsorum una cum excellentissimo patre nostro Romanorum imperatore augusto manutenere. Notum igitur facimus omnibus Christi & nostri imperii fidelibus tam futuris, quam presentibus, quod nos prefatam ecclesiam, scilicet eremum sancte Crucis Fontis-avellane, & ecclesias, que sic pertinent vel pertinere videntur, ubicumque sunt cum universis ejus & earum pertinentiis in nostre tuitionis speciale patrocinium, una cum predicto patre nostro tanta benevolentia recepimus, ut omnia ejusdem ecclesie, earumdem ecclesiarum fratribus inibi Deo servientibus spectantia ea pace, que rebus fisci nostri debetur, semper frui velimus. Eapropter omnibus imperii nostri fidelibus, marchionibus, comitibus, civitatum consulibus, capitaneis, vavassoribus, & universis publicam administrationem gerentibus, & ceteris quibuslibet hominibus sub debito fidelitatis, qua nostro imperio astricti sunt, firmiter precipiendo mandamus, quatenus nihil unquam de omnibus possessionibus & universis bonis, que prefatis attinent fratribus, violenter aut contra voluntatem eorumdem fratrum contingant aut tollant, ac eos tam in hominibus sive vassallis quam in animalibus, tam in edibus quam in agris, in omnibus omnino rebus & locis ad jus eorum pertinentibus nulla prorsus tributorum vel angariarum aliorumve servitiorum exactione molestent, quam nos eosdem fratres ac possessiones, & bona ipsorum ab his exactionibus liberos de cetero & immunes fore statuimus. Ad augmenta quoque regalis gratie de fodere regali hanc eisdem fratribus indulgemus & concedimus commoditatem, quatenus id de eorum manualibus & quibuslibet ipsorum ecclesiis, & terris, & hominibus vel vassallis ubicumque proprias, & eis specialiter pertinentes habent possessiones & cetera bona sua, nec marchio, nec comes, nec capitaneus, nec ullus consulatus aut potestas, nec aliqua exigat persona, sed tempore, quo illud dandum est, fratres predicti id per omnes homines sive vassallos suos fideliter colligant, & de ipso fodero ob salutem anime nostre ad utilitatem ecclesie sue & ecclesiarum suarum disponant. In ejusdem quoque fodri collectione talem modum imponimus & definimus, ut a singulis vassallorum suorum focis, qui ipsis scilicet fratribus specialiter anne... nuntii nostri denarios duodecim tantum recipiantur, & de his ecclesie sue necessitatibus, ut supra dictum est, provideatur, & ipsi fratres vel eorum homines vel vassalli ultra hanc mensuram a nostris nuntiis vel quibuscumque aliis nulla datione graventur. Insuper jubemus, ut liceat eisdem fratribus homines sive vassallos ipsorum super sua, idest ecclesie illius bona vel ecclesiarum suarum de loco ad locum pro libito suo transferre, & ad utilitatem suam transmutare nullo vetante vel impediente. Preterea statuimus, ut nullus judicum tam de civitatibus, quam de forensibus locis habeat potestatem judicandi, vel ad judicium vocandi homines vel vassallos prefate ecclesie vel ecclesiarum predictarum, nisi causa prius fuerit ad priorem & fratres perlata, & ab ejusdem emendatio vel secundum justitiam, vel secundum amicabilem compositionem reverenter & benigne requisita. Precipimus etiam firmissime omnibus judicibus tam civitatibus, quam

quam extra per castella & villas constitutis si quando contigerit predictos fratres proclamationem super illatis sibi injuriis facere, ut statim judices celeri ejus justitia subveniant, & presens predictumque auxilium contra adversariorum violentias eis efficaciter impendant. Insuper statuimus, ut ipsi fratres causis civilibus sacramentum calumnie prestare non cogantur, & quod eis nulla prescriptio temporis objiciatur, nisi centum annorum. Precipimus etiam ejusdem ecclesie & ipsius ecclesiarum patronis firmiter injungentes, quatenus predictam ecclesiam, & ecclesias ad ipsam spectantes, vel in hominibus, aut vasallis vel in ullis rebus ipsorum aliqua molestia vel damno vexare non presumant, eisdemque patronis & nostris simul nuntiis, & ceteris nostri imperii fidelibus diligenter injungimus, ut eamdem ecclesiam sancte Crucis de eremo Fontis-avellane, & omnes ecclesias, que sibi aliquo jure pertinent vel pertinere videntur, ubicumque sint per omnes personas & pertinentias earumdem, & ab omni incursu violentie semper defensare studeant. Confirmamus etiam eidem ecclesie sancte Crucis, & ejusdem ecclesiis sepe dictas omnes possessiones & vassallos, quos & quas hactenus tenuit & possedit, & quos & quas deinceps juste & rationabiliter aquirent, & ut ipsa loca crescere & aumentari possint, damus licentiam marchionibus, comitibus, valvassoribus & universis imperii nostri fidelibus, ut pro redemptione & salute animarum suarum possint, & a nobis plenissimam licentiam habeant rectoribus sive fratribus prelibatarum ecclesiarum recipientibus nostre & vice ipsarum donare aut vendere de suis possessionibus aut vassallis, non obstantibus constitutionibus a nobis factis, aut etiam imposterum faciendis, quin ipse donationes vel venditiones obtineant firmitatem, & ipsi pacem in eis & quietem nostre auctoritatis edicto stabilimus. Preterea concedimus & confirmamus ipsi ecclesie & ipsis ecclesiis omnes homines vel vassallos, & possessiones, quos & quas nunc habent vel imposterum juste habituri sunt, & quicquid in eis juris habemus, ipsis confirmamus & nominamus. Hospitale apud Esium cum universis suis pertinentiis, & quicquid habent in tota Marchia. Item monasterium sancte Marie foris portam de Faventia, & quicquid habent vel habituri sunt in tota Romandiola. Item ecclesias sancti Fortunati & sancti Egidii de Castello, & quicquid habent vel habituri sunt in tota Thuscia. Item monasterium sancte Andree de Insula cum omnibus suis pertinentiis, & quicquid habent vel habituri sunt in toto Ducatu. Item monasterium sancti Nicolai de Cornu cum universis suis pertinentiis, & quicquid habent vel habituri sunt in toto Regno. Si quis vero preterea clementie nostre statutis ausu temerario contraire presumpserit, pena quinquaginta librarum auri puri sit condemnatus, quarum medietas fisco nostro, residua prefate ecclesie eremi sancte Crucis exhibeatur. Ut autem hec nostra institutio rata in perpetuum habeatur, presentis privilegii paginam fecimus inde conscribi, & nostre majestatis sigillo roborari. Volumus autem predictos fratres hujus privilegii donationibus uti in bonis illis, que ipsi jure retinent, vel quasi ad manus suas tenent, & deinceps retinenda sunt. Hujus rei testes sunt dominus Berardus Panormitanus archiepiscopus & domini imperatoris familiaris, ducas Raynaldus, Henricus de Murro magister justitiarius, Richardus camerarius, Rofredus de Benevento, & Petrus Urbis prefectus & alii quamplures.

Signum domini Frederici Romanorum regis invictissimi.

Ego Gualterius imperialis aule cancellarius vice Philippi Coloniensis archiepiscopi & Italici regni archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo primo indictione nona regnante domino Frederico Romanorum rege gloriosissimo anno regni ejus primo. Capue octavo kalendas julii feliciter, amen.

Actum in capitulo monasterii sancti Nicolai de Cornu sub anno Domini M. CC. LXXI. die martis quintodecimo septembris XV. indictione regnante gloriosissimo domino nostro Carolo Dei gratia rege Sicilie, ducatus Apulie, principatus Capue, alme Urbis senatore, Andegavensis provincie & For. . . . . anno regni ejus septimo feliciter, amen.

Ego Berardus Rayn de Montorio primus ejusdem terre notarius presens exemplum, uti in privilegio authentico inveni tam grossis quam minutis lineis, signis & crucibus, tam in presentia nostri, quam testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, videlicet Petri Johannis Marci, Raynaldi Ramalli, Johannis Scambi, Francisci de Cererseco, Berardi Petri Cassoni, Johannis Rubii de sancto Stephano, Petri Scambii de Casale, & Ranisii Berardi

rardi ...... & Bartholomei de Trana. Et ego Berardus Rayn de Montorio primus ejusdem terre notarius presens existens, ut supra legitur, rogatus &c. ex mandato ven. patris domni Raynaldi prioris suprascripti monasterii sancti Nicolai & fratrum ejus, scilicet domni Johannis, domni Simeonis, domni Gentilis, fratris Petri, fratris Thomasii de Bassano monachorum & sacerdotum monasterii prelibati presens exemplum prefati privilegii scripsi & publicavi.

CCXLVIII.

Ubertini de Valenzano binæ & amplæ donationes factæ eremo Camaldulensi.

Anno 1221. IV. kalend. septembris.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Donatio n. 391.

Ibid. n. 20

IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo vigesimo primo residente Honorio papa tertio & Friderico Romanorum imperatore die IIII. kalendas septembris indictione nona. Dominus Ubertinus, qui dicitur de Valenzano, filius quondam Gualfreducci pro remedio anime sue suorumque parentum dedit, obtulit, tradidit, cessit & concessit in perpetuum, atque irrevocabiliter inter vivos donavit domno Guidoni priori Camaldulensis heremi recipienti, vice ipsius heremi quicquid habebat & tenebat, vel habere & tenere debebat, sive alius vel...... pro eo, vel ei competebat vel competere debebat aliquo jure vel titulo in castro Valenzani & ejus curia & districtu, & in castro Calbenzani & ejus districtu, & in civitate Aretina & ejus districtu & in toto episcopatu Aretino tam in castris quam in villis & eorum pertinentiis & terris, cultis & incultis, divisis & indivisis, & in colonis, fictis, pensionibus, prestationibus, redditibus, domnicatis, domibus, molendinis, alpibus, collibus, & in abbatiis de Sasso & Silvamunda, que abbatia de Silvamunda tenebatur ei prestare de quatuor in quatuor annis unam spallam & duos panes, ut asserebat dominus Ubertinus, & quicquid eidem Ubertino competebat vel competere debebat aliquo jure vel titulo in ecclesiis sancte Marie de Valenzano extra castrum, & sancti Nicolai intra castrum, sancti Donati de Vegognano, sancti Christophori de Bassano, sancte Lucie de Aquina, sancti Andree de Bagnolo, sancte Marie de Cambericiano, in hospitale de Cerreto. Eo vero modo ut dictus prior & ejus successores catholici de cetero in perpetuum habeant & teneant atque firmiter possideant omnia predicta & singula, & faciant ex eis quicquid voluerint sine contradictione seu repetitione, lite vel molestia dicti Ubertini & suorum heredum. Insuper dictus Ubertinus dedit, tradidit, concessit, cessit & mandavit eidem priori recipienti vice Camaldulensis heremi omnia & singula jura, actiones & conditiones, requisitiones, prosecutiones reales, personales, utiles, directas & mixtas, & omnia sibi competentes & competentia seu competitura aliquo jure vel titulo ad usus omnes & singulas personas vel loca, & eum procuratorem tamquam in rem suam fecit, instituit & ordinavit, quatinus dictus prior seu syndicus ejus libere & expedite in juditio & extra omni exceptione & contradictione remota adversus omnes & singulas personas seu loca ita possit agere, agentes excipere, experiri, exigere, petere, replicare, convenire, in jus vocare & se tueri, & quicquid sibi placuerit facere, sicut ipsemet Ubertinus usque modo vel in posterum poterat seu posset, & quicquid ab eodem priore vel ejus sindico ad hoc constituto factum fuerit de predictis omnibus & singulis dictus Ubertinus omni tempore ratum & firmum habere promisit & tenere. Propterea dictus Ubertinus obligando se suosque heredes & omnia sua bona eidem priori stipulanti vice Camaldulensis heremi promisit se contra predicta vel aliquod predictorum non dedisse vel fecisse, nec in futurum dare vel facere, & suprascripta omnia & singula omni tempore defendere & auctorizare dicte heremo ab omni homine, & si inveniretur quod contra sit, aut omnia predicta & singula non observaverit, vel aliquam exceptionem opposuerit, tunc obligando se suosque heredes, & omnia sua bona eidem priori stipulanti vice Camaldulensis heremi promisit dare duplum dictarum rerum nomine pene, pena soluta vel non rato manente contractu, renuntiando in his omnibus & singulis actioni doli mali, subsidiarie, & in factum, & omni legum juris & constituti auxilio, & fuit inde confessus meritum secundum legem recepisse, renunciando exceptioni meriti non recepti, & precario possessionem omnium predictarum & singularum rerum constituit se a dicta heremo tenere.

Actum

Actum Soci. Interfuerunt Nicola Ubertini, Orlandinus, & Ottonellus filii quondam Taviani, Bastardus Benzi, Nicola de Partina, & Martinus Manziarini rogati testes.

Ego Julianus sacri palatii notarius predictis, dum agerentur, interfui, & rogatus scripsi & subscripsi.

In nomine Domini nostri Jesu Christi amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo vigesimoprimo, residente Honorio papa tertio, & Frederico Romanorum imperatore die octavo idus decembris indictione nona. Dominus Ubertinus filius quondam Gualfreducii de Valenzano dedit tenutam domino Bernardo vicecomiti & domino Nicolao vicepriori Camaldulensibus de parte sibi contingenti in castro & curte de Valenzano . . . de parte sibi contingenti in corporalem possessionem introduxit & clavem turris predicte, quam tenebat Griffolus de Rasena communiter pro omnibus, quam habebant partem in ipsa eam restituit, dicens ei, ut a modo teneat ipsam clavem ita pro ecclesia Camaldulensi, sicut tenuerat eam olim pro ipso Ubertino, seu pro parte ipsius Ubertini, & hec omnia facta sunt ipso Ubertino presente & consentiente. Preterea dedit eis tenutam & in corporalem possessionem introduxit de quadam domo juxta turrim, cui coheret ab uno latere turris, ab alio via, a tertio Grifsolus predictus, a quarto Grinte. Hec omnia facta sunt in presentia & testimonio Alkeroli & Isepi de Martiano, & Aldebrandini filii dicti Griffoli, & etiam presentibus Orlandino, Alberico & Uberto de Valenzano, & ibidem presentibus eisdem dictus Ubertinus introduxit eos nomine Camaldulensis ecclesie in corporalem possessionem de infrascriptis hominibus, sicut eos habebat, scilicet de Guidone de Ruberto, Alkerolo, Ubertino de sancto Johanne de Benencasa, Raynerio Aringerii, Gualfreducio de Burgo, qui omnes juraverunt per sancta Dei evangelia de mandato dicti Ubertini Gualfreducii sub hac forma, quod de cetero salvarent & custodirent bona fide & sine fraude personas & res prioris Camaldulensis & suorum nuntiorum, & quod non erunt in dicto vel in facto, ubi prior Camalduli vel sui nuntii amittant vitam vel membrum, vel diminuatur de suo honore, immo eos tuebuntur pro posse, & si tueri eos non possent, eis facient citius quam poterint: possessiones vero quas nunc habet Camaldulensis ecclesia, aut in futurum poterit juste & canonice, ei juvabunt retinere, & quod olim tenuerunt a domino Ubertino predicto, a modo tenebunt ab ecclesia Camaldulensi, & servitia, seu prestationes, que olim fecerunt dicto Ubertino a modo Camaldulensi ecclesie facient & prestabunt. Eadem die juxta ecclesiam de Albagnolo in presentia & testimonio Guidonis de Ruberto, & Alkeroli de Valentiano eodem modo & sub eadem forma juraverunt, Hugolinus de Casali, Girardus de Giburgolo, Dad . . . ejus filius, Raynerius filius Guidonis de Jani, Meliorellus filius Janni, Guilielmus de Peretolo, Oradinus gener Alberti de Capisiano non juravit, sed promisit eis dare annuatim star. XII. grani ad starium de ficto, & solidos III. denariorum. Item eodem die apud Valentianum in presentia & testimonio Alkeroli de Valentiano, & Jacobi ejus filii, dictus Ubertinus dedit eisdem vice Camaldulensis ecclesie tenutam, & in corporalem possessionem introduxit eos de quadam alia domo, que infra castrum juxta domum Albericoli, cui coheret ab uno latere Orlandinus & Albericolus, ab alio via, a tertio murus castri, a quarto platea Grifoli de Rasena, & de quodam donicato suo non longe a castro, cui a duobus lateribus via, ab alio Alkerolus & Benencasa, & de quadam petia terre & vinee, cui ab uno latere via, ab alio Alkerolus & Iseppus, & de petia una terre non longe ab ipso castro, cui ab uno latere via, ab alio vinea Uberti, a tertio ecclesia sancte Marie de Valenzano, & de jure patronatus, quod habebat in ecclesiis sancti Nicolai in castro predicto Valenzano, & sancte Marie extra castrum, & sancti Jacobi de Albagnoro, accepta vero possessione & tenuta dictarum ecclesiarum, dictus dominus Nicolaus vice Camaldulensis ecclesie investivit sacerdotes ipsarum, ut de cetero tenerent eas pro Camaldulensi ecclesia, quemadmodum actenus tenuerunt pro ipso Ubertino. Et hec omnia facta sunt ipso Ubertino presente & consentiente.

Item sequenti proxima die apud Vegognanum in presentia & testimonio Alkeroli de Valenciano, presbyteri Johannis sancte Marie de Vegognano, & Johannis filii quondam Mazochi de Vegognano, similiter & eodem modo dedit eis tenutam, & in corporalem possessionem introduxit de parte sibi contingenti in castro, turribus, domo & ecclesia sancti Donati de Vegognano, & juraverunt infrascripti homines de Vegognano de mandato

dato dicti Ubertini secundum formam suprascriptam, Jambonus de Meleto, Benencasa Lambertucii, Bernardus de Meleto & Rainerius de Campotavole, Mafeus de Amico juravit Camaldulensi ecclesie bonam iderantiam, tamen dixit, quod ibi habebat feudum.

Item eodem die & testibus dictus Ubertinus dedit eis tenutam & in corporalem possessionem introduxit de jure patronatus, quod habebat in abbatia de Sasso.

Preterea eodem die presentibus Alkerolo de Valenzano & Jacobo ejus filio, & Rainerio testibus sepefatus Ubertinus dedit eis tenutam & in corporalem possessionem introduxit de quodam campo, ubi dicitur in Campotavole, cui ab uno latere via, ab alio dictus Rainerius, a tertio & a quarto Rodulphinus de Bencivene.

Item tertia sequenti die proxima presentibus dictis Alkerolo & Jacobo ejus filio testibus similiter dedit eis tenutam & eos in corporalem possessionem introduxit de jure patronatus, quod habebat in hospitale de Cerreto, & in ecclesia sancte Marie de Calbenzano, & de domo Guidonis de Bruneta de Calbenzano.

Eodem die & presentibus eisdem testibus dedit eis tenutam de eo, quod tenebant ab eo filii Bonossi de sancto Mamma, & eosdem filios Bonossi predictus domnus Bernardus investivit nomine Camaldulensis ecclesie.

Ego Julianus sacri palatii notarius predictis, dum agerentur, interfui, & rogatus scripsi & subscripsi.

CCXLIX.

Honorii III. *literæ pro juribus eremi Camaldulensis.*

Anno 1223. v. kal. februarii.

Ex eodem tabulario. §. Brevia n. 23.

Ibid. n. 11. HOnorius episcopus servus servorum Dei ven. fratri .. episcopo & dilecto filio .. archidiacono Florentino salutem & apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum .. prioris & fratrum Camaldulensium accepimus continentem, quod cum bone memorie Emo, & Constantinus & quidam alii episcopi Aretini quandam partem decimarum plebatuum Partine, Bibiene & Bujani pia eis liberalitate donarint, prout in literis confectis exinde plenius continetur, ac eadem donatio per venerabilem fratrem nostrum M. . Aretinum episcopum, qui nunc est, fuerit postmodum confirmata; plebani plebium earumdem & quidam alii clerici & laici Aretine diocesis decimas ipsis contra justitiam detinent, & reddere contradicunt. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis, audiatis causam, & appellatione remota fine canonico terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam observari. Testes autem &c.

Datum Laterani v. kalendas februarii pontificatus nostri anno septimo.

CCL.

Ejusdem aliæ pro juribus dictis.

Anno 1223. IV. nonas maji.

Ex eodem. §. Brevia n. 22.

HOnorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo, *Ibidem.*
& dilectis filiis .. archidiacono, & .. priori sancte Marie de supra porta Florentin. salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. prior & conventus Camaldulen. sua nobis conquestione monstrarunt, quod .. de Biblena., de Bujano, & .. de Partina plebani, ac quidam alii clerici & laici Aretine diocesis super quibusdam decimis & rebus aliis injuriantur eisdem; ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c.

Datum Laterani IIII. nonas maji pontificatus nostri anno septimo.

CCLI.

Electio abbatis sancti Michaelis in burgo Pisarum.

Anno 1224. more Pisano, III. kl. augusti.

Ex pervetusto codice membranaceo Pisano.

IN nomine Patris, & Filii & Spiritus *Ibid. n.* 15.
Sancti. Amen. Ex hac publica literarum serie omnibus evidenter fit manifestum, quod domnus Johannes sacrista here-

heremi Camaldulensis habens mandatum a domno Guidone priore Camaldulensi, sicut continebatur in literis ab eo ostensis, & in conspectu capituli sancti Michaelis de Burgo a domno Orlando priore sancti Fridiani de Pisis lectis, & a me Ruberto notario filio quondam Ugonis intellectis & visis, examinavit vota fratrum monachorum predicti capituli sancti Michaelis pro eligendo abbate in predicto monasterio, a me Ruberto notario, ut inferius continetur, scripta. In primis domnus Theobaldus interrogatus dixit de domno Henrico camerario supradicti capituli. Item domnus Michael dixit de eodem domno Henrico. Item domnus Guido dixit de eodem domno Henrico. Item domnus Albertus dixit de eodem domno Henrico. Item domnus Antonius dixit de domno Thoma, quondam abbate Sacrariensi, vel domno Consilio monacho sancti Savini, & si non potest fieri de aliquo eorum, consentit de eodem domno Henrico. Item domnus Johannes dixit de domno Thoma supradicto, vel domno Marino monacho sancti Savini. Item domnus Henricus dixit de domno Theobaldo, vel domno Michaele monacho supradicti capituli. Post hec votis suprascriptorum fratrum coram V.. sancti Savini, & F.. sancti Zenonis abbatibus, & Or. sancti Fridiani priore a me Ruberto notario suprascripto, parabola supradicti domni Johannis sacriste lectis. Suprascriptus domnus Johannes vocavit infrascriptos patronos supradicti monasterii sancti Michaelis, pro se, & aliis patronis Balduvinaschis, ut requireret eorum consensum pro abbate eligendo in supradicto monasterio, scilicet Bulliafavam quondam Bernardi Bulliafave, & Albertum quondam Rodulphi, & Gaitanum quondam Ugonis Tinche, & Johannem quondam Teperti, qui pro se & aliis patronis Balduvinaschis dixerunt, & concesserunt domnum Henricum nominatum eis a supradicto domno Johanne sacrista. In presentia domni V.. sancti Savini, & domni F.. sancti Zenonis abbatum, & domni O.. sancti Fridiani prioris supradictorum, quorum consilio, sicut continebatur in literis patris prioris Camaldulensis supradicti a me Ruberto notario supradicto visis & lectis eisdem transmissis, dictus domnus Joh. sacrista, uti debebat. Scriptis itaque actis Pisis in claustro supradicti monasterii sancti Michaelis in camera post refectorium, dictus domnus Johannes sacrista cum prelatis, & patronis, & fratribus nominatis ivit in capitulum, ubi ipsis omnibus presentibus, & presentibus conversis, presentibus quoque domno Consilio monacho, & camerario sancti Savini, & domno Petro monacho & camerario sancti Fridiani, & domno Augustino hospitalario hospitalis sancti Genesii monacho Camaldulensi, invocato nomine Trinitatis inter cetera, que dixit: Ad honorem Dei, & beate virginis Marie, & beati Michaelis, & omnium Sanctorum, & domini pape, & domni prioris Camald. & fratrum heremi, & totius ordinis, & monachorum, & conversorum, & supradictorum patronorum supradicti monasterii sancti Michaelis, & totius cleri, & populi Pisani elegit in abbatem supradicti monasterii sancti Michaelis domnum Henricum monachum, & camerarium supradicti monasterii. Et electione facta duxit eum in ecclesiam cantando cum omnibus *Te Deum laudamus*, & cum pulsatione campanarum, & posuit eum in sede abbatis. Deinde finito *Te Deum laudamus* duxit eum ante altare sancti Michaelis, & oratione super eum facta iterum reversi sunt in capitulum predictum, ibique vice supradicti domni prioris Camald. recepit ab eo obedientiam manualem cum libro, & statim acceptis clavibus omnium officialium ipsius monasterii, tradidit eas ipsi domno Henrico abbati, committendo sibi administrationem spiritualium, & temporalium dicti monasterii, injungendo etiam sibi in remissionem suorum peccatorum. Deinde & receptis supradictis fratribus & conversis, & etiam patronis ad hoschulum manus & oris a supradicto domno Henrico abbate, supradictus domnus Johannes precepit monachis omnibus predictis & conversis vice & auctoritate supradicti domni prioris Camaldulensis, ut ei debitam obedientiam & reverentiam tamquam patri suo in omnibus exhiberent. Presentibus quoque supradicto domno Consilio, domno Petro, & domno Augustino monachis. Hec omnia supradicta acta sunt, ut predictum est, anno Dominice incarnationis M. CC. XXIV. indictione XI. tertio kal. augusti.

Ego Rubertus quondam Ugonis filius judex, & notarius domini Henrici imper. Romanorum supradicta omnia, ut scriptum est, me presente acta de voluntate, sive parabola supradicti domni Johannis sacriste, & supradictorum prelatorum, & monachorum, & patronorum in publicam scripturam redigens ad veritatis evidentiam conservandam scripsi, atque firmavi.

CCLII.

CCLII.

Charta donationis factæ eremo Camaldulensi.

Anno 1223. XII. kl. Septembris.

Ex chartario Fontis-boni §. Donatio n. 395.

Vid. n. 14. IN nomine Dei eterni. Anno Dominice incarnationis M. CC. XXIII. indictione XI. duodecimo kalendas septembris tempore Honorii pape, & Frederigi imperatoris. Nos quidem in Dei nomine Renoardus quondam Renoardi, & Arnoldus ejus filius patre consentiente, & Muffettus quondam Marinocti, & Aringerius filius ejus consentiente patre de assensu domini Aginolfi palatini comitis, & domine Agnese sue uxoris in presenti pro animabus nostris nostrorumque parentum damus, tradimus, concedimus tibi domno Nicholao monacho Camaldulensi vice dicte domus & ejus heremi recipienti, tuisque successoribus in perpetuum, integras videlicet tres petias terrarum positas in casale, quorum una sic decernitur, a primo Morandi, a secundo Camalduli, ab aliis duobus Muffetti. Alia est ibidem, cujus tales sunt confines, a primo Morandi, ab aliis tribus lateribus Camalduli. Alia est in loco predicto, cujus hii sunt confines, a primo Boni, a secundo Caffilioni, ab aliis duobus Camalduli, infra nos totam cum omnibus supra se & infra se habitis cum accessionibus, ingressionibus, superioribus & inferioribus suis & pro hac concessione confessi sumus a te domno Nicholao nomine benedictionis duodecim libras bonorum denariorum Pisanorum recepisse. Et insuper obligamus nos & nostros heredes contra supradicta non facere, nec factum habere, & si contra ea que dicta sunt facere presumpserimus, vel si contra quemlibet agentem semper legitimam defensionem tibi dicto domno Nicholao tuisque successoribus non exhibuerimus, tunc nomine pene XXV. libras dare, & dampná & expensas exinde competituras emendare de jure sub obligatione potestatis, per quam distringi potuerimus, tibi supradicto domno Nicholao pro supradicta domo Camaldulensi recipienti, tuisque successoribus solemni stipulatione promittimus, & sic ego supradictus Arnoldus cum juramento tenere spondeo, his predictis semper firmis manentibus. Preterea domina Vonnessa uxor pretaxati domini Renoardi, & domina Berta uxor prefati Muffetti sua sponte, ut fatebantur, predicte dationi consenserunt, & omni juri sibi competenti in predictis renuntiaverunt renuntiando juri ypotecarum & beneficio senatus consulti Vellejani.

Actum ante ecclesiam de Raginopoli in presentia Tedericoli quondam Rodulfini, & Juncte filii Griffoli, & Rigaletti filii Folki.

Ego Mattheus imperialis aule notarius his omnibus interfui, & omnia suprascripta complevi, ideoque subscripsi.

CCLIII.

Alia donatio.

Anno 1223. ea die.

Ex eodem n. 394.

IN nomine Dei eterni. Anno Dominice incarnationis M. CC. XXIII. indictione XI. duodecimo kal. septembris tempore Honorii pape & Friderici imperatoris. Ego quidem in Dei nomine Petrus filius Vignarii in presenti pro anima mea & supradicti patris mei meorumque parentum do, dono *&c.* tibi domno Nicolao monacho Camaldulensi recipienti vice & utilitate Camaldulensis heremi *&c.* unam petiam terre & silve posite in Valle de Talliole *&c.* Proptera domina Agnesa uxor domini Aginolfi comitis Palatini huic donationi consensit, & omni juri sibi competenti in predictis renunciavit. Actum ante ecclesiam de Raginopoli in presentia domini Renoardi quondam Renoardi, & Muffetti quondam Martinotti, & Rigaletti filii Folki. Postea vero eodem anno VI. kalendas ejusdem mensis predicti apud castrum de Soci in presentia Tedericoli quondam Rodulphini & Azzonis quondam Guilielmini dominus Aginolfus Tuscie Palatinus comes supradictam dationem & concessionem confirmavit, & ratam habere promisit, domino Ugolino de Ostia cardinale tunc ibidem predicante. *Ibidem.*

Ego Mattheus imperialis aule notarius his omnibus interfui, & omnia suprascripta complevi, ideoque subscripsi.

CCLIV.

CCLIV.

Honorii III. literæ priori Camald. pro Matthæo abb. Berardingorum.

Anno 1224. XIV. kal. martii.

Ex regesto Vaticano *anni* VIII. *epist.* 267.

Ad lib. XXXVII. n. 41.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum nuper monasterio Albaren. quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, pastoris solatio destituto, dilecti filii conventus ejusdem monasterii convenientes in unum, invocata Spiritussancti gratia, dilectum filium .. abbatem monasterii de Berardingis, quod ad tuum cenobium pertinere dinoscitur, in abbatem suum elegerint & pastorem, devotionem tuam monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eidem a vinculo, quo monasterio de Berardingis tenetur, penitus absoluto ad Albarense monasterium transeundi tribuas liberam facultatem. Datum Laterani XIV. martii anno octavo.

CCLV.

Albizo filius Matthæi refutat Civitellam monasterio Vallis-castri.

Anno 1224. die VIII. exeunte aprili.

Ex archivo S. Blasii de Fabriano.

Ad lib. XXXVIII. n. 18.

IN Dei nomine amen. Anni Domini sunt M. CC. XXIIII. die VIII. exeunte mensis aprilis tempore domini Honorii pape & Federici imperatoris & indictione XII. Ego quidem in Dei nomine dominus Albizo filius quondam Matthei Transmundi propria & spontanea mea bona voluntate quieto, remitto adque refudo tibi domno Armando abbas Vallis castri a tuisque successoribus in perpetuum quartam partem Civitelle cum senaitis a dicta ecclesia pertinentibus, sicut in istrumento vel instrumentis publicis dicte ecclesie continetur: renunptians per me & meis heredibus quidquid ecclesie repetere .... pro muris Civitelle reficiendis seu quibuscumque modis mihi vel meis heredibus aliquid contra ecclesiam conpeteret actenus: salvo in antea quidquid inter me & ecclesia Vallis castri continetur in instrumentis publicis per manum Pellegrini tabellionis confectis: concedendo tibi & tuis successoribus vestra auctoritate in possessione predicta intrandi licentiam. Omnia supradicta promitto ego predictus Albezo pro me & meis heredibus tibi & tuis successoribus observare sub pena L. libras Rav. & Ancon. & pena soluta vel non soluta omnia supradicta semper permaneant & nullo tempore contravenire &c.

Actum in camera Vallis-castri in presentia istorum testium scilicet domni Petri sacristani, Johannis Rolandi Galterone de montanari, Benvenutus Callararii, Jacobus de Raneri: Munaldus .... & Paulus Bentivollio suprascripte rei rogati testes, Ego Bonfilius notarius rogatus ss.

CLVI.

Honorii III. encyclicæ, ne Camaldulenses molestentur.

Anno 1224. VI. kal. maji.

Ex autenthico Fontis-boni. §. Brevia n. 24.

HOnorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Aretino, Florentino, Fesulano, Castellano episcopis & dilectis filiis abbatibus, prioribus, archipresbyteris, plebanis & aliis ecclesiarum prelatis per Aretinam, Florentinam, Fesulanam & Castellanam dioceses constitutis salutem & apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis & plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, & canonice sententie severitas enervatur, ut viri religiosi & hi maxime, qui per sedis apostolice privilegia majori donati fuerunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, & pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat, spetialiter autem dilecti filii .. prior & fratres Camaldulenses Aretine diocesis tam de frequentibus injuriis, quam de ipso cotidiano defectu justitie conquerentes universitatem vestram literis petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis, quas sustinent & pressuris, vestro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque precipimus, quatinus qui tam illos quam *Ibid. n. 17.*

quam possessiones suas, vel res seu domos predictorum fratrum vel hominum suorum inreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedentium relinquuntur; seu in ipsos fratres contra apostolice sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis ante concilium generale, quas propriis manibus aut sumptibus excoluntur, seu nutrimentis ipsorum, spretis Apostolice sedis privilegiis extorquere, monitione premissa, si laici sunt, publice candelis accensis excommunicationis sententia procedatis. Si vero clerici vel canonici regulares seu monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab officio & beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec predictis fratribus plenarie satisfaciant, & tam laici, quam clerici seculares, qui per violentam manuum injectionem anathematis vinculo fuerint interdicti, cum diocesani episcopi literis ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem predictorum fratrum, in quibus bona vel hominum suorum per violentiam fuerint detenta, quandiu ibi sunt, interdicti sententie supponatis.

Datum Laterani VI. kalendas maji pontificatus nostri anno octavo.

† Ego magister Quintavallis imperatorie majestatis judex ordinarius atque notarius hoc transcriptum exemplavi ad exemplum privilegii originarii domini pape Honorii plumbea bulla bullati & non vitiati, neque cancellati, nec aliqua parte sui aboleti, nihil addendo vel minuendo, & meum signum apposui presentibus Ildebranducio & Guidone de Pacoli, anno Domini M. CC. XXIIII. Honorio papa residente, Federico imperante XIIII. kalendas septembris indictione XII. in civitate Aretii, in loco qui dicitur Piscaria.

CCLVII.

Ejusdem pro monast. S. Savini Pisarum.

Anno 1224. III. idus maji.

Ex codice membranaceo S. Michaelis Pisarum.

Ibidem. Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. sancte Marie foris portam Lucan. & .. sancti Jacobi de Certaldo Florentine diocesum prioribus salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. abbas & conventus sancti Savini ordinis Camaldulensis nobis conquerendo monstrarunt, quod .. potestas & quidam alii cives Lucani super possessionibus & rebus aliis injuriantur ejsdem: quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes &c. Datum Laterani III. idus maji pontificatus nostri anno octavo.

CCXLVIII.

Ejusdem amplum privilegium Avellanensi eremo.

Anno 1224. III. idus maji.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis priori, & fratribus heremi Fontis-avellane, eorumque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Superne miserationis respectu ad hoc universalis ecclesie suscepimus curam, & apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut justis petentium votis benignitate faveamus, attente ac equitatis libramine debeamus omnibus, quantum cum Deo possumus, subvenire. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & prefatam heremum Fontis-avellane, que beati Petri juris existit, ad exemplar felicis recordationis Gregorii pape septimi predecessoris nostri sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus, statuentes, ut qualcumque possessiones, quecumque bona domus vestra in presentiarum juste & canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis: Locum ipsum, in quo prefata domus sita est cum omnibus pertinentiis suis; possessiones, quas habetis in civitate, ac diecesi Eugubina; possessiones, quas habetis in civitatibus ac diecesibus Perusin. Castellan. Callen. Forosempronien. Urbinat. Ari- *Ibid. n. 16.*

mi-

minen. Faventin. Bononien. Esculan. Firman. Camerinen. Auximan. Anconitan. Esin. Senogalien. & Spoletan. cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuaggiis & pascuis, in bosco & plano, in aquis & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus, & immunitatibus suis. Cum autem generale interdictum terre fuerit, liceat vobis nihilominus in ecclesia vestra exclusis excommunicatis & interdictis divina officia celebrare. Chrisma vero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a diocesano suscipietis episcopo, siquidem catholicus fuerit, & communionem sacrosancte Romane sedis habuerit, & vobis voluerit sine pravitate aliqua exhibere. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis catholicum adire antistitem, qui nostra fretus auctoritate vobis, quod postulatur, impendat. Ad hec novas & indebitas exactiones ab archiepiscopis, episcopis, & aliis omnibus ecclesiis, secularibusve personis in domo vestra omnino fieri prohibemus. Obeunte vero te nunc ejusdem loci priore, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii sanioris secundum Deum providerint eligendum. Illud districtius inhibentes, ne terras, seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dari, sive alio modo alienari absque consensu omnium fratrum, vel majoris & sanioris partis eorum. Insuper auctoritate vobis apostolica duximus concedendum, ut quandocumque in judicio vos gravari senseritis, liceat vobis ad sedem apostolicam appellare. Preterea omnes libertates & immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus vobis concessas, necnon & libertates & exemptiones secularium exactionum a regibus, & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo *&c.*

† Honorius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Ugo Hostien. & Velletren. episcopus ss.

† Ego Pelagius Albanen. episcopus ss.

† Ego Nicolaus Tusculanus episcopus ss.

† Ego Guido Prenestin. episcopus ss.

† Ego Leo tituli sancte Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis ss.

† Ego Stephanus basilice duodecim apostolorum presbyter cardinalis ss.

† Ego Thomas tituli sancte Praxedis presbyter cardinalis ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diaconus cardinalis ss.

† Ego Gregorius sancti Theodori diaconus cardinalis ss.

† Ego Romanus sancti Angeli diaconus cardinalis ss.

† Ego Stephanus sancti Adriani diaconus cardinalis ss.

† Ego Petrus sancti Georgii ad Velum aureum diaconus cardinalis ss.

Datum Laterani per manum magistri Guidonis domini pape notarii III. idus maji indictione XII. incarnationis Dominice anno M.CC.XXIIII. pontificatus vero anno VIII.

Loco † sigilli plumbei.

CCLIX.

Ejusdem literæ pro Camaldulensibus contra aliquos Senenses & Clusinos.

Anno 1224. II. idus maji.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia n. 25.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo & dilecto filio .. archidiacono Aretino salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. prior & fratres heremi Camaldulensis suam ad nos querimoniam destinarunt, quod .. vicecomes de Campilio & quidam alii clerici & laici Senensis & Clusine diocesum super reformatione ipsorum monasterii de Vivo graves eis existunt plurimum & molesti. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem *&c.* *Ibid. n. 17.*

Datum Laterani II. idus maji pontificatus nostri anno octavo.

CCLX.

Ejusdem pro decimis Camaldulensium.

Anno 1224. idibus maji.

Ex eodem tabulario. §. Brevia n. 26.

Ibidem.

HOnorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo, & dilecto filio .. archidiacono Florentino salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis dilectorum filiorum .. prioris & fratrum Camaldulensium petitio continebat, quod bone memorie T. E. & quidam alii episcopi Aretini quandam partem decimarum de Partena, de Bujano & de Biblena plebatuum pia eis liberalitate donarunt, quorum donatio per venerabilem fratrem nostrum .. Aretinum episcopum extitit approbata, postmodum vero cum plebani plebatuum predictorum quidam alii clerici & laici Aretine diocesis decimas ipsas contra justitiam detinerent, causam super hoc vobis commisimus decidendam, sed cum impetrantis errore, ubi quandam decimarum partem concessam ab episcopis supradictis scribi debuit, scriptum extitit *quartam partem*, non habuistis in eadem causa processum. Demum iidem .. prior & fratres plebanos eosdem super quibusdam decimis & rebus aliis injuriari sibi dicentes in forma communi super hoc rescriptum apostolicum impetrarunt, sed nec per hoc, cum de prioribus mentionem non faceret, extitit in causa processum. Cumque literas alias, ut priores, correcto, quod per impetrantis errorem factum fuerat, vobis super hoc duxerimus destinandas: vos, quia non faciebant mentionem aliquam de premissis, in negotio procedere noluistis. Quare causa eadem adhuc remansit intacta in eorumdem prioris & fratrum non modicum prejudicium & gravamen. Nos igitur finem litibus imponere cupientes discretioni vestre per iterata scripta precipiendo mandamus, quatinus per literas ipsis prioribus non obstantibus in eodem negotio appellatione remota ratione previa procedatis.

Datum Laterani idibus maji pontificatus nostri anno octavo.

CCXLXI.

Ejusdem literæ, ut monasteria subjecta opem ferant eremo Camald.

Anno 1224. idibus maji.

Ex eodem. §. Brevia n. 28.

Ibidem.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. sancti Savini Pisani, & .. sancti Yppoliti Faventini abbatibus, & .. priori sancti Michaelis Aretii salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis .. prioris & fratrum Camaldulensis heremi petitio continebat, quod dicta heremus in alpibus & loco arido constituta gravi gravata est onere debitorum, a quibus nisi congruum remedium apponatur, vix unquam poterit, cum magnam partem suorum reddituum fenus absorbeat, liberari. Quare iidem prior & fratres cum instantia petierunt, ut cum secundum statuta sit Lateranensis concilii sustinendum, quod pro multis necessitatibus, que aliquotiens superveniunt, ex manifesta & rationabili causa, moderatum cum caritate possit a subditis auxilium postulari, providere super hoc misericorditer dignaremur. Cum autem prelatos & subditos ecclesiarum ipsi heremo subjectos tanta ejus necessitas non minus quam propria angere debeat, dum gravius matris, quam suam filius ferre ignominiam consuevit, eos attente monendos duximus & hortandos, nostris sibi dantes literis in mandatis, ut eidem heremo matri sue super suis necessitatibus filiali compatientes affectu, auxilium, quod ad hoc dicti prior & fratres ab ipsis cum caritate petierunt moderatum, liberaliter largiantur: ne, quod absit, eadem heremus in eam difficultatem deveniat, de qua se non possit postmodum expedire. Post hec etenim dicti prelati & subditi communicantes, sicut devoti filii, matris sue necessitatibus, eique aperientes viscera pietatis, benedictione dignos se reddent & gratia, heremoque predicte universis contribuentibus consuletur, nec eis erit subsidium hujusmodi partitum per singulos ad gravamen. Quod si iidem vobis non acquieverint in hac parte, cum membra, que capitis dolorem non sentiunt, stupida sint censenda vel a corpore peregrina, dum non est membrum, quod non debeat compati capiti, ejusque affici angustiis, & passionibus condolere contra eos, qui poterant facere de necessitate

tate virtutem & meritum sibi ex debito comparare, aliud super hoc disponere compellemur. Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prelatos & subditos sepedictos ad id moneatis attentius & efficaciter inducatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur.

Datum Laterani idibus maji pontificatus nostri anno octavo.

CCLXII.

Ejusdem literæ priori Camald. quibus removet appellationes prælatorum.

Anno 1224. idibus maji.

Ex eodem. §. Brevia n. 27.

Ibidem. HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulen. salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quod frequenter accidit, quod cum aliquos vultis abbates seu priores ordini vestro subjectos amovere a monasteriorum regimine, vel de suis excessibus castigare, sicut ejusdem exigunt ordinis instituta, iidem ut canonicam correctionem eludant in vocem appellationis frivole mox prorumpunt, occasione hujusmodi vos & monasteria vestra, que a vobis tenentur, multis expensis & laboribus fatigantes. Quare humiliter supplicastis, ut cum illi ad defensionem iniquitatis usurpent, quod ad presidium innocentum dinoscitur institutum, eis appellandi taliter aditum precludere dignaremur. Quia ergo sicut nec prelati valent sine causa gravare subjectos, sic nec subditi pro sola voluntate sub appellationis obtentu correctionem possunt eludere prelatorum, vestris supplicationibus inclinati auctoritate presentium districtius inhibemus, ne contra vos a regulari correctione predicti abbates & priores appellationis obstaculum temere interponant. Nulli ergo &c. nostre inhibitionis &c.

Datum Laterani idibus maji pontificatus nostri anno octavo.

CCLXIII.

Venditio castri S. Urbani facta communitati Piri.

Anno 1224. IV. exeunte novembri.

Ex autographo archivi Piri.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini M. CC. XXIIII. indictione XII. mense novembri quarta die exeunte, tempore domni Honorii pape, & Friderici imperatoris. Hec est concordia, que fit inter domnum Virgilium abbatem sancti Urbani, & Albertum Petrutii sindicum castri Piri, ejusque universitatem. Promittit namque sindicus dicti castri per se suosque subcessores ejusque universitatem ipsi domno Virgilio abbati sancti Urbani nominato dare & tradere ecclesiam unam, & vineam valentem C. libras in arbitrio Actonis, Gozonis & Bonaensegne Carpinelli, & domum Actonis Gozonis, & ecclesie sancti Silvestri, donec sibi abbati & suis subcessoribus alia ecclesia & domus eque bona erit edificata. Insuper Albertus Petrutii sindicus dicti castri promisit dare & tradere ipsi abbati prefato & suis subcessoribus recipienti pro ecclesia sancti Urbani nominata tot vineas, que sunt vinee Davii, que omnia & singula dictus sindicus adtendere & observare ipsi abbati & suis subcessoribus, & non contravenire per se suosque subcessores sub pena VI. librarum Ravenn. & Ancon. sollenni stipulatione promissa ipsi abbati & suis subcessoribus, penaque soluta vel non soluta predicta omnia & singula in suo robore hac perduret firmitate. Et domnus Virgilius abbas dicte ecclesie sancti Urbani cum voluntate fratrum suorum, scilicet domni Morici, Jangui notarii monachi, & domni Morici Bonominis, Gisi conversi, & domni Guidi prepositi ejusdem ecclesie, dedit, tradidit adque concepsit ipsi Alberto Petrutio sindico dicti castri Piri & ejus subcessoribus recipienti pro ipsa universitate castri Piri omnes homines sancti Urbani in curia, & in districtum, & in senaita, & in jurisdictione castri Piri. Renuntians dictus abbas per se suosque fratres & subcessores omni legum auxilio divino & humano, & insuper corporali sacramento firmavit & promisit per se suosque fratres & subcessores non contra hanc concessionem venire, agere vel exercere, nec aliquam opponere occasionem sub pena VI. librarum

Ibid. n. 18.

rum Ravenn. & Anconit. sollemni stipulatione promissa ipsi Alberto sindico prefato & ejus subcessoribus. Qua pena soluta vel non predicta omnia & singula firmitatem nihilominus obtineant. Actum in castro Piri in domo Todini Petrutii in presentia istorum testium vocatorum & rogatorum, scilicet Thomas de Insula, & Bonensegne Carpinelli, & Geraldus Morici, Albricus Petrutii, domni Johannis prepositum, Girardi Gozonis, & Marto Bonihominis, Gastaldutius & alii plures. Ego Todinus notarius pro utraque parte, qui hec scripsi.

CCLXIV.

Ecclesia sancti Michaelis Paduæ traditur monasterio S. Mariæ ad Carceres.

Anno 1225. die VI. junii.

Ex anecdotis V. Cl. Joh. Brunatii pag. 1564.

Ibid. n. 24. IN Christi nomine amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo vigesimo quinto indictione terciadecima die sexto intrante junio presentibus presb. Fino custode majoris ecclesie, Petro Columbino subdiacono ejusdem ecclesie & mansionario, Villano archipresbytero Arquade, presbytero Homodei de sancto Michaele infrascripto, Bonifacino de Gato, Petro Zantagallo, Thomasino, qui dicitur Pelizari de ora majoris ecclesie, Agnello serviente domini episcopi infrascripti, Bono serviente canonicorum, Johanne serviente domini Petri Paduani canonici & aliis. Cum inter cetera loca religiosa Paduani episcopatus omnipotenti Deo devota domus sancte Marie ad Carceres maxime in elymosinarum largitione, & benigna & placita fraterne caritatis hospitalitate videatur obtinere primatum. Et ut idem locus ex devoto devotior, & ex fideli fidelior, & ex subjecto subjectior Paduano episcopo propter multa beneficia sibi prestita semper debeat permanere, & caritas, que hactenus in eodem loco viguit, magis ac magis ferventi amore tam in elymosinarum habundantia, quam in fructuosa & indifferenti hospitalitate prestanda ibidem ferventius debeant habundare, & sue matrici ecclesie Paduane, que pre cunctis Paduani episcopatus est honoranda, cum maxima dilectione suadeat revereri. Idcirco dominus Jordanus Dei gratia Paduanus episcopus annuens petitionibus venerabilis viri Savarisii prioris sancte Marie ad Carceres, in quibus idem prior, secundum quod dominus episcopus asserebat, multum institerat, de consilio & consensu & expressa parabola dominorum Jacobi archipresbyteri, Henrici presbyteri, Episcopelli, Lanfranchi, presb. Zamboni, magistri Emanuelis, Guidonis Brarati, Pigoli, magistri Salconis, magistri Ugutionis, magistri Patavini, Bartholamei, Johannis, Marci, Petri, & Rainerii Paduanorum canonicorum presentium dedit & concessit dicto domno Savarisio priori sancte Marie ad Carceres recipienti pro se & fratribus suis de domo sancte Marie ad Carceres, & pro ipsa domo sancte Marie ecclesiam sancti Michaelis de Padua cum omnibus possessionibus mobilibus & inmobilibus, & juribus ad ipsam ecclesiam spectantibus, prout taliter continetur. Nos Jordanus Dei gratia episcopus Paduanus damus & concedimus de consilio fratrum nostrorum vobis priori sancte Marie ad Carceres & fratribus ecclesiam sancti Michaelis de Padua juxta muros civitatis mediante flumine positam, ut habeatis & teneatis eam ab episcopo & episcopatu Paduano cum omnibus possessionibus mobilibus & inmobilibus, ac juribus ad ipsam ecclesiam spectantibus, ita tamen quod omnia alia jura & omnes honores, que & quas episcopus, episcopatus & ecclesia Paduana consuevit habere in ipsa capella, habeant, & omnia illesa & integra eisdem episcopo & canonicis, sicut hactenus habuerunt, observentur. He videlicet. Quod sacerdos semper in dicta ecclesia commoretur, qui administret spiritualia populo ipsius ecclesie celebrando divina die ac nocte in eadem, & dando penitentiam infirmantibus, & sanis, sicut convenit & oportet, christianando & bathizando pueros cum necesse fuerit. Item debeat venire idem sacerdos ad ecclesiam majorem in magnis solemnitatibus, & debeat interesse pro reverentia matricis ecclesie, & servire ibi cantando & degendo, sicut expedierit. Item veniat ad processionem, quando vocatus fuerit in adventu domini patriarche, vel dominorum cardinalium, vel alterius sublimis persone, que recipietur ad processionem in ecclesia Paduana. Item ad letanias, & ad alia, que capellani de Padua facere consueverunt. Item ad signacula puerorum, & ad bathismum generale. Item respondeat episcopo specialiter in collectis & exactionibus, quas idem episcopus aliis capellanis civitatis & clericis duxerit faciendas. Ita tamen, quod si

pro

pro tempore prior sancte Marie ad Carceres voluerit in dicta ecclesia habere sacerdotem aliquem, qui in eadem debeat perpetuo residere, tunc idem prior illum talem sacerdotem ad instituendum domino episcopo debeat presentare. Et sic institutio & destitutio talis sacerdotis ad Paduanum episcopum debeat pertinere, salvo omni jure Paduane canonice in sextariis Paduan. blave, videlicet duobus frumenti & duobus milei, & duobus melice, quam blavam ecclesia sancti Michaelis, ut dicebatur, annuatim dare tenebatur Paduane canonice nominatim pro concordio decime terrarum, quas ecclesia sancti Michaelis deinceps acquiret in locis, ubi canonici habent decimam, ex quibus Paduana canonica debeat habere decimam. Et similiter salvo jure presbyteri Hominis-Dei, & domini Petri clerici dicte ecclesie sancti Michaelis in beneficio ipsius ecclesie in vita sua. Et his ita actis dominus episcopus dedit antedictum dominum Jacobum archipresbyterum Paduanum eidem domno priori ad ponendum ipsum in tenutam & possessionem dicte ecclesie sancti Michaelis, & terrarum & possessionum ejus, prout idem dominus episcopus sibi dederat & concesserat, ut superius continetur. Et ut hec data & concessio pleniorem vigorem & validiorem firmitatem debeat obtinere, memoratus dominus episcopus instrumento presenti proprium sigillum jussit apponi. Actum Padue in solario domus canonicorum. Item die ultimo octobris presentibus dominis Johanne priore sancte Crucis, Bartholomeo canonico Paduano, presb. Marino de sancta Maria ad Carceres & aliis. Antedictus dominus episcopus perlecto tenore dicte date & concessionis per ipsum facte dicto domno Savarisio priori sancte Marie ad Carceres de ecclesia sancti Michaelis & possessionibus ejus, ubi dicitur, quod sacerdos secularis, qui pro tempore fuerit in ecclesia sancti Michaelis, debeat venire ad majorem ecclesiam in magnis solemnitatibus, & debeat ibi interesse pro reverentia matricis ecclesie, & servire ibi cantando & legendo sicut expedierit: dixit, quod intentio sua fuit & est, & ita interpretatum est verbum illum, videlicet in magnis solemnitatibus, idem in majoribus missis magnarum solemnitatum. Actum Padue in episcopali palatio in camerella, que est juxta illam domini episcopi.

Ego Rainaldinus sacri palatii notarius quondam Martini de Grauxa filius his interfui, & ut audivi & intellexi, rogatus scripsi. Et sciendum est, quod plura instrumenta sub uno tenore per me inde confecta sunt.

CCLXV.

Honorii III. literæ pro monasterio S. Petri de Puteolis.

Anno 1225. XIII. kal. augusti.

Ex tabulario capitulari Lucensi. A.A.n.16.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. abbati sancti Pontiani, sancti Michaelis, & sancte Reparate prioribus Lucanis salutem & apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum .. abbatis & conventus sancti Petri de Pozeulis recepimus continentem, quod commune de Vivinaria P..B..E.., & quidam alii Lucane diocesis super divisionem cuidam nemoris hominibus, redditibus, & rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, proviso tamen, ne in commune predictum interdicti vel excommunicationis sententias proferatis, nisi super hoc a nobis mandatum receperitis spetiale. Testes autem &c. Datum Laterani XIII. kal. augusti pontificatus nostri anno decimo. *Ibid. n. 26.*

CCLXVI.

Rainerii Ubertini donatio facta eremo Camald.

Anno 1225. die XII. exeunte augusto.

Ex archivo Fontis-boni §. Donatio n. 397.

IN Christi nomine amen. Anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo quinto die duodecimo exeunte mense augusti indictione tertiadecima tempore Honorii pape & Friderici imperatoris, Romene sub porticu sancti Mame de curia domini Rainerii Ubertini presentibus testibus ad hec vocatis & rogatis, Davanzatus serviens dicti domini, Brunettus filius ejus, Dominico canovario domini predicti, Macketo de Romena, & Jacobo *Ibid. n. 22.*

bo Rizio de Ragenopoli investitore. Ibique dominus Rainerius prefatus dedit, concessit, tradidit atque donavit jure proprio & in perpetuum pro anima patris & matris sue, domineque Fidei quondam uxoris sue, & sua & pro remedio suorum peccatorum suorumque parentum domno Guidone & Gui.. monachis recipientibus pro Guidone priore Camalduli & heremo Camald. & specialiter pro cella, quem ipse dominus Rainerius facit construi atque hedificari, ibi totam illam terram, quam ipse emit a filia sua domina Agnesia xx. l. & est posita in Sparena, a primo latere est via publica & ecclesia Sparene, a secundo Camald. a tertio silva, a quarto Paralarte, qui tenet pro proceribus, & est septem staria sementature, & si plus essent infra terminos predictos, sit in ista donatione tali conditione, quod prior prefatus & sui successores & fratres teneantur semper facere morari in cella, quam ipse dominus Rainerius ibi facit hedificari, unum heremitam, qui teneatur orare pro anima ipsius domini suorumque parentum, & si locus ille deveniret, quod ibi heremita non esset, dicta terra debeat ad ipsum vel ad suos heredes reverti absque molestatione aliqua, ut ab hac ora in antea predicti recipientes pro dicto priore & nomine heremi Camaldulensis & cella predicta habeant, teneant, possideant, & quidquid eis vel ei placuerit faciant, sine sua suorumque successorum contradictione vel molestatione aliqua, cum superioribus & inferioribus finibus suis, & cum omni eo, quod habet infra se & supra se in integrum, omnique jure & actione & usu, seu requisitione sibi ex ea competente. Quam rem ipse dominus Rainerius constituit pro dictis dominis & priore dicto possidere, quousque intrarent in possessionem, in quam intrandi licentiam auctoritatem eis concessit ab hac hora in antea, & promisit per se suosque liberos & heredes pro dictis recipientibus pro dicto priore suisque successoribus dictam donationem & concessionem ratam & inviolatam omni tempore habere, & in nullo contravenire per se vel alium sub pena centum solidorum, qua soluta vel non predicta omnia firma permaneant, & renuntiavit omnibus auxiliis & beneficiis legum, constituti presentis & futuri sibi coherenti.

Ego Johannes auctoritate imperiali notarius predicte donationi interfui, & rogatus a partibus scribere scripsi & complevi.

CCLXVII.

Honorius III. confirmat ecclesiam S. Michaelis monast. Carcerum.

Anno 1225. VI. kl. decembris.

Ex exemplis ejusdem cœnobii.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & capitulo sancte Marie ad Carceres ordinis sancti Augustini salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia devotos & humiles filios ex assuete pietatis officio propensius diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos tamquam pia mater sue protectionis munimine confovere. Ea propter dilecti in Domino filii vestri iustis postulationibus grato concurrentes assensu, personas vestras & locum, in quo divino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis, que inpresentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum prestante Domino justis modis poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem ecclesiam sancti Michaelis Paduan. cum pertinentiis suis a venerabili fratre nostro episcopo Paduano, sui capituli accedente consensu, pia vobis liberalitate collatam, sicut ea omnia juste, canonice ac pacifice possidetis, & in instrumento confecto exinde plenius continetur, vobis & per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum *&c.* Si quis *&c.* *Ibid. n. 24.*

Datum Reate VI. kalendas decembris pontificatus nostri anno x.

Audio

Pendet sigillum plumbeum: Honorius Pp. III.

CCLXVIII.

Adalperi ep. Parentini confessio de decimis monast. S. Michaelis de Lemmo.

Anno 1225. XXVIII. novembris.

Ex veteri exemplo tabularii S. Mathiæ de Muriano.

In nomine patris & filii & spiritus sancti amen. Dominus Adalperus Dei gratia Parentinus episcopus fuit confessus & manifestus se integre recepisse decimam territorii sancti Michaelis de Lemo *Ibid. n. 25.*

mo

mo a domno Conſtantio abbate ejuſdem loci & ejus fratribus, quam ei renuntiaverant per quinque annos tranſactos. Inſuper domnus abbas dedit dicto domino A.. epiſcopo Parentino duos boves & ſex porcos, pro quibus dictus dominus A.. epiſcopus fecit finem dicto abbati de omni decima, quam habere debet a dicto abbate uſque ad decem annos completos ſub pena centum librarum denariorum Venetorum, *Ibid. n. 25.* & de hoc extitit dominus Mengoſus caſtaldio de ſancto Laurentio fide juſſus cum voluntate dicti domini epiſcopi.

Actum Parentii ſub voltis, preſentibus Johanne archipresbitero Parentino, presbitero Mauro, presbitero Urſignano de ſancto Laurentio, Rinulfo & Arduena fratribus dicti monaſterii ſancti Michaelis. Anno a nativitate Domini M.CC.XXV. indictione XIII. die tertio exeunte novembri imperante domino Federico ſecundo Romanorum imperatore.

Ego Romanus imperiali auctoritate notarius interfui rogatus ſcripſi & publicavi.

CCLXIX.

Honorii III. *delegatio contra abbatem Vergareti.*

Anno 1226. V. idus aprilis.

Ex autographo archivi Balneenſis.

Ibid. n. 26. HOnorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri .. epiſcopo & dilectis filiis .. prepoſito & R.. canonico Faventinis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Conſules & commune caſtri de Vergareto nobis conquerendo monſtrarunt, quod cum .. archipresbyter plebis de Balneo Bobien. dioceſis ad vos contra abbatem.. de Vergareto, & .. de Trapola, ac .. de Fajola priores, & quoſdam alios Bobien. dioceſis ſuper jure patronatus plebis ejuſdem decimis & rebus aliis litteras apoſtolicas impetraſſet, vos per occaſionem illius clauſule *quidam alii* in eos non monitos vel citatos, nec ſe contumaciter adverſantes ſine cauſa rationabili contra generalis ſtatuta concilii excommunicationis ſententiam promulgaſtis, idcirco diſcretioni veſtre per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, intra octo dies poſt ſuſceptionem preſentium ſententiam ipſam ſine difficultate qualibet relaxetis.... ipſam juxta priorum literarum continentiam *Ibid. n. 27.* ratione previa proceſſuri, alioquin venerabili fratri noſtro.. epiſcopo & dilectis filiis.. abbati ſancti Mercurialis &.. archidiacono Forolivien. noſtris damus litteris in mandatis, ut ipſi exinde recepta ſufficienter ab eis ſuper his, pro quibus excommunicati habentur, juxta formam eccleſie cautione ſententiam relaxent eandem, & injuncto eis, quod de jure fuerit injungendum, in cauſa eadem juxta litterarum earundem tenorem.. ratione procedant, & faciant, quod decreverint, auctoritate noſtra firmiter obſervari. Quod. . . hiis exequendis. ... intereſſe, tu frater epiſcope cum eorum altero eam nihilominus exequaris.

Datum Laterani V. idus aprilis pontificatus noſtri anno decimo.

Ego vero Theophilus Faventinus notarius exemplavi.

CCLXX.

Abbatia S. Petri in Campo ſe dat in protectionem civitatis Senenſis.

Anno 1226. V. idus aprilis.

Ex autographo archivi archinoſocomii Senarum Sacc. rub. n. XVII. n. 780.

IN nomine Domini, amen. Anno Domini milleſimo CC. XXVI. indictione XIIII. die VI. menſis madii imperante domino Frederico ſecundo Dei gratia invictiſſimo Romanorum imperatore ſemper auguſto, Jeruſalem & Sicilie rege. *Ibid. n. 28.* Anno imperii ejus ſexto, regni Jeruſalem primo, & regni Sicilie XXVIII. feliciter, amen. Coram domino Gratiano judice, Bonacorda Caponerii *&c.* & aliis pluribus teſtibus *&c.* Pateat omnibus evidenter, quod domnus Benignus ſyndicus & procurator monaſterii, ſive abbatie ſancti Petri in Campo ordinis ſancti Benedicti Cluſine dieceſis ad infraſcripta conſtitutus, ut de ſyndicatu patet per publicum inſtrumentum factum manu mei Henrici Bonefidei notarii infraſcripti ſyndicario, & procuratorio nomine dicte abbatie ſive monaſterii ſancti Petri in Campo, vice & nomine capituli & conventus abbatie prefate ex cauſa tranſactionis & pacti ſolemni ſtipulatione interpoſiti. Cum monaſterium ſive abbatia ſancti Petri in Campo, ſive abbas, monachi, converſi, & oblati ſint multis tribulationibus & anguſtiis circumventi & oppreſſi, & comites, magnates, barones precipue de maritima, & loca, caſtra, & communitates ſibi circumſtantes, bona ipſius monaſterii ſive abbatie ſancti Petri in Campo mobilia & immobilia accipiant & moleſtent, ſubtrahendo & uſurpando de dictis

bonis & rebus contra voluntatem abbatis dicti monasterii, vi & impetu violenti, ita quod per hoc dictum monasterium videatur totaliter deficere. Cernentes etiam, quod dictum monasterium indiget defensali brachio visitari, & quod commune Senense dicto monasterio amore conjunctum potest dictum monasterium pre omnibus aliis comitatibus defendere & relevare, & ipsius monasterii repellere offensores, sub civitatis Senensis custodia & protectione, sub communi dicte civitatis & jurisdictionis ex forma syndicatus & mandati predicti domino Buonricovero olim Danensis syndico & procuratori dicti communis Senensis & civitatis, de cujus syndicatu patet &c. submisit, supponit & subdidit omni jure, quo potuit, meliori totum territorium monasterii predicti, & quidquid predictum monasterium habet vel habiturum est &c. in terris, vineis &c. scilicet a flumine Urcie, quod incipit ab abbatia Spinetana usque ad Castillioncellum Latronum, & a predicto Castillioncello versus abbatiam predictam usque ad flumen Urcie, & a predicto Castillioncello usque ad Chiarentanam, & a predicta Chiarentana usque ad flumen Urcie, & a predicta Chiarentana usque ad curtem Montecchielli, a predicta curte Montecchielli usque ad flumen Urcie, & sicut mittit predictum flumen Urcie, quod incipit abbatia Spinetana, & transit a pede Fuscule, & a pede predicte abbatie sancti Petri in Campo, & a pede de Villenovole, & sicut mittit predictum flumen Urcie usque ad curtem Montecchielli, hac conditione & exceptione apposita, quod homines, qui habitant in predicto terreno, non teneantur solvere aliqua datia vel collectas, nec facere vel sustinere aliqua honera vel munera, que interponerentur personis ratione patrimoniorum. Item quod homines, qui morantur & habitant in predicto terreno frumentum & omnem bladam, vinum & oleum & omne liquore, quod perceperint ex dictis terris & possessionibus, & vendere voluerint, non possint portare ad vendendum ad aliam terram vel locum, que non sit de jurisdictione civitatis Senensis. Item quod nullus ex banditis & rebellis civitatis predicte possit vel debeat habitare vel morari supra dicto terreno. Item quod omnes homines morantes in sancto Petro in Campo sive in villa vel castro, villis vel castris, que ibi sunt, vel in futuro tempore erunt, habeant & habere debeant de se hominibus predictis unum vel plures consules sive rectores pro qualibet villa vel castro, quod ibi esset, qui possent & habeant jurisdictionem, cognitionem & cohertionem puniendi, cognoscendi, cohercendi, & condemnandi committentes injurias, delicta &c. in dicto terreno usque in quantitatem decem librarum pro quolibet delinquente &c. Item quod dictis hominibus liceat condere & facere statuta & ordinamenta & reformationes consiliorum, & penas & banna imponere, & a malefactoribus exigere usque ad dictam quantitatem decem librarum denar. Senensium minuctorum, & ab in de sicut eis videbitur, convenire secundum qualitatem, quantitatem & numerum delicti vel maleficii perpetrati, vel quod perpetrabitur. Item quod dicti consules & rectores & quilibet eorum possint, teneantur & debeant reddere jus in civilibus & pecuniariis causis usque in quantitatem x. librar. Senensium, & in aliis rebus usque ad valentiam & extimationem x. librar. Item quod dicti homines possint habere consilium de se ipsis, & dictum consilium eligere & facere, & in dicto consilio stantiare, & reformare, quod eis videbitur utile & conveniens, & quod fecerint, stantiaverint & ordinaverint, valeat & teneat. Item predictus domnus Benignus syndicus promisit &c. prefacto domino Buonricovero syndico &c. nullam aliam submissionem post istam facere alicui alii communitati & collegio &c. Et si appareret contra factum vel contra fieret, quod absit, talis submissio non valeat &c. hac vero presenti submissione semper in suo robore permansura & perpetuo duratura. Et hec ideo facta, quod dictus dominus Buonricoverus syndicus & procurator civitatis &c. versa vice promisit & convenit eidem domno Benigno syndico & procuratori abbatie predicte &c. & successoribus, & etiam pro omnibus & singulis hominibus & personis habitantibus nunc, & in futurum habitaturis in territorio, villis, castellis, & locis dicti monasterii &c. defendere & protegere abbatem & ejus successores, priorem dicti loci & ejus successores, monachos, conversos, & oblatos, & alios familiares dicti domini abbatis & monasterii, qui sunt & pro futuro tempore erunt, & homines habitantes & commorantes supra dicto terreno abbatie sancti Petri in Campo ab omnibus civitatibus, castellis &c. quibuscumque baronibus, comitibus, & ducibus, & quibuslibet aliis personis &c. tam laicis quam clericis &c. tamquam eorum comitatinos & civitatis predicte jurisdictioni subjectos &c. Excepto ab

ab ecclesia Romana & ejus delegatis. Item promisit &c. dicto domino abbati &c. totum supradictum terrenum a quibuslibet civitatibus vel castris &c. defendere &c. Item promisit &c. non permittere de facto aliquam personam vel universitatem, clericum vel laicum laborare vel laborari facere vel inquietare vel molestare &c. contra voluntatem dicti domini abbatis &c. Et hec omnia & singula supradicta inter se predicti Benignus & Bounricoverus syndici &c. solemnibus stipulationibus hinc inde intervenientibus attendere & observare ad invicem promiserunt sub pena & ad penam L. unciarum auri boni & puri. Quam penam &c. sub ypotheca & obligatione bonorum omnium dicti communis civitatis Senensis presentium & futurorum.

Actum in castro sancti Quirici in Osenna coram supradictis testibus in domo communis, presentibus, & his predictis omnibus consentientibus ven. viris scilicet domino Gualfredo Dei gratia Clusino episcopo, Guidone priore & heremita Camaldulensis heremi, Ildebrandino priore de Vivo, & Rainerio abbate predicte abbatie sancti Petri in Campo, de quorum consilio & providentia, voluntate & expressa licentia facta, & gesta sunt omnia & singula supradicta. Ad quorum vero preces dominus Rodulphus de sancto Miniate vicarius in Thuscia pro domino Frederico secundo invictissimo Romanorum imperatore augusto motus & inclinatus presens existens ibidem hec omnia supradicta vice & nomine dicti domini F.. imperatoris ractificavit & confirmavit, & suam auctoritatem atque decretum interposuit omni jure, quo potuit, meliori.

Ego Henricus Bonefidei notarius predictis omnibus interfui, & de voluntate utriusque partis supradicte, atque de mandato domini Rodulfi de sancto Miniate vicarii supradicti domini F.. imperatoris suam auctoritatem atque decretum interponentis rogatus scripsi & publicavi, meumque signum apposui.

CCLXXI.


Friderici II. imp. præceptum pro Camaldulo.

Anno 1226. mense majo.

Ex cod. membranaceo S. Michaelis Pisarum.

Ibid. n. 28. F*Ridericus* II. *imperator Romanorum amplo diplomate omnia ea Camaldulensi eremo ac ejus priori Guidoni confirmavit, quæ antea ab Friderico ejusdem avo anno* 1158. *atque a proprio parente Henrico anno* 1186. *eidem eremo concessa fuerant. Hæc tamen, quæ in Friderici I. & Henrici diplomatibus non leguntur, optimum duximus heic proferre. Scilicet circa ejusdem diplomatis finem habetur:*

Confirmamus insuper eidem heremo monasterium sancti Michaelis de Lemo, quod ei contulit Vvolfcherus quondam Aquilegiensis patriarcha, & princeps imperii, secundum quod in scripto continetur ipsius. Confirmantes nihilominus sibi ecclesiam sancti Michaelis positam in palude juxta canalem de Muriano, sicut eam cum pertinentiis suis temporalibus & spiritualibus Marchus Castellanus episcopus heremo predicto concessit. Ad hec autem nuntiis nostris per Ytaliam constitutis &c. Statuentes, ut presentis privilegii &c. Ut autem hec nostra concessio &c. Hujus vero rei testes sunt Albertus Magdeburgensis archiepiscopus, Lando Regin. archiepiscopus .... Curen. & abbas sancti Galli .... Cicen. Jacobus Taurinensis, M.. Ymolensis episcopi.... dux Saxonie .... Lantgravius Thuringie, Rainaldus dux Spoleti. Comes R.. de Queurenberc, comes Syfridus de Viena, & alii quamplures.



Signum domini Friderici secundi Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem & Sicilie regis.

Acta sunt hec anno Dominice incarnationis M. CC. XXVI. mense madii, quartadecima indictione, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto Jerusalem & Sicilie rege anno Romani imperii ejus VI. regni Jerusalem primo, regni Sicilie XXVIII. feliciter, amen.

Datum apud Ravennam anno, mense & indictione prescriptis.

CCLXXII.

Promissio pro castro S. Urbani.

Anno 1227. die VI. exeunte aprili.

Ex archivo communis Piri.

Ibid. n. 40. IN Dei nomine amen. Hec est concordium, que fit inter Bernabeum de Precicle & homines castri Piri, quam fecit dominus Noguzante de Esio & Acto domni Gozonis de Piro *&c. ceteris omissis*. He sunt promissiones, quas fecit Bernabeus domino Bonocomiti potestati castri Piri *&c.*

Item promisit dictus Bernabeus, quod castrum sancti Urbani de cetero non reaptabit, nec faciet reaptare, nec permittet, nec concedet reaptari, & quicumque voluerit reaptare, ipse contrariabit omni modo, quo melius poterit, sine omni fraude, excepto contra imperatorem & marchionem, & ipsos rogabit, ut melius poterit, ut dictum castrum non debeant reaptare, & precipiet monachis sancti Urbani, & aliis hominibus ejusdem castri, & faciet facere bona fine sine fraude concedere rationem dicti castri hominibus castri Piri *&c.*

Actum in castro Piri in curia domni Bonicomitis anno Domini M. CC. XXVII. indictione XV. die VI. mensis aprilis exeunte, presentibus omnibus suprascriptis consiliariis & aliis quampluribus, scilicet domino Rainerio de Caczo, domino Guidone, & domino Johanne preposito, & quampluriúm aliorum.

Ego Rainaldus ex domini marchionis auctoritate notarius his omnibus interfui, & ut supra legitur, rogatus scripsi, subscripsi & publicavi.

CCLXXIII.

Gregorii papæ IX. literæ abbati S. Zenonis Pisarum pro monasterio S. Mariæ de Morteto.

Anno 1227. idibus maji.

Ex veteri exemplo olim apud canonicum Ruschium.

Ibid. n. 39. GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. abbati sancti Zenonis Pisarum salutem & apostolicam benedictionem. Exposuerunt nobis dilecti filii abbas, & conventus sancte Marie de Morteto Cisterciensis ordinis Pisane diocesis, quod persone ecclesie sancte Marie de Fine, que est spetiale membrum ipsius monasterii, que fuerunt pro tempore terras, domos, vineas, redditus, prata, nemora, possessiones, & quedam alia bona dicte ecclesie datis super hoc literis, confectis publicis instrumentis, factis renuntiationibus, interpositis juramentis, & penis adjectis in ipsius ecclesie lesionem enormem nonnullis clericis & laycis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, & aliis perpetuo ad firmam, vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui super his confirmationis literas in forma communi dicuntur a sede apostolica impetrasse. Quia vero interest nostra lesis monasteriis subvenire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus ea, que de bonis ejusdem ecclesie per concessiones hujusmodi alienata inveneris inlicite vel distracta, non obstantibus literis, instrumentis, renuntiationibus, juramentis, & penis, seu confirmationibus supradictis studeas ad jus, & proprietatem dicte ecclesie legitime revocare. Contradictores per censuram *&c.* Testes *&c.*

Datum Laterani id. maji pontificatus nostri anno primo.

CCLXXIV.

Ejusdem literæ priori Camald. pro absolutione criminum petentium ingredi ordinem.

Anno 1227. II. idus junii.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia n. 31.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio.. priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Ex parte tua fuit nobis humiliter postulatum, ut tibi licentiam concedere dignaremur, ut hiis, qui postquam in monasterio tuo habitum religionis accipiunt, confitentur se, dum essent in seculo, manus violentas in clericos injecisse, absolutionis beneficium valeas impertiri. Licet autem a bone memorie Alexandro papa predecessore nostro fuerit constitutum, quod de seculo fugientes, qui religionis habitum in monasterio receperunt, & inter cetera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, sine licentia Ibid. n. 37.

Romani pontificis abbas nec debeat, nec possit absolvere, quamvis presumptionem delinquentium debita valet animadversione punire. Nos tamen in religionis favorem, ut evagandi materia subtrahatur, uberiorem eis gratiam exhibere volentes, ad exemplar felicis recordationis Innocentii pape predecessoris nostri, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus, quod etiam talibus absolutionis beneficium valeas impertiri, nisi excessus ipsorum difficilis fuerit & enormis, utpote si ad mutilationem membri vel effusionem sanguinis est processum, aut in episcopum vel abbatem violenta sit manus injecta, cum excessus tales & similes sine scandalo nequeant preteriri.

Datum Anagnie II. idus junii pontificatus nostri anno primo.

CCLXXV.

Ejusdem literæ prelatis, ut eremo Camald. opem ferant.

Anno 1227. idibus junii.

Ex eodem §. Brevia n. 32.

Ibidem.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis prelatis & subditis ecclesiarum heremo Camaldulensi subjectis salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis.. prioris & fratrum Camaldulensis heremi petitio continebat, quod dicta heremus in alpibus & loco arido constituta gravi gravata est onere debitorum *&c.*, *ut in consimili Honorii* III. *ad annum* 1224. *idibus maji.*

Datum Anagnie idibus junii pontificatus nostri anno primo.

CCLXXVI.

Idem confirmat Camald. monasterium Vangaticiæ.

Anno 1227. XVIII. kal. julii.

Ex eodem §. Brevia n. 33.

Ibidem.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & conventui Camaldulen. salutem & apostolicam benedictionem. In literis felicis memorie Innocentii pape predecessoris nostri sic perspeximus contineri:

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & conventui Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Cum dudum ad correctionem *&c. Vide supra ad annum* 1213. Datum Signie VII. kal. octobris pontificatus nostri anno sextodecimo.

Nos igitur ejusdem predecessoris nostri vestigiis inherentes liberam ejusdem monasterii correctionem, & plenam tibi fili prior, & successoribus tuis duximus committendam, ita tamen quod qui pro tempore fuerit electus ibidem, Romano pontifici presentetur, ab eo confirmationis & benedictionis gratiam recepturus. Ad cujus amotionem, si quando per excessus suos fuerit amovendus, inconsulto Romano pontifice nullatenus procedatur. Nulli ergo *&c.* concessionis *&c.* Datum Anagnie XVIII. kal. julii pontificatus nostri anno primo.

CCLXXVII.

Confirmat pariter loca de novo obtenta binis bullis.

Anno 1227. XVIII. kal. julii.

Ex codice monast. S. Blasii de Fabriano, & ex tabul. Fontis-boni §. Brevia n. 34.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & heremitis Camaldulensibus salutem & apostolicam benedictionem. Annuere consuevit sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ad instar fel. record. Innocentii pape predecessoris nostri locum, qui Camaldula vulgariter nuncupatur apud Veronam, & ecclesiam sancti Viti juxta Vincentiam vobis concessam, ecclesiam quoque sancte Marie prope Forum-livium sitam in loco, qui Casale vocatur, & ecclesiam sancti Eustachii juxta civitatem Imolensem in braita de Borsiola constructam, & eremum insuper de Salimbene, in loco qui vocatur Montale in Ariminensi diocesi constructa, pia vobis fidelium liberalitate collata, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis & per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *&c.* *Ibidem.*

Datum Anagnie XVIII. kal. julii pontificatus nostri anno primo.

Gregorius episcopus servus servorum Dei

Dei dilectis filiis.. priori & heremitis Camaldulensibus salutem & apostolicam benedictionem. Annuere consuevit sedes apostolica piis votis & honestis petentium precibus favorem benivolum impartiri: quapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu in episcopatu Aretino monasterium sancti Laurentini situm prope civitatem Aretii; ecclesiam sancti Michaelis sitam in palude juxta canalem de Muriano apud Venetias; in episcopatu Perusino monasterium sancte Trinitatis juxta Perusium, monasterium Salenben. situm in monte Teuzo; in episcopatu Florentino monasterium sancti Andree de Candiculis; in episcopatu Lucano monasterium sancti Andree in Silva; in episcopatu Bononiensi monasterium sancte Marie de Bethleem; in episcopatu Cesenati hospitale de Rovereto; in civitate Pisana hospitale situm juxta monasterium sancti Frigdiani; in episcopatu Tudertino monasterium sancti Antonii; in Istria monasterium sancti Michaelis de Lemmo, pia vobis fidelium liberalitate collata, sicut ea omnia juste & pacifice possidetis, vobis & per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *&c.* nostre confirmationis *&c.*

Datum Anagnie XVII. kal. julii pontificatus nostri anno primo.

CCLXXVIII.

Jus etiam parochiale ecclesiæ S. Margaritæ de Tosina.

Anno 1227. XVII. kal. julii.

Ex apographo S. Romualdi de Urbe. Fasc. XXX. n. 5.

Ibidem. GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori, & fratribus Camaldulen. salutem, & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum suum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, ad instar fel. record. Celestini & Innocentii Romanorum pontificum predecessorum nostrorum jus parochiale, quod in ecclesia vestra sancte Margarite per quadraginta annos tenuit inconcusse, donationes quoque seu concessiones, quas patroni vel alii fideles juste fecerunt, decimas etiam & alia jura ecclesie vestre, vobisque competentia, sicut hec omnia juste & pacifice possidetis, vestre devotioni auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo *&c.* nostre confirmationis *&c.*

Datum Anagnie XVII. kal. julii pontificatus nostri anno primo.

CCLXXIX.

Iterum mandat subventionem eremi Camald.

Anno 1227. XV. kal. julii.

Ex chartario Fontis-boni §. Brevia n. 35.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. sancti Savini Pisani & .. sancti Ypoliti Faventini abbatibus, &.. priori sancti Michaelis Aretin. salutem *&c.* Exhibita *&c. ut supra n. 26. & 32.* Quo circa discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prelatos & subditos sepedictos ad id moneatis attentius, & efficaciter inducatis. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. *Ibidem.*

Datum Anagnie XV. kal. julii pontificatus nostri anno primo.

CCLXXX.

Vetat, ne mulieres transgrediantur limites ligneos eremi Camald.

Anno 1227. XIII. kal. julii.

Ex eodem §. Brevia n. 36.

GRegorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Ravennati, Aretino & Fesulano episcopis salutem & apostolicam benedictionem. Cum dilecti filii heremite de Camaldula pennis sicut columbe assumptis in contemplationis montem volaverint, ut quiescant, & se a tumultu seculi elongantes in solitudine manere decreverint cum propheta, certis circa heremum suam terminis constitutis, quos transire non debeant mulieres, ut in tabernaculo Dei a conturbatione hominum & linguarum contradictione protecti solitarii sedere valeant & tacere, qui eos *Ibidem.*

a pu-

a pusillanimitate spiritus salvos faciat expectantes; mulieres in vestris diocesibus constitute terminos, sicut accepimus, non verentur transgredi memoratos, forsitan ignorantes, quod & Moyses mandante Domino terminos statuit circa montem, quos si quis de populo pertransiret, jubebatur continuo lapidari: unde nobis fuit ex eorum parte humiliter supplicatum, ut mulieres easdem compesci a presumptione hujusmodi faceremus. Ne igitur callidi versutia temptatoris per occasionem prefatam dictorum fratrum quietem subreptione qualibet . . . perturbare, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus mulieribus ipsis districte inhibeatis per plebanos & alios prelatos earum, facientes nihilominus inhiberi, ne terminos sepedictos presumant temeritate qualibet preterire. Contraditores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Anagnie XIII. kal. julii pontificatus nostri anno primo.

CCLXXXI.

Prohibet, ne laici in electionibus prælatorum se immisceant.

Anno 1227. XII. kal. julii.

Ex autographo archivi S. Christinæ Bononiæ B. n. 21.

Ibidem.* GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & universis fratribus Camaldulensibus salutem & apostolicam benedictionem. Que canonicis sanctionibus obviare noscuntur, & que a statutis conciliorum sunt penitus aliena, tamquam pernitiosa corruptela sunt propensius evitanda, ut auctoritas canonum observetur, & Dei servi liberius vacare valeant bonis operibus, & in divino servitio firmius permanere. Cum enim laicorum presumptio electioni & promotioni se impudenter ingereret clericorum, sacra fuit constitutione prohibitum, ut personis laicis electioni vel promotioni clericorum non liceat interesse. Intelleximus siquidem, quod quidam laici occasione juris patronatus electioni abbatum ordinis vestri contra sanctorum statuta canonum se ingerere non formidant. Nos ergo predecessorum nostrorum Romanorum pontificum inherentes vestigiis, & sanctorum patrum statuta sequentes auctoritate presentium districtius inhibemus, ne aliqua laicalis persona occasione juris patronatus sive alia causa electionibus abbatum vel priorum vestri ordinis ingerere se presumat. Sed vos ad electionem eorum secundum regulam beati Benedicti & consuetudinem congregationis vestre libere ac canonice procedatis. Ut autem hec nostre constitutionis & concessionis pagina futuris temporibus debeat inviolabiliter observari, nos eam apostolice sedis auctoritate confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.

Datum Anagnie XII. kalendas julii pontificatus nostri anno primo.

Pendet sigillum plumbeum cum literis.
GREGORIUS PP. IX.

CCLXXXII.

Refutatio facta monasterio Vallis-castri.

Anno 1227. VIII. kal. julii.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

IN nomine sancte & individue Trinitatis amen. Anni Domini M. CC. XXVII. tempore domni Frederici imperatoris & semper augusti VIII. kalendas julii indictione XV. Nos quidem Guido quondam Rainaldi Plebani & Albericus Plebanus filius dicti Guidonis propria nostra bona voluntate pro anima nostra nostrorumque propinquorum parentum remittimus, restituimus, refutamus, renuntiamus & quietamus tibi donno Armanno abbati Vallis-castri recipienti nomine .... monasterii & nomine tuo tuorumque successorum omne, quod abemus & tenemus de prefato monasterio in curia Cerreti, & in curia Rocce Actonis Guarnerii ...., ecclesiam sancti Johannis de Cerquetis, ecclesiam sancti Stephani de Avenza, & mansum .. de rapis cum hominibus, & manso Petrus Rapus, Boellus Rapus & Vivulus Rapi, & filios Actonis Rapi cum mansis, quos detinent. Item petiam unam de terra positam in plano Rigi Bagni infra suis lateribus, & petiam unam terre positam sub atterato quondam nostro infra suis confinibus, & campum parte Follani infra suis lateribus, & buscum in pede Felecti infra suis lateribus. Item ubicumque a dicto monasterio Vallis-castri in curia Cerreti & Rocce habemus & tenemus, vel pro nobis tenent, videlicet terras aratorias, vineatas & bussivas tibi donno abbati Ibid. n. 40.

bati predicto recipienti, ut dictum est, pro nobis nostrisque heredibus, remittimus, refutamus, restituimus, renunciamus & quietamus, & omne jus omnemque actionem, quod & quam in dictis bonis & possessionibus habemus, sive jure abscriptitis vel scriptionis, sive jure possessionis, sive alio jure vel consuetudine tibi remittimus & refutamus, & damus & concedimus tibi licentiam potestatem reingredi in possessionem ipsarum rerum tua auctoritate. Nobis renuntiantibus hujus rei nomine nullam litem nullamque controversiam movere aliqua occasione. Si vero per nos nostrosque heredes dicta omnia non observavero pene nomine predicte rei per duplum ejusdem bonitatis & extimationis eidem monasterio dare promittimus, & omnem dapmnum litisve expensas stipulatione resarcire tibi promittimus, & ea soluta vel non omnia predicta firma permaneant.

Actum in ecclesia sancti Johannis de Cerquetis prefatis contrahentibus scribere mandantibus.

Interfuere testes domnus Petrus Actonis Boctonis, domnus Rodulfi, donus Ugo, donus Nicola, Acto Rollandi, Johannes Rollandi, Gualteronus, Rainaldus Mancese, & alii plures hujus rei rogati.

Ego Petrus notarius his omnibus interfui, ut superius legitur, rogatus scripsi.

CCLXXXIII.

Amplum Gregorii IX. privilegium, quo enumerat omnia monasteria subjecta Camaldulensi eremo.

Anno 1227. IV. kal. julii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Privilegia.

Ibidem.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori Camaldulensi ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Offitii nostri nos admonet & invitat auctoritas *&c.* Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predecessorum nostrorum fel. mem. Paschalis, Eugenii, Anastasii, Adriani, Alexandri, Clementis, Innocentii Romanorum pontificum vestigiis inherentes precipimus, & presentis decreti auctoritate sancimus, ne cuiquam omnino persone clerico, monacho, laico cujuscumque ordinis ac dignitatis presentibus aut futuris temporibus liceat congregationes illas & loca illa, que Camaldulensis eremi sive cenobii disciplinam & ordinem susceperunt, aut sunt imposterum suscepture, queque hodie sub illius regimine continentur, ab ejus ullo modo subjectione & unitate dividere. Que videlicet loca & congregationes conservande unitatis gratia singularibus visa sunt vocabulis annotanda. In episcopatu Aretino ecclesiam sancti Donati, que Fonsbonus dicitur, cum hospitali & omnibus suis bonis; in ipsa civitate monasterium sancti Petri in Picculo, ecclesiam sancti Michaelis cum pertinentiis suis, & omnibus, que ab episcopis Aretinis eidem ecclesie concessa esse noscuntur, & ipsorum scripti assertione firmata, ecclesiam sancti Martini, que est juxta Letarcle cum omnibus pertinentiis suis, monasterium Silve-munde, monasterium sancte Marie de Agnano, monasterium sancti Petri de Rota, monasterium sancti Salvatoris Berardingorum cum omnibus eorum pertinentiis, monasterium sancti Savini in Chio, monasterium sancte Marie de Pratalia, monasterium sancti Andree de Castilione, monasterium sancti Quirici de Rosis, ecclesiam sancti Nicolai de curte Luponis, eremum de Fleri cum monasterio suo, monasterium sancti Viriani, monasterium sancti Bartholomei in Anglari cum castellis & omnibus pertinentiis suis, plebem sancte Marie de Micciano cum omnibus ecclesiis suis, ecclesiam sancti Johannis, que est in Anglari, ecclesiam de Monte-aureo, ecclesiam sancte Marie de villa, que dicitur Montione, ecclesiam de Viario, ecclesiam de Mojona, ecclesiam de castello Lorenzano, ecclesiam sancti Vitalis prope ipsum locum, ecclesiam de Agna, ecclesiam de Soci & de Condolese cum omnibus earum pertinentiis; Litanias plebis de Micciano, visitationes plebium de Bujano & Partina, quemadmodum ab Aretinis episcopis est ordinatum; integras decimationes de Agna, Largnano, Pergentina, Corsignano & Avana, & quidquid habetis in curte de Tejano. Item quicumque eidem eremo decimam suam dare voluerint, que ab aliquo Aretino episcopo ordinata vel donata non fuerit, inde habeat facultatem, sicut ab ipsis Aretinis episcopis est constitutum, & a fel. mem. Paschali, & Anastasio Romanis pontificibus confirmatum. Mojonam, quam emistis ab Henrico preposito & reliquis canonicis Aretinis cum omnibus pertinentiis suis; villam de Montione, quam

emistis ab abbate sancte Flore, sicut in vestris chartulis continetur; quidquid juris ecclesia sancti Donati habebat in villa de Mojona, & in villa de Montione. In episcopatu Castellano monasterium sancte Marie de Deciano, monasterium sancti Sepulcri cum toto Burgo, ecclesiam de Planetulo cum castello & suis pertinentiis, plebem sancte Marie de Soara, ecclesiam de Valialla cum ipso castello. In episcopatu Fesulano monasterium sancte Marie de Poplena, ecclesiam sancti Michaelis juxta ipsam, & ecclesiam sancti Bartholomei de Astrapetronii, ecclesiam sancte Margarite de Pomino, ecclesiam sancti Egidii de Gaviserre, ecclesiam sancti Nicolai de Montemezzano, ecclesiam sancti Miniatis de Lonano, monasterium sancti Johannis de Prato-veteri, monasterium Montis-muri. In episcopatu Florentino monasterium sancti Petri de Luco, monasterium sancti Salvatoris juxta civitatem, eremum Buldronis. In episcopatu Lucano monasterium sancte Jucunde, monasterium sancti Petri in Puteolis cum capella burgi Porcarie, monasterium sancti Salvatoris de Cantignano, hospitale juxta burgum sancti Genesii. In episcopatu Volaterrano monasterium sancti Justi prope civitatem, monasterium sancti Petri de Cerreto, monasterium sancte Marie in Pulliciano, monasterium sancti Petri in Fontiano. In episcopatu Pisano monasterium sancte Marie de Morrona, monasterium sancti Stephani de Cintoria, monasterium sancti Savini in Montione; in ipsa civitate monasterium sancti Michaelis, monasterium sancti Frigdiani, monasterium sancti Zenonis cum omnibus pertinentiis suis. In episcopatu Clusino monasterium sancti Petri de Vivo Montis-amiati. In Marchia in Esino episcopatu monasterium Eremite, ecclesiam sancti Georgii. In episcopatu Auximano monasterium sancte Marie in Serra. In episcopatu Anconitano ecclesiam sancte Lucie. In episcopatu Pisauriensi monasterium sancti Decentii, eremum Sajoli. In episcopatu Ravennatensi monasterium sancti Apollinaris in Classe cum omnibus suis pertinentiis. In episcopatu Monte-feretrano monasterium sancte Trinitatis de monte Herculis. In episcopatu Foro-popiliensi hospitale Aimerici, ecclesiam sancti Paterniani de Ferracciano. In Galeata monasterium sancte Marie de Insula, eremum de Fajola, monasterium sancte Marie in Trivio. In episcopatu Faventino monasterium sancti Hippolyti juxta civitatem. In episcopatu Bononiensi monasterium sancti Archangeli juxta castrum Brittorum, monasterium sancte Christine; in ipsa civitate monasterium sancti Damiani, eremum Bononiensem, hospitale de Ravone. In Tarvisino episcopatu monasterium sancte Christine. In episcopatu Senensi ecclesiam sancti Georgii de Api; in ipso burgo civitatis ecclesiam sancti Vigilii. In insula Sardinie monasterium sancte Trinitatis de Sacaria, ecclesiam sancte Eugenie in Samanar, ecclesiam sancti Michaelis & sancti Laurentii in Vanari, ecclesiam sancte Marie & sancti Johannis in Altasar, ecclesiam sancte Marie in Contra, ecclesiam sancti Johannis & sancti Simeonis in Salvenero, ecclesiam sancti Nicolai in Trulla, ecclesiam sancti Petri in Scanno, ecclesiam sancti Pauli in Controniano, ecclesiam sancti Petri in Olim. In episcopatu Spoletano monasterium sancti Silvestri de Monte Subasio, cum omnibus pertinentiis suis; & monasterium sancte Helene Esine cum suis pertinentiis. Ad hec fel. record. Alexandri & Clementis predecessorum nostrorum vestigiis inherentes monasterium de Urano vobis & conventui vestro salvo jure Ravennatis ecclesie auctoritate apostolica confirmamus. Hec igitur cum omnibus ad ipsa monasteria vel ecclesias pertinentibus statuimus & apostolice sedis auctoritate sancimus tamquam corpus unum sub uno capite, id est sub priore Camaldulensis eremi temporibus perpetuis permanere, & illius discipline observatione persistere, sub illo, inquam, priore, qui ab ipsius congregationis abbatibus sive prioribus & eremitis regulariter fuerit electus. Porro congregationem ipsam ita sub apostolice sedis tutela perpetuo confovendam decernimus, ut nulli episcoporum facultas sit ecclesiis, que a vestris congregationis fratribus gubernantur, divinum officium interdicere, vel aliquam ex his ecclesiis seu monasteriis absque prioris conniventia, vel apostolice sedis licentia excommunicare. Fratribus autem ipsis licentia sit, a quo maluerint catholico episcopo consecrationum & ordinationum sacramenta suscipere. Preterea in communi civitatis seu parochie officio interdicto clausis janius, & non admissis diocesanis, ecclesiarum vestrarum monachi nequaquam prohibeantur divina officia celebrare; hoc etiam adjicientes, ut nemini fratrum vestre congregationis post factam professionem absque prioris, & rationabili fratrum licentia sit egrediendi facultas; si vero exire presumpserit,

rit, & secundo tertiove commonitus redire contempserit, quousque congrue satisfecerit, ipsum excommunicationis sententie subjugamus. Quicumque vero pro obsequio servorum Dei in eremo Camaldulensi degentium ad aliquas partes perrexerint, tam in eundo, quam in redeundo, seu etiam stando a nullo penitus molestentur. Statuimus etiam, ut decimas laborum vestrorum nullus a vobis exigere vel extorquere presumat, sed distribuendi eas hospitalibus vestris in usum pauperum secundum antiquam consuetudinem vestram liberam habeatis auctoritate apostolica facultatem. Indulgemus etiam vobis, ut in conventus vestri prelatis instituendis & amovendis, sicut hactenus dicitur ab antecessoribus vestris obtentum, liceat & vobis sine contradictione qualibet observare; libertates preterea & immunitates, necnon antiquas & rationabiles consuetudines monasteriis vestris concessas, & hactenus observatas ratas habemus, & eas futuris temporibus illibatas manere sancimus. Decernimus ergo, ut nulli *&c.* Si qua igitur *&c.* nostre concessionis *&c.*

† Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Corradus Portuensis & sancte Ruffine episcopus ss.

† Ego Guido Prenestinus episcopus ss.

† Ego Oliverius Sabinensis episcopus ss.

† Ego Stephanus basilice XII. apostolorum presb. card. ss.

† Ego Johannes tit. sancte Praxedis presb. card. ss.

† Ego Oct. sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Rainerius sancte Marie in Cosmedin diac. card. ss.

† Ego Stephanus sancti Adriani diac. card. ss.

Datum Anagnie per manum magistri Sinibaldi S. R. E. vicecancellarii IIII. kal. julii indictione XV. incarnationis Dominice anno M. CC. XXVII. pontificatus vero domini Gregorii pape IX. anno primo.

CCLXXXIV.

Gregorius IX. *confirmat bona monasterii S. Mariæ ad Carceres.*

Anno 1227. V. idus augusti.

Ex exemplis Carcerum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori ecclesie sancte Marie de Carcere, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor equitatis & ordo exigit rationis, presertim cum petentium voluntatem & pietas adjuvat, & veritas non relinquit. *Ibid. n. 39.* Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & predecessorum nostrorum felicis memorie Alexandri, Lucii & Urbani Romanorum pontificum vestigiis inherentes, prefatam ecclesiam sancte Marie de Carcere, in qua divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem statuentes, ut ordo canonicus *&c.* Preterea quascumque possessiones *&c. ut in illa Urbani pape* III. ecclesiam sancti Andree de Curtarodulo *&c.* ecclesiam sancti Salvatoris, que est ultra Fractam Trium comitatuum *&c.* ecclesiam seu plebem sancti Johannis de Vighizolo *&c.* ecclesiam sancti Michaelis de Padua *&c.* decimas novalium in amplis de Scodesia, scilicet Casalis, Altadure, Merlarie, Ville, Placentie, Urbane, sancti Salvatoris, Montagnane & trium Comitatuum. Decimas novalium paludis de Baone, & omnium novalium de Vighizolo & Gazolo, scilicet caballatici, pistrinorum, apum, piscationum, & avium, que capiuntur in aquis, que omnia venerabilis frater noster episcopus Paduanus consensu capituli sui vobis sua liberalitate donavit, prout in instrumento confecto exinde continetur. Sententiam vero illam, quam prefatus B.. super contentione, que inter vos & clericos sancte Thecle de Adeste de persona Hugonis Balistarii & filii ejus, & bonis ipsius agebatur, legitime promulgavit, ratam habemus, & auctoritate apostolica confirmamus. Statuentes, ut de possessionibus, quas habet ecclesia vestra nunc, vel est in posterum habitura, nullus laicus decimas presumat exigere. Sane novalium

valium &c. Liceat quoque vobis clericos &c. Decernimus &c.

Fac mecum † *Domine*

SS. PETRUS | SS. PAULUS

GREGO | RIUS

PP. | VIIII.

signum in bonum.

Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Pelagius Albanensis episcopus ss.

† Ego Conradus Portuensis & sancte Rufine episcopus ss.

† Ego Guido Prenestinus episcopus ss.

† Ego Oliverius Sabinensis episcopus ss.

† Ego Stephanus basilice XII. apostolorum presb. card. ss.

† Ego Thomas tit. sancte Sabine presb. card. ss.

† Ego Johannes tit. sancte Praxedis presb. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Rainerius sancte Marie in Cosmedin diac. card. ss.

† Ego Stephanus sancti Adriani diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

Datum Anagnie per manum magistri Sinibaldi S. R. E. vicecancellarii V. idus augusti indictione XV. incarnationis Dominice anno M. CC. XXVII. pontificatus vero domini Gregorii pape IX. anno primo.

CCLXXXV.

Rainaldus ep. Camerinensis excommunicat homines Piri.

Anno 1227. die II. exeunte octobri.

Ex schedis V. Cl. Octavii Turcii canonici Pirani.

Ibid. n. 40. IN Dei nomine Amen. Anno Domini M. CC. XXVII. die II. exeunte octobris regnante domino Frederico imperatore . . . . XV. . . . . Dominus Rainaldus Dei gratia ecclesie Camerinensis episcopus communitatem Piri & omnes homines ipsius castri excommunicatos . . . . . . publice condemnavit, & ipsos omnes de castro Piri denuntiavit excommunicatos. Ideo quia interfecerunt . . . . sancti Urbani . . . . . . monasterium sancti Urbani hostiliter equitaverunt, & ipsam ecclesiam depredaverunt, & buxerunt, devastaverunt . . . . maverunt, & mandato domini pape subposuit . . . . excommunicationis & interdicti, & dedit liberam licentiam & plenam potestatem domno Simoni Berardo potestati sancti Severini recipienti nomine communis jamdicti, & omnibus hominibus sancti Severini offendendi & dilapidandi communitatem Piri, & omnes & singulos homines castri Piri, & auferendi, capiendi, & exportandi de rebus ipsorum, & ad restitutionem ipsarum rerum in aliquo tempore, & ad extimationem ipsorum non teneantur. Actum in castro sancti Severini in palatio canonicorum in presentia domni Offredutii archidiaconi Camerini, & domini Rainutii de Potentia, domni Rainaldi Lattiani, domni Simonis de Alifurno, domni . . . . . domni Alberici, Blasii & aliorum plurium.

Ego Bentivollius notarius his rebus interfui, & ut supra legitur . . . . de mandato dicti episcopi publicavi omnia supradicta.

CCLXXXVI.

Gregorius IX. *prohibet prælatis Camaldulensibus alienationes.*

Anno 1227. IV. nonas decembris.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia n. 38.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & fratribus heremi Camaldulensis salutem & apostolicam benedictionem. Providere volentes ecclesiis ordini vestro subjectis, & juri etiam vestro prospicere cupientes, auctoritate presentium districte inhibemus, ne prelati & fratres ecclesiarum ipsarum possessiones suas sine assensu vestro vendere, infeudare, seu quolibet modo alienare presumant, cum ita fuerit hactenus, sicut proponitis, observatum. *Ibid. n. 39.*

Datum Laterani IIII. nonas decembris pontificatus nostri anno primo.

CCLXXXVII.

Idem tradi postulat Camaldul. monasterium S. Mariæ de Fellonica.

Anno 1227. v. idus decembris.

Ex eodem §. Brevia n. 39. 40.

Ibid. n. 38. GRegorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. Aretino episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Supplicarunt nobis dilecti filii .. prior & fratres heremi Camaldulensis, ut cum monasterium de Fellonica tibi subjectum eorum ordini pia velis liberalitate conferre, cum sit in spiritualibus & temporalibus dissolutum, & patroni ejusdem monasterii assensum suum super hoc prebeant, & tue voluntati concurrant, misericorditer dignaremur, ut tuum in hac parte impleatur desiderium, providere: Nos igitur fraternitati tue concedimus, ut requisito consensu capituli tui, ordini predicto conferas monasterium memoratum, ut ad reformationem ipsius per ordinem Camaldulensem regulariter procedatur, sciens, quod nos eidem capitulo preces porrigimus, ut voluntati tue debeant consentire.

Datum Laterani v. idus decembris pontificatus nostri anno primo.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis capitulo Aretino salutem & apostolicam benedictionem. Cum venerabilis frater noster .. episcopus vester piam gerat, sicut intelleximus, voluntatem de monasterio de Fellonica Camaldulensi ordini conferendo, cum sit in spiritualibus & temporalibus dissolutum, & patroni ejusdem monasterii assensum super hoc prebeant, & ipsius episcopi voluntati concurrant, caritatem vestram rogamus & hortamur attente, quatenus pro divina reverentia & ordinis ejusdem obtentu assensum vestrum super hoc sine difficultate aliqua impendatis, ut ad reformationem ipsius per ordinem Camaldulensem regulariter procedatis, ita quod Deum inde habeatis propitium, & nos in vestris opportunitatibus favorabiles & benignos.

Datum Laterani v. idus decembris pontificatus nostri anno primo.

CCLXXXVIII.

Idem delegat cognitionem causæ monasterii S. Michaelis de Castro Brittorum.

Anno 1227. v. idus decembris.

Ex autographo S. Romualdi de Urbe.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati de Monte-armato Bononiensis diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Abbas & conventus monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum Camaldulensis ordinis nobis conquerendo monstrarunt, quod venerabilis frater noster archiepiscopus Ravennas & quidam alii clerici & laici tam civitatis, quam Bononiensis diocesis super ecclesia sancti Apollinaris, & quibusdam aliis ad idem monasterium pertinentibus possessionibus, & rebus aliis injuriantur iisdem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito intimetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui &c. *Ibid. n. 39.*

Datum Laterani v. idus decembris pontificatus nostri anno primo.

CCLXXXIX.

Guido prior Camald. procuratorem creat pro ecclesiis marchiæ Anconitanæ.

Anno 1228. IV. idus februarii.

Ex codice membranaceo S. Michaelis Pisarum.

IN eterni Dei nomine, amen. Ex hujus publici instrumenti clareat lectione, quod domnus Guido Dei gratia prior *Ibid. n. 45.* heremi sancti Salvatoris de Camaldulo pro ipsa heremo & ejus nomine, consilio, & consensu domni Urbani abbatis ecclesie, & monasterii sancti Savini ordinis Camaldulensis, & domni Filippi majoris ecclesie, & monasterii Fontis-boni, & domni Rodulfi monaci ejusdem monasterii, fratrum suorum presentium, fecit & constituit, atque ordinavit pre. Martinum conversum predicte heremi de Camaldulo presentem & suscipientem, suum & supradicte heremi syndicum, actorem, iconomum, & procuratorem in omnibus causis supradicte heremi, quas supradi- ctus

ctus dominus prior pro supradicta heremo, & ipsa heremus habet, & sperat habere in Marchia cum aliqua persona, vel loco, & nominatim causa, quam habet, vel sperat habere, cum episcopo Esino, & ejus episcopatu de ecclesiis, & super ecclesiis monasteriorum sancte Marie de Serra, & sancti Jacobi de Heremita Mandriole, & sancti Georgii ordinis Camaldulensis, aut super decimis ad dictas ecclesias & monasteria pertinentibus, vel eorum occasione, coram dominis R.. Dei gratia episcopo Fanensi & abbate sancti Paterniani, & priore sancti Stephani in Padule, domini pape judicibus delegatis, & ad predictas causas incipiendas, tractandas & finiendas, & ad agendum, & respondendum, & placitandum, & appellandum, si opus fuerit, & ad omnia & singula faciendum, que verus syndicus, sive yconomus, seu procurator in causis legitime constitutus facere posset. Et promisit dictus domnus prior pro dicta heremo, & ejus nomine, consensu supradictorum fratrum suorum, totum & quicquid de predictis causis, vel aliqua eorum dictus pre. Martinus fecerit, semper firmum & ratum tenere, & habere, & contra non venire & taliter predictus domnus Guido prior, & prenominati fratres, & pre. Martinus conversus me Rubertum judicem, & notarium scribere rogaverunt.

Actum apud monasterium sancti Savini in capitulo supradicti monasterii, presentibus Berlingerio quondam Berlingerii, & Guidone quondam Albertini, & Martino quondam Rustichi, & Pericciolo quondam Argo.. mti testibus ad hoc rogatis. Dominice incarnationis anno M. CCXXVIII. indictione I. quarto idus februarii.

Ego Rubertus filius quondam Tiniosi de Rilione imperialis aule notarius, & postea domini Ottonis Dei gratia serenissimi Romanorum imperatoris judex ordinarius predicta hec omnia a me rogata scripsi & firmavi.

CCXC.

Jacobi abb. Montis-armati sententia de Mar-morta pro monasterio S. Michaelis de castro Brittorum.

Anno 1228. die IX. martii.

Ex autographo tabularii marchionis Rangonii.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti amen. Ego Jacobus abbas Montis armati domini pape judex delegatus cognitor querimonie facte a dopno Benedicto priore & sindico monasterii sancti Michaelis castri Brittorum nomine ipsius ecclesie de archiepiscopo Ravennate in hunc modum. Petit domnus Benedictus prior & sindicus sive actor monasterii sancti Michaelis castri Brittorum nomine ipsius monasterii ab archiepiscopo Ravennate nomine Ravennatis ecclesie vallem quamdam, que dicitur Marmorta, sitam in episcopatu Ravenne, quam dicit ad dictum monasterium pertinere jure dominii vel quasi. Eo vero legitime citato per Guidoloctum servientem magistri Romei, ut coram me in Bononia per se vel sufficientem responsalem se representaret responsurus de jure dicto sindico nomine dicti monasterii, & non veniente & prestito sacramento calupnie a dicto dopno Benedicto sindico, qui declaravit se juste petere posse, nec animo facit calupniandi, pronuncio & dico auctoritate, qua fungor, dictum dopnum Benedictum nomine dicti monasterii fore mittendum in possessionem causa rei servande de dicta Valle Marmorta omni legitimo auxilio absenti reservato. Lata fuit hec sententia in claustro ecclesie sancte Marie de Turlionibus anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo octavo, die nono intrante martio indictione prima presentibus, domino Romeo doctore decretorum, domino Oseppo de Stupha, Corradino calzolario, On... notario, Thomasino de Teranto, & Zagonello.

Ad lib. XXXVIII. n. 50.

Fgo Nicolaus Terandanus imperiali auctoritate notarius interfui, & jussu domni abbatis scripsi.

CCXCI.

Ægidius ep. Foro-popilienſis tradit Camald. hoſpitale de Cave de Collis.

Anno 1228. die IX. exeunte majo.

Ex autographo Fontis-boni §. Donatio n. 402.

Ibid. n. 42. IN nomine Chriſti amen. Anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo octavo die nona exeunte menſe maji indictione prima. Foropopilii in domo epiſcopali. Ego Egidius Popilienſis epiſcopus de conſenſu domini Johannis prepoſiti & canonicorum, ſcilicet presbyterorum Petri & Gaudentii, Onnatelli & Johannis ſubdiaconorum fratrum... Adtendens religionem & honeſtatem, que viget in heremo Camalduli & in toto ordine ſubjecto eidem, de certa ſcientia & gratia ſpeciali pro remedio anime mee, meorumque ſucceſſorum & predeceſſorum epiſcopali auctoritate tibi domno Guidoni priori Camaldulenſi recipienti pro heremo Camaldulenſi do & concedo hoſpitale de Coll... cum eccleſia conjuncta ſibi, cum poſſeſſionibus & omnibus ſibi pertinentibus, que nunc habet, vel in antea dante Domino poterit adipiſci juſto titulo, & perpetuo confirmo pro me meiſque ſucceſſoribus in perpetuum, ut libere & abſolute ſubſit de cetero in ſpiritualibus & temporalibus heremo Camaldulenſi ejuſque ordinis diſcipline quo ad omnia exercenda. Reſervato tamen mihi meiſque ſucceſſoribus nomine cathedratici vel aliorum redituum omni anno in menſe martii nomine penſionis, ut rector, qui pro tempore fuerit in hoſpitali predicto, XII. denarios Ravennatis monete perſolvat. In preſentia domni Rodulphi monaci Camaldulenſis, domni Uberti ejuſdem ordinis, presbyterorum Benencaſe & Lombardi, Rubei camerarii, Gualferani, & Pepi rogatorum teſtium.

Ego Johannes Bonus ſacri palatii notarius de mandato ſupraſcriptorum domini epiſcopi & prioris ſcripſi & manu propria publicavi.

† Ego Egidius Popilienſis epiſcopus ss.

CCXCII.

Indulgentiæ conceſſæ a Gregorio IX. eccleſiæ S. Mariæ de Petra-ficta.

Anno 1228. VII. kal. ſeptembris.

Ex tabulario S. Mariæ Angelorum de Florentia.

GRegorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Chriſti-fidelibus, ad quos litere iſte pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam, ut ait apoſtolus, omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi, prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuerit, ſive malum, oportet nos diem.. eſſionis extreme miſericordie prevenire, ac eternorum intuitu ſeminare in terris, quod redden....o cum multiplicato fructu colligere debeamus in celis. Firmam ſpem fiduciamque tenentes, quoniam, qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam eternam. Inde eſt.... in eccleſia ſancte Marie de Petraficta in alpibus de Caſentino, ſicut dilectus filius prior Camaldulenſis, cui eſt eccleſia ipſa ſubjecta, nobis expoſuit, multa Deus miracula per beatam Virginem operetur, & nonnulli infirmi ibidem recipiant ſanitatem, propter quod dignum exiſtit, ut fideles populi ad eccleſiam ipſam devotionem habere debeant, & eam ob ipſius Virginis reverentiam venerari, univerſitatem veſtram monemus, atque hortamur in Domino, quatenus in feſtivitatibus predicte Virginis cum devotione ad eamdem eccleſiam accedatis, omnipotentis Dei, & ipſius Virginis ſuffragium petituri. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus devote ad jamdictam eccleſiam in eiſdem feſtivitatibus accedentibus viginti annorum de injuncta ſibi penitentia miſericorditer relaxamus. Et ut predicte feſtivitates ibidem ſollempnius celebrentur, ipſius prioris precibus inclinati preſentium auctoritate concedimus, ut idem prior clericos ex devotione tunc accedentes ad ipſam eccleſiam, quorum habet notitiam, libere poſſit ad divina officia celebranda in jamdictis feſtivitatibus invitare. Ibid. n. 43.

Datum Peruſii VII. kal. ſeptemb. pontificatus noſtri anno ſecundo.

CCXCIII.

CCXCIII.

Donationes factæ eidem loco a Tigrimo comite.

Anno 1228. die III. septembris.

Ex eodem tabulario.

Ibidem. IN nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Anno a nativitate ejusdem M. CC. XXVIII. die III. intrante mense septembri indictione prima. Comes Tigrinus filius quondam comitis Guidonis pro remedio anime sue, suorumque parentum obtulit, dedit atque inter vivos donavit presbytero Christoforo ministro ecclesie sancte Marie de Petra-ficta recipienti pro ipsa ecclesia integre duas petias terre positas in curte de Ruffina cum duodecim arboribus olivarum, & cum omnibus, que super se & infra se habent, cum introitu & egressu, & cum omni jure & actione earum. Prima quarum est posita, ubi dicitur al Guinketo, & que ..... & ab uno latere terra Dioteguardi, ab alio Kiani, a tertio filiorum Benitendi ..... to reservata. Secunda est ibidem, cui coherent a duobus lateribus vie, a tertio terra Saracini, a quarto .. dete, quas petias terre emit Battefolle, procuratorio nomine pro dicto comite. Et prefatas petias terre dictus comes nomine prefate ecclesie se constituit possidere, donec ministri ejusdem ecclesie corporalem inde nacti fuerint possessionem, quam adipisci eis eorum auctoritate concessit, quatinus ab hodierna die in antea ministri dicte ecclesie habeant, & teneant, atque firmiter possideant dictas petias terre, & utantur & fruantur eis, & faciant ex eis jure proprii quicquid voluerint sine contradictione, vel repetitione, lite, vel molestia dicti comitis, & suorum heredum. Immo solemni stipulatione per se, suosque heredes promisit prefato presbytero Christophoro stipulanti & recipienti pro se, suisque successoribus dictas petias terre non tollere, non minuere, non litigare, non molestare, tamen non promisit de evictione, nec aliquam penam, set cessit & mandavit ei recipienti pro dicta ecclesia omnia & singula jura, & actiones sibi competentes, vel competituras, vel alii, sive aliis pro eo in dictis petiis terre, sive occasionem, & eum fecit, & constituit procuratorem in rem suam, quatinus nomine dicte ecclesie agere pro predictis, & experiri se defendere & tueri. Et omnia facere, que ipse poterat ante hujus instrumenti confectionem. Tali tamen conditione apposita, quod predicta terra ministri prefate ecclesie teneantur perpetuo facere ardere coram altari dicte ecclesie unam lampadem ad honorem beate Virginis. Actum in castro de Popio.

Interfuerunt comes Guido, Veneticus plebanus sancte Felicitatis, & Ubertinus de Aglana.

† Ego Julianus sacri palatii notarius & domini Friderici Romanorum imperatoris judex ordinarius atque notarius predictis interfui, & rogatus scripsi & ss.

CCXCIV.

Gregorii IX. delegatio causæ Compagni prioris S. Mariæ de Porcilia Paduæ.

Anno 1228. v. idus septembris.

Ex autographo cœnobii S. Michaelis Venetiarum.

GRegorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo & dilectis filiis .. priori sancti Benedicti Paduan. & .. abbati de Carraria Paduane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Postularunt a nobis .. archipresbyter & capitulum Paduan. ut deffinitivam sententiam, quam pro eis dilectus filius Acerbus capellanus venerabilis fratris nostri .. Paduani episcopi super decimis molendinorum sancte Marie de Porcilia contra .. priorem & conventum sancte Marie de Porcilia Paduan. non ex delegatione nostra cognitis cause meritis promulgavit, apostolico dignaremur munimine roborare, predictus vero prior optentis super hoc literis in communi audientia contradicens coram dilecto filio magistro V.. auditore contradictarum proposuit confirmari sententiam ipsam, si possit dici sententia, non debere, sed potius irritari, tum quia legitime fuit appellatum ab ipsa, tum quia contra solitum judiciorum ordinem extitit promulgata. Quare humiliter supplicabat, ut revocari capellani predicti processum, & quidquid ex eo vel ob ipsum etiam est ... secutum, ac defendi ecclesiam suam super predictis decimis, super quibus eam Paduanum capitulum injuste vexare nititur, mandaremus. Quocirca discretioni vestre de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scri-

Ibid. n. 44.

scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c.

Datum Perusii v. idus septembris pontificatus nostri anno secundo.

Pendet ex funiculo sigillum plumbeum cum literis.

GREGORIUS PP. IX.

CCXCV.

Locatio Comitis abbatis Montis-christi.

Anno 1228.

Ex veteri exemplo S. Michaelis Pisarum.

Ibid. n. 45. IN nomine Domini, amen. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CC. XXVIII. indictione prima. Manifestus sum ego Comite abbas sancti Mamiliani de Monte Christo una cum consensu & voluntate domno Pepo monachus de Monte Christo, & priore & factore sancti Peregrini, & procuratore fratrum de Monte Christo, qui sunt in Corsica, & monachorum, qui hic sunt, dum bona eorum fide convenerimus, Brunicardus, & ego per honorem Dei & beata Virgo Maria, & sancti Mamiliani de Monte Christo, & de aliis Obedientiis, que sunt . . . . . . item sunt constituti, & de toto ejus capitulo, quia per hanc cartam do & trado tibi domino Landolfo de Corba, & ad tuos heredes ac proheredes in perpetuum unam lentiam terre in Finocchiaola, de una parte terra Corbolaccia, & ab alio latere a Mondasca, & ab uno capite episcopo Accia usque ad illud fossa in tali modo; quod domino Landolfo de Corba debeat dare, quando ista terra laborabitur, unum starium de blada qualiscumque in ista terra habet, salva decima, & si predicto domino Landolfo de Corba vel suos heredes voluerint retinere predicto livello, & predicta decima uno anno, vel duos, ita revertatur ad ecclesiam & decima & livello, ut mandaverit. Et hoc factum fuit.

Actum allo Scalo de sancto Peregrino finito & deliberato capitulo, sicut intra illorum bene convenerunt ad amorem. Et quale dato fecerunt talem cartam monuerunt a scribere pro judicio domno Auberto Conticho, & in manu predicto domno Pepo ista carta fuit rogata.

Testes domino Gulielmo de Sorbo Scorcialupo filius quondam domini Folco de Sorbo, Vincentio filius quondam Brancha de la Petra, & Riccardus abbas de sancto Paulo de Concha, isti, & alii ibi fuerunt testes. Et ego Prefectus Parisiensis juratus notarius per ammonitionem predicto domino Auberto Conticho, & predicto domno Pepo istam cartam subscripsi.

CCXCVI.

Gregorius IX. mandat episcopis, ne molestent ecclesias Camald. ratione subsidii.

Anno 1228. III. idus februarii.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia n. 41.

GRegorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, in quorum diocesibus prioratus & ecclesie ordinis Camaldulensis consistunt, salutem & apostolicam benedictionem. Cum dilecti filii.., prior & conventus Camaldulensis pro se ac membris suis pecuniam pro subsidio ecclesie Romane ipsis impositam duxerint persolvendam, universitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatinus occasione subsidii vobis impositi prioratus & ecclesias ordinis Camaldulensis minime molestetis. *Ibid. n. 47.*

Datum Perusii III. idus februarii pontificatus nostri anno secundo.

CCXCVII.

Regula monasterii S. Benedicti introducta in monasterium omnium Sanctorum Paduæ.

Anno 1229. die XVIII. aprilis.

Ex mss. anecdotis V. Cl. Joh. Brunatii pag. 1569.

IN nomine Domini Dei eterni, amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo vigesimo nono indictione secunda die duodecimo exeunte aprili, presentibus magistro Jacobo nunc de ordine Predicatorum; fratre Manzio de Pulveraria, Bono Johanne notario & aliis multis. Domini Jordanus sancti Augustini ordinis fratrum Predicatorum, & Pe- *Ibid. n. 48.*

& Pe-

& Petrus sancti Pauli priores Padue talem in scriptis tulerunt sententiam, sic dicentes: In nomine Domini. Nos Jordanus prior sancti Augustini ordinis Predicatorum, & Petrus prior sancti Pauli de Padua auctoritate commissionis nobis facte a domino Guifredo presb. cardinali & apostolice sedis legato, cujus commissionis tenor talis est. Guifredus miseratione divina tit. sancti Marci presb. cardinalis & apostolice sedis legatus dilectis in Christo filiis sancti Augustini ordinis Predicatorum & sancti Pauli prioribus Paduanis salutem in Domino. Cum olim ex parte prioris & fratrum ecclesie omnium Sanctorum de Padua nobis supplicatum fuisset, ut eis, quod nullam hactenus habuerant regulam, nullusque ordo vivendi servatus fuerat in ecclesia memorata, vivendi secundum regulam beati Benedicti concedere curaremus. Nos tibi fili prior sancti Pauli dedimus in mandatis, ut de voluntate dictorum prioris & fratrum ac de vita & religione ipsorum veritate diligentius inquisita, que invenires, nobis curares per tuas literas fideliter intimare, ut per tuam relationem instructi procederemus in ejusmodi negocio, sicut existeret procedendum. Nuper autem per tuas nobis literas intimasti, quod tu personaliter ad ecclesiam ipsam accedens, voluntate omnium super ordinacionem ipsius ecclesie diligentius inquisita invenisti, quod omnes in regula beati Benedicti de Padua fuere concordes. Ideoque discretioni vestre, de qua gerimus fiduciam pleniorem, qua fungimur auctoritate mandamus, quatinus si expedire videritis, eisdem priori & fratribus vivendi licentiam auctoritate nostra secundum eamdem beati Benedicti regulam de Padua tribuatis, dyocesani episcopi jure salvo. Datum Brixie secundo idus aprilis. Unde quia credimus, ut videtur nobis expedire, quod in domo omnium Sanctorum de Padua prior & fratres, qui sunt & pro tempore fuerint, debeant profiteri regulam, quam profitentur prior & fratres sancti Benedicti de Padua, & secundum eam vivere. Ideo ordinamus & statuimus, & licentiam tribuimus, ut de cetero in dicta domo omnium Sanctorum regula servetur, que servatur in dicto monasterio sancti Benedicti, & prior & fratres, qui in dicta domo esse voluerint, debeant illam profiteri, & secundum illam vivere, & eamdem in omnibus observare, salvo jure episcopi Paduani, qui in dicta domo omnium Sanctorum ante solitus est habere.

Actum Padue in parlatorio ecclesie predicte beati Augustini.

Ego Gerardus ab omnibus Sanctis sacri palatii notarius his interfui, & jussu dictorum priorum scripsi.

CCXCVIII.

Privilegium Gregorii IX. pro monasterio S. Apollinaris in Classe.

Anno 1229. idibus junii.

Ex autographo Classensi.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati sancti Apollinaris in Classe ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus &c. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, & ecclesiam vestram, in qua divino estis mancipati obsequio, fel. record. Alexandri, Urbani & Innocentii predecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigiis inherentes sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes, quod ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam atque institutionem Camaldulensium fratrum in ecclesia vestra institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Preterea quascumque possessiones, quecumque bona eadem ecclesia impresentiarum juste & canonice possidet, vel in futurum concessione pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis prestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Locum ipsum, in quo prefata ecclesia sita est cum omnibus pertinentiis suis. In comitatu Tudertino monasterium, quod vocatur sancta Illuminata. In comitatu Perusino cellas quinque, sancti Severi videlicet, capellam sancte Margarite in massa Saliatica, monasterium sancti Petri in Colle, & sancti Petri in valle de Ponte juxta fluvium Tiberis, monasterium sancti Fortunati situm alia parte Tiberis. In comitatu Eugubino massam, que dicitur Bignoli, curtem que dicitur Pretorium, & aliam que dicitur Baroncelli, tertiam, que vocatur Nartianula cum omnibus ad *Ibidem.*

ad easdem pertinentibus. In comitatu Firmano curtem integram, que vocatur Campolongum, & castrum, quod vocatur Pausuli, & aliud quod vocatur Pretorium, medium castrum Casalis, & medium Castri cum medietate ecclesiarum eorumdem, curtem sancte Marie in Cerbaria, & sancti Apollinaris de Potentia. Quidquid habetis in Civitate-nova & curte ipsius. Monasterium sancti Petri de Butrio cum fundo Turris & cum palude, que dicitur Rota, cujus Rote fines sunt ab uno latere fluvius Tenne, secundo litus maris, tertio terra sancti Blasii, quarto terra sancte Marie; & quidquid habetis in curte sancti Elpidii, & sancti Juliani & montis Luponis, & Murrivallis cum decimis & primitiis terre vestre domnicate & vestrorum hominum concessis a beate memorie Azone Firmano episcopo, cujus termini a primo latere Potentia, secundo Tenna, tertio litus maris, quarto Camerinus. Quidquid habetis in comitatu Auximano & Humanatensi, & in Recanatensi & curte ejus. Tertiam partem montis, qui vocatur Aureus. In comitatu Senogallie massam Merolariam & casale Mauri, tres fundos Ingallati, Arille & Donazano cum ecclesia sancti Fortunati & pertinentiis suis. In comitatu Fanensi locum integrum, qui dicitur Ravenniana, cum ecclesiis & omnibus ad eam pertinentibus, primo latere Sasanus & terra sancti Laurentii, secundo Sassobrata, & rivus qui dicitur Maturus, tertio terra Forisfinfronatis, quarto aqua que dicitur Albella, & montem Granarium juxta rupulam comitum. In eodem comitatu castrum Albinianum & roccam Sambatium, & in Biturita quinque fundos. In civitate ecclesiam sancti Apollenaris juxta murum, ecclesiam sancti Viti & ecclesiam sancti Christophori. In civitate Pensauriensi monasterium sancti Decentii cum omnibus, que habet intra civitatem & extra, & villa que dicitur Tresuli, & locum qui dicitur Vallicella. Castrum Serre de Pozo cum integra curte sua, castrum Florentii, & fundum Ravegnanum. In comitatu Ariminensi castrum Gatii cum curte sua, massam Uzani, & quidquid habetis in castro Lonzano & in curte ipsius. Locum, qui dicitur Fontana Sabatina, & Faturium. Curtem Sale cum terminis suis, a primo latere litus maris, secundo Pisatellus, tertio Vetretum & Paurianum, quarto limes qui dicitur Arcir percurrens a prato usque in la stratellam, & rivus Fabrice decurrens in mare, medietatem castri & curtis Verignani cum omnibus que habetis in curte Montisnovi, fundum Banioli, Arparie, Vetenani & Gazajoli cum omnibus aliis possessionibus, que habetis in curte Converseti. Quidquid habetis in Castaneto, Brachise, Bulgaria & Bulgarnovo, & curtem Casalicli, & castrum Pissatelli cum curte sua. In comitatu Ferrariensi fundum Tuxianum. In Saxenate curtem sancti Angeli de Plano, & castrum Civorii. In comitatu Cesenati massam Catiani cum ecclesia sancti Michaelis, & quod obvenit de Rainulfo castri Gallisidii & uxore sua infra idem castrum, & totam curtem constitutam in comitatibus Ariminensi & Cesenati. Quidquid etiam habetis in civitate Saxenate & comitatu, & curte Succoniani cum ecclesia sancti Apollinaris. In comitatu Populiensi curtem, que dicitur Bagnolum cum ecclesia sancti Michaelis. In comitatu Liviensi massam Barisani, & curtem Pertusiatii cum ecclesia ibidem fundata, fundum Foravicii & Castrucii, & quidquid habetis in plebe sancti Petri in Trentula. In Faventino curtem, que dicitur Quadrata cum fundis & casalibus, fundum videlicet Trentula, Susiani, Pituli, Saltum majorem & minorem, Granariolum & Ceredrum, Lacum & Presentianum, & castrum Pergule cum omnibus pertinentiis suis. In Corneliensi monasterium quod dicitur sancti Petri, massam que dicitur Quinta, & massam que dicitur Solustra. In territorio Ravennate ecclesiam sancti Martini cum curte integra, que dicitur Aqualonga, & sancte Marie in Bazano, & sancte Marie in Pratella cum omnibus suis pertinentiis, curtem Gamellarie, terras & silvas & paludes eidem monasterio circumpositas cum omnibus suis pertinentiis, ab uno latere ripa Ursaria & ecclesia sancti Gervasii cum possessionibus juxta se positis usque ad litus maris, a secundo litus maris tribus milliariis infra ipsum mare usque in portum Classicanum, a tertio Clasatellus, & confinium inter vos & sanctum Severum perveniens ad duos masine in stratella, que pergit ad puteum Trestri, & cursus antiquus aque Raphedine usque ad furcas, a quarto villa que dicitur Bagnolum & Sazanus, & sic pergit per Stadilianum usque ad fluvium Sapis. Infra civitatem Ravennatem ecclesiam sancte Marie in Pace, & sancte Marie in Ortale cum casis & ortis, & sancte Barbare & sancte Marie in Bononia, cum suis pertinentiis, ecclesiam sancti Vincentii cum curte sua, ecclesiam san-

cte Marie in Virtute, & ecclesiam sancti Cipriani cum ortis circum se positis & omnibus pertinentiis earum. In comitatu Ficoclensi & civitate quecumque habetis, scilicet salinas & tumbas, domos, terras, vineas & silvas. Forosinfronati ecclesiam sancte Sophie cum omnibus suis pertinentiis. In comitatu Bononiensi jus, quod habetis in ecclesia sancte Marie in Cavalli cum terris, silvis, paludibus & piscationibus ad eamdem pertinentibus; & quidquid etiam obvenit a domina Arachele, videlicet tumbam Masse cum omnibus pertinentiis suis, & a Bennone Petri Azonis, & a Bennone Litie, & a Liuzo Hugonis Lutii. Fundum in loco, qui dicitur Palatiolo, quem reliquit filia Manfredi Wiziardi. Decimas quoque, quas quiete & canonice possidetis, vobis & ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus. Sane novalium vestrorum, que propriis manibus aut sumptibus colitis, seu de nutrimentis vestrorum animalium nullus a vobis decimas presumat exigere. Liceat quoque vobis clericos & laicos, liberos & absolutos e seculo fugientes ad conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem aliqua levitate liceat de monasterio vestro discedere, discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni & extreme voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, aut etiam publice usurarii, nullus obsistat; salva tamen justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertates quoque & dignitates ecclesie vestre indultas, antiquas & rationabiles consuetudines ejusdem ratas habemus & firmas, easque perpetuis temporibus illibatas manere sancimus. Ad hec sententiam, quam bone memorie J.. basilice duodecim apostolorum presbyter cardinalis ex delegatione apostolice sedis pro vobis contra monachos sancti Apollenaris novi super ipsius martyris corpore promulgavit, sicut est justa & a prefatis predecessoribus approbata, nos quoque auctoritate apostolica confirmamus, & precipimus firmiter observari. Insuper etiam libertatem a bone memorie Gualterio quondam Ravennatis ecclesie archiepiscopo indultam monasterio vestro, sicut in ejus scripto authentico continetur, & predecessores vestri & vos ipsi ea hactenus usi estis, auctoritate vobis apostolica duximus confirmandam. Decernimus ergo *&c.* salva sedis apostolice auctoritate, & Ravennatis archiepiscopi debita reverentia *&c.* Nulli ergo *&c.* Si quis *&c.*

Fac mecum † *Domine*

SCS. PETRUS	SCS. PAULUS
GREGO PP.	RIUS VIIII.

signum in bonum. BENE VALETE

Ego Gregorius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Thomas tit. sancte Sabine presb. card. ss.

† Ego Bartholomeus sancte Pudentiane presb. card. tit. Pastoris ss.

† Ego Sigenbaldus tit. sancti Laurentii in Lucina presb. card. ss.

† Ego Stephanus sancte Marie Transtiberim tit. Calixti presb. card. ss.

† Ego Octavianus sanctorum Sergii & Bacchi diac. card. ss.

† Ego Rainerius sancte Marie in Cosmedin diac. card. ss.

† Ego Egidius sanctorum Cosme & Damiani diac. card. ss.

† Ego Petrus sancti Georgii ad velum aureum diac. card. ss.

† Ego Rainaldus sancti Eustachii diac. card. ss.

Datum Perusii per manum magistri Martini sancte Romane ecclesie vice cancellarii idibus junii indictione secunda incarnationis Dominice anno M. CC. XXIX. pontificatus vero domini Gregorii pape VIIII. anno III.

CCXCIX.

Compositio inter clerum Ravennatem & inter abbatem Classensem.

Anno 1229. sexto exeunte decembri.

Ex archivo Classensi.

IN Dei nomine, amen. Anno Dominice incarnationis millesimo CC. XXIX. sexto exeunte septembris. Cum discordia verteretur inter dominum Manzium prepositum & capitulum cantorum ecclesie Ravennatis, & Johannem & Johannem archipresbyteros plebium sanctorum Cassiani, & Zacharie nomine ipsarum ple- *Ibidem.*

plebium ex una parte, & domnum Philippum abbatem & conventum sancti Apollinaris in Classe ex altera super decimis, quas dictum monasterium nunc habet in dictis plebatibus, de quibus prefati prepositus & cantores & archipresbyteri decimas petebant habere, presbyter Amator cantor ecclesie Ravennatis electus compromissor ambarum partium statuit, ut abbas & successores solvant preposito, cantoribus & archipresbyteris quotannis duo quartaria grani boni, & XVIII. corbes vini boni, quod & adprobatum fuit ab iisdem partibus. Presentibus domno Oberto abbate sancti Petri in Vinculis &c., & consentiente domno Bono priore Classis. Datum apud ecclesiam sancte Barbare. Artusius notarius &c.

Subscriptus inde legitur inter alios. Frater Guido Camaldulensis prior.

Exemplum, quod legimus in archivo Classensi, descriptum fuit anno M. CCC. LXXV. *cum subscriptione domni Raynerii abbatis sancte Marie in Cosmedin de Ravenna vicarii domini Pilei archiepiscopi Ravennatis.*

CCC.

Gregorii IX. literæ ad ep. Arretinum pro abbatiæ Burgensis juribus.

Anno 1229.

Ex codice Mediceo-laurentiano LXVI. p. 11.

Ibidem. GRegorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Aretino salutem & apostolicam benedictionem. Abbate monasterii Burgi sancti Sepulcri olim in nostra presentia proponente, quod eidem monasterio erat ab imperatoribus Romanis concessum, & per sedem apostolicam confirmatum, ut in predicto Burgo, qui ad ipsum monasterium pertinet pleno jure, potestates & consules, preter assensum abbatis, qui pro tempore fuerit, nullatenus eligantur. Nos abbati predicto indulsimus, ut in quemlibet, qui potestatem vel consulatum ipsius Burgi recipere, seu ad electionem potestatis aut consulis, preter assensum dicti abbatis, procedere attentaret, excommunicationis sententiam, canonica monitione premissa, proferret. Sed sicut idem abbas & conventus ejusdem monasterii nuper exposuerunt humiliter coram nobis, cum ipse indulgentia hujusmodi vellet uti, potestates, consiliarii, statutarii & officiales prefati Burgi moti ex hoc graviter contra eum ipsum & monachos non absque violenta injectione manuum capientes, ornamentis & aliis bonis inventis in monasterio secum nequiter asportatis, supradictos abbatem & conventum renuntiare prefate indulgentie, ac promittere, quod tam in causa, quam habent cum archipresbytero ejusdem Burgi, quam in aliis causis inter eosdem abbatem & conventum, & clericos & laicos jamdicti Burgi de cetero emergentibus, nunquam in foro ecclesiastico, sed sub eorum tantum litigarent examine, coegerunt. Propter que, abbate & conventu predictis exinde coactis recedere, idem abbas excommunicationis tulit sententiam in eosdem. Sed illi spiritu rebellionis arrepti, muro ecclesie diruto quamdam domum ad opus communis in cimiterio monasterii construere presumpserunt in grave ipsorum prejudicium, oppressionem ecclesiastice libertatis, & subversionem ipsius monasterii manifestam. Nolentes igitur hec incorrecta relinquere, ne transeant aliis in exemplum, fraternitatem tuam monemus attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus renuntiationem indulgentie ac permissionem de litigando in foro seculari ab eisdem abbate & conventu violenter extortas, nullius valoris esse denuntians, supradictos potestatem, consiliarios, statutarios, officiales & commune sepefati Burgi prudenter moneas & inducas, ut privilegia, que ab imperatoribus Romanis & a sede apostolica sepedicto monasterio sunt concessa, illibata servantes, premissa omnia corrigere non postponant. Quod si monitis tuis infra quindecim dies non acquieverint, in personas potestatis, consiliariorum, & officialium excommunicationis, & in terram interdicti sententias appellatione postposita promulges, &c.

CCCI.

Ejusdem literæ ad canonicum Pelagottum pro possessione Marmortæ.

Anno 1230. v. nonas julii.

Ex autographo tabularii archiep. Ravennæ Caps. B. n. 455.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio magistro Pelagotto canonico Faventino salutem & apostolicam benedictionem. Venerabilis frater *Ibid. n. 50.*

ter

ter noster .. Ravennas archiepiscopus transmissa nobis petitione monstravit, quod cum contra bone memorie predecessorem suum .. abbas & conventus sancti Michaelis de Castro-Britonis Camaldulensis ordinis diocesis Bononiensis super Marmorta & quibusdam aliis aquis ad .. abbatem de Monte-armato literas apostolicas impetrassent, quia dictus predecessor ejus non recepit literas citationis transmissas, ad quas nec ad causam responsalem aliquem destinavit, memoratus judex in possessionem rerum petitarum causa rei servande adversarios fecit induci, eosque anno transacto veros constituit possessores, super quo ecclesie sue per integram restitutionem petiit idem archiepiscopus provideri; cum delictum persone non debeat in dampnum ecclesie redundare. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super hiis diligentius veritate, si Ravennatem ecclesiam in causa restitutionis esse videris, ea per beneficium restitutionis in integrum restituta, audias hinc inde proposita, & quod canonicum fuerit, appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem &c.

Datum Laterani v. nonas julii pontificatus nostri anno quarto.

CCCII.

Commutatio inter eremum Camald. & presbyterum de Agna.

Anno 1230. XI. die septembris.

Ex archivo Fontis-boni. §. Donatio n. 403.

Ibid. n. 51. IN nomine Domini. Anno a nativitate ejus millesimo ducentesimo tricesimo indictione tertia die undecima ineunte mense septembri. Presbyter Petrus minister ecclesie de Agna protestans & confitens, quod cum prior heremi Camaldulensis esset verus dominus & patronus predicte ecclesie de Agna, quod ipsa heremus seu ministri ipsius heremi diu habuerant & tenuerant quamdam cellam contiguam prefate eccclesie a latere Camaldulensis curie, quam cellam cum vellet eam de novo reedificare, concessit dictus prior eidem ecclesie decimam, quam Camaldulensis heremus percipere debebat a Martelino Mazoli, scilicet de podere, quod habet modo. Unde dictus presbyter Petrus tum pro commutatione ipsius, tum pro remedio anime sue suorumque successorum dedit, tradidit atque in eternum per se suosque successores omnes concessit dicto priori recipienti pro prefata heremo plateam seu solum, in quo est ipsa cella, cui coheret ab uno latere murus ecclesie, ab aliis via cum introitu & egressu, cum omnibus que supra se & infra se habet, & cum omni jure & actione ejus, & possessionem, quam dictus prior inde habebat, ei confirmavit, quatenus dictus prior & ejus successores in eternum habeant & teneant atque firmiter possideant dictam plateam, & utantur & fruantur ea & faciant ex ea jure proprii quicquid eis placuerit, sine dicti presbyteri Petri, & suorum heredum lite vel molestia seu contradictione. Immo solempni stipulatione per se suosque successores omnes promisit ei stipulanti pro se suisque successoribus predictam plateam heremo Camaldulensi non litigare vel molestare in judicio vel extra, sed omni tempore sumptis & expensis dicte ecclesie legitime defendere & auctorizare, & se vel suos successores vel antecessores contra predicta vel aliquod predictorum non dedisse vel fecisse, nec in futurum dare vel facere. Et si inveniretur, quod contra predicta vel aliquod predictorum sit, aut ipse & sui successores omnia predicta & singula non observaverint & tenuerint, tunc promisit ei per se suosque successores dare pro pena libras vigintiquinque denariorum bonorum Pisarum & omnia dampna & expensas, quas Camaldulensis domus inde fecerit vel substinuerit, integre resarcire. Et pro predictis omnibus integre omni tempore observandis obligavit ei se suosque successores omnes & omnia sua bona, & dicte ecclesie presentia & futura. Renuntiando in hoc contractu omni legum & canonum, juris & constituti auxilio & beneficio.

Actum apud Fontem-bonum. Interfuerunt Bencivene filius quondam Petri, Johannes de Teuzo, & Guido Martinelli ad omnia predicta rogati testes.

Ego Julianus sacri palatii notarius & domini Friderici Romanorum imperatoris judex ordinarius atque notarius predictis omnibus interfui, & rogatus scripsi & subscripsi.

CCCIII.

CCCIII.

Gregorii IX. *literæ ad ep. Fesulanum, ne molestet Camaldulensium benefactores.*

Anno 1230. v. kal. novembris.

Ex eodem. §. Brevia n. 42.

Ibidem.

GRegorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Fesulano salutem & apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram dilectis filiis .. priore & fratribus heremi Camaldulensis conquerentibus noveris pervenisse, quod tu pro eo, quod ipsi collectas & alias exactiones indebitas, quas frequenter eorum monasteriis & domibus per tuam diocesim constitutis imponis, tibi non exhibent, requisiti, cum tibi non liceat in eosdem excommunicationis vel interdicti ferre sententias, in benefactores suos, & eis participantes promulgas easdem, sub pena interdicti & anathematis prohibendo, ne quis manus aperiat pietatis. Quia nos indebita eorumdem prioris & fratrum gravamina non debemus conniventibus oculis pertransire, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus provide revocatis per te ipsum, si quod occasione hujusmodi super premissis in ipsorum prejudicium indebite attemptasti, talia contra eos non presumas, ita quod ipsi de te justam de cetero non habeant materiam conquerendi, & eis providere super hoc aliter non cogamur. Alioquin dilectis filiis .. preposito .. archidiacono, & C.. archipresbytero de Treguanda canonico Aretin. per literas nostras injungimus, ut partibus convocatis audiant causam, & appellatione remota debito fine decidant, & faciant, quod decreverint auctoritate nostra firmiter observari.

Datum Anagnie v. kalendas novembris pontificatus nostri anno quarto.

CCCIV.

Alberti Massani ep. literæ ad Henricum abb. S. Michaelis Pisarum pro eremo de Calci.

Anno 1231. more Pisano v. kal. januarii.

Ex chartis S. Michaelis Pisarum.

Ibidem.

IN Dei nomine, amen. Ex hujus publici instrumenti clareat lectione, quod Bernardus Testa bancherius coram me Pericciolo notario, & testibus infrascriptis representavit & dedit ex parte domni Alberti Massani episcopi domno Henrigo abbati ecclesie sancti Michaelis de Burgo litteras infrascriptas, tenor quarum talis erat: Venerabili in Christo fratri .. abbati sancti Michaelis de Burgo Albertus Massanus episcopus salutem in Domino. Mandatum domini pape recepimus sub hac forma. Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri .. episcopo Massano salutem & apostolicam benedictionem. Querelam dilectorum filiorum prioris, & fratrum heremi sancti Jacobi de Costaaque recepimus, continentem, quod .. abbas sancti Michaelis de Burgo Pisarum super tali heremo instrumentis, & rebus aliis inveniantur ...... Ideoque fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes &c. Datum Laterani &c. Ex hujus igitur auctoritate rescripti vobis injungimus, quatenus post receptionem presentium litterarum ad viginti dies compareas coram nobis, quod si huc venire neglexeris, terminum decem dierum vobis ... assignamus. Que littere erant sigillate suo sigillo, in rotunditate cujus sigilli erant hujusmodi litere .. Sigillum Alberti Massani episcopi. Et ut dictum est, me Pericciolum notarium suprascriptus Bernardus scribere rogavit. Actum Pisis supra ballatorium claustri suprascripte ecclesie sancti Michaelis, presentibus judice quondam ..., & Gerardo filio Teste testibus ad hec rogatis, Dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo trigesimo primo, indictione tertia quinto kalendas januarii.

Ego Pericciolus filius Johannis domini imperatoris notarius prefatis interfui, & hanc cartam rogatu suprascripti Bernardi scripsi atque firmavi.

CCCV.

Petri regis Arborensis donatio monasterio S. Mariæ de Bonarcanto.

Anno 1230.

Ex chartis ejusdem monast. S. Michaelis.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Ego Petrus Dei gratia vice- *Ibidem.*

vicecomes de Bassu & rege & judicis de Arborea cum bona voluntade de domina Diana viscontissa mugere mea, donna & regina de Arborea, fago custa carta pro bene cale fasso a sancta Maria de Bonacardo doli su saltu de Querquedu, qui est supra Bonarcadu, & ingigase custu saltu dare est su nuraque de sa mura de Querquedu, incobat de retu a bruncu de su lenu, & benit a sa sella de sa sogaria, & salat a jeuna de Aquila, & benit a su budragu paris cun santu Lussurgiu, & girat de retu a su montiglu de Pedru fumu, & benit a bau de riu de Cornu, & colat a su monumentu de sa Senega, & benit de retu a su saucu supra bau de feacu, & benit de retu a su Corongiu de judice Cerbeni, & benit supra su telare de sas pedras mannas, & cumpat supra bau de mela, & benit de retu a sa Jenna de sereda, & incurvat se a castru de Janni Arrasca, & benit a pedras doladas de retu a nuraque de Idalos, & salat a silite de Marianni de Scano, & benit de retu a nuraque de Cannajos, & benit de retu a nuraque de sa mura de Querquedu, & in huc se inflisicat a pare custu saltu. Dollila custu saltu, qui si lu arteaat & castiquet de omnia temporale de sannu pro pastu & pro glande, & pro laongiu, & pro linna & pro silva; custu bene elli fazo a sancta Maria de Bonacardo pro amore de Deus & de sancta Maria, & de totu sos Sanctos, & pro anima de padre meu & de mamma mea, & pro remissione de sos peccados meos, & non apat ausu non judice, qui habeat esse depustis me, non donna, non donnicellu, non judices de satu, non curadores, non mayores, & non armentarios, & non majores de cavallos, & non mandatores de regnu, & non per unu homine mortale, que strumet custu bene, qui apo ordinadu & fatu, & gasi lu confirmo & areno, & si per unu homine le faquet perdimentu contra voluntade de su priore cad esset in sa domo, quocumque modo paguet pro uno binte, & libra una de argentu a sa corte. Et sunt testes presentes Deus & sancta Maria & omnes Sanctos & Sanctas Dei, amen; & donnu Frodori arquipiscobu de Arborea, & donnu Petru de Martis piscopu de sancta Justa, & donnu Gontine de Scuru piscobu de Terralba, & Laurenzu de Zori curadore de Bonurcule, & Gontine de Zori castellanu de Marmilla, & Petru Martini, & Arzoco de Mantes curadores de Campidanu, & Furradu Sorrompis, & Barusone Pistore curadores de parte de Meli, & Arzoo Pera, & Baruzone Diana, & Gunare Dorru curadore de parte de Valenza, & Comida Spanu mayore de cavallos, & Petru de Figos armentagiu de legu & Crupoli majore de Busaquisos & goleannes suos. Et qui habet dicere, quia bonum est custu bene, qui apo fatu, habeat benedictionem de Deo Patre omnipotente & de sancta Maria matre Domini, & de omnibus Angelis & Sanctis Dei, amen. Et qui habet dicere, quia malo est, habeat maledictionem a Deo Patre omnipotente & de sancta Maria virgine & de omnibus Angelis & Sanctis Dei, amen; & habeat portionem cum iniquo Herode & cum Juda traditore, & cum diabolo in inferno. Fiat, fiat, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo.

CCCVI.

Definitio Pelagotti de valle Marmorta contra monasterium S. Michaelis de Castro Brittorum.

Anno 1231. die XI. & seqq. exeuntis januarii.

Ex tabul. archiep. Ravenn. Caps. E. numm. 1221. & 1222.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti, amen. Ego magister Pelagottus canonicus Faventinus judex a domino papa delegatus in causa, que vertitur inter Clarium sindicum domini archiepiscopi, & ecclesie Ravennatis ex parte una, & Teuzolinum sindicum monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum nomine & vice ipsius monasterii ex altera, que talis est. Peto ego Clarus sindicus, actor & procurator domini Teoderici Ravennatis archiepiscopi & ecclesie Ravennatis vice & nomine ipsius archiepiscopi & Ravennatis ecclesie a vobis domine Pelagotte Faventine canonice judex a summo pontifice delegatus restitutionem in integrum adversus interlocutoriam sententiam latam ab abbate montis Armati ordinis Vallis-umbrose Bononiensis diocesis judice delegato a domino papa pro abbate & conventu monasterii sancti Michaelis de castro Brittonum Camaldulensis ordinis, qua mandavit dictum abbatem sancti Michaelis & conventum mittendos in possessionem Marmorte & quarumdam aliarum aquarum causa rei servande, & adversus ipsam inductionem pos- *Ad lib. XXXIX. n. 1.*

possessionis & adversus judicatum interlocutorium quoque, eumdem abbatem & conventum sancti Michaelis predictarum rerum veros constituit possessores, quia dico Ravennatem ecclesiam ex predictis interlocutoria missione possessionis & constitutione vere possessionis enormiter lesam, eo quod dicta ecclesia non fuit legitime defensa, quod paratus sum probare. Eo igitur Teuzolino sindico predicti monasterii pluries citato & legitime requisito & prohibente, & per me & personaliter sepe ammonito, ut super causa restitutionis in integrum deberet stare, & litem contestare cum sindico partis adverse, ex quo nolebat eligere arbitros, nec procedere super exceptionibus a se propositis, & ad me admissis, nec volebat procedere super exceptionibus a se contra rescriptum propositis, sed quia contumaciter recessit nolens obtemperare mandatis meis nec vestris, nec procedere super dicta causa, nec eligere arbitros; nec procedere super exceptionibus a se propositis & ad me admissis, nec super aliis contra rescriptum propositis, nec procedere super principali responsione libello partis adverse, nec litem contestare, habito sapientum consilio idcirco ob contumaciam predicti sindici Teuzolini ipsum Teuzolinum, abbatem & conventum monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum auctoritate, qua fungor, excommunico, & a gremio sancte matris ecclesie separo.

Lata fuit hec sententia in balcone sancti Petri Faventie, presentibus presbitero Johanne, Martino, Carchio, Petro de Cento, magistro Matheo, Runcio Faventinis canonicis, Benopungetto judice, sub annis Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo indictione quarta tempore Gregorii pape & Frederici imperatoris die undecima exeunte januario. Quibus omnibus ego Johannes Sachetti notarius publicus presens fui, & omnia suprascripta mandato predicti judicis scripsi.

Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo die veneris octavo exeunte mense januarii in indictione quarta Bononie in burgo strate majoris in canonica ecclesie sancte Marie de Turlionibus presentibus Lambertello Rolandi &c.

Clarius nuntius domini Pelagotti canonici Faventini domini pape judicis delegati ex parte ipsius domini Pelagotti presentavit & porrexit abbati montis Armati literas in hunc modum. Venerabili in Christo patri & domno abbati montis Armati Pelagottus canonicus Faventinus domini pape judex delegatus, quicquit devotionis & reverencie potest. Paternitati vestre literis presentibus innotescat me Teuzolinum sindicum monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum, nec non & abbatem & conventum ejusdem monasterii excommunicationis sententia innodasse, sicut vobis constare poterit per sententiam ipsam, quam vobis lator presentium, si vobis placuerit, demonstrabit; hoc ideo feci, quia dictus sindicus a me pluries citatus legitime, & multis edictis peremptoriis coram me jussus parere contempsit, nec voluit Claro sindico seu actori domini archiepiscopi Ravennatis coram me secundum justitiam respondere; quare vobis auctoritate, qua fungor, sub pena excommunicationis districte precipiendo mando, quatenus predictos abbatem & conventum atque sindicum monasterii memorati proxima die Dominica post representationem presentium excommunicatos denuntietis, candelis accensis, & campanis pulsatis, facientes eosdem tamquam excommunicatos ab omnibus arctius evitari.

Qui vero abbas litteras accepit & legit.

Ego Michael quondam Johannis de ser Georgio domini regis Phrederici not. *&c.*

Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo die sabbati septimo exeunte mense januarii indictione quarta in Bononia in ecclesia beati Petri, presentibus magistro Martino canonico sancti Petri de Bononia, domno Guidone Albugatoli, & magistro Zoanne ejusdem ecclesie canonicis & aliis pluribus testibus ad hoc rogatis, in presentia dictorum testium, & mei notarii infrascripti Clarius nuntius domini Pelagotti *&c.* presentavit & porrexit domino Henrico Bononiensi episcopo literas in hunc modum: Venerabili in Christo patri & domino Bononiensi episcopo Pelagottus *&c.* Quidquid devotionis & reverentie potest *&c. ut supra*. Qui vero episcopus *&c.*

Ego Michael, *&c. ut supra*.

Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo die sabati septimo exeunte mense januarii in indictione quarta in districtu Bononie in claustro monasterii sancte Cecilie de Corvara, presentibus *&c.* Clarius nuntius domini Pelagotti *&c.* presentavit literas domno Placito & donno Jacobo, & donno Bono, & donno Alberto monachis monasterii sancte Cecilie de Corvara. Abbati sancte Cecilie de Corvara Pelagottus *&c. ut supra*. Qui vero monachi memorati *&c.*

Ego

Ego Michaell, *ut supra*.

Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo primo die quinto exeunte januario indictione quarta Ferrarie sub solarium palatii domini episcopi Ferrariensis. Presentibus *&c.*

Clarius sindicus domini archiepiscopi Ravennatis ex parte domni Pelagotti *&c.* porrexit & dedit domino Rolando episcopo Ferrariensi literas sigillatas sigillo domini Pelagotti predicti, tenor quarum literarum talis est. Venerabili in Christo patri & domino .... Dei gratia Ferrariensi episcopo Pelagottus Faventinus canonicus domini pape judex delegatus reverentiam in omnibus debitam & devotam. Cum in causa, que inter dominum archiepiscopum Ravennatem ex una parte & conventum monasterii castri Brittorum Bononiensis diocesis ex altera vertebatur super Marmorta nobis a summo pontifice delegata sindicum & conventum & abbatem dicti monasterii secundum juris ordinem observaverimus, ut domino archiepiscopo seu ejus sindico sive actori Claro nomine ante nostram presentiam responderent, nec sindicus predicti monasterii memorati semel vel bis coram nobis comparentes postea noluissent pluries citati nostro conspectui comparere, ne ipsi de sua inobedientia vel contumacia aliquam possent preminentiam reportare, jurisdictione domini pape nobis delegata uti cupientes, Teuzolinum sindicum & abbatem & conventum prefati monasterii auctoritate apostolica excommunicavimus, & Bononie, & in ejus districtu accensis candelis & pulsatis campanis eos publice fecimus nuntiari. Quare paternitati tue auctoritate, qua fungimur, supplicando mandamus, quatinus memoratos sindicum & abbatem & conventum illius monasterii etiam in vestram civitatem primo die dominico post harum receptionem literarum denuntiari faciatis in vestris ecclesiis campanis pulsatis & accensis candelis excommunicationis vinculo innodatos, & ipsos tamquam excommunicatos ab omnibus evitari, si fidem de jurisdictione nostra habere volueritis, lator presentium tam rescriptum, quam sententiam contra eos latam vobis poterit exhibere. Qui vero prefatus Clarus protestatus fuit, & dixit domino episcopo Ferrariensi ex parte dicti domini Pelagotti domini pape judicis delegati, ut ea omnia facere deberet, que in dictis literis continentur, & ita scribere rogavit. Qui episcopus sibi coram dictis testibus fecit perlegi, dans Marano ejus notario dictam sententiam latam a dicto domino Pelagotto contra dictum sindicum & abbatem & conventum scriptam manu Johannis Sacchitti notarii, & etiam rescriptum domnī pape cum ejus bulla in eum appensa.

Ego Guercius filius quondam Guizardi his interfui, ut supra legitur, rogatus scripsi.

Anno Domini M. CC. XXXI. die IV. exeunte januario indictione IV. presentibus *&c.* Clarus sindicus *&c.* porrexit & dedit domino Rolando archipresbitero plebis sancti Venantii de Duliolo litteras domini Pelagotti *&c.* quarum litterarum tenor talis est. Ven. in Christo patri archipresbytero de Duliolo Pelagottus *&c.* salutem, & quidquid potest servitii & onoris. Discretioni vestre litteris presentibus innotescat me Teuzolinum *&c.* auctoritate, qua fungor, sub pena excommunicationis districte precipio quatinus *&c.* facientes ab omnibus evitari, & ipsam sententiam faciatis publicari per omnes ecclesias vestri plebei, pro certo scientes, quod si hoc facere neglexeritis, vos auctoritate mihi a summo pontifice commissa excommunicationis vinculo innodabo. Quod Clarus protestatus fuit, & dixit dicto archipresbytero, ut ea facere deberet, que in dictis litteris continentur.

Et ego infrascriptus notarius coram dicto archipresbitero & testibus supradictis dictas litteras & sententiam latam a domino Pelagotto canonico Faventino domini pape judice delegato contra dictum abbatem & conventum & rescriptum domini pape cum ejus bulla in eum appensa vidi.

Ego Guercius notarius *&c. ut supra*.

Anno Domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo tricesimo primo die jovis penultima mensis januarii in indictione quarta. Clarius nuntius magistri Pelagotti canonici Faventini domini pape judicis delegati presentavit & dedit Teuzolino sindico monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum ex parte ipsius magistri Pelagotti in presentia infrascriptorum & mei notarii literas, tenor quarum talis est. Pelagottus canonicus Faventinus domini pape judex delegatus abbati & conventui monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum & Teuzolino sindico dicti monasterii salutem, & ad viam veritatis redire. Vestre diligentie declaratur me in vos propter vestram contumaciam excommunicationis sententiam promulgasse, quare vobis auctoritate, qua fungor, precipio, quatinus primo die post festum beati Blaxii pro-

proximi vos nostro conspectui presentetis, scientes, quod si hoc, quod vobis injungo, contempseritis adimplere, ne de vestra positis contumacia commodum reportare, ad restitutionem alterius partis, & ad alia in quantum de jure poterimus procedemus. Qui vero sindicus ipsas litteras accepit. Actum Bononie sub porticu domini Zanelli filii quondam domini Michaelis Calcaglis, presentibus Rodolfino filio quondam Johannis de sancto Georgio, & Gerardello filio Uguicionis testibus ad hec rogatis.

Ego Michael quondam Johannis de sancto Georgio domini regis Phrederici notarius suprascriptis omnibus interfui, & mandato domni Clarii scripsi.

In nomine Domini amen. Anno ejusdem millesimo CC. XXXI. indictione IIII. die jovis XIII. mensis februarii intrantis Frederico imperante in claustro sancti Michaelis de Castro Brittorum. Coram Petrizolo filio Mascaronis de Burgo, Rumiolo filio Johannini de Ceula, & me notario testibus ibi presentibus, Girardinus Petri de sancto Marino, ex parte domini Pelagotti canonici Faventini & judicis delegati domini pape presentavit & optulit domno Ugozoni abbati sancti Michaelis de castro Brittorum literas apertas ipsius domini Pelagotti, quas ipse dominus abbas in propria sua manu recepit hujus tenoris. Pelagottus judex domini Pape delegatus & canonicus Faventinus abbati & conventui sancti Michaelis de castro Brittorum ad viam veritatis redire. Volentes in causa, que inter dominum archiepiscopum ex parte una, & vos ex altera dignoscitur agitari, per omnia juris ordinem observare, cum procedere ex mandato apostolico teneamur, vobis auctoritate qua fungimur districte precipiendo mandamus, quatinus quarta die post representationem presentium literarum vos nostro conspectui presentetis, scientes, quod si venire contempseritis, nos contra vos, quantum de jure poterimus, procedemus, & hunc vobis peremptorium terminum assignamus.

Et ego Johannes de Argenta sancte Ravennatis ecclesie notarius scripsi.

CCCVII.

Chartæ tres in causa inter Thedericum archiep. Ravennæ & monast. S. Apollinaris in Classe.

Anno 1231. XVI. kal. aprilis, die prima aprilis, tertio nonas aprilis.

Ex tabulario marchionis Rangonii.

IN nomine Domini. Anno a nativitate ejus millesimo ducentesimo primo die XVI. kal. aprilis indictione quarta. *Ibid. n. 2.* Domnus Guido prior Camaldulensis cum consensu fratrum suorum tam heremi, quam Fontis-boni, scilicet donnorum Pauli, Johannis, Gerardi, Henrici, Simonis, Lotaringi, Rainaldi & Jacobi fratrum inclusorum, & donnorum Ugonis sacriste, Johannis cellerarii, Boni, Venture, Jacobi, Mainecti, Rainerii, Jacobi, Rainerii, Odonis, Johannis, Adam & Dominici fratrum heremitarum, nec non & donnorum Orlandi vicarii, Bernardi camerarii, Petri, Odonis, Mauri, Guidonis, Nicolai, Benedicti, Venture, Gregorii, Acarisii & Bruni fratrum Fontis-boni, fecit, constituit, creavit atque ordinavit domnum Guidonem monachum Camaldulensem suum verum sindicum & procuratorem ad eligendum arbitros seu arbitratores, & amicabiles compositores seu laudatores, & ad compromittendum in eosdem cum donno Thederico archiepiscopo & capitulo sancte Ravennatis ecclesie de omni jure, differentia, & controversia sive discordia, que inter prefatum donnum priorem & fratres Camaldulenses ex una parte, & domnum archiepiscopum & capitulum memoratum ex altera vertitur, sive verti posse speratur vel timetur, quacumque occasione & modo super monasterio ac rebus & pertinentiis sancti Apolinaris in Classe, & ad obligandum dictum priorem & fratres, eorumque monasterium, quod observabunt, & facient ac adimplebunt quidquid ab ipsis compositoribus laudatum, compositum, ordinatum & amicabiliter definitum fuerit super predictis & quolibet predictorum. Et ut possit omnia & singula facere, formare & promittere, que dictus prior & singuli fratres possent, si presentes essent, & que viderit expedire. Et promiserunt tam dictus prior, quam omnes & singuli fratres predicti, quod quidquid inde fecerit, omni tempore ratum habebunt & firmum, retinebunt inconcussum. Actum Camalduli.

In-

Interfuerunt Gomita de Rosa, Johannes filius Ugolini, & Jacobus filius Johannis rogati testes.

Ego Julianus sacri palatii notarius, & domini Friderici Romanorum imperatoris judex ordinarius atque notarius prędictis omnibus interfui, & rogatus scripsi, publicavi & subscripsi.

In nomine Domini, amen. Donnus Guido sindicus & procurator prioris & fratrum Camaldulensis tam heremi, quam Fontis-boni ex parte una, & Severus sindicus ac procurator & actor domini T.. archiepiscopi & chori sancte Ravennatis ecclesie ex altera, communi concordia & voluntate elegerunt domnum Rolandum vicarium Camaldulensem, & domnum Benedictum monachum Classensem arbitros seu arbitratores & amicabiles compositores ac diffinitores super omni discordia, lite ac controversia, que vertebatur vel verti posse sperabatur, sive timebatur vel timetur inter prefatos dominum archiepiscopum & chorum sancte Ravennatis ecclesie ex parte una, & prefatum priorem ac fratres & sindicos earumdem partium super monasterio ac rebus & pertinentiis sancti Appolenaris in Classe quacumque occasione vel modo, compromittentes in eosdem vice & nomine partium prefatarum, uterque sindicus & procurator se ac suam partem obligando, quod observabunt, & facient perpetuo & adimplebunt omnia & singula, que per eosdem domnum R.. & domnum B.. arbitrata, laudata sive amicabiliter fuerint diffinita atque composita super predictis, & quolibet predictorum hinc ad proximas kalendas maji & prefatus domnus Guido se & domnum priorem ac fratres & eorum monasterium & successores obligando promisit dicto Severo sindico recipienti vice & nomine dictorum domini archiepiscopi & chori Ravennatis ecclesie observaturum & facturum quidquid laudatum, diffinitum & amicabiliter compositum fuerit a predictis arbitris seu laudatoribus super predictis, die feriato vel non, partibus presentibus vel absentibus, vel una presente, & altera absente, partibus requisitis vel non, alioquin promisit eidem Severo stipulanti & recipienti, ut dictum est, nomine (pene c.) marchas argenti boni & puri, & pena soluta vel commissa predicta nihilominus observare, & eodem modo dictus Severus obligans se procuratorio nomine & dominum archiepiscopum ejusque successores & archiepiscopatum Ravennatem & clerum ejusdem ecclesie promisit dicto domno Guidoni recipienti procuratorio nomine pro jamdictis priore & fratribus Camaldulensibus, & monasterio eorumdem observare & facere quidquid laudatum, diffinitum & amicabiliter compositum fuerit a predictis arbitris seu laudatoribus super predictis *&c. ut supra*. Renuntiantes ambo procuratores & sindici omnibus exceptionibus eis & utrique eorum & eorum partibus competentibus vel compositituris, & nominatim, quod non possint opponere, quod ipsi arbitri sint monachi, & quod in causa sua arbitrari sive laudare videantur, & quod tantum duo sint arbitri, & omnibus aliis exceptionibus & juris auxiliis, que partibus vel alteri earum super predictis vel aliquo predictorum competerent. Item promisit idem domnus Guido jamdicto Severo, quod faciet hoc compromissum ratum haberi a dicto domno priore & fratribus supradictis, & faciet eos, si opus fuerit, consentire; & idem Severus promisit eidem domno Guidoni, quod faciet ipsum dominum archiepiscopum & chorum memoratum consentire, & ratum habere hunc contractum & compromissum. Actum in ecclesia cathedrali de Civitate-Castelli coram presbytero Gualdo de sancto Michaele, & presbytero Acto de Rignano, Guidone de Fractis, Jugno Palombelli, domno Bene judice, & domno Brando cantore Ravennatis ecclesie rogatis testibus anno Domini M. CC. XXXI. die kalendarum aprilis indictione quarta.

† Ego frater Guido Camaldulensis prior consentiens ss.

† Ego frater Ugo sacrista consentiens ss.

† Ego frater Rainerius consentiens ss.

† Ego frater Jacobus consentiens ss.

† Ego frater Johannes consentiens ss.

† Ego frater Bonus consentiens ss.

† Ego frater Bonacursus consentiens ss.

† Ego frater Adam consentiens ss.

† Ego frater Jacobus consentiens ss.

† Ego frater Dominicus consentiens ss.

† Ego frater Otto consentiens ss.

† Ego Ventura consentiens ss.

† Ego frater Rainaldus consentiens ss.

† Ego frater Paulus inclusus consentiens ss.

† Ego frater Henricus consentiens ss.

† Ego frater Johannes inclusus consentiens ss.

† Ego frater Simon consentiens ss.

† Ego frater Rainerius consentiens ss.

† Ego frater Mainectus consentiens ss.

† Ego frater Jacobus heremita Camaldulensis inclusus ss.

✝ Ego frater Lottaringus heremita ss.
✝ Ego frater Coradus consentiens ss.
✝ Ego frater Michael ss.
✝ Ego frater Benedictus ss.
✝ Ego frater Petrus ss.
✝ Ego frater Martinus ss.
✝ Ego frater Acarisius ss.
✝ Ego frater Gregorius ss.
✝ Ego frater Nicholaus ss.
✝ Ego frater Maurus ss.
✝ Ego frater Bruno ss.
✝ Ego frater Odo ss.
✝ Ego frater Guido ss.

Ego Ursus notarius hiis omnibus interfui, & ea rogatus scripsi & publicavi.

In nomine Dei eterni. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo primo indictione quarta tertio nonas aprilis tempore Gregorii pape & Friderici imperatoris. Frater domnus Michael, domnus Benedictus, domnus Petrus, domnus Martinus, domnus Accariffius, domnus Gregorius, domnus Nicholaus, domnus Maurus, domnus Brunus, domnus Oddo & domnus Guido fratres & monachi Fontis-boni Camaldulenses consentientes ratum & firmum habuerunt compromissum factum a domno Guidone procuratore & syndico domni prioris & fratrum Camaldulensium tam heremi, quam Fontis-boni cum Severo syndico ac procuratore domini Thederici archiepiscopi & chori ecclesie sancte Ravennatis ecclesie, quod compromissum scriptum est, autenticatum & publicatum per Maurum Ursi notarium, & subscriptum per domnum priorem & fratres Camaldulenses tam heremi, quam Fontis-boni. Item sequenti die, scilicet pridie nonas aprilis, domnus Guido prior Camaldulensis, domnus Ugo sacrista, domnus Johannes, domnus Rainerius, domnus Jacobus, domnus Bonus, domnus Bonacorsus, domnus Adamus, domnus Jacobus, domnus Dominicus, domnus Otto, domnus Mainettus & domnus Ventura fratres heremi exclusi, item domnus Rainerius, domnus Jacobus, domnus Renaldus, domnus Lotterius, domnus Paulus, domnus Henricus, domnus Gerardus, domnus Johannes & domnus Simon fratres eremi inclusi consenserunt & ratum habuerunt dictum compromissum, & subscripserunt eidem.

Actum apud Fontem-bonum & eremum Camaldulensem presentibus testibus domino Brando cantore dicte Ravennatis ecclesie, presbytero Ubaldo olim camerario dicti domini archiepiscopi, & Vanga converso Camaldulensi, & Guidone sarto de Peretella & Bonaventura servitore domni Benedicti Classensis.

Ego Mattheus imperialis aule notarius his omnibus interfui, & omnia superscripta complevi, ideoque subscripsi.

CCCVIII.

Gregorii IX. literæ ad electum Massanensem pro monast. Montis-christi.

Anno 1231. VI. idus maji.

Ex chartis S. Michaelis Pisarum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. electo Massanensi salutem & apostolicam benedictionem. Sicut accepimus monasterium Montis-christi Massanensis diocesis, quod ad Romanam ecclesiam, sicut dicitur, nullo pertinet mediante, spiritualibus & temporalibus propter malitiam habitantium in eodem adeo est collapsum, quod nulla spes est de cetero, quod in ordine suo resurgere possit, tantusque clamor ad clerum & populum de ipsorum actibus nefandis ascendit, quod eos tamquam leprosos & immundos universi cupiant exinde removeri. Nuper cum dilectum filium C.. abbatem ejusdem monasterii pro eo, quod ipsos ad regularem observantiam inducebat, fame, inedia, & aliis cruciatibus corporis cedere compulerunt, & licet visitationem & reformationem ipsius monasterii dilectis filiis .. abbati sancti Pauli de Ripa Arni Pisarum, & priori sancti Donati Lucanensis duximus commendari, nullus tamen per eos, sicut intelleximus, habitus est processus. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum dictum monasterium credatur posse per patres Camaldulensis ordinis reformari, & mali debeant male perdi, ac vinea Domini locari agricolis, qui fructum temporibus suis reddant, eis inde amotis faceremus in ipsum monasterium predictum ordinem introduci. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus prefato abbate ad dictum monasterium non obstante cessione hujusmodi primitus restituto, ac monachis, & conversis ejusdem monasterii volentibus ordinem eundem assumere, auctoritate nostra in aliis monasteriis sui ordinis collocatis, inducas Camaldulensem ordinem in monasterium memoratum, salvo jure cujuslibet in his, que non obviant sui ordinis institutis, invocato ad hoc

Ibid. n. 3.

hoc si opus fuerit, brachii secularis auxilio, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Reate VI. idus maji pontificatus nostri anno quinto.

Pendet plumbeum sigillum cum literis: GREGORIUS PP. IX.

CCCIX.

Aliæ ejusdem pro eodem monasterio priori Camald.

Anno 1231. idibus maji.

Ex iisdem chartis.

Ibidem. GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Sicut accepimus monasterium Montis-christi Massanensis diocesis *&c. ut in antecedenti*, ideoque discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus cum ab eodem electo fueris requisitus, predictum monasterium cum obedientiis & pertinentiis suis recipias, & ordini tuo incorpores, ipsum juxta ejusdem ordinis instituta reformare studeas, tam in capite, quam in membris, prout secundum Deum videris expedire.

Datum Reate idibus maji pontificatus nostri anno quinto.

Pendet plumbeum sigillum cum literis: GREGORIUS PP. IX.

CCCX.

Philippus Camerinensis ep. statuit terminos parœciæ S. Blasii de Fabriano.

Anno 1232. VI. kal. aprilis.

Ex authentico sancti Romualdi de Urbe Fasc. XVI. n. 10.

Ibid. n. 5. PHilippus Dei gratia episcopus Camerinensis dilecto in Christo .. abbati sancti Victoris de Clusis salutem in Domino. Quotiens a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Cum igitur ecclesia sancti Blasii de burgo Fabriani, quam dicis sancti Victoris de Clusis monasterio subjacere, parochia careat limitata, & juri consentaneum videatur, ut quelibet ecclesia determinatam habeat suam parochiam, ne ex indefinitione contingat falcem mittere in messem alienam, ecclesie sancti Blasii memorate juxta petitionem tuam in Christo fili abbas monasterii memorati hanc parochiam duximus concedendam, scilicet burgum, ubi ipsa ecclesia dicitur esse sita, & a muris terre Fabriani usque ad muros castri veteris, videlicet a porta Cervarie ad pontem Canelle, & dicto ponte, ut aqua fluminis currit, ad pontem Mercati, quo itur ad burgum sancti Nicolai per stradam rectam ad portam predictam, & extra, si domicilia sunt vel imposterum erunt, usque ad dimidium milliare ipsius quarterii tantum predicte parochie plenarie volumus subjacere, salvo jure episcopali.

Datum apud monasterium Cripte Saffilatronis VI. kal. aprilis.

CCCXI.

Aliæ Gregorii IX. literæ ad priorem Camald. pro monasterio Montis-christi.

Anno 1232. V. kal. maji.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia. n. 42.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Sicut accepimus monasterium Montis-christi Massanensis diocesis *&c. ut in præcedentibus*. Ibid. n. 4.

Sed cum . . . . . ejusdem monasterii per procuratorem proprium se susceptu-rum, quem nullatenus ordinem . . . . . offerente Camaldulensem ordinem precepimus in eodem monasterio perpetuo firmiter observari, tibi tuisque successoribus corrigendi, reformandi, instituendi, tam in capite, quam in membris in eodem monasterio perpetuam concedimus plenariam potestatem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatenus receptis presentibus personaliter ad monasterium ipsum accedens illud cum obedientiis & pertinentiis suis recipiens incorporari studeas ordini supradicto, corrigendo & reformando, tam in capite, quam in membris, que correctionis & reformationis officio noveris indigere, juxta ejusdem ordinis instituta. Si vero aliquis mo-

monachorum vel converforum fepefati monafterii dictum ordinem affumere forte noluerit, in aliis monafteriis fui ordinis eos non differas collocare. Contradictores per cenfuram ecclefiafticam appellatione poftpofita compefcendo.

Datum Reate v. calendas maji pontificatus noftri anno fexto.

CCCXII.

Ejufdem literæ priori S. Blafii de Fabriano confirmantes terminos parœciæ.

Anno 1232. VII. kal. junii.

Ex archivo S. Blafii.

Ibid. n. 5. IN Chrifti nomine amen. Hoc eft exemplum cujufdam privilegii, cujus copie tenor talis eft. In Dey nomine amen. Hoc eft exemplum cujufdam privilegii papalis cum bulla pendente in filis fericis rubeis & zallis, in qua quidem bulla ex uno latere erant fculpta duo capita cum p..ntis in circuitu bulle .... &c. Gregorius epifcopus fervus fervorum Dei dilectis filiis..priori & clericis fancti Blaxii de burgo Fabriani Camerinenfis diecefis falutem & apoftolicam benedictionem. Juftis petentium defideriis dignum eft nos fpecialem prebere confenfum, & ea, que a rationis tramite non difcrepant, affectu profequente complere. Cum igitur porrecta nobis veftra petitio continebat, Venerabilis frater nofter Philippus Camerinenfis epifcopus parochiam ecclefie veftre fancti Blaxii de burgo Fabriani fue diocefis deliberatione provida limitibus certis diftinxerit, prout ad eum pertinet, ac in ipfius literis inde confectis dicitur plenius contineri; nos veftris juftis precibus inclinati, quod id ab eodem epifcopo fuper hoc provide ac canonice factum eft, & in nullius prejudicium nofcitur redundare, auctoritate apoftolica confirmamus & prefentis fcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Spoleti VII. kl. junii pontificatus noftri anno fexto.

Et ego Mattheus Andree de Fabriano imperiali auctoritate notarius predictum exemplum, prout in autentico inftrumento inveni, ita hic fideliter & per ordinem exemplando tranfcripfi, nil addens, vel minuens, quod fenfum mutet, ac vitiet intellectum, & de mandato & auctoritate fapientis & difcreti viri domini Tomafii de Mercatello judice & affeffore communis Fabriani per nobilem & potentem virum Maghinardum de Ubaldinis de Ca..a honorabilem poteftatem & capitaneum terre Fabriani, & in publicam formam redegi fub annis Domini M. CCC. LX. indictione XIII. tempore domini Innocentii pape fexti menfe januarii. Actum Fabriani in palatio dicti communis in fala fuperiori dicti palatii, prefentibus fer Venantio Corradutii de Gualdo notario, cum quo aufcultavi, Angelutio Matthei de villa Collis-amati diftrictus dicte terre Fabriani, & ..Bonaventure de Fabriano teftibus vocatis & rogatis.

Et ego Jacobus Marchi Jacobi de Fabriano not. &c. tempore nobilis & potentis viri domini Petri de Mu..lis honor. poteftatis & capitanei communis Fabriani anno M. CCC. LXXII.

CCCXIII.

Definitio Jacobi abb. Montis-armati pro monaft. S. Hippolyti de Faventia.

Anno 1232. IV. exeunte majo.

Ex tabular. archiep. Ravenn. Capf. E. n. 1259.

IN nomine patris & filii & fpiritus fancti, amen. Ego Jacobus abbas monafterii fancte Marie de Monte-armato Bononienfis diocefis domini pape judex delegatus, forma cujus delegationis talis eft. Gregorius epifcopus fervus fervorum Dei dilecto filio .. abbati Montis-armati Bononienfis diocefis falutem & apoftolicam benedictionem. Dilecti filii abbas & conventus fancti Hippoliti Faventie ordinis Camaldulenfis nobis conquerendo monftravit, quod abbas fancti Benedicti in Alpe, heredes quondam Alberici Comitis, & quidam alii clerici & laici Faventin. Imolen. Bononien. civitatum & diocefum fuper poffeffionibus, redditibus & rebus aliis injuriantur eifdem; ideoque difcretioni veftre per apoftolica fcripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias caufam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per cenfuram ecclefiafticam firmiter obfervari; teftes autem, qui fuerint nominati, fi fe gratia, odio vel timore fubtraxerint, per cenfuram eamdem appellatione ceffante compellas veritati teftimonium perhibere. Datum Reate x. kal. augufti pontificatus noftri anno quinto. Cognitor querimonie five litis facte a Ibidem.

Pe-

Petro Uguizonis sindico monasterii sancti Ypoliti de Faventia nomine ipsius monasterii de Drudolo herede Johannis Biaque in hunc modum. Vobis domino Jacobo abbati de Monte-armato judici a domino papa delegato conqueror ego Petrus Uguizio sindicus monasterii sancti Ypoliti nomine ipsius monasterii contra Drudolum heredem Johannis Biaque, agendo contra eum & petendo ab eo, ut redeat ad supersedendum, & supersedeat pro dicto monasterio in sancta Lucia, ubi ejus antecessores pro dicto monasterio sederunt & steterunt, dicendo ipsum promisisse supersedere pro monasterio, ut instrumentis continetur, vel mihi nomine dicti monasterii pro interesse precium quinquaginta libr. Ravenn. Eo vero vocato & requisito & admonito per literas nostras semel & secundo & peremptorie, ut coram nobis compareret per se vel per sufficientem responsalem responsurus de jure predicto sindico nomine dicti monasterii, & venire nolente, prestito quoque sacramento calupnie a dicto sindico, quo declaravit se credere juste petere posse. Interloquendo promitto, ut ipse redeat ad supersedendum, & supersedeat pro dicto monasterio in sancta Lucia, ubi ipse & ejus anteceſſores pro dicto monasterio steterunt & supersederunt, vel eidem sindico prestet nomine dicti monasterii pro interesse quinquaginta libras Ravennates, pro quibus prestandis pronuncio dictum sindicum nomine dicti monasterii fore mittendum in possessione bonorum dicti Drudoli valentium quinquaginta libras Ravennates, primo mobilium si comparent, alioquin immobilium omni auxilio legitimo absenti reservato.

Lata fuit hec sententia in claustro sancte Marie de Turlionibus in Bononia millesimo ducentesimo tricesimo secundo die veneris quarto exeunte majo indictione quinta.

Interfuerunt testes presentes dopnus Guido monachus, Grando Beccarus, Azzetus Venetici, & Gerardus de Corvara.

Ego Petrus Terandanus domini Octonis quondam imperatoris notarius interfui, & hanc sententiam jussu dicti domini abbatis de Monte-armato scripsi.

CCCXIV.

Friderici ep. Concordiensis donatio ecclesiæ S. Martini Camaldulensibus.

Anno 1232. die prima novembris.

Ex autographo Fontis-boni, § Donatio n. 409.

IN nomine altissimi Dei viventis in secula, amen. Ejusdem incarnationis anno M. CC. XXXII. indictione quinta die prima mensis novembris in presentia illorum, quorum nomina inferius leguntur. Universis Christifidelibus tam presentibus, quam futuris notum sit, & ex ista serie lectionis clare sit manifestum, quod nos Fridericus Dei gratia Concordiensis ecclesie episcopus pro remedio anime nostre, & pro bono statu nostro & totius nostri episcopatus, & pro salute animarum, de consensu & voluntate nostri capituli Concordiensis, nostrorumque fratrum, videlicet domino Marco decano Concordiensi, domino Jonathe archidiacono ejusdem ecclesie, domino Weurlar.. presbytero Johanne, domino Bongalmario, Arsiricho, Musio, domino Gilio presbytero, Martino canonici Concordienses damus & concedimus . . . . Dei & beate virginis Marie, & beati protomartyris Stephani locum & ecclesiam sancti Martini sitam inter castra Prate & Medune supra flumina Livvencie & Medune, juxta ubi junguntur, & hoc ab orientali parte pro heremo Camaldulensi recipienti fratri Jacobo priori ejusdem loci, nomine & vice domni Widonis prioris Camaldulensis & successorum suorum, ab omni diocisano jure jurisdictionis liberam & absolutam, excepto quod prior ecclesie Concordiensis nomine census dabit annuatim in inventione sancti corporis protomartyris Stephani VIII. dies ante vel postea libram unam manisii sub pena dupli, & quod idem prior frater Jacobus & ejus successores semel in anno, si vocati fuerint ad capitulum Concordiense, venire debeant, nisi justum impedimentum &c. nullum tamen ecclesiasticum preceptum ibi recipiendo vel gravamen, vel aliquam correctionem, promittimus per nos, & per successores nostros ipsum locum & ecclesiam amore Dei & hordenis defendere & manutenere sine prejudicio & gravamine loci. Si vero nos, vel aliqui successores nostri contra hanc nostram constitutionem & salubrem ordinatio- *Ibid. n. 6.*

tio-

tionem venire tentaverimus, indignationem omnipotentis Dei & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, & beati protomartyris Stephani & beati Martini incurrant, & ſicut Dathan & Habiron, quos terra vivos abſorbuit, ipſos degluciant. Inſuper etiam x. libras puri auri priori Camaldulenſi, qui pro tempore fuerit, ſolvere teneatur. Nichilominus . . . . ſtabilitatem in ſuo robore & firmitate in perpetuum perdurante. Huic rei teſtes interfuerunt domnus Dodelricus diaconus capellanus dicti domini epiſcopi, presbyter Johannes . . . . & aliorum quampluriûm.

Actum in Concordia in choro eccleſie ſancti Stephani.

Ego Vitolinus Vicentinus ſacri palatii notarius interfui & . . . juſſu dicti domini epiſcopi, & etiam juſſu prenotatorum canonicorum ſcripſi roboravi.

CCCXV.

Ardinghi ep. Florentini literæ ad plebanum de Pomino.

Anno 1232. IV. nonas decembris.

Ex autographo archivi S. Mariæ Angelorum de Florentia.

Ibid. n. 10. IN Dei nomine, amen. Jacobus filius Chriſtophani nuntius, ut aſſeruit, domini Ardinghi epiſcopi Florentini ex parte ipſius epiſcopi literas ipſius epiſcopi ejus ſigillo munitas plebano de Pomino dedit, tradidit & porrexit, tenor quarum literarum talis erat.

Sapienti & diſcreto plebano de Pomimo Ar.. Dei benignitate Florentinus epiſcopus ſalutem, & eternam in Domino charitatem.

Noveritis nos a domino Sy... tit. ſancti Laurentii presbytero cardinali tales literas ejus ſigillo ſigillatas recepiſſe. Tenor cujus eſt talis. Venerabili in Chriſto patri Dei gratia epiſcopo Florentino Sy. miſeratione divina tit. ſancti Laurentii in Lucina presbyter card. ſalutem in Domino. Cum in cauſa, que inter priorem Camaldulenſem ex una parte, & plebanum de Pomino vertitur ex altera, dominus papa nos conceſſerit partibus auditorem, nos dictum plebanum citari fecimus, ut coram nobis compareret, qui per ſe, vel procuratorem nullo modo comparuit. Quo circa diſcretionem veſtram duximus deprecandam, quatenus dictum plebanum ad noſtram preſentiam citari faciatis, ei terminum xv. dierum peremptorium aſſignantes, in quo termino per ſe, vel per ſufficientem reſponſalem coram nobis comparere debeat, dicto priori de juſtitia reſponſurus. Alioquin prout juris ordo poſtulat, in cauſam procedemus. Nos volentes exequi, que mandantur ab ipſo, auctoritate, qua fungimur, vobis precipiendo mandamus, ut ita obſervetis, ſicut per ſuas literas demandavit, & in noſtris literis ſupra continetur.

Facta fuit hec porrectio & exhibitio predictarum literarum epiſcopi Florentini ejus ſigillo munitarum ab ipſo Jacobo nuntio prefato plebano in clauſtro eccleſie ſancti Pauli de Florentia, anno Domini milleſimo CC. XXXII. quarto nonas decemb. indictione ſexta, preſentibus & teſtibus rogatis Capoſatto .... priore ſancti Pauli, & Guillielmino fil.. Buonrinfredi, & Ferra filio olim Jacopi, & Opperini.

Qui vero plebanus ipſas vere recepit, & incontinenti ipſas legit, & ſigillum proſpexit predictis teſtibus preſentibus.

Ego Jacobus Guidonis . . . filius, & domini Frederici imperatoris judex & notarius repreſentationi & porrectioni prefatarum literarum interfui, & ipſas coram ipſo plebano legi, & rogatus hic publicavi, ſcripſi, & complevi predicta omnia.

CCCXVI.

Expoſtulatio abbatis S. Crucis de Tripudio contra abbatem S. Victoris pro eccleſia ſancti Blaſii.

Circa annum 1232.

Ex archivo S. Blaſii de Fabriano.

COram vobis domine Phylippe Camarinenſis epiſcope proponit domnus Bonaventura ſindicus ſancte Crucis de Tripudio nomine ipſius eccleſie contra abbatem & conventum ſancti Victoris, quod cum ipſi contruxerint ſive conſtrui fecerint eccleſiam ſancti Blaſii in burgo Fabriani, ſpectantem ad eccleſiam ſancte Crucis jure dominii vel quaſi, inrequiſitis abbatibus & conventu in eccleſia ſancte Crucis pro tempore exiſtentibus, nec etiam conſenſum prebentibus, & poſt denuntiationem, prohibitionem & appellationem ab abbate ſancte Crucis dompno Compagno, vel pro parte ipſius abbatis vel eccleſie ſancte *Ibid. n. 5.*

Cru-

Crucis factam, & interpositam predicte ecclesie sancti Blasii munus consecrationis per episcopum Camerinensem fecerunt impendi, quare petit predictus domnus Bonaventura nomine ipsius ecclesie sancte Crucis opus sive dificium prenominate ecclesie sancti Blasii tolli vel destrui cum expensis predicti monasterii sancti Victoris, & in profanum statum reduci, & quidquid factum est post denuntiationem, prohibitionem & appellationem a predicto abbate vel ab alio pro parte ipsius ecclesie factam & interpositam, irritum & cassum sive irritum nuntiari. Item cum occasione predicte ecclesie sancti Blasii quosdam parochianos, sive jus quorumdam parochianorum, quorum nomina sunt infra scripta, occupaverint vel subtrasserint ecclesie sancti Nicholay subjecte & spectanti ad prenominatum monasterium sancte Crucis jure dominii vel quasi. Petit similiter predictus syndicus nomine ipsius monasterii predictos parochianos sive jus predictorum parochianorum restitui ipsi ecclesie sancte Crucis cum omni dampno & interesse, & parochianam per dominum episcopum Camarinensem delimitatam ecclesie sancti Blasii de Burgo Fabriani petit cassari, & cassam penitus denuntiari.

CCCXVII.

Conventiones inter abbatem S. Michaelis de Castro Brittorum, & inter capitulum Bononiense.

Anno 1233. prima die martii.

Ex exemplo codicis vulgo delle Asse *capituli Bonon.* pag. 152.

Ibid. n. 11. IN nomine &c. Anno Dominice incarnationis M. CC. XXXIII. primo intrante martio indictione sexta Frederico Romanorum imperatore regnante &c. indictione predicta. Cum lis &c. verteretur inter presbyterum Aldovrandum sindicum &c. capituli canonicorum ecclesie sancti Petri Bononien. &c. & domnum Blaxium sindicum &c. monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum &c. super decimas terrarum &c. quas dictum monasterium & ecclesia sancti Damiani civitatis Bononie juxta pontem ferri & ecclesia sancti Laurentii de Mallano, quas habent nunc in plebatu prefate ecclesie sancti Petri Bonon. & in plebatu plebis Medicine, quas dicebat ad dictum capitulum pertinere partim jure communi, partim per privilegia episcoporum Bononiensium & Romanorum pontificum. Item petebat a sindico dicti monasterii quod dimitteret archidiaconum, archipresbyterum & capitulum Bononiensis ecclesie instituere ecclesiam sancti Johannis de Fontana, & ecclesiam sancte Marie in Guarda positas in plebatu Medicine tam in spiritualibus, quam in temporalibus, nec inquietaret ipsum capitulum in possessione dictarum ecclesiarum sancte Marie & sancti Johannis, & si quam possessionem vel quasi possessionem habet jamdictum monasterium in dictis ecclesiis, ipsam dimittat dicto sindico & capitulo ecclesie Bononiensis, quia non est jus abbati & conventui dicti monasterii aliquid in dictis ecclesiis ordinare &c. dictus domnus Blaxius &c. & domnus Bonifacius abbas ejusdem monasterii, presentibus domno Petro priore claustri, domno Johanne administratore monasterii sancti Damiani &c. & presbytero Jacobo converso dicti monasterii &c. promiserunt magistro Tancredo archidiacono Bononiensi vice capituli Bononiensis dare pro decimis terrarum &c. octo corbes frumenti &c. & facere deferri ad claustrum canonicorum &c. De ecclesiis vero predictis scilicet sancte Marie in Garda & sancti Johannis de Fontana taliter convenerunt, quod omnia temporalia dictarum ecclesiarum pertineant ad prefatum monasterium sancti Michaelis predicti, & institutio & destitutio ipsarum ad ipsum monasterium pertineant, ita quod possint in eis ponere clericum secularem, monachum vel conversum, sicut placuerit abbati ejusdem monasterii &c. omnia vero jura spiritualia pertineant archidiacono & capitulo Bononiensis ecclesie in predictis ecclesiis sancte Marie & sancti Johannis &c.

Actum in claustro monasterii sancti Michaelis de castro Brittorum &c.

Ego Thomasinus Camerinensis &c. notarius scripsi.

Ego Bernardus filius Bencinvenis Boninsegne notarius exemplavi.

CCCXVIII.

Libellus emphyteusis factus a Thederico archiepiscopo Ravennæ Guidoni abb. Vangaticiæ.

Anno 1233. kal. maji.

Ex authentico ejusdem monasterii.

Ibid. n. 13. ANno Domini ab ejus nativitate millesimo CC. XXXIII. kal. madii indictione sexta tempore Gregorii pape & Friderici imperatoris. Ravenne in palatio archiepiscopatus, presentibus *&c.* Thedericus divina permissione sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus tibi Zaulo recipienti procuratorio nomine pro Guidone abbate monasterii sancte Marie in Vangadicia & tribus ejus successoribus post ipsum, petitioni tue, que habetur in subditis, libenter accommodamus assensum, ob hoc quia nec munificentia deperit, nec percipientibus in perpetuum, quod datur, acquiritur. Et quoniam sperasti, uti sex uncias principales integras de fundo Honesti, & de hoc, quod remanet de ipso fundo, terciam partem integram concedimus tibi pro suprascripto abbate suisque successoribus, ut dictum est superius. Item concedimus totum, quod habuerunt & detinuerunt Carlinus & Belizus in supradicto fundo Honesti, quod est de jure sancte Ravennatis ecclesie, a tribus lateribus supradicti fundi fundus Berseta, a quarto latere fundus Turicla, & Nugaretus. Item concedimus vobis, ut dictum est, totum quod habuerunt & detinuerunt Guido de Azo de Polisino, terram & aquam in fundo Semperniano. Item concedimus tibi, ut superius legitur, fundnm integrum, qui vocatur Turicla, a primo latere cujus argine Criscinus, a secundo Fossa-mala perveniens in Conca de sancto Stephano descendentem in fluvium Adisci, a tertio latere fluvius, qui dicitur Adisci, a quarto latere fundus Honesti & Nugaretus. Hec omnia, que sunt infra designata latera, vobis concedimus, ut superius legitur, de jure sancte Ravennatis ecclesie cum terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, arbustis, arboribus, atque cum omnibus sibi pertinentibus constituta territorio Gavelense emphiteotecario modo *&c.* sub statuta pensione omni mense martii, vel infra indictionem decem & octo denariorum Veronensium *&c.* Quam vero paginam precepti ego Johannes sancte Ravennatis ecclesie & sacri imperii notarius scripsi atque complevi.

CCCXIX.

Bertholdus patriarcha Aquilejensis concedit Oddoni episc. Bellunensi licentiam donandi.

Anno 1233. XII. exeunte junio.

Ex autographo parthenonis S. Gervasii de Belluno.

ANno Domini millesimo CC. XXXIII. indictione VI. die duodecimo exeunte junio in burgo Coneglani in ecclesia sancte . . . . de Coneglano. Ibidem dominus Bertholdus Dei gratia sancte sedis Aquilegensis patriarcha commisit fidei discretionis domini Oddonis Dei gratia Feltrensis & Bellunensis episcopi & comitis pro remedio anime sue & in remissione peccatorum suorum & predecessorum episcoporum suorum, dare de bonis episcopatus Belluni monasterio sancti Gervasii de Belluno, sicut melius & utilius viderit expedire. Testes interfuere dominus Balduin. decanus, dominus Eleazarus Bellunenses canonici, dominus Artichus de Cuxano, Squarzun.. de Regogna, Caudatorta de Lusia & alii. *Ibidem.*

Ego Odoricus sacri palatii notarius interfui & rogatus scripsi.

CCCXX.

Electio prioris S. Mariæ de Orbisio Paduæ.

Anno 1233. X. exeunte septembri.

Ex autographo capitulari Paduano.

Ibid. n. 19. MIllesimo ducentesimo trigesimo tertio indictione sexta die mercurii decimo exeunte septembri Padue in episcopali camera, presentibus dominis Filippo archidiacono in montanis, fratre Meliorino & aliis. Dominus Jacobus Dei gratia Paduanus episcopus ad honorem Dei & gloriose Marie virginis sic dixit: Quia institutio amministratoris & prioris ecclesie & loci sancte Marie de Arbisio spectat ad nos, pro eo quod in dicto loco non est collegium sive conventus, idcirco eligimus fratrem Petrum Bonum monasterii sancti Benedicti monachum in priorem & rectorem monasterii & loci sancte Marie de Arbisio. Cui electioni *Ibidem.*

idem

idem dompnus electus predictus consensit, & per consensum idem dominus episcopus ejus electionem confirmavit, & de amministratione spiritualium & temporalium investivit eumdem, & dedit ei dictum archidiaconum, ut ipsum in temporalem amministrationem predicti loci inducat *&c.*

Ego Finus filius quondam domini Leopardi notarii hoc instrumentum ex inbreviaturis olim domini Bartholomei de Petro Romano scripsi, & corroboravi, mihi datis & consignatis in pleno consilio majori communis Padue ad sonum campane more solito congregato, de voluntate & parabola domini Rolandini de Canossa Paduani potestatis, & dicti consilii, nihil addens vel minuens *&c.* in millesimo ducentesimo septuagesimo quarto indictione secunda die lune sexto exeunte marcio.

CCCXXI.

Electio prioris S. Margaritæ de Tosina facta a Guidone priore Camaldulensi.

Anno 1233. IX. kal. octobris.

Ex autographo archivi S. Mariæ Angelorum de Florentia.

Ibid. n. 10. IN Dei nomine, amen. Millesimo CC. XXXIII. nono kal. octubris indict. sexta. Cum dominum Julianum Pistoriensem canonicum in priorem, sicut dicitur, ecclesie sancte Margarite de Tosina electum, nos domnus Guido Dei gratia prior Camaldulensis citavimus, & perentorie, sicut apparet per publicum instrumentum manu Jacobi notarii confectum, ut ad nos veniret Florentie, ex eo quod ex officio nostro volebamus inquirere tam de meritis electionis, quam de idoneitate persone sue, & non venit, sed misit literas continentes, quod non volebat venire, sed quod potius faceremus, quod nobis super hujusmodi videretur, & quia erat alterius diecesis, & habebat plura beneficia, & etiam propter magnum scandalum evitandum, quod si fuisset prior, illi ecclesie imminebat, ac propter aliam causam; idcirco volentes more boni pastoris dicte ecclesie providere, Dei nomine invocato cassamus, irritamus, & ad nihilum deducimus electionem de ipso domino Juliano factam, si qua fuit, vel visa est fuisse.

Facta est hec irritatio, & cassatio dicte electionis in capitulo monasterii de Camaldulo de Florentia, presentibus, & rogatis testibus presbytero Fede priore sancti Stephani de Florentia, & presb. Pulliesci priore sancti Jacobi, & domno Donato priore monasterii Camalduli de Florentia, & Amico filio olim Guidi, & Benitendi filio Albertini & aliis.

Item eadem die indictione eadem. Quum nos domnus Guido prior Camaldulensis providere volumus ecclesie sancte Margarite de Tosina de priore, ne amplius sit more solito pastoris solatio destituta, communicato consilio domini Ardinghi Dei gratia episcopi Florentini, & aliorum proborum, Albertum filium domini Corsini de Gangalandi canonicum ecclesie sancti Martini de Gangalandi, dicte ecclesie sancte Margarite decrevimus eligere in priorem, verum quia a diversis diversa audivimus de etate sua, & nos dubitamus cum illis, propter hoc eligimus eum in priorem, & rectorem prefate ecclesie, si est in etate legitima, & si non est in etate legitima, commendamus sibi ecclesiam dictam, ut tam in spiritualibus, quam in temporalibus curam & solicitudinem ejus gerat.

Facta est hec electio vel commendatio in predicto capitulo monasterii de Camaldulis de Florentia, presentibus & rogatis testibus domno Donato priore monasterii Camalduli de Florentia, domnis Massario & Jo. monachis domni prioris Camaldulensis & Amico filio olim Guidi *&c.*

Ego Jacobns Guidonis Brunei filius, & domini Friderici imperatoris judex & notarius predicta omnia coram me facta rogavi, & etiam de mandato dicti domni Guidonis prioris Camaldulensis publice scripsi & complevi.

In Dei nomine amen. M. CC. XXXIII. VII. kal. octobris indictione VII. Cum domnus Guido Dei gratia prior Camaldulensis esset in ecclesia sancte Margarite de Tosina, & nobilis vir Albertus domini Corsini de Gangalandi venisset in ipsius ecclesie sancte Margarite priorem electum & postulatum, idem Albertus acceptavit de se ipso factam electionem, & tunc domnus Guido prior Camaldulensis instituit, & posuit eum in sede prioris in dicta ecclesia statim cum psalmo, & *Miserere mei Deus*, duxit eum coram altare, quo expleto cum oratione Dominica, & *Actiones nostras quesumus Domine*, dataque sibi benedictione cum incenso & aqua sancta, confirmavit eum in dicta ecclesia recipienti, committens sibi per librum, & stolam cum clavibus ipsius domus administrationem spiritualem & temporalem dicte ecclesie sancte Mar-

Margarite in remissionem peccatorum suorum, dando ipsi Alberto dicte ecclesie in omnibus, & per omnia corporalem possessionem. Qui Albertus electus, & confirmatus prior ecclesie sancte Margarite a dicto domno Guidone priore Camaldulensi confestim ratione administrationis assumpte promisit eidem domno Guidoni priori Camaldulensi suisque successoribus catholicis obedientiam, & reverentiam, & continuo dictus domnus Guido prior Camaldulensis precepit tam canonicis, quam conversis ipsius ecclesie sancte Margarite in virtute obedientie, quod dicto domino Alberto novo priori suo promitterent obedientiam & reverentiam. Et exinde sibi tamquam suo domino & priori in omnibus & per omnia obedirent, qui omnes & singuli, scilicet presbyter Vincentius & presb. Buonajuncta, & Fornome diaconus, & Mugnarius clericus & Benincasa conversus mandato dicti domni Guidonis prioris Camaldulensis fideliter exequentes dicto Alberto priori suam obedientiam per librum & stolam, & pacis osculum promiserunt. Quo facto dictus domnus Guido prior Camaldulensis duxit ipsum dominum Albertum factum priorem in ipsa ecclesia sancte Margarite per officinas ipsius domus, assignando sibi stallum majoratus, & prioratus in capitulo, in refectorio, & in lecto in camera prioris ipsius domi.

Actum in ecclesia sancte Margarite de Tosina presentibus, & testibus presbytero Ridolfo priore sancti Martini de Gangalandi, & domnis Massario & Mauro monacis de Camaldolis, Ildebrandino converso & serviente dicti domni prioris Camaldulensis, & Filippo quondam Alberti de Ovona, & Alberto quondam Ruggieri de Ovona & aliis.

Ego Jacobus Guidonis Brunei filius judex & not. *ut supra*.

CCCXXII.

Oddonis ep. Bellunensis donationes factæ monasterio S. Gervasii de Belluno.

Anno 1233. die XVI. octobris.

Ex autographo ejusdem parthenonis.

Ibid. n. 13. ANno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio indictione sexta die sextodecimo intrante octobri in civitate Belluni in capella episcopalis palatii presentibus domino Odolrico de Tignaise, dominis Zanitino de castello Bonaguro, & Antonio de Castello, Wiglelmo Zuca... cabaldo domini Noxade, Saratino de Doglono, Bernardino de Levico, Federico de Flabanis, Otonello de Johanne Bergullo, Federico domini Diperi, Jacobino domini Pandolfini, Cignaca notario & aliis. Ibidem dominus Odo Dei gratia Bellunensis & Feltrensis episcopus & comes nomine pure & mere ac simplicis & inrevocabilis donationis verbo & consensu Bellunensis ecclesie capituli ipsis presentibus & consentientibus, scilicet domini Baldini decani, Odolrici de Bernardino, Zanatasii presbyteri, Zordani presbyteri, presbyteri Grandonii, Calvagni, Noxade & Wecelonis Bellunensium canonicorum nomine Bellunensis episcopatus investivit domnum Salomonem priorem domus & ecclesie de tribus mansis & uno monte jacentibus in comitatu Belluni, duo quorum jacent in plebatu Lavatii, unus in villa Farcogne & in ejus pertinentiis, & regitur per Otonem de Martino Pulzina, alius jacet in villa de Podenzono & in ejus pertinentiis, & regitur & laboratur per Albertinum Rusticum Antonii de Castello; tertius vero jacet in plebe Sedici prope Mirabellum in loco, qui dicitur ad sanctum Vitum & in ejusdem loci pertinentiis, & regitur per Leveganum. Mons predictus jacet in pertinentiis predicte plebis Lavatii, & dicitur mons de Caglada ad habendum & tenendum ipsum, secundum quod episcopatus Bellunensis visus est habere & tenere, & cum illis confinibus, terminis & pertinentiis, & taliter, ut a modo domus & ecclesia predicta, & fratres & sorores ejusdem loci debeant habere & tenere & possidere predictos mansos & montem cum omnibus decimis novalium terrarum & pratorum predictorum mansorum siq.. tene... novalia, & cum terris, pratis, campis, silvis, domibus, vineis, vitibus, arboribus, venationibus, piscationibus, alluvionibus, capulis, pascuis, amplis, casuralibus, aquarumque ductibus, molendinorum postis, & cum honoribus & proficuis costrictis & marigitiis, & omnibus rationibus & accionibus ipsis mansis & monti in integrum pertinentibus, & quod possint inde facere totam suam voluntatem nomine domus & ecclesie supradicte, eo salvo quod si homines religionis desinerint habitare & esse in domo & ecclesia predicta, quod tunc omnes predicti mansi, & mons & decime debeant libere reverti ad episcopatum, & esse debeant episcopatus, & ita jamdictus dominus episcopus verbo & voluntate capituli

pituli supradicti dedit parabolam predicto priori intrandi tenutam & possessionem de supradictis mansis, monte & decimis sua auctoritate nomine dicte ecclesie. Ad hec jamdictus dominus episcopus verbo jamdicti capituli cum omnibus expensis facturis in tuitionem, & cum obligatione omnium bonorum episcopatus promisit per se suosque successores ipsi priori pro eadem domo & ecclesia .... illi loci & eorum successoribus sub pena dupli rei valen...... in ratione ab omni homine & ab omni parte vvarentare & defensare ... pena soluta presens contractus in sua permaneat firmitate. Actum hoc est.

Ego Carlus notarius interfui & rogatus scripsi.

CCCXXIII.

Gregorii IX. *literæ pro monast. S. Savini Pisarum.*

Anno 1233. XIII. kal. novembris.

Ex codice membranaceo S. Michaelis Pisarum.

Ibidem.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. preposito sancti Georgii Lucan. salutem & apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis .. abbas & conventus monasterii sancti Savini Camaldulensis ordinis, quod plebanus de Tojano, V.. miles & quidam alii clerici & laici Pisane, Florentine, Lucane civitatum & diocesum super quadam pecunie summa possessionibus, decimis, mortuariis, redditibus & rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audias causam, & appellatione remota debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes &c.

Data Anagnie XIII. kal. novembris pontificatus nostri anno VII.

CCCXXIV.

Venditio Benvenuti abbatis S. Urbani ad Æsinantem.

Anno 1233. IV. die exeunte octobri.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

Ibidem.

IN Dei nomine, amen. Anno Domini millesimo CC. XXXIII. indictione VI. tempore domni Gregorii pape & domni Frederici imperatoris mense octubris die quarto exeunte. Ego quidem donnus Beneventus abbas sancti Urbani propria mea bona voluntate renuntians in hoc contractu omni legum, decretorum & decretalium auxiliis, quibus me tueri possem, & dictum monasterium, per me meosque subcessores do, trado ac vendo jure emphiteosis tibi donno Matheo monacho Camaldulensi priori sancte Marie de Serra posita in Esina diocesi nomine ipsius ecclesie recipienti terram & silvam positam in fundo Aralis in curia Faete in comitatu Camerinensi, a primo latere rivus currens, a secundo ecclesia sancte Marie, a tertio & quarto dominus Bonconte domini Braimonti, vel si qui alii sunt confines, ad fructandum sive usufruendum usque LX. annis expletis, & liceat tibi dicto priori tuisque subcessoribus nomine dicte ecclesie sancte Marie habere, tenere & fructare, & omnia facere, que quilibet verus emphiteuta facere potest usque ad finem dicti temporis LX. annorum, Promittens ego predictus abbas &c. Pro qua concessione & venditione ego predictus abbas confiteor me recepisse nomine dicti monasterii a te dicto donno Matheo priore quatuor libras Ravennates & Anconitanas, & in utilitatem dicti monasterii sancti Urbani fore eas expensas & datas. Ad hec finito tempore LX. annorum promitto per me meosque subcessores nomine dicti monasterii tibi dicto priori nomine dicte ecclesie sancte Marie de Serra, readfirmare & renovare contractum emphiteusis de dicta possessione secundum modum prefatum pretio XX. solidorum Ravennatum & Anconitanorum, salva pensione reddenda & solvenda a te dicto priore tuisque subcessoribus dicto nostro monasterio, scilicet unum Ravennatem vel Anconitanum annuatim in mense martio. Que omnia & singula, ut scripta sunt, promitto ego dictus abbas per me meosque subcessores nomine dicti monasterii tibi donno Mattheo priori tuisque subcesso-

cessoribus nomine dicte ecclesie sancte Marie de Serra recipienti adtendere *&c.* sub pena decem librarum Ravennatium & Anconitanarum *&c.*

Actum in calefactorium dicte ecclesie sancte Marie in presentia & testimonio Benedicti, donni Matthei, donni Fransi, Petri, Jaconelli, Alberti, Petri Actonis, & Johannis Actonis.

Ego Martinus notarius rogatus scripsi & publicavi.

CCCXXV.

Definitio pro monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1233. XIV. exeunte novembri.

Ex eodem S. Blasii archivo.

Ibidem. IN Christi nomine amen. Nos domnus Martinus Esinus canonicus gerens vicem domini Severini Esini episcopi, & domnus Montenarius gerens vicem suam & vicem domni Raynaldi abbatis sancte Marie de Plano, qui dictus dominus episcopus, & domnus Raynaldus abbas sancte Marie Plani una cum dicto domno Montanario judices delegati fuerunt a summo pontifice in hunc modum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei ven. fratri .. episcopo Esino, & dilectis filiis.. abbati sancte Marie de Plano Esine diocesis, & M.. canonico Esino salutem & apostolicam benedictionem. Querelam abbatis & conventus monasterii sancti Victoris de Clusis recepimus continentem quod R.. presbyter, Gualfridus, Al.. ac P.. milites & quidam alii Esinatis & Camerinensis diocesis super quibusdam ipsis redditibus & rebus aliis ad dictum monasterium pertinentibus injuriantur eisdem; ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint vocati, si se odio, vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum . . . . . v. idus julii pontificatus nostri anno septimo.

Qui dominus episcopus mihi domino Martino in hac parte vicem suam remisit, & domnus Raynaldus abbas sancte Marie de Plano mihi vicem suam in hac causa commisit, cognoscentes auctoritate apostolica de lite, que vertebatur inter domnum Bonum syndicum ecclesie sancti Victoris ex una parte, & domnum Moricum clericum sancti Petri de Vinbricelli ex altera, que lis talis erat. Vobis domino .. episcopo Esino & M.. canonico & R.. sancte Marie de Plano abbati judicibus delegatis a summo pontifice compareo ego domnus Bonus syndicus ecclesie sancti Victoris de Clusis de Morico Offredelli clerico sancti Petri Vinbricelli agendo contra eum, seu petendo ab eo nomine dicte ecclesie restitutionem omnium bonorum possessionis & tenute ecclesie sancti Petri Vinbricelli, ab eo nunc detente & possesse, & omnium rerum mobilium & immobilium nomine juris ipsius ecclesie quocumque modo pertinentium ubique ipsi ecclesie ejusque librorum, paramentorum, terrarum, vinearum, orti & omnium aliorum generaliter & singulariter ipsi ecclesie pertinentium, & redditibus, quos dictum monasterium ex ea habere debuit a XV. annis citra ad usque, vel ex eorum extimationem, que quidem bona omnia ejusdem ecclesie prefate dico ad dictum monasterium pertinere jure dominii vel quasi, ideoque restitutionem possessionis & tenute ecclesie nominate & bonorum ipsius nomine dicte ecclesie omni jure & causa, qua melius petere possumus, peto, qui domnus Moricus clericus dicte ecclesie nobis legitime citatus, & venit & comparuit ... recipiendo libellum, & postea proposuit & allegavit se habere suspectum dominum Severinum Esinum episcopum, eo quod eidem abbati in hac causa consuluerat se habere suspectum dominum Raynaldum abbatem sancte Marie Plani, eo quod ipse fuerat abbas sancti Victoris, nos vero domnus Martinus & domnus Montanarius eidem domno Morico diximus in continenti nos esse paratos judices sibi dare, qui de sua exceptione vel suspecione cognosceret, & eos recipere recusavit; & iterato eumdem domnum Moricum per nostras literas citari fecimus injungendo eidem auctoritate, qua fungimur in hac parte, ut deberet se presentari coram abbate sancti Savini, & domno Jacobo priore sancte Crucis, & coram priore sancti Benedicti de Serradiliosis, quos eidem judices assignavimus pro sua exceptione & suspectione cognoscenda, quod quidem facere recusavit, & coram nobis comparere noluit, idcirco recepto sacramento

calu-

calumnie a domno Bono sindico sancti Victoris, quod ea que petit, non petit animo calumniandi, sed quia credit dictam ecclesiam sancti Petri, pertinentiarum suarum & omnium suorum bonorum ad dictum monasterium pertinere, cujus absentia Dei repleatur presentia, sic inter eos videlicet, quod dictum domnum Bonum sindicum sancti Victoris nomine dicti monasterii pronunciamus esse mittendum in possessionem & tenutam dicte ecclesie sancti Petri, & omnium suarum rerum ipsi ecclesie pertinentium causa rei servande ad hoc, ut veniens domnus Moricus infra annum & diem non audiatur, nisi reficiat expensas, & fecerit, quod jus dictat. Expense enim sunt III. lib. pro salario, in nat. x. sol. & precipimus domno Gerardo presbytero ecclesie sancte Marie in Campo, ut eum inducat in possessionem, ut dictum est, & auctoritate domini pape, qua fungimur. Actum ante ecclesiam episcopatus Esii sub annis Domini M. CC. XXXIII. temporibus Gregorii pape IX. domini Federici imperatoris die XIV. exeunte mense novembri indictione VI. presentibus testibus, scilicet Thoma notario, Masutio serviente domini episcopi, Benedicto medico, Mattheo de castro Mili, Bartolomeo Eu..rerio ejusdem rei testibus vocatis.

Ego Guido domini Octonis imperatoris notarius scripsi & publicavi.

CCCXXVI.

Gregorii IX. bulla pro absolutione reorum concessa Camaldulensibus.

Anno 1234. XII. kal. februarii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Brevia n. 44.

Ibidem.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Exhibita nobis tua petitio continebat, quod nonnulli ecclesie tue monachi & conversi pro violenta injectione manuum in seipsos, quidam vero pro detentione proprii, alii etiam pro negata tibi & predecessoribus tuis obedientia, seu conspirationis offensa in excommunicationis laqueum inciderunt, & quidam ingressum habuerunt in dictam ecclesiam per vitium simonie, quorum quidam receperunt ordines & divina celebrarunt officia sic ligati: quare de ipsorum salute sollicitus postulasti, ut super hiis eorum saluti providere misericorditer dignaremur, ne si cogantur propter hoc apostolicam sedem adire, in suarum evagentur periculum animarum, & eadem ecclesia, cum non habeat proprium, expensarum onere pregravetur. Volentes igitur eorum saluti & indempnitati ejusdem ecclesie paterna sollicitudine providere, ac de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes discretioni tue presentium auctoritate committimus, ut eisdem excommunicatis hac vice juxta formam ecclesie beneficium absolutionis impendas, proviso quod manuum injectores passis injuriam satisfaciant competenter, & si aliquorum fuerit gravis & enormis excessus, illos mittas ad sedem apostolicam absolvendos. Illis autem, qui absolutionis beneficio non obtento per simplicitatem & juris ignorantiam receperunt ordines & divina officia celebrarunt, injuncta penitentia competenti, ea peracta liceat tibi cum eis de misericordia, que superexaltat judicio, prout eorum saluti expedire videris, dispensare. Si vero scienter prefati excommunicati talia presumpserunt, eis per biennium ab ordinum executione suspensis, & injuncta ipsis penitentia salutari, eos postmodum, si fuerint bone conversationis & vite, ad gratiam dispensationis admittas, sicut videris expedire, processurus circa symoniacos secundum statutum concilii generalis, proviso quod proprium, si quod habent dicti monachi & conversi, facias in tuis manibus resignari, in utilitatem supradicte ecclesie convertendum.

Datum Laterani XII. kalendas februarii pontificatus nostri anno septimo.

CCCXXVII.

Alia concedens priori Camald. facultatem visitandi.

Anno 1234. V. kal. februarii.

Ex eodem tabulario. §. Brevia n. 45.

Ibidem

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori Camaldulensi salutem & apostolicam benedictionem. Quia liberius consuevit indulgeri, quam que de jure communi competit auctoritate procedi, nos devotionis tue precibus inclinati presentium tibi auctoritate concedimus, ut omnibus monasteriis tui ordinis Camaldulensi heremo pleno jure subjectis possis per te vel per alios, quos ad hoc provideris deputandos, sicut

cut ad te pertinet, visitationis officium impertiri. Districtius inhibentes, ne archiepiscopi, episcopi, & alii ecclesiarum prelati, in quorum diocesibus & parochiis monasteria ipsa consistunt, tuam regularem correctionem ibidem audeant impedire. Nulli ergo omnino hominum &c.

Datum Laterani v. kalendas februarii pontificatus nostri anno septimo.

CCCXXVIII.

Alia Camaldulensibus, ut eremo opem ferant.

Anno & die iisdem.

Ex eodem. §. Brevia num. 46.

Ibidem. GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis abbatibus & prioribus monasterio Camaldulensi immediate subjectis salutem & apostolicam benedictionem. Cum membra suo capiti compati teneantur, & matris necessitatem debeant filii relevare, decet vos ad Camaldulensem ecclesiam matrem vestram depressam, ut dicitur, onere debitorum habere compassionis affectum, & eidem aperire viscera caritatis, ut necessitatibus communicantes ipsius, preter filialem devotionem, quam exhibere debetis eidem, Christi videamini legem implere, qua tenemini aliorum onera subportare: quocirca universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatinus ei pro divina & nostra reverentia taliter in hac parte subvenire curetis, quod per auxilium vestrum & aliorum membrorum suorum a debitorum sarcina valeat liberari, & illi sit consolatio, & vobis tribulatio non existat, nosque devotionem vestram possimus in Domino merito commendare.

Datum Laterani v. kalendas februarii pontificatus nostri anno septimo.

CCCXXIX.

Ugolinus abbas Bifurci concedit ecclesiam S. Jacobi de Mercatello.

Anno 1234. v. exeunte martio.

Ex autographo penes canonicos Florentinos sancti Laurentii n. 88.

Ibid. n. 18. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno a nativitate ejusdem millesimo cc. xxxiv. tempore domini Gregorii pape & Frederici imperatoris die quinto exeunte mense martii indictione vii. Faventie apud episcopatum. Ego dompnus Ugolinus abbas monasterii sancti Benedicti in Alpibus vice & nomine ipsius monasterii pro me & fratribus meis & toto collegio, quod nunc ibi est vel in antea erit, & successoribus in perpetuum, presente & consentiente domino Alberto Faventino episcopo & suam auctoritatem prestante, do & concedo atque trado tibi archipresbytero Blanco plebis sancti Stephani de Tugurio recipienti vice & nomine ipsius plebis & pro te tuisque fratribus & successoribus in perpetuum, videlicet ecclesiam sancti Jacobi de Mercatello & hospitale cum suo cimiterio & omnibus rebus mobilibus & thesauro ad ipsam ecclesiam & hospitale pertinentibus & expectantibus. Insuper do & vendo, concedo atque largior per pactum in annis centum &c. tibi suprascripto archipresbytero recipienti vice & nomine ipsius plebis, & pro te tuisque fratribus & successoribus in perpetuum, scilicet totum & integrum illud tenimentum sine ulla diminutione donicatum & ad inannotatum seu conditionatum, quod habuit ipsa ecclesia & hospitale ubicumque sit territorio Faventino & Ravennate, & in plebe predicta seu ulla alia plebe, resedium predicte ecclesie & hospitalis, a primo latere tenet domina Maria Johannis Sercii, a secundo latere tenent Baldolus & ejus frater Marcus, Albergettus de Braide & Bulgarellus Guidolini, Dusdeus de Signorello & ejus nepos, & dicta plebs sancti Stephani, a tercio latere est fossatum communis, & tenet sancta Maria in Portu, a quarto latere Vescovellus & Rav...... & ejus frater & Martinus Bonomi & ecclesia sancti Johannis & Pauli. Secunda petia est campus Lupi, a primo lat. fossatum Coire, a secundo latere Lambardus, a tercio latere Ambrosinus, a quarto latere domina Curtese. Tertia petia est campus Brusasurisi, a primo latere tenet domina Curtese & est fossatum communis, a secundo latere est via, a tertio latere tenet Peppus Monachi, a quarto latere tenet Ambrosius de Abbate, & Peppus de Monacho. Quarta petia est Culmareta de Savici, a primo latere est fossatum communis, a secundo latere tenet sancta Maria de Muro, a tercio est jus dicte plebis sancti Stephani, a quarto latere tenent Sapii. Quinta petia est runcus de flumine, a primo latere est via, a secundo latere tenet Rambaldus, a ter-

a tercio latere domina Curtese. Sexta petia la Duza, a primo latere est strata, a secundo latere Viola, a tertio latere tenet Rambaldus, a quarto latere Peppus de Monacho. Septima petia est Cosanternale, a primo & secundo latere est via, a tertio latere tenet Paulus Traversaria, a quarto latere est jus ecclesie sancti Martini in Cortina. Octava petia est posita in Fossauria, a primo latere est via, a secundo latere tenet Lambardanus, a tertio latere Guido P.., a quarto Peppus de Monacho. Nona petia est posita in Labudria, a duobus lateribus tenet domina Curtese, a tertio ecclesia de Cortina, a quarto latere Rainerius Saltisarii. Decima petia est in flumine Monto, a primo latere tenet ecclesia de Cortina, a secundo latere Vitalis Tuscus, a tercio latere tenent Vitali de Mengolo & Martinus de Castello, a quarto latere Petrus Dusdei. XI. petia est posita in Runcodoplo, a primo latere tenet Guido Michael, a II. latere Paulus Traversaria, pro illa que fuit Martini, a tercio latere est flumen Allamonis, a IV. latere tenet Corradinus. XII. petia est posita in Ruffi, a I. latere tenet Guido Bellonis & ejus frater, a II. latere Manfredi, a III. latere Mattheus .... a IV. latere Guido Accaresii & Paulus Traversaria. XIII. petia est posita in Ruffi, a I. latere est strata.... a II. latere tenent Johannes Gitius & Petrus Andree & Rundelli. XIV. petia est in Montarellis, a I. lat. tenet Petrus Rambaldi, a II. Grillus & comes Bernardinus, a III. lat. Paulus Traversaria, a IV. lat. Johannes de Retha & Ambrosius Abbatis. XV. petia est posita in Cortina de supra, a primo lat. est via, a II. lat. tenet Guido P..te, a III. Tomasius de Castello, a IV. ecclesia sancti Petri in Androna. XVI. petia est posita in Cortina de supra, a primo lat. tenet ecclesia sancte Marie in Mauro, a II. Grillus, a III. Rainerius de Saltisano & ejus frater, a IV. Paulus Traversaria, & alibi ubicumque sit de dicto tenimento; prenominatas itaque res do concedo &c. in perpetuum quicquid placuerit faciendum infrascriptis annis de supradicto tenimento tempore innovationis pro pensione & renovatione solvere debeatis VI. denar. Rav. tantum &c. & pro jamdicta ecclesia omni anno nomine census &c. unum denar. Rav. &c. sub pena dupli suprascripte pensionis & renovationis & census &c. Interfuerunt testes dominus Guido quondam bullator domini pape, presb. Stephanus capellanus dicti domini episcopi, Vasolus, Alexander clericus, Mantuanus & Johannes canavarius ipsius domini episcopi. Et ego Peppus de Castello sancte Rav. ecclesie & imperialis not. hiis omnibus interfui, qui hunc contractum rogatu predictorum scripsi, & ad perennem memoriam in publicam formam redegi. Item sub eodem anno die XIV. exeunte mense aprilis indictione VII. in claustro monasterii sancti Benedicti in Alpibus, presentibus Vitali & Alberto &c. dompnus Johannes, dompnus Cambius, dom. Jacobus, dom. Guilielmus & dom. Benvenutus monachi dicti monasterii, & Guilielmus, Martinus, Johannes & Peppus conversi dicti monasterii huic contractui consenserunt, & illum approbaverunt. Item die XIII. exeunte dicto mense indictione suprascripta apud ecclesiam novam, presentibus Acurlialcri, & Albertino ac me dicto not. dompnus Bonus monachus dicti monasterii huic contractui consensit & illum approbavit. Hiis omnibus interfui ego suprascriptus notarius, qui hos consensus & approbationes predictas rogatu predictorum scripsi, & in publicam formam & ad perpetuam memoriam redegi.

CCCXXX.

Chartæ tres pro monasterio S. Adalberti in Pereo.

Anno 1234. VIII. x. XI. julii.

Ex archivo marchionis Rangonii.

IN nomine Domini. Anno a nativitate ejus M. CC. XXXIV. die VIII. intrante julio indictione VII. in ecclesia majori Ravenne. Domnus Thedericus jamdicte ecclesie Ravennatis archiepiscopus, presentibus & consentientibus dominis presbyteris Alberto & Johanne, Ugolino & Jacobo diaconibus, Rainerio & magistro Stephano subdiaconis cardinalibus, & dominis Petro de Regio & Nicola, Guidone, Brando & magistro Benedicto cantoribus dicte ecclesie Ravennatis fratribus suis, nomine & vice archiepiscopatus & ecclesie Ravennatis predicte ex una parte, & domnus Jacobus prior Celle-volane, presentibus & consentientibus domno Johanne Romano, & domno Morando fratribus suis, nomine & vice dicte Celle & monasterii sancti Adalberti ex altera, compromiserunt in domnos Johannem archidiaconum & Julianum prepositum supradicte *Ibidem.*

 eccle-

ecclesie Ravennatis tamquam in arbitros & arbitratores seu amicabiles compositores de omni lite & questione, que inter eos vertebat occasione supradicti monasterii sancti Adalberti tam in reverentiis, obedientiis, & subjectionibus faciendis ecclesie Ravennati, quam in renovationibus faciendis ab ecclesia Ravennate ipsi monasterio seu priori Celle-volane nomine ipsius monasterii sancti Adalberti seu aliis. Dantes predicte partes licentiam & plenam potestatem dictis arbitris arbitrandi, laudandi seu precipiendi quidquid voluerint super predictis vel aliquo predictorum. Ita tamen, quod in quantum poterunt, arbitrari debeant super premissis de communi voluntate partium, alioquin eorum arbitrio & voluntate arbitrari possint & debeant precipere, seu quod viderint expedire in toto vel in parte, & hoc facere possint diebus feriatis vel non feriatis, quibus feriatis expresse partes renuntiaverunt, recti stando vel sedendo, una parte presente vel altera absente, dummodo fuerit legitime citata, juris ordine servato vel non servato, & arbitri possint quomodocumque & qaalitercumque & quacumque hora voluerint, & declarare, si quid dubium vel obscurum apparuerit in eorum arbitrio in uno vel pluribus capitulis infra annum & diem a die lati arbitrii, & renuntiavit dictus prior presentibus predictis fratribus suis nomine suo & vice suorum fratrum Celle-volane, & monasterii sancti Adalberti, quod nullo in tempore dicere possint vel allegare, vel aliquis pro eis, quod dicti arbitri judices essent, vel arbitrati fuissent in causa sua, pro eo quod clerici essent ecclesie Faventine. Promiserunt insuper dicte partes ita facere & procurare, quod omnes sui fratres ex utraque parte in hoc compromisso subscriberent, & in arbitrio priusquam latum fuerit, similiter subscriberent eodem modo, & quod ipsum ratum habebunt atque firmum, hec omnia & singula supradicta predicte partes sunt se vicissim pro eis eorumque fratribus & successoribus & ipsis arbitris observare, firma tenere & non contra aliquando facere vel venire occasione aliqua vel exceptione, solemni stipulatione promiserunt sub pena a parte non observante observanti & ipsis arbitris solvenda C. lib. Ravennatum, que in quolibet capitulo non observato in solidum committatur, & peti possit ac exigi cum effectu, & toties committatur, quoties contraventum fuerit, & ea commissa & soluta, & arbitrio seu laudo dictorum arbitrorum stare, parere, & obedire.

Testes interfuere domnus Falcus & Benvegnutus monachi, presbyter Rigo, Gerardus ostiarius ecclesie Ravennatis, Rigo Celle-volane, Bartholomeus & Rainerius tabelliones ad suprascripta rogati.

Et ego Artusius Dei gratia sacri imperii, & ecclesie Ravennatis tabellio omnibus suprascriptis presens fui, & sicut superius legitur, scripsi & publicavi, suprascriptis partibus & arbitris scribere mandantibus.

Ego presbyter Albertus cardinalis Ravennas in hoc compromisso consentiens subscripsi.

Ego presbyter Johannes cardinalis &c. ss.

Ego Ugolinus cardinalis & diaconus &c. ss.

Ego Jacobus cardinalis diaconus &c. ss.

Ego Rainerius subdiaconus cardinalis &c. ss.

Ego Petrus diaconus cantor &c. ss.

Ego presbyter Arnulfus cantor &c. ss.

Ego Brandus cantor &c. ss.

Ego Guido diaconus cantor &c. ss.

Ego Bernardus diaconus cantor &c. ss.

Ego presbyter Guilielmus ss.

Ego presbyter Jacobus ss.

Ego Johannes diaconus ss.

Ego presbyter Palmerius ss.

Ego frater Ubertinus subdiaconus ss.

Ego Rainerius coronatus jure notarius de mandato & voluntate fratris Guidonis magistri ss.

In nomine Domini. Anno a nativitate ejus M. CC. XXXIV. die X. intrante julio indictione VII. in ecclesia majori Ravenne, presentibus Johanne Aurioli & Candelino vicecomitibus domini archiepiscopi Ravennatis, Drudetto, Rainerio notario, Castel-novo & aliis pluribus testibus.

Thedericus permissione Divina sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus domno Jacobo priori Celle-volane pro ecclesia sancti Adalberti, suisque successoribus in perpetuum. Sacerdotalis nos contemplatio premonet illa semper considerare & disponere, que ad augmentum & diligentiam vel restaurationem venerabilium pertinet locorum, ut ne nobis de improvidentia eorum, quorum regiminis cura committitur, quoquomodo adscribatur ad culpam, sed magis non solum ad congregationem inopum, sed etiam in Christi laudibus merces nobis tribuatur a Domino; proinde largimur vobis premi-

nominato Jacobo priori Celle-volane pro predicta ecclesia sancti Adalberti vestrisque successoribus in perpetuum, idest monasterium sancti Michaelis archangeli situm territorio Comaclensi, quod vocatur Alione, cum omnibus rebus & pertinentiis suis, cum suis justis & certis in terra fines ejus hi sunt; ab uno latera terra sancte Marie in Pado-vetere, ab alio latere media Tribba, a tertio latere medium Mortizium, atque a quarto latere medium Verzonese percurrente. Dantes vobis in mandatis usque dum vos Deus sua dextera protegens gubernare censuerit, presbyterum inibi ordinare debeatis, qui ibidem consistat diebus noctibusque laudes conditori Deo nostro reddere debeat gratia prefate ecclesie sancti Adalberti. Ita tamen ut omni anno inferre debeatis vos vestrique successores nobis nostrisque successoribus & ecclesie Ravennati in festivitate sancti Michaelis archangeli unam libram cere, quatinus pro talibus collatis obsequiis nostra exiguitas eterne indulgentie veniam consequi mereatur. Si quis vero contra hujus nostre preceptionis paginam facere vel venire presumpserit, trecentorum decem & octo sanctorum patrum anathematis vinculo vulneretur; observator autem qui extiterit, benedictione Domini redundet.

Quam preceptionis paginam ego Artusius Dei gratia sacri imperii, & ecclesie Ravennatis tabellio mandato suprascripti nostri domini archiepiscopi Ravennatis scripsi & publicavi, ac predictis omnibus presens fui.

Anno a nativitate Domini millesimo cc. xxxiv. die xi. intrante julio indictione septima in palatio archiepiscopatus Ravenne, presentibus domnis Johanne archidiacono, & Juliano preposito, presbytero Johanne, Ugolino & Jacobo diaconibus, & Rainerio subdiacono cardinalibus, presbytero Arnulfo & Guidone cantoribus ecclesie Ravennatis, & aliis testibus. Dompnus Jacobus prior Cellevolane & ecclesie sancti Adalberti de supra Pado pro ipsa ecclesia sancti Adalberti ex forma arbitrii lati inter dominum Thedericum archiepiscopum Ravennatem, & ipsum priorem representatus a domno Morando fratre suo coram dicto domino Thederico archiepiscopo Ravennate electionem de se factam in priorem dicte ecclesie sancti Adalberti, ab eo petiit confirmari. Quem cum dictus dominus archiepiscopus confirmasset, investivit eumdem priorem per librum & stolam de spiritualibus & temporalibus in dicta ecclesia sancti Adalberti, qui prior promisit ipsi domino archiepiscopo servare sibi fidem & reverentiam & obedientiam promisit eidem. His ego Artusius Dei gratia sacri palatii & ecclesie Ravennatis tabellio presens, sicut supra legitur, scripsi & publicavi.

CCCXXXI.

Gregorii IX. *demandatio, ut observetur compromissio pro monasterio Classensi, inter archiepiscopum & ipsum cœnobium.*

Anno 1234. xv. kal. septembris.

Ex eodem Rangoniano tabulario.

GRegorius episcopus servus servorum Dei .. abbati sancti Mercurialis Liviensis, .. archipresbytero Galiatensi Ravennatis diocesis & .. preposito ecclesie Populiensis salutem & apostolicam benedictionem. Venerabilis fratris nostri Ravennatensis archiepiscopi exhibita nobis petitio continebat, quod cum inter ipsum & priorem Camaldulensem super monasterio sancti Apollinaris in Classe ac pertinentiis ejus coram venerabili fratre nostro episcopo Castellano auctoritate apostolica questio verteretur, tandem in .. vicarium Camaldulensem & Benedictum monachum Classensem de assensu ejusdem episcopi fuerit a partibus tamquam in arbitros sub certa pena concorditer compromissum, qui equum inter eas arbitrium protulerunt, quod idem archiepiscopus apostolico petiit munimine roborari. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus arbitrium ipsum, sicut est equum, faciatis per penam in compromisso expressam, sublato appellationis obstaculo, inviolabiliter observari. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Spoleti xv. kalendas septembris pontificatus nostri anno octavo. *Ibid. n. 16.*

Pendet sigillum plumbeum cum literis. GREGORIUS IX.

CCCXXXII.

Electio rectoris S. Andree de Petra.

Anno 1234. IX. kal. novembris.

Ex archivo S. Mariæ Angelorum de Florentia.

Ibid. n. 18. IN Dei nomine, amen. Anno Dominice incarnationis M. CC. XXXIV. indictione octava IX. kalendas novembris dominus Ranerius quondam item domini Ranerii de Monte, Tigno Solici, Galganus quondam Oddi de Pietra patrones, ut asserebant, infrascripte ecclesie ad honorem Dei, & sanctorum meritorum ecclesie infrascripte, & domini Pagani Vulterrani episcopi, & suorum consortum, & ad honorem hominum omnium de la Pietra, communi .... inter se habita, in rectorem & dominum ecclesie sancti Andree, sancti Salvatoris, & sancte Agate de la Pietra Albertum subdiaconum filium quondam Uguccionis de la Pietra elegerunt, & conuccaverunt.

Actum in Castro-Florentino coram Gherardo clerico, & Nero fratribus, & filiis domini Guidonis de Catignano, Berardono quondam Palmerii, & Jacobo de la Spanmara testibus.

Ego Ranuccius judex & notarius quondam Roggerii notarii de Castro-Florentino predicta omnia olim rogata, & inbreviata per dominum Roggerium quondam patrem meum, & in per Beliccum notarium quondam Cambii de Camiano, cui commissa erant per ...... scribendi, & publicandi commissa predicta omnia & singula scripsi & publicavi, ideoque subscripsi.

CCCXXXIII.

Confirmatio ejus electionis.

Eodem anno VI. kal. novembris.

Ex ipso tabulario.

Ibidem. IN Dei nomine, amen. Anno ejusdem M. CC. XXXIV. indictione VIII. VI. kal. novembris. Pateat evidenter cunctis hanc paginam inspecturis, quod nos frater Bonbonus monachus monasterii de Elmo, & prior canonice, sive ecclesie sancti Mariani, & sancti Bartholomei ordinis Camaldulensis Vulterrane diecesis recepta nobis presentata per Albertum subdiaconum filium quondam Uguccionis de la Pietra electione de ipso facta, & celebrata per patronos, quibus ipsa electio devenire, spectare & pertinere videbatur, scilicet in rectorem & pastorem ecclesie sancti Andree de la Pietra Vulterrane diecesis, habita diligenti examinatione super electionem, & predicti electi scientiam & personam, confisi de ipsius idoneitate & honestate, & quia invenimus omnia legitime celebrata, Dei nomine invocato, predictum Albertum, ut nobis competit, in rectorem, pastorem & gubernatorem ecclesie sancti Andree de la Pietra predicte legitime confirmamus, sibi administrandi auctoritatem & licentiam concedentes.

Actum in claustro abbatie de Elmo, presente domino Jacobo abbate dicti monasterii, & domno Ildebrando ejus monacho, & domno Inghiramo Albertini, & Bonchristiano Ugolini testibus ad hec vocatis & rogatis.

Ego Petrus Ingoli de Ferlivio &c. notarius &c.

CCCXXXIV.

Delegatio pontificia pro monast. S. Michaelis Pisarum.

Anno 1235. kal. decembris.

Ex apographo Grandiano.

IN nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen. Anno Domini millesimo ducentesimo XXXV. indictione IX. ipso die kalendarum decembris. Presenti scriptura pateat manifeste summe sedis antistitem mihi Philippo priori ecclesie sancti Petri in Silice in hoc ordine conscripsisse. Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori sancti Petri in Silice Vulterrane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Dilecti filii .. abbas & conventus monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum Camaldulensis ordinis nobis conquerendo monstrarunt, quod .. abbas sancti Viti, Bonaccursus de Cane miles, & quidam alii clerici & laici Pisan. Lucan. & Vulterran. diocesum super decimis, possessionibus, mortuariis, & rebus aliis injuriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audias causam, & appellatione remota debito fine decidas &c. Datum Perusii VIII. kal. novembris pontificatus nostri anno VIII. Quarum literarum auctoritate ad peti- Ibid. n. 16.

tio-

tionem Jacobi quondam Bonacursi sindici abbatis & conventus prefati monasterii citari feci per presbyterum Donatum sancti Laurentii de Rivolta presbyterum Abbatem capellanum sancti Jacobi de Mercato Pisano VII. kal. augusti, ut ipse se meo conspectui presentaret ab inde ad x. dies, & si tunc non posset, protraheret ab inde ad alios x. dies coram me veniret, prefato abbati vel ejus sindico rationabiliter responsurus, sicut apparet de hac citatione per literas presbyteri Donati sancti Laurentii suo proprio sigillo munitas. Qui presbyter Abbas contemnens jurisdictionem & auctoritatem meam, immo potius summi pontificis, in terminis sibi assignatis non venit, nec comparuit per se, nec per legitimum responsorem, immo contumax extitit & existit. Qui Jacobus prenominatus sindicus prefati monasterii veniens & comparens coram me petebat & petiit pro dicto monasterio contra prefatum presb. Abbatem in hunc modum. Coram vobis domino Philippo Dei gratia priore sancti Petri in Silice Vulterranensis, domini pape judice delegato, agit Jacobus quondam Bonaccursi procurator & actor monasterii sancti Michaelis de Burgo Pisarum contra presb. Abbatem capellanum sancti Jacobi de Mercato Pisano, & contra ipsam ecclesiam, petens ab eo nomine prefate ecclesie, quod annuatim in festivitate sancti Michaelis mensis septembris, quando Missa major celebratur, propriis manibus in signum jurispatronatus vel ipso jure ponat in altare sancti Michaelis predicti tres libras bone cere nove, & dictum abbatem & successores ejus pro predicto monasterio ipse & ejus successores nomine dicte ecclesie sancti Jacobi pro patrono teneat in omnibus & perpetuo recognoscat. Predicta petit jure canonum, & legum & judicis delegati officio, sicut pro expensis petit . . . . Unde ego prefatus prior domini pape judex delegatus, volens ejus mandatum, prout teneor, adimplere, volens etiam contemptores summi pontificis & Romane ecclesie punire juxta tramitem rationis, prefatum presbyterum Abbatem sua contumacia exigente sententialiter adjudico contumacem ad instantiam & petitionem prefati sindici, & quia parum prodesset humilibus obedientia, si contemptus contumacibus non obesset, prenominatum Jacobum sindicum prefati monasterii sententialiter pronuncio & adjudico fore mittendum in possessionem rerum & bonorum prefati presbyteri ecclesie sancti Jacobi de Mercato Pisano causa rei servande in tot & tantis scilicet bonis & rebus, que comprehendat valentia trium librarum bone cere nove annuatim dande & ponende in signum juris patronatus super altare monasterii sancti Michaelis, & adjudico eundem sindicum prefati monasterii fore mittendum in possessionem vel quasi patronatus vel juris patronatus petiti, & ut hec omnia & singula habeat & quiete possideat, & omnia que de contumacibus statuta sunt, inde proveniant, ita quod infra annum idem presbyter veniens hanc sententiam infringere volens, non audiatur, nisi primo judicio sisti perstiterit cautionem, & restituerit expensas factas occasione contumacie, in quibus expensis & .... contumacie in antea factis eumdem presbyterum prefato sindico sententialiter condemno.

Data Vulterris ante ecclesiam sancti Petri in Silice, presentibus presbytero Guido, & presbytero Rustico, & Andrea notario quondam Minnonis, & pluribus aliis rogatis testibus.

Ego Seragogus sacri imperii notarius his omnibus interfui, & de mandato suprascripti domini prioris, ut superius legitur, scripsi.

CCCXXXV.

Gregorius IX. eximit monasteria Pisana a subsidio imposito ab archiepiscopo.

Anno 1235. idibus januarii.

Ex tabul. Fontis-boni. §. Brevia n. 47.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio . . preposito de Prato Pistoriensis diocesis salutem & apo- *Ibid. n. 19.*
stolicam benedictionem. Significantibus dilectis filiis .. priore & conventu Camaldulensis heremi nobis innotuit, quod cum nuper mandaverimus abbatibus, prioribus & aliis ecclesiarum prelatis civitatis & diocesis Pisan. ut venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Pisan. porrigerent manum auxilii pro debitis persolvendis, que contraxit apud sedem apostolicam pro expensis, idem hac occasione ad sancti Savini, sancti Zenonis, sancti Michaelis de burgo, sancti Fridiani & sancti Stephani de Cintoria monasteria ejusdem ordinis predictarum civitatis & diocesis manus extendens, illorum abbates & priores, in quibus nullam iurisdictionem optinet, cum ecclesie Romane sint immediate subjecta, ad id, tamquam alios

sibi subjectos pro sue compellit arbitrio voluntatis. Cum autem intentionis nostre non fuerit, quod predicta monasteria tali pretextu super hoc molestare deberet, eidem archiepiscopo nostris damus literis in mandatis, ut ab hujusmodi monasteriorum molestia conquiescens, si quas propter hoc excommunicationis vel interdicti sententias in eosdem abbates, priores vel monasteria seu parochias eorum protulit, studeat revocare. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, dicto archiepiscopo in executione mandati nostri cessante, tu auctoritate nostra relaxes sententias memoratas, contradictores per censuram &c. non obstantibus literis nomine abbatum & priorum ipsorum super hiis a nobis ad ven. fratrem nostrum .. Pistoriensem episcopum impetratis.

Datum Perusii idibus januarii pontificatus nostri anno octavo.

CCCXXXVI.

Gregorius IX. confirmat monasterio S. Apollinaris in Classe ecclesiam S. Mariæ novæ Fani.

Anno 1236. XVI. kal. julii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

ibid. n. 32. GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. abbati & conventui monasterii sancti Apollinaris in Classe Camaldulensis ordinis Ravennatensis salutem & apostolicam benedictionem. Justis petentium desideriis dignum est facilem prebere consensum, & vota, que a rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu ecclesiam sancte Marie nove Fanen. cum pertinentiis suis, quam vos canonice proponitis obtinere, sicut eam juste & pacifice possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c.

Datum Interamne XVI. kal. julii pontificatus nostri anno decimo.

CCCXXXVII.

Donationes factæ monasterio Insulano.

Anno 1237. XVI. martii.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Donatio n. 424.

IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem M. CC. XXXVII. indictione x. die XVI. intrante martio, tempore Gregorii pape & Federici imperatoris ad domum Johannis Orlandini ibi prope. Nos quidem in Dei nomine Jacobus & Philippus de Rondenar... per nos, nostrosque heredes & successores pro redentione animarum nostrarum & specialiter pro anima Rodulfi filii mei & Jacobi damus & donamus tibi domno Uguccioni abbati monasterii sancte Marie de Insula recipienti pro te tuisque fratribus & successoribus proprio nomine dicti monasterii; videlicet totam nostram jurisdictionem, quam nos habemus in villa Spogne de sotto cum guaitis cludendis castri, & collecta denariorum, si aliquando faceret, silvis, pascuis & pasturis, venationibus, piscationibus, & unum mansum, que dicitur domus Machagnam cum suis servitiis debitalibus & aliis factionibus, quas autem damus & donamus cum omnibus juris & actionibus, que & quos habemus & habere speramus, & damus tibi licentiam in continenti apprehendendi dicta jura & servitia, & inquirendi eas prout tibi placuerit nomine dicti monasterii ad habendum, tenendum, utendum, fruendum, &c. Preterea promittimus nos jamdicti Jacobus & Philippus per nos nostrosque heredes & successores tibi dicto abbati tuisque fratribus & successoribus in perpetuum legiptime defendere, guarentare & auctorizare ab omnibus personis sub pena centum solidorum Ravennatum a nobis tibi solempni stipulatione promissa, qua data vel non omnia superius dicta firma permaneant. *ibid. n. 28.*

Actum apud villam Valbone, presentibus ...... duo Tiverio Led..... & presbytero Nicholao testibus .... vocatis.

Ego Claramons Montis-Guidi auctoritate imperiali notarius predictis omnibus interfui, & ut superius legitur ... rogatus scripsi.

CCCXXXVIII.

CCCXXXVIII.

Charta Valle-caſtrenſis.

Anno 1237. VII. exeunte aprili.

Ex archivo S. Blaſii de Fabriano.

Ibidem. IN nomine ſancte & individue Trinitatis. Anno Domini M. CC. XXXVII. die VII. exeunte menſe aprilis regnante domno Frederico imperatore indictione X. Ego quidem domnus Petrus abbas eccleſie ſancti Romualdi monaſterii Vallis-caſtri ... *&c.* preſentibus & conſentientibus magiſtro Bono ſindico ejuſdem monaſterii & donno Adpradino capellano eccleſie ſancte Lucie nomine dictarum eccleſiarum do, concedo atque readfirmo tibi Morico filio quondam Ugolini Ugonis, & Rainaldo filio quondam .... veſtriſque filiis & nepotibus legitimis maſculis uſque in tertiam perſonam terram dictarum eccleſiarum poſitam in fundo Vigandi, confines cujus hi ſunt, a primo latere adeſt foſſatum, a ſecundo tenent filii Actonis Venge cum ſuis conſortibus, a tertio latere filii Gregorii cum ſuis conſortibus, a quarto latere filii Charangeli cum ſuis conſortibus, vel ſi qui alii ſunt confines ſeu vocabula cum ſuperioribus & inferioribus *&c.* ad habendum *&c.* per quatuor libras librarum Ravennatium & Anconitanarum, quas confiteor me a vobis recepiſſe *&c.*

Actum in villis Cinguli ante eccleſiam ſancti Superantii.

Ego Angeloccius notarius his omnibus interfui, ut ſuperius legitur, rogatus ſcripſi & publicavi.

CCCXXXIX.

Chartæ IV. pro monaſterio S. Adalberti in Pereo compoſitionis cum Thederico archiep. Ravennæ.

Anno 1237. XII. ſeptembris.

Ex archivo marchionis Rangonii.

Ibid. n. 13. ANno a nativitate Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo ſeptimo intrante ſeptembri indictione decima in palatio archiepiſcopatus Ravenne, preſentibus domno Ugolino Zaffarame, & Jacobo Galliatenſe teſtibus. Dominus Thedericus ſancte Ravennatis eccleſie archiepiſcopus auctoritatem ſuam preſtitit domno Johanni de Roſa judici, quod poſſit arbitrari & laudare ſuper ſpecialibus cum dominis Johanne archidiacono & Juliano prepoſito eccleſie Ravennatis arbitris cum eo electis & Rigone Mariſcalco ſyndico dicti domini Thederici archiepiſcopi Ravennatis, & domno Liberio prepoſito & ſindico Celle-volane & eccleſie ſancti Adalberti de ſupra Pado ſuper concambio inter eos facto de eccleſia ſancti Pauli de Ferraria, & juribus & pertinentiis ſuis, & procurationibus, redditibus & penſionibus, quas dominus archiepiſcopus recipiebat a predicta eccleſia, & ſancti Adalberti. Item eadem die loco & predictis teſtibus preſentibus predictus domnus Liberius prepoſitus Celle-volane & ſyndicus capituli ejuſdem Celle-volane, & eccleſie ſancti Adalberti vice & nomine predictarum eccleſiarum & capitulorum ejuſdem per ſtipulationem promiſit Rigoni Mariſchalco ſyndico predicti domini Thederici archiepiſcopi recipienti vice & nomine eccleſie Ravennatis, & pro ipſa eccleſia, quod eo pretextu, quod domnus Johannes de Roſa ſit excommunicatus, contra arbitrium ab eo ferendum inter dominum archiepiſcopum Ravennatem vel ejus ſyndicum ex una parte, & domnum Liberium prepoſitum Celle-volane ſyndicum ejuſdem Celle & eccleſie ſancti Adalberti ex altera ſuper eccleſiam ſancti Pauli de Ferraria & aliis, que in compromiſſo ab eis facto continentur, non excipiet, nec contraveniet ipſe vel aliquis pro predictis eccleſiis ullo in tempore vel contra dictum arbitrium faciet ſub pena centum librarum Ravenne, que in predicto compromiſſo continetur, cum dictus Johannes Roſa arbitrari deberet cum domnis Johanne archidiacono & Juliano prepoſito eccleſie Ravennatis ſuper concambio inter eos facto de eccleſia ſancti Pauli de Ferraria & juribus & pertinentiis ſuis *&c.*

Hiis omnibus ſupradictis ego Artuſinus *&c.* notarius *&c.*

Anno Domini M. CC. XXXVII. die XII. intrante ſeptembri indictione X. in palatio archiepiſcopatus Ravenne, preſentibus domino Ugolino, domino Johanne Arfolini, Rainulfo Zaffarame, Rodolfino Verardi & Bolgarello teſtibus. Dominus Thedericus ſancte Ravennatis eccleſie archiepiſcopus pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus & eccleſia Ravennate ad petitionem & repreſentationem domni Liberii prepoſiti & ſyndici eccleſiarum Celle-volane & ſancti Adalberti de ſupra Padum, pro ſe ſuiſque fratribus, & pro ipſis ec-

eccle-

clesiis confirmavit domnum Johannem de Roma in priorem ecclesie sancti Adalberti de supra Pado, & eumdem domnum Johannem investivit per librum de omnibus spiritualibus & temporalibus in predicta ecclesia sancti Adalberti dicens: Nos investimus te de omnibus spiritualibus & temporalibus in ecclesia sancti Adalberti, ut curam habeas & sollicitudinem in predictis. Quam confirmationem & investituram dictus Johannes de Roma a predicto domino archiepiscopo benigne & devote recepit osculando sibi manum.

Hiis ego Artusius Dei gratia sacri imperii & sancte Ravennatis ecclesie tabellio presens, sicut supra legitur, scripsi & publicavi.

Anno a nativitate Domini M. CC. XXXVII. die XII. intrante septembri indictione decima in palatio archiepiscopatus Ravennatis. Thedericus sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus auctoritatem suam prestitit domino Johanni de Rosa judici, quod possit arbitrari cum dominis Johanne archidiacono, & Juliano preposito ecclesie Ravennatis arbitris cum eo electis a Rigone Mariscalco sindico dicti domini archiepiscopi Ravennatis, & dompno Uberto preposito & sindico Celle-volane, & ecclesie sancti Adalberti de supra Pado, super concambio inter eos facto de ecclesia sancti Pauli de Ferraria, & juribus & pertinentiis suis, & procurationibus, redditibus & pensionibus, quas dictus archiepiscopus recipiebat a predicta ecclesia sancti Adalberti.

In nomine Christi amen. Nos Johannes archidiaconus & Julianus prepositus ecclesie Ravennatis & Johannes de Rosa judex arbitri, arbitratores seu amicabiles compositores electi a Rigone Mariscalco syndico domini Thederici archiepiscopi Ravennatis nomine archiepiscopatus & ecclesie Ravennatis ex una parte, & domno Liberio preposito Celle-volane syndico conventus ejusdem Celle-volane & ecclesie sancti Adalberti de supra Pado nomine ipsarum ecclesiarum ex altera, super declaratione & reformatione arbitrii lati & facti inter predictum dominum archiepiscopum Ravennatem nomine ecclesie Ravennatis, & priorem Celle-volane nomine ecclesie sancti Adalberti, & super permutatione facienda cum domino archiepiscopo & ecclesia Ravennate de ecclesia sancti Pauli de Ferraria cum juribus & pertinentiis suis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, & super procurationibus, pensionibus & redditibus, quos dominus archiepiscopus percipere debebat in ecclesia sancti Adalberti, facto in nobis compromisso ab utraque parte super predictis, ex vigore compromissi in nos facti, in primis sic dicimus, laudamus & arbitramur, quod ubi dicitur & legitur in arbitrio lato per nos Johannem archidiaconum & Julianum prepositum ecclesie Ravennatis, quod ille, qui electus fuerit in priorem & majorem ecclesie sancti Adalberti a fratribus ipsius ecclesie declaretur sic, a fratribus ipsius ecclesie scilicet Celle-volane, & sancti Adalberti, & addimus in hoc arbitrio, quod ille, qui electus fuerit in rectorem & priorem sancti Adalberti, sive fuerit idem prior Celle-volane & sancti Adalberti, sive alius, teneatur dominus archiepiscopus ipsum confirmare, & ubi dicitur in illo arbitrio per librum & stolam recipiat investituram, dicat per librum tantum, & removeatur stola. Item precipimus & arbitramur, quod prior & capitulum Celle-volane & sancti Adalberti & eorum syndicus dent & concedant libere in perpetuum domino archiepiscopo recipienti pro se & suis successoribus & syndico ecclesie Ravennatis ecclesiam sancti Pauli de Ferraria sitam in civitate Ferrarie prope palatium communitatis ejusdem cum cimiterio suo & parochia, & cum omnibus spiritualibus suis & domibus positis prope ecclesiam predictam sancti Pauli cum lateribus suis; latera ecclesie sancti Pauli sunt hec. A primo latere Selegata, a secundo latere Azolinus filius domini Luizi, a tertio Gerardinus Bizanus & dominus Luizius & domina Imelda Tuttabene, & Brina & Gratiadeus Bonisegnoris, & Brina & frater ejus. Latera domus, in qua stat sacerdos, a primo habet Cocanile & Gandulfinus Daniette, & Ramaninus tabellio, a secundo Sazetus judeus, & Christianus filius Fallasuppe, & Eliazar judeus, dominus Rainaldinus, & domina Maria Coradini, a tertio dominus Leonardelus, a quarto Brina & frater ejus, & dent & concedant libere in perpetuum eidem domino archiepiscopo vineam positam in Candirolo intra hos confines, a duobus lateribus via pubblica communis, a tertio Mechisinus Rubei Manthoe, a quarto ecclesia omnium Sanctorum, & campum terre positum in loco, qui dicitur Dalamissione infra hec latera, a primo latere via communis, a secundo Mercatellus Solosmere, & Johannes de Cimona, & Mas-

& Massarius filius quondam Guidonis Tonore, & Vitalis filius quondam Johannis de Quartisana, & Nascimbene tabellio, a tertio Bendo Minittus & Petrettus faber, a quarto via communis cum omnibus juribus, actionibus & rationibus, realibus & personalibus, directis & utilibus pertinentibus ad supradicta, salvis aliis juribus & redditibus, quos percipere debet ecclesia sancti Adalberti in Ferraria, vel districtu ejusdem. Item laudamus & arbitramur, quod dominus archiepiscopus predictus Tedericus pro se & suis successoribus & ecclesia Ravennate & ejus sindicus dent, concedant & in totum remittant in perpetuum priori & capitulo Celle-volane & sancti Adalberti nomine ipsarum ecclesiarum & earum syndico annuam procurationem, quam recipere debebat ipse dominus archiepiscopus ab iisdem cum numero XVI. equorum & XXV. personarum. Item arbitramur & precipimus, quod dominus archiepiscopus & ejus syndicus dent, & concedant & remittant in totum eidem priori & capitulo Celle-volane & sancti Adalberti in perpetuum & eorum syndico sex sextaria grani, & novem denarios Ravennates., & duas libras cere, que omnia dictus dominus archiepiscopus recipere debebat nomine dicte pensionis ab ecclesiis Celle-volane & sancti Adalberti annuatim, retentis duabus libris cere solvendis annuatim domino archiepiscopo ecclesie Ravennatis in signum dominii & reverentie ecclesie Ravennatis a predicto capitulo pro ecclesiis sanctorum Cosme & Damiani, & sancti Michaelis de Pado-veteri, & pro aliis pensionibus omnibus, olim ecclesie Ravennati solvendis vel solutis. Item laudamus, precipimus & arbitramur, quod subscriptiones fratrum fieri debeant ex utraque parte, tam in presenti arbitrio, quam in concessionibus & remissionibus faciendis. Hec omnia & singula precipimus a partibus observari sub pena C. librarum Ravennatum, que in compromisso continetur, & ea soluta vel commissa omnia & singula suprascripta rata remaneant atque firma.

Latum est hoc arbitrium, presentibus ambabus partibus suprascriptis die duodecima intrantis septembris indictione decima in palatio archiepiscopatus Ravenne, presentibus domino Ugolino, domino Johanne Azzolini, Rainulfo Zaffarame, Rodulfino Verardi, & Bolgarelo testibus, ac me Artusio Dei gratia sacri imperii sancte Ravennatis ecclesie tabellione, qui, ut supra legitur, scripsi & publicavi mandato supradictorum arbitrorum anno Domini M. CC. XXXVII.

CCCXL.

Gregorii IX. *literæ pro monast. Montis-christi.*

Anno 1237. VI. idus decembris.

Ex autographo S. Michaelis Pisarum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. abbati de Candicolis Camaldulensis ordinis Florentine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Sua nobis conventus Montis-christi Camaldulensis ordinis Massanensis diocesis petitione monstrarunt, quod cum nos olim intellecto, quod eorum monasterium propter malitiam habitantium in eodem graviter in spiritualibus collapsum fuerat & in temporalibus diminutum, correctionem & reformationem ipsius ex officio nostro priori Camaldulensi duxerimus committendam; idem prior ad monasterium ipsum accedens non solum super hoc mandatum nostrum noluit adimplere, verum etiam ipsos pernicioso exemplo abbatum, monachorum & conversorum qui per eum illuc transmissi fuere, corrumpens, monasterium ipsum adeo collapsum in spiritualibus & diminutum in temporalibus dereliquit, quod nisi per sedis apostolice providentiam celeriter succurratur, eidem vix adjiciet, ut resurgat. Quo circa discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus, si est ita, personaliter ad monasterium ipsum accedens, & habens pre oculis solum Deum, auctoritate nostra ibidem tam in capite, quam in membris inquiras diligenter de omnibus, que correctionis & reformationis officio noveris indigere, nobis, que inveneris, fideliter rescripturus. Contradictores &c. *Ibid. n. 25.*

Datum Laterani sexto idus decembris pontificatus nostri anno undecimo.

CCCXLI.

Petri judicis Arborensis donationes monasterio S. Mariæ de Bonarcanto.

Circa annum 1237.

Ex apographo olim canonici Abrahamii.

Ibid. n. 27. IN nomine Domini, Amen. Ego Petrus de Laccono judice de Arborea & visconde de Basso ad honorem Dei & sancta Maria, & de totu sos Santos, & cum voluntade de donna Diana mugere mea donna de Arborea fazo custa carta & renovola a sancta Maria de Bonarcanto pro donatione, qui fecit donnu Ugo de Basso padre meu, & donna Preciosa de Laccono mamma mea, & ego la confirmo pro sa anima de babu meu & de mamma mea a su monasterium de sancta Maria de Bonarcanto pro piscare in mare ponte cum duas barcas, & in mare vivu, & fiant liberus, qui no lis leven paga, & no lis leven pisque de per unu tempus & fatolis libera su tapia, qui hat in ponte . . . . qui no lis levent paga, & lis partan pisque ne anguilla & bogolis, & omnia serbis cum de curadores . . . . de mandatores, & de majores de scolca, & de onnia cantu hat per totum regnu, qui no lis tolliat . . . . nen per unu homine mortale ad eternum nare custu bene, qui apo eo fattu a sancta Maria de Bonarcanto pro l' anima mia de padre meu & mamma mea, & de pro remissione de sos peccados meos & fatolis donatione juntamente cum su riu monte, qui est junctu a sa pisquera de mare ponte, qui lu narran Riu zena, qui sciat de sancta Maria de Bonarcanto in perpetuum, & non sint ausu non judice, qui hat esser de post me domicella, non donna, non domicella, non curadore, non majore, non armentarie, & non per elnuc homine mortale, qui istrumet Eustebene, qui at ordinadu & fatu ego Petru de Lacono judice de Arborea & visconte de Basso, & sunt testes Deus, santa Maria, & omnes Santos & Santas Dei, donnu Frodoru de Muru arquipiscobu de Arborea, & donnu Gontine de Scuru episcopu de Terralba & donnu Pedru de Martio episcopu de santa Justa, & Larenzu & Zorzi curadoro, & donnu Pedru Eccli.. & Pedru Martini, & Gontine de Martio curadores de su Campidanu, & Furadu de Core curadore de Narbolia, Arzocco prete & Gunnari Dorru, donnu Barusone Diana curadores de parte Valenza, & Gontine de Torre castellanu Ullarmella, & curadore de Barumene, & Gontine de Serra Precederu majore, & Manis, & Comida Spanu . . . . . . mayore & . . . . . . Cespuli mayore de Orisaquesos cum Galeanes suos. Et qui habet dicere, quia bonum est custu donu & donatione, qui fazo ego Petru de Lacono judice de Arborea a su monasteriu de sancta Maria de Bonarcanto, habet benedictionem de Deu & de sancta Maria, & omnes Santos & Santas Dei, Amen. Et qui habet dicere, quia male est, habeat maledictionem de Deus & de sancta Maria, & de totus sos Santos & Santas, Amen. Et habeat partem cum iniquo Herode, & cum Juda traditore & cum Diabul in infernum, fiat, fiat, amen.

CCCXLII.

Capitulum generale congregationis monachorum alborum S. Benedicti Paduæ.

Anno 1239. x. januarii.

Ex anecdotis mss. V. Cl. Joh. Brunatii pagg. 1307. & 1581.

IN nomine Dei eterni, amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo trigesimo nono indictione duodecima decimo intrante januario. Presentibus domino Dolacora archipresbytero Paduano, magistro Uguccione canonico Paduano, fratre Alberto fratrum Predicatorum ecclesie sancti Augustini de Padua, fratre Widone, & fratre Mattheo de Ricio ejusdem ordinis, fratre Agordino ministro fratrum Minorum ecclesie sancte Marie mater Domini de Padua, fratre Thomasio ejusdem ordinis, dominis Gerde, Innanso, & Gumberto de Vicoaggeris & aliis. Ad honorem omnipotentis Dei & beate Marie semper virginis & omnium Sanctorum. Cum priores ordinis sancti Benedicti de Padua & Paduane diocesis cum sociis suis assignatis a suis capitulis, videlicet dompnus Compagnus prior ecclesie sancte Marie de Porcilia & frater Castellanus pro suo conventu & capitulo, & dompnus Johannes prior ecclesie sancte Marie de Vanzo & frater Egidius pro suo conventu, & domnus Amizolus prior ecclesie sancti Jacobi de Ponte-corbo & frater Albertus pro suo conventu, & domnus Albericus prior ecclesie omnium Sanctorum, & frater Carlasare pro suo conventu, & donnus Jacobus Ibid. n. 33.

cobus

cobus prior ecclesie sancte Marie montis Crucis & frater Bonifacius pro suo conventu, & donnus Andreas prior ecclesie sancti Johannis de monte Vinearum Montissilicis, & frater Leuzus pro suo conventu, & domnus Fulco prior ecclesie sancte Juliane de Urbana & frater Fazabene pro suo conventu, & domnus Albertus prior ecclesie sancte Malgarite de Pulveraria & frater Paduanus pro suo conventu, & donnus Ugo prior ecclesie sancte Marie de Trexone de Pulveraria & frater Wiliricus pro suo conventu, dicentes, & afferentes omnes supradicti socii priorum supradictorum se fore missos a suis capitulis tali pacto & conditione, quod quidquid dixerint, tractaverint & fecerint de statu & reformatione supradicti ordinis, totum firmum & ratum habebunt & observabunt & non contravenient ratione aliqua vel occasione. Et cum omnes supradicti insimul convenissent ad celebrandum capitulum generale in loco sancte Marie de Porcilia, & in primis indigerent visitationibus, fuerunt concordes de visitationibus eligendis per scrutinium & hoc ad explorandum elegerunt quatuor ex ipsis de voluntate & consensu totius capituli memorati, videlicet duos priores, & duos subditos, qui fuerunt donnus Compagnus prior ecclesie sancte Marie de Porcilia, & dompnus Jacobus prior ecclesie sancte Marie de monte Crucis, & frater Egidius ecclesie sancte Marie de Vanzo, & frater Paduanus ecclesie sancte Malgarite de Pulveraria subditi. Qui audientes voces singulorum fratrum priorum & subditorum, scilicet donnus Compagnus de voluntate dictorum sociorum suorum & dicti capituli, ibi in continenti pronuntiavit scrutinium fratrum, & elegit in visitatores dicti ordinis donnum Johannem priorem sancte Marie de Vanzo, & donnum Albertum priorem ecclesie sancte Malgarite de Pulveraria & fratrem Castellanum ecclesie sancte Marie de Porcilia, & fratrem Galesum ecclesie sancte Marie de monte Crucis. Quibus visitatoribus electis totum capitulum generale presens & consentiens contulit eis plenariam potestatem tam de jure communi, quam de jure sibi concesso de auctoritate domini archipresbyteri Dolacora, tunc vicarii domini Jacobi episcopi Paduani, secundum quod continetur in instrumento confecto per Virgilium not. visitandi & corrigendi tam in capite, quam in membris, & removendi fratres & sorores, & transmittendi de uno loco in alium, sicut viderint expedire ordini suo, secundum quod continetur in concessione domini episcopi Paduani, & secundum quod statutum est vel fuerit per capitulum generale, quos visitatores supradictos dominus Dolacora archipresbyter auctoritate sibi commissa a domino Jacobo episcopo laudavit, & confirmavit & approbavit.

Actum fuit Padue apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia in capitulo claustri.

Ego Rodulfus Patavini Clavi sacri palatii notarius interfui, & eorum jussu scripsi.

Ego Aiccardinus filius quondam Oliverii de Boceka sacri palacii notarius hoc exemplum suprascripsi & exemplavi ex autographo Rodulfi notarii suprascripti bona fide & sine fraude, nichil addens vel minuens, quod sententiam mutet, jussu & auctoritate seu mandato ven. patris domini Johannis Dei gratia episcopi Paduani, currente anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo indictione prima die terciodecimo intrante januario in presentia domini Leonardi archidiaconi Vicentini presbyteri, Petri capellani predicti domini episcopi, Alexandri clerici, Vincentii notarii & aliorum.

CCCXLIII.

Statuta ejusdem capituli generalis.

Eodem anno.

Ex iisdem anecdotis mss. pag. 1582.

IN nomine Jesu Christi. Convenerunt priores ordinis sancti Benedicti Paduane diocesis socios habentes singulos a suis capitulis assignatos in loco sancte Marie de Porcilia ad celebrandum capitulum generale, in quo fratres conventuum suorum vota sua generaliter transtulere, eisdem potestatem plenariam concedentes, ut quidquid ab ipsis fieret, de cetero firmum ac stabile permaneret, nec liceret alicui quantacumque auctoritate fuerit immutare, & si aliquis vellet ausu temerario contraire, potuissent supradicti priores & fratres ex parte sua & conventuum suorum visitatorum, qui pro tempore fuerint, consilium & auxilium dare contra rebelles & inobedientes ad ipsos puniendos usque ad condignam satisfactionem, sicut predictis visitatoribus videbitur expedire. Predicti igitur priores gratia Spiritus-sancti invocata . . . . *Ibidem.*

constitutiones ad utilitatem, & honestatem, & conservationem sui ordinis, premissa diligenti examinatione, unanimiter & concorditer ediderunt. In primis statuentes, ut de cetero eligantur in quolibet capitulo generali quatuor deffinitores, qui plenam habeant potestatem corrigendi excessus priorum & subditorum, & statuendi quidquid circa reformationem sui ordinis, & observantiam regularem videbitur expedire, & quod ab eis statutum fuerit, inviolabiliter observetur, omni occasione, contradictione ac appellatione remotis. Dum eorum deffinitio durat, predictam habeant potestatem, quorum semper sint duo priores, & duo subditi. Eligatur & quintus, qui nullam habeat potestatem, nisi concordare predictos deffinitores, si super aliquo in partes equales se diviserint. Eamdem etiam super visitatores alius quintus habeat potestatem, si in aliquo tempore sue visitationis in partes equales se diviserint. Item statuerunt, quod quatuor visitatores p..:tis omnibus circa finem capituli eligantur duo, qui semper sint priores & duo subditi, qui plenam habeant potestatem corrigendi in omnibus excessibus priorum & subditorum, & admonendi priores & subditos, & ponendi in aliis domibus, prout eis videbitur expedire, usque ad capitulum generale, vel eos ejiciendi de ordine de consilio aliquorum priorum, & totidem subditorum, quos ad hoc vocaverint, qui fuerint viciniores. Predicti duo priores circa officium sue visitationis nichilominus faciant sine consensu & voluntate sociorum suorum, & hoc idem pluries semper permittant, statim cum fuerint tempore sue visitationis electi & confirmati. Quod, si aliquis predictorum visitatorum omnium ob ..... infra tempus sue visitationis, si prior fuerit, prior superstes vocem ejus obtineat. Idem fiat, si fuerit subditus. Si autem aliquem eorum infirmari contigerit, idem observetur. Quando autem domus alicujus visitatoris visitabitur, sive prior fuerit, sive subditus, socius ejus vicem ipsius obtineat. Visitatores teneantur bis in anno domus sui ordinis visitare, & pluries, si grave periculum in aliqua domo, quod absit, emerserit, quod sine magna jactura domus non possit usque ad capitulum diferri. Visitatores autem predicti eligantur de discretioribus & magis ydoneis, prout ipsis electoribus videbitur, per inquisitionem deffinitorum capituli generalis. Predicti igitur deffinitores singillatim seorsum in eadem tamen domo coram omnibus omnium disquirant voluntates, & cognoscant fideliter, & sic in continenti, & in eodem loco, antequam fratres discedant, vel ad invicem colloquantur, scripturam publicent in medium, & in quibus major pars capituli nu..o concordaverit, illi pro visitatoribus habeantur. Si autem partes fuerint equales, tunc fiant tot brevia, quot persone fuerint nominate, & ponantur in capitulo coram omnibus. Demum unus aliquis a capitulo nominatus accipiat unum de brevibus, & tunc ille, cujus nomen in brevi habetur, a capitulo pro visitatore accipiatur. Eadem forma servetur in electione deffinitorum, excepto quod visitatores preteriti anni sint inquisitores voluntatum, & in electione quinti, in qua deffinitores voluntates disquirant. Ista forma tam de celebratione capituli generalis, quam de electione deffinitorum, & visitatorum, & in electione quinti semper de cetero observetur. Omnes priores nostri ordinis cum sociis sibi assignatis ad locum statutum in dominicam post ascensionem conveniant ad capitulum generale, ita quod in sequenti die post predictam dominicam sint omnes in capitulo, quia tunc incipit capitulum generale celebrari. Capitulum generale appellamus priores & socios a suis conventibus sibi assignatos, qui omnes teneantur venire ad capitulum generale, ubi primo omnium invocetur Spiritus-sanctus, & quia in primis querendum est regnum Dei, fiant ibi sermones ad exhortationem audientium a visitatoribus vel ab aliis, quibus ipsi in.....t. Liceat autem omnibus interesse propter edificationem. Expletis itaque sermonibus omnes recedant, exceptis prioribus & sociis sibi assignatis, & tunc deffinitores eligantur, qui debeant in capitulo presidere. Quod si de communi consensu vel majoris partis eorum voluerint aliquos sapientes viros secum interdum habere pro consiliis habendis, non prohibemus, exclusis a capitulo, qui fuerint excludendi. Quilibet prior surgens in capitulo petat veniam, & confiteatur excessus & negligentias suas secundum formam, que in ordine continetur, & alii de capitulo possint eum proclamare, sicut eis videbitur, cui a deffinitoribus pena jungatur. Quod si ita gravis culpa fuerit, pro qua sit depositione dignus, a deffinitoribus deponatur, vel a visitatoribus sequentis anni, qui teneantur sententiam deffinitorum executioni mandare, in qua executione, scilicet depositione prelati, procedant secundum formam a domino epi-

episcopo Paduano nobis concessam. Exinde deffinitores, si que tempore visitationis invenerint, que fuerint gravia, illa visitatoribus diligenter exponant, ea eorum judicio relinquentes. Quod si a visitatoribus aliquid grave onus impositum fuerit alicui priori, seu collegio vel persone, super eodem gravamine deffinitoribus humiliter supplicari liceat, ut ipsi inde faciant quicquid sibi videbitur expedire. Finitis igitur proclamationibus & penitentiis injunctis, deffinitores singillatim per se tractent de his, que ad eorum officium spectant. Tribus autem diebus continuis fiat generale capitulum in loco, qui statutus fuerit a deffinitoribus in precedenti capitulo generali. Preceperunt etiam in virtute obedientie, ut nullus contra hoc aliquatenus venire presumat, & quicumque per se, vel per alium aliquo modo laboraverit, ne generale capitulum celebretur, sit excommunicatus. Item statuerunt firmiter mandantes, quod uniformitas ubique in omni domo servetur, scilicet in modo professionis faciende, in officio divino, in victu & vestitu, jejunio & labore. Modus professionis faciende talis est. *Ego N.. promitto stabilitatem meam & conversionem morum meorum, & obedientiam coram Deo & Sanctis ejus secundum regulam beati Benedicti in hoc loco, &c.* Item statuerunt, ut mortuo priore domus, prior claustralis ejusdem domus laboret post mortem prioris, quam citius potest, visitatoribus nuntiare. Qui venientes unus, vel plures locum prioris in omnibus teneant, & totum conventum hortentur, ut quam citius poterint, sibi priorem eligant. Quibus visitatoribus tenetur totus conventus, scilicet clerici & conversi in omnibus obedire, donec priorem suum elegerint, & ipsum habuerint confirmatum. Item statuerunt dare operam efficacem habere unum capud cum consensu domini episcopi Paduani & fratrum suorum, ad hoc ne tota congregatio eorum, si non habeat unum capud, etiam post dictum episcopum acephala videatur, & ipsum capud volunt Patrem ordinis appellare. Item statuerunt, quod priores ordinis, qui habent sorores, tantum tribus diebus in septimana ingredi possint ad sorores, & etiam plus, si fuerit necesse, pro justa necessitate & evidenti utilitate, videlicet pro unctione facienda, & communione danda, & cum magistris in aliquo opere facientibus, excepto quod cum extraneis sive clericis, sive religiosis, sive secularibus poterunt intrare, & cum eis exire, sicut videbitur expedire. Item statuerunt, quod in electione socii, qui datur priori, prior vocem non habeat, sed prior claustralis voluntates fratrum audiat, & primus voluntatem suam scribat, deinde aliorum. Actum fuit &c. Ego Rodulfus &c. Ego Aicardinus &c.

CCCXLIV.

Aggregatio aliorum monasteriorum congregationi S. Benedicti.

Ipso anno.

Ex eodem Cl. Brunatio pag. 1583.

Hoc est exemplum. In nomine Domini &c. presentibus fratre Thomasio ejusdem ordinis & aliis. Cum donnus Ysaac prior ecclesie sancte Marie de Riveria Pulverarie, & frater Augustinus ejusdem loci pro se & suo conventu voluissent coram visitatoribus ordinis sancti Benedicti de Padua, scilicet donno Johanne priore sancte Marie de Vanzo, & donno Alberto priore ecclesie sancte Malgarite de Pulveraria, & fratre Castellano ecclesie sancte Marie de Porcilia & fratre Galesio ecclesie sancte Marie de monte Crucis in generali capitulo existentibus, & peterent ab eis, & dicto capitulo memoriam recipiendi in ordine supradictorum visitatorum & capituli supradicti, ipsi visitatores de voluntate & consensu tocius capituli generalis receperunt eos in ordine suo. Et ibi in continenti predicti donnus Ysaac prior & frater Augustinus subposuerunt se & suum conventum & monasterium suum visitationi & correctioni eorumdem visitatorum, suorumque successorum. Renunciantes omni suo juri & appellationibus, quibus possent contravenire dictis, & judiciis, & sententiis predictorum visitatorum & suorum successorum. *Ibid. n. 34.*

Actum fuit Padue apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia in capitulo claustri.

Ego Rodulfus Patavini Clavi sacri palatii not. interfui, & eorum jussu scripsi.

Ego Aicardinus &c. *ut supra*.

Hoc est exemplum. In nomine Domini Dei eterni, amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo trigesimo nono, indictione duodecima intrante januario, presentibus fratre Alberto priore sancti Augustini de Padua fratrum

Pre-

Predicatorum, fratribus Widone & Mattheo de Riccio de eodem ordine, fratre Agordino miniſtro fratrum Minorum de Padua & dominis Ger. . . . nanſo & Gumberto de Vicoaggeris & aliis. Cum donnus Natikerius prior eccleſie ſancti Johannis de Ponte-longo, & frater Egidius ejuſdem loci pro ſe & ſuo conventu veniſſent coram viſitatoribus ordinis ſancti Benedicti de Padua, ſcilicet donno Johanne priore eccleſie ſancte Marie de Vanzo, & donno Alberto priore ſancte Malgarite de Polveraria, & fratre Caſtellano eccleſie ſancte Marie de Porcilia & fratre Galeſio eccleſie ſancte Marie de monte Crucis in generali capitulo exiſtentibus *&c. ut ſupra* & in continenti donnus Natikerius prior & frater Egidius ſubpoſuerunt ſe *&c. ut ſupra*. Actum *&c. ut ſupra*.

Hoc eſt exemplum. †. In nomine *&c. ut in antecedentibus*. Cum frater Viliricus pro ſuo conventu & donnus Yſaac prior eccleſie ſancte Marie de Riveria de Pulveraria, & frater Auguſtinus pro ſuo conventu conveniſſent Padue in domo eccleſie ſancte Marie de Porcilia ad celebrandum capitulum generale, invocata Spiritus-ſancti gratia, & feciſſent conſtitutiones & ordinamenta ſua more ſolito in capitulo generali, convocatis etiam conventibus ſui ordinis, ſcilicet conventu ſancte Marie de Porcilia, videlicet Proſdocimo, Baſilio & Johanne Francigena presbyteris, Acerbo, Benedicto, Comite, Spinabello, Phylippo, Paulo, Donosdeo, Willielmo, & Willielmo clericis; & conventu ſancte Marie de Vanzo, videlicet Egidio......io, Alberto & Bonohomine presbyteris, & Alberto ſecundo, Petro, Symeone, Stephano, Henrico, Mattheo, Paulo, Benedicto, Antonio, Synibaldo, Bartholomeo, Nicholao & Bono clericis ſupradicte eccleſie ſancte Marie de Vanzo; & conventu eccleſie omnium Sanctorum videlicet Johanne & Hominebono presbyteris, Amato, Luca, & Andrea, & conventu eccleſie ſancti Jacobi a Ponte corbo, videlicet Matheo presbytero, & Johanne & Bartholomeo clericis, fecerunt ſupradicta ordinamenta & conſtitutiones legi coram omnibus ſupradictis, que & quas fecerant, ſecundum quod continetur in publico inſtrumento per me notarium confecto. Quibus predictis & omnium eorum voluntatibus requiſitis in communi nullo contradicente omnes communiter laudaverunt, conſenſerunt, & approbaverunt eadem ordinamenta & conſtitutiones predictas, promittentes ſe firmum & ratum habituros, & ſe nulla ratione contravenire, & renunciaverunt omni ſuo juri & appellationibus omnibus, quibus poſſent ſe tueri & contravenire. Actum fuit *ut ſupra*.

Ego Rodulfus Patavini *&c.* Ego Aicardinus *&c.*

CCCXLV.

Gregorii IX. *literæ poteſtati Plumbini pro monaſterio Montis-chriſti.*

Anno 1239. nonis martii.

Ex apographo Grandiano.

GRegorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis.. poteſtati, & communi de Plumbino ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. Accedens ad ſedem apoſtolicam dilectus filius .. prior Camaldulenſis ſua nobis relatione monſtravit, quod cum nos olim monaſterium montis Chriſti eremo Camaldulenſi pro eo, quod erat in temporalibus diminutum, & in ſpiritualibus deformatum, duxerimus concedendum, ac ſibi corrigendi & reformandi, inſtituendi & deſtituendi, tam in capite quam in membris in eodem monaſterio, indulta apoſtolica poteſtate noſtris ei dederimus literis in mandatis, ut perſonaliter ad monaſterium ipſum accedens illud cum pertinentiis ſuis reciperet, & ordini ſuo incorporare curaret, ac corrigeret & reformaret, ibidem tam in capite, quam in membris juxta ipſius ordinis inſtituta, que corrigenda & reformanda videret, monachis & converſis jam dicti monaſterii, qui eundem ordinem vellent aſſumere in aliis monaſteriis preſcripti ordinis collocatis, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo, eodem mandatum apoſtolicum diligentius exequente, ſupradicti monaſterii monachi & converſi Camaldulenſem ordinem ſuſceperunt, eidem & abbati, qui pro tempore illis daretur ab ipſo, perpetuam obedientiam, & reverentiam juramento ab univerſis & ſingulis preſtito promittendo. Poſtmodum autem antedicti monachi, & converſi ſuperbie ſpiritu concitati, quod grave gerimus & indignum, contra abbatem, quem ipſe illis prefecerat, calcaneum erigentes, & molientes ſe ab ejuſdem prioris obedientia, & reverentia ſubtrahere, ipſum aliquandiu arcte cuſtodie detinere, & adherentes ſibi famis inedia Ibid. n. 35.

& di-

& diversis contumeliis ausu nefario affi- cere presumpserunt, abbatem ipsum cum fratribus suis abbatie sibi ablato sigillo, exinde ac ab obedientia sancti Mamiliani de Somasso, & aliis membris ipsius recedere nihilominus compellentes, in ejusdem prioris prejudicium non modicum & contemptum. Unde prior ipse non valens premissorum monachorum, & conversorum damnandam superbiam edomare, nobis humiliter supplicavit, ut providere super hoc de benignitate sedis apostolice curaremus. Quare nos nolentes, ut tante presumptionis ecceßus remaneat incorrectus, vel transeat aliis in exemplum, dilecto filio .. abbati sancti Michaelis Pisarum precepimus literis, & mandatis, ut personaliter ad monasterium prefatum accedens, prefatis monachis & conversis ab ipso prorsus amotis, & in aliis monasteriis prefati ordinis collocatis, abbatem prescriptum & fratres suos in illud & ejusdem obedientiis, sublato cujuslibet occasionis obstaculo, reducere auctoritate nostra procuret, & faciat ipsos eorumdem pacifica possessione gaudere. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus cum a prefato abbate sancti Michaelis fueritis requisiti ad domandam malitiam monachorum & conversorum ipsorum eadem potestate vobis tradita taliter assistatis, quod premissis omnibus executioni vestro auxilio mediante mandatis, prenominatus abbas & fratres ejus prescripti monasterii possint pacifica possessione gaudere, & nos devotionem vestram propter hoc commendare merito valeamus. Datum Laterani nonis martii pontificatus nostri anno duodecimo.

Ibid. n. 35.

CCCXLVI.

Conventiones inter abbatem S. Mercurialis, & inter priorem Camalduli Foro-liviensis.

Anno 1239. IV. novembris.

Ex mss. codice dicto Biscia *ejusdem monasterii pag. 90. 91.*

Ibid. n. 36. ANno Domini millesimo CC. XXXIX. tempore Gregorii pape & Friderici imperatoris die quarta intrante mense novembris indictione XII. Foro-pompilii in palacio domini Egidii episcopi Populiensis, in presentia ipsius domini episcopi, dompni Johannis abbatis monasterii sancti Rophilli Populiensis, dompni Massarii abbatis de Urano, dompni Guidonis cappellani dicti dompni episcopi, Salagi notarii, & mei Raynerii de Bonvisinis Dei gratia Populiensis de imperiali auctoritate notarii, domnus Rodulfus prior ecclesie sancte Marie de Camalduli Forolivii pro se suisque successoribus nomine dicte ecclesie sancte Marie promisit dompno Gregorio abbati monasterii sancti Mercurialis, & dompno Jacobo ejus syndico recipientibus & stipulantibus nomine dicti monasterii sui, & capituli ejusdem se facturum, & curaturum, ita quod domnus prior magnus de Camalduli, & ejus conventus seu capitulum consentient instrumento concordie inter dictum domnum abbatem & ejus syndicum celebrate, & ipsum domnum Rodulfum nomine dicte ecclesie sancte Marie de Camalduli, & quod ipsam concordiam ratam & firmam habebit & tenebit, & specialiter, quod eam firmabit hinc ad primam diem quadragesime majoris proxime, mittendo domnus abbas predictus unum suum nuntium ad recipiendam ipsam consensionem, & firmationem apud locum magnum de Camalduli. Item promisit dictus prior eodem modo, quod faciet & curabit, ita quod sui confratres suum consensum dicte concordie concedent, sicut consuetudo ipsorum est, consentire contractibus, quos prior dicte ecclesie facit, & quod hec facient hinc ad octo dies proximos, & pro his omnibus ipse prior dabit plenam securitatem fidejussoriam C. lib. dicto domno abbati, vel ejus syndico pro monasterio suo. Et omnia dictus prior pro se & ejus successoribus promisit attendere, & non contravenire, ut dictum est, sub pena C. librarum. Et pena soluta vel commissa predicta omnia in sua maneant firmitate. Et ego prenominatus Rainerius notarius mandato predicti prioris scripsi & publicavi.

In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, & beate Marie Virginis. Cum lis seu discordia verteretur inter dompnum Gregorium abbatem monasterii sancti Mercurialis de Forlivio, & dompnum Jacobum ejus syndicum nomine dicti monasterii ex una parte, & dompnum Rodulfum priorem ecclesie sancte Marie de Camalduli de Forlivio nomine ipsius ecclesie ex altera, coram dompno Johanne abbate monasterii sancti Rophilli Populiensis judice domini pape delegato, occasione sepulture, & penitentiarum parochianorum dicti monasterii sancti Mercurialis, tandem inter eos fuit talis concor-

cordia celebrata. Videlicet quod dictus dompnus Rodulphus prior vel ejus successores, vel fratres dicte ecclesie nullum parochianum dicti monasterii sancti Mercurialis debent penitentiare vel recipere ad sepulturam, vel ei divina ministrare, exceptis illis personis habitantibus extra Fossatum novum sancti Antonii super stratam, & nunc habitantibus prope stratam usque ad Bevegnale communis, & usque ad pontem putei de fabro, que vellent penitentiari a fratribus dicte ecclesie sancte Marie, vel apud ipsam eligerent sepulturam, quas possunt penitentiare, & recipere ad sepulturam. Ita tamen quod medietatem proventuum, qui obveniunt ipsi ecclesie, seu fratribus usque ad septimum diem inclusive occasione sepulture, dicti prior, & fratres, seu ipsorum successores sine molestia dent & solvant prefato monasterio sancti Mercurialis. Item licitum est priori, & fratribus dicte ecclesie sancte Marie penitentiare tempore infirmitatis, si vocarentur, parochianos dicti monasterii, qui habitant intra fossatum novum prefatum, quorum sepultura pertineret dicte ecclesie sancte Marie ratione possessionis vel quasi, vel quia parentes sui sepulti fuerunt apud dictam ecclesiam sancte Marie de Camalduli, ita tamen, quod medietatem proventuum obvenientium dicte ecclesie sancte Marie occasione sepulture illorum parochianorum a die obitus, & exinde usque ad medium annum inclusive prior, & fratres dicte ecclesie sine molestia tribuant prefato monasterio sancti Mercurialis. Item teneantur prior & fratres dicte ecclesie sancte Marie per suum nuncium denunciare mortuum abbati, vel fratribus dicti monasterii sancti Mercurialis. Et ad personas ydoneas, que possint pati expensas, invitare abbatem vel fratres dicti monasterii. Predicti vero domnus abbas, & domnus Jacobus sindicus pro amore Dei & beate Marie Virginis remiserunt predicto priori pro dicta ecclesia recipienti omnes proventus seu oblationes, & actiones dicto monasterio pertinentes occasione ipsorum proventuum & oblationum, quas hactenus dicta ecclesia sancte Marie percepit a parochianis dicti monasterii, exceptis terris seu possessionibus, que reperirentur de proprietate vel quasi dicti monasterii sancti Mercurialis. Suprascriptam vero concordiam, & transactionem prefati abbas & dompnus Jacobus sindicus dicti monasterii, & dompnus Rodulphus nomine dicte ecclesie de Camalduli promiserunt vicissim inter se observare, & non contravenire sub pena vicissim inter se stipulata centum librarum Ravennatum; & pena soluta vel commissa suprascripta omnia nihilominus maneant firma. Hec autem concordia facta est in civitate Populiensi in palatio domni Egidii Populiensis episcopi, in presentia ipsius domini episcopi, predicti dompni Johannis abbatis dicti monasterii sancti Rophilli, dompni Massarii abbatis de Urano, dompni Guidonis capellani dicti domini episcopi, & Salagi notarii sub anno Domini millesimo CC. XXXIX. tempore Gregorii pape, & Friderici imperatoris die quarta intrante mense novembris indictione XII. Et ego Rainerius de Bonvisinis Dei gratia Populiensis ac imperiali auctoritate notarius his omnibus interfui, & suprascripta omnia mandato dicti domni abbatis sancti Mercurialis, & ejus sindici, & prefati prioris scripsi & publicavi.

CCCXLVII.

Charta Porciliensis.

Anno 1240. XIV. exeunte januario.

Ex autographo S. Michaelis de Muriano.

IN nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem nativitatis M. CC. XL. indictione XIII. die XIV. exeunte januario presentibus presbytero Johanne Francisco ecclesie sancte Marie de Porcilia, Benedicto clerico ejusdem ecclesie, fratre Civitate de eo loco, Uberto Widonis Gumbelli, & Petro de Adam de Mursiis. Petrus Carrarius de hora sancti Laurentii agens hec infrascripta de voluntate & consensu ac beneplacito fratris Jacobi de domina Sardena filii quondam Primadecii de Carturo de ordine fratrum Minorum, & Uberti de Widone Gumbello ibi presencium per libras quadraginta denariorum Venetorum, quas confessus fuit se nomine finiti & conventi precii accepisse a domno Compagno priore ecclesie sancte Marie de Porcilia &c. vendidit &c. eidem domno Compagno pro dicta ecclesia sancte Marie & ejus nomine recipienti medietatem unius petie terre pro indiviso cum domino Pascalino judice de Bartholomeo Contenenze & cum heredibus quondam domini Parcitatis judicis jacentem in pertinentiis Carrarie, que dicebatur esse circa unum campum terre prative, pasculive &c. Item petiam unam terre &c. super aggerem dicte ecclesie *Ibid. n. 40.*

clesie sancte Marie in pertinentiis Carrarie, que est circa unum campum terre, cui coheret, secundum quod dicebant, ab uno latere jus hospitalis sancti Jacobi de Spata, ab alio latere flumisinus *&c.* Actum fuit Padue apud ecclesiam sancte Marie de Porcilia in parlatorio claustri.

Ego Rodulfus Patavini Clavi sacri palatii notarius interfui & eorum jussu scripsi.

CCCXLVIII.

Confirmatio conventionum inter monasteria S. Mercurialis & Camalduli Forolivii facta a Guidone priore Camaldulensi.

Anno 1240. VI. maji.

Ex codice Biscia *ejusdem monast. S. Mercurialis.*

Ibid. n. 36. IN nomine Domini. Anno a nativitate Jesu Christi millesimo ducentesimo quadragesimo tempore Gregorii pape & Federici imperatoris indictione tertiadecima die sexto intrante mense maji. Dompnus Guido venerabilis prior generalis ordinis Camaldulensis nomine sue ecclesie consensit concordie facte, & celebrate inter dominum Gregorium venerabilem abbatem monasterii sancti Mercurialis de Forolivii, & dompnum Jacobum syndicum dicti monasterii nomine ejusdem monasterii ex parte una, & dompnum Rodulfum priorem venerabilem sancte Marie in Camalduli Forolivii nomine sue ecclesie ex altera, & illam concordiam confirmavit & approbavit dicens, quod ipsa concordia placebat sibi. Scripta per manum Rainerii de Bonvisinis notarii de Foropompilio. Actum est ad dictam ecclesiam sancte Marie in Camalduli de Forolivio. Ego Gerardus domini Simeonis sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopi ac Liviensis notarius de contrata sancti Mercurialis ad omnia precepta presens fui, & ipsa scripsi, & in predictam formam deduxi precepto dicti dompni Guidonis prioris. Testes rogati fuerunt presentes dompnus Massarius abbas de Urano, dompnus Augustinus abbas sancti Apollenaris in Classi, dompnus Rodulfus prior sancte Marie in Camalduli de Forolivio, dompnus Joseph prior heremi dompni Salimbene, dompnus Gregorius abbas, & dompnus Johannes, & dompnus Jacobus monachi, & Vitalis Girardini notarius conversus dicti monasterii sancti Mercurialis, & Piligrinus Ugonis serviens dicti dompni abbatis sancti Mercurialis.

CCCXLIX.

Charta Valle-castrensis.

Anno 1240. kal. julii.

Ex authentico S. Blasii Fabriani.

IN Dei nomine. Anno ab ejus incarnatione millesimo CC. XL. die ipsa kl. julii tempore domini Gregorii pape domini Frederici imperatoris indictione XIII. in claustro monasterii Vallis-castri presentibus istis testibus, videlicet Morico Attonis, Attone Bonefemine, Amico Abrici, Marcutio Actonis, Gidio Amici & aliis pluribus. Domnus Petrus abbas monasterii Vallis-castri presentibus & consentientibus domno Petro preposito, domno Actone sacristano, domno Christopharo Petri, domno Antonio Rodulfi, & domno Ugutione monachis monasterii ejusdem nomine ipsius dixit & precepit hominibus infrascriptis, videlicet Albricone Martutii, Paulino Camerine, Rainaldo Actonis, Benvenuto Peccatoris, & Bencasa Petri, quod unusquisque eorum debeant ... plateam seu casalinum in castro Civitelle filiorum A.. grini & ecclesie Vallis-castri, deinde ad VIII. dies proximos expensas, quas assignaverit eis dominus Rainaldus A.. grini, deinde ad kalendas septembris proxime venturas haberent in predicto castro & plateis predictis factas domos, & in eis reponerent, & incastellarent bladum & vinum presentis anni, & hoc precepit unicuique eorum ad bannum C. solidorum Raven. & Anconitan. firmiter observare. *Ibid. n. 40.*

Et ego Bonus auctoritate alme urbis prefecti notarius his predictis interfui, & ut supra legitur rogatus a supradicto abbate scripsi & publicavi.

CCCL.

Donatio facta monasterio S. Victoris de Clusis.

Anno 1240. VII. exeunte novembri.

Ex tabulario S. Blasii de Fabriano.

Ibid n. 40. IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo CC. XL. indictione XIII. tempore Gregorii pape & Federici imperatoris die VII. exeunte mense novembri. Donnus Benvenutus Ugonis capellanus ecclesie sancti Michaelis de Lapurano, & conversus monasterii sancti Victoris, ut ipse asserebat, non vi, non dolo, nec metu coactus, sed de spontanea voluntate dedit *&c.* & donavit ac etiam pro remissione suorum peccatorum dedit donno Gratie abbati monasterii sancti Victoris nomine ipsius monasterii *&c.* omnia sua bona mobilia & immobilia *&c.* Actum in claustro dicti monasterii sancti Victoris coram Paolino Petri Ugoli, Actone Pasci, Palmutio domni Morici, Cumsolo Johannis, domno Bonomo & domno Morico monacis, domno Bono Adjutoli & Actone Rictii testibus ad hec vocatis & rogatis.

Et ego Jacobus auctoritate imperiali notarius predictis omnibus interfui, & ut supra legitur rogatus scripsi.

CCCLI.

Excerptum bonorum eremi Camalduli de Bononia.

Anno 1240.

Ex autographo parthenonis S. Christinæ de Bononia. L. 33.

Ibidem. IN nomine Domini *&c.* Hoc est inventarium factum de possessionibus, que invente sunt penes ecclesiam sancte Marie Camaldulensis de Bononia, confectum per donnum Bonum priorem dicte domus ad honorem Jhesu Christi, & omnium Sanctorum, & ejus matris beate & gloriose virginis Marie, & ad honorem summi pontificis, & domni Guidonis prioris heremi Camaldulensis, & communis Bononie, & scolarium in civitate Bononia commorantium, scilicet Gallicorum, Flandrensium, Pictaviensium, Yspanorum, Anglicorum & Normandiorum tempore pape Gregorii & Frederici imperatoris.

Cum prolixius sit hoc monumentum, satis erit ad rem nostram heic tantum exscribere nomina venditorum ac priorum sancte Marie de Camaldulo prope Bononiam, addita annorum & notariorum mentione.

Presbyter Gratianus vendidit presbytero Ugutioni priori Camaldulensi an. M. CC. XI. ind. XIV. VI. kl. aprilis manu Guilielmi not.

Bonus de Castenaxe vendidit domno Laurentio presb. ecclesie sancte Marie de Beleem recipienti pro ecclesia sancte Marie de Camalduli M. CC. XI. ind. XIII. XIV. intr. madii.

Munsarellus filius Alberti de Carbone vendidit domno Guidoni priori Camald. M. CC. XIX. XII. exeunte junio ind. VII. manu Bernardi not.

Julianus, qui dicitur Agnellus, vendidit domno Mainitto priori sancte Marie de Camalduli & domino Petro de Loloviis, & domino Oddoni de Lupidonibus ministralibus societatis Ultramontaneorum manu Michaelis Petri Marchilii not. M. CC. XXXII. ind. V. die XI. intr. junio.

Magister Raynaldus nuntius scolarium vendidit domno Guidoni priori dicte ecclesie M. CC. XXVII. VII. ex. aprili ind. V. manu Leonardi Firmani not.

Scoguza presb. vendidit domno Henrico priori sancte ecclesie de Camalduli & aliam medietatem, quam vendidit dictus Scoguza presbyter Ricardo cinapriatori & sociis ministralibus societatis hominum de Ultramonte manu Petri miniatoris not. sub anno M. CC. XI. XII. kl. junii ind. XIV.

Petrus de Albinis de Marano domno Guidoni priori de Camald. Gerardo not. anno M. CC. XVIII. I. intr. junio ind. VI.

Gagnus Albertini de Bazano vendidit fratri Josepo priori de Camalduli manu Petricoli Bonjohannis sub anno Domini M. CC. XXXI. VIII. intr. junio ind. IV.

Vineam positam prope fontanam de Zuzolis, quam dederunt pro conversatione Angelus & Clariza donno Martino priori Camald. sub A. D. M. CC. nono, kl. julii ind. III.

Calanchinus donavit domno Martino priori Camald. manu Guidonis not. sub anno Domini M. CC. die II. intr. januar. indic. III.

Arardus de Codagnello vendidit domno Sansoni majori recipienti pro ecclesia

clesia Camalduli manu Martini palatini not. sub An. D. M. CC. IV. kl. augusti ind. IV.

Gerardus de Munzoni vendidit domno Ricardo rectori Camald. manu Leonis not. sub An. D. M. CC. V. IV. nonas julii ind. VIII. *&c.*

Ad calcem autem hujusmodi breviarii legitur eadem manu adnotatum.

Item invenit II. calices argenti, & duas planetas de solempnitatibus, item XII. camisos & XII. amictos. Item II. pallia. Item XV. toallias de altaribus, & IV. stolas & secundam partem bibie in uno volumine, & primam partem moralie, & vitas patrum veteres, & duos passionarios & duos antiphonarios & tria psalteria & unam regolam *&c.*

Cetera hujus prolixi monumenti consulto omittimus.

CCCLII.

Gregorii IX. *literæ Guidoni priori Camald. pro absolutione petentium ingredi ordinem.*

Anno 1241. v. idus februarii.

Ex autographo Fontis-boni. §. Brevia n. 48.

Ad lib. XL. n. 2.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio .. priori Camaldulensi Aretine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. In jure canonico reperitur expressum, ut si quisquam eorum, qui simul vivunt, pro manus injectione in socium a communione meruerit fieri alienus, prelatus ejusdem reconciliandi & penitentiam imponendi plenariam habeat potestatem, nisi forte atrocitas facti graviorem penam expectet. Habetur etiam in eodem, quod de seculo fugientes, qui religionis habitum in monasterio receperunt, & inter cetera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerint, in religionis favorem, & ut subtrahatur vagandi materia, per suos prelatos absolutionis beneficium consequantur. Hinc est, quod religionis tui ordinis honestate inducti, presentium tibi auctoritate concedimus, ut eos ex fratribus tuis, qui pro injectione manuum in seipsos, seu detentione proprii incurrerunt excommunicationis vinculum vel incurrent, aut in illud ante susceptum habitum inciderunt, necnon & illos, qui relicta vanitate seculi cupientes tue religionis collegio aggregari se asserunt excommunicatione ligatos, ne ipsorum ad Deum valeat impediri conversio, possis absolvere juxta formam ecclesie vice nostra, dummodo injuriam & dampna passis satisfaciant competenter, illis tamen exceptis, quorum excessus adeo gravis fuerit & enormis, quod merito sint ad sedem apostolicam destinandi. Quod si aliqui predictorum facti immemores vel juris ignari absolutionis beneficio non obtento susceperunt sacros ordines, seu divina officia celebrarunt cum ipsis injuncta eis pro modo culpe penitentia competenti, eaque peracta liceat tibi de misericordia, que superexaltat judicio, prout eorum saluti expedire videris, dispensare. Si vero prefati excommunicati scienter talia presumpserunt, eis per biennium ab ordinum executione suspensis & imposita ipsis penitentia salutari, eos postmodum, si fuerint bone conversationis & vite, ad gratiam dispensationis admittas. Proprium autem, si quod habent dicti fratres, in tuis facias manibus resignari in utilitatem monasterii convertendum.

Datum Laterani v. idus februarii pontificatus nostri anno quartodecimo.

CCCLIII.

Manumissio servi facta a Scholastica abbatissa S. Christinæ Septem-fontium.

Anno 1241. v. exeunte februario.

Ex autographo conventus S. Francisci Bononiæ. A. lib. v. n. 3.

IN nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimo primo indictione quartadecima quinto exeunte februario in parlatorio monasterii sancte Christine, presentibus Lubertino filio quondam Corradi de Foliano de Settenfonti & Pitricino de Montarengeri *&c.* testibus de his rogatis. *Ibid. n. 3.* Domina abbatissa Scholastica monasterii sancte Christine cum consensu & voluntate suarum sororum & fratrum ibidem presentium, domne Gengratie, domne Borchine, domne Beatricis, domne Napelionis, domne Valerie, & domne Xmeille...... & Bonalimore sindici, & Bonnioli .... & Baldoli & Guidonis & Johannelli de Vargnano, Matioli . . . . & Gerunalcalli conversorum ejusdem monasterii pro decem libris Bononien-

nienfibus fibi numeratis, traditis atque folutis Bonagratie filio .... tradidit atque dedit puram libertatem & perfectiffimam, civitatemque Romanam, & ipfum & fuos, & liberos tam mafculos, quam feminas ...... & monafterii dicti dominio & poteftate dimifit permitens eidem omne jus...... libere & fimpliciter inter vivos ..... peculium fuum totum aratoribus ...... & monafterii feparatum, itaut fine aliquo fervitutis obftaculo, & fine dicte manumiffionis & fuorum fucceffforum ...... lite poffit dictus Bonagratia & ejus liberi teftari, agere, contraere, ac .... & exercere omnia & fingula quilibet ingenuus Romanus civis, liber homo & fui ..... facere poteft, promittens dicta domina abbatiffa pro fe fuifque fucceffforibus ipfi Bonagratie pro fe fuifque liberis ftipulanti dictam manumiffionem, & omnia & fingula, que in ea continentur, ratam ...... damnaque & expenfas litis ac intereffe totum ei reficere, fub pena dupli dictarum decem librarum Bononienfium, & ea foluta ...... quod denarios recepit dicta domina abbatiffa prefente me notario infrafcripto & tefte ...... expendendos ..... ad utilitatem illius monafterii fancte Chriftine.

Ego Petrus de Setenfonti auctoritate imperiali notarius his omnibus, que fupra ...... & rogatus fcribere fcripfi.

CCCLIV.

Solutio fubfidii pro prælatis a Friderico II. imp. captis.

Anno 1242. more Pifano IV. idus junii.

Ex chartis S. Michaelis Pifarum.

Ibid. n. 2. IN nomine Patris & Filii & Spiritus-Sancti. Amen. Ex hoc publico inftrumento fit manifeftum, quod donnus Martinus Dei gratia venerabilis abbas monafterii fancti Michaelis de Burgo pro ipfo monafterio coram me Jacobo notario Rofciada, & teftibus infrafcriptis reprefentavit & dedit domino Ricovero camerario domini Vitalis Dei gratia Pifani archiepifcopi pro ipfo domino archiepifcopo libras decem denariorum Pifanorum minutorum de impofita fibi facta ex mandato domini Jacobi Pileftrini epifcopi, & domini Oddonis tituli fancti Nicholai in carcere Tulliano diaconi cardinalis apoftolice fedis legatorum, prout conftare dicebat de mandato per manum Ildebrandini notarii Forreftani de Sancto Miniato, occafione procurationum, & expenfarum factarum per dominum archiepifcopum fupradictum in fupradictis legatis, aliifque prelatis nuper infortunio miferabili captis, de quibus fe bene quietum & pagatum vocavit ab eo pro dicto monafterio, & ipfum monafterium, & bona ipfius monafterii, & ejus fucceffores liberos & abfolutos vocavit.

Actum Pifis in ballatorio archiepifcopatus Pifani prefentibus Henrigo quondam Gritti, & Jacobo findico domini archiepifcopi, & aliis teftibus ad hec rogatis Dominice incarnationis anno M. CC. XLII. indict. XIV. IV. idus junii.

Ego Jacobus Rofiada quondam Rainerii domini Frederigi Dei gratia invictiffimi Romanorum imperatoris, & regis Sicilie judex ordinarius atque notarius fuprafcriptis interfui, & hanc inde cartam rogatus fcripfi & firmavi.

CCCLV.

Friderici II. imp. præceptum pro eremo Avellanenfi.

Anno 1242. fecundo exeunte julio.

Ex authentico archivi ejufdem monafterii.

FRidericus Dei gratia Romanorum imperator femper auguftus Hierufalem & Sicilie Rex. Pro prefenti fcriptura notum fieri volumus univerfis fidelibus noftris, quod nos ad fupplicationem dilecti amici noftri R.. venerabilis Oftienfis & Velletrenfis epifcopi priorem & conventum fancte Crucis de heremo Fontis-avellane Augubine diecefis cum omnibus ecclefiis eorum, quas jure proprio habent, bona eorum ftabilia & mobilia, que nunc jufte retinent, & habent & poffident, fub noftra imperii protectione recepimus fpeciali. Quare univerfitati veftre mandamus, quatenus nullus fit, qui dictum priorem & conventum fancte Crucis, ecclefias eorum, quas in proprio habent, in perfonis & bonis earum mobilibus & ftabilibus jufte & rationabiliter fpectantibus ad eofdem offendant temere feu moleftent. Quod qui prefumpferit indignationem noftri culminis fe noverit incurfurum. Dummodo dictus prior, conventus, fratres & ... eorumdem deprehendi non poffint, contra honorem noftri & imperii aliquid occulte vel publice ..... que noftra fint contraria majeftati, aut deprehenfi fuerint *Ibid. n. 6.*

a no-

a nostre fidelitatis tramite deviare. Ad hujus itaque nostre protectionis memoriam & stabilem firmitatem presens scriptum fieri & majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum in castris prope Aneganum in Telino. Anno Dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo secundo mense julii, quintadecima indictione. Domnus Berardus prior heremi sancte Crucis, domnus Bonus, & domnus Mancia monaci ejusdem heremi ad hoc exemplum legendum & auscultandum cum authentico interfuerunt, & hujus rei rogati sunt testes.

Ego Adam imperialis aule notarius has litteras transcripsi & exemplavi non addens, non minuens, & illud explevi, subscripsi, in valle dicte eremi in anno Domini M. CC. XLII. tempore domini Friderici imperatoris die secundo exeunte mense julii indictione decimaquinta.

CCCLVI.

Abbas Campriani excommunicat incidentes ligna.

Anno 1242. VII. exeunte decembri.

Ex tabulario S. Mariæ Angelorum de Florentia.

Ibid. n. 8. IN nomine Sancte & individue Trinitatis, amen. Anno M. CC. XLII. indictione quintadecima Federigo imperatore imperante VII. exeunte mense decembris.

Donnus Rodulfus abbas abbatie sancti Egidii de Canpriano excommunicavit & anathematizavit omnes personas incidentes, & talliantes lingna de ejus silva, que est prope dictam abbatiam, exceptis litortis pro jugo boum.

Actum in dicta abbatia in die nativitatis D. N. in mane cum cecinebat Missam.

Presentibus Gianello de Pogio, Leunardo olim Martini Azzi & aliis multis publice coram populo.

Ego Bonaventura notarius filius olim Benentende de Cojale his omnibus interfui, & de mandato dicti domni abbatis scripsi & publicavi.

CCCLVII.

Concordia inter canonicos Marianenses & monasterium Montis-christi.

Anno 1242.

Ex veteri libro S. Michaelis Pisarum.

IN nomine Domini, Amen. Anno Domini nostri Jesu Christi ab incarnatione ejus M. CC. XLII. indictione XV. Ibid. n. 9.
Manifestum fiat omnibus hominibus audientibus & legentibus istam cartam, quomodo fuit lites & piato, & contentionem inter canonicos de Mariana, & domino Opizo Pernice cortincho de Lumito, idest de decimis, quas dicti canonici pro dicta canonica Marianensi debent dare ad monasterium sancti Mamiliani Montis-christi singulis annis, quia dictus dominus Opizus Pernice constitutus erat procurator, & villicus de dictis decimis per domnum Paulum abbatem dicti monasterii Montis-christi, sicut apparet per cartam &c. Unde dictus domnus Opizus Pernice petierat a dictis canonicis Marianensibus pro dicta canonica, & pro ipsis de fraude, quam fecerant de dictis decimis libras C. Januensis monete. Unde de isto piato venerunt in balia de dicto domino Pandulpho episcopo Marianensi pro concordia de dictis calonicis Marianensibus, & de dicto domino Opizo Pernice, & dominus Arrigus de Laureto intravit mallevadore pro dictis calonicis Marianensibus & pro dicta canonica Marianense de ista concordia. Unde dictus dominus episcopus Marianensis pro concordia de dicto domino Opizo Pernice qui erat procurator & villicus Montis-christi de dictis decimis talem sententiam per concordiam dedit inter illos. Quod dicti canonici Marianenses debeant pagare in presenti triginta staria de grano a Monte-christo pro fraude, quam fecerant de dictis decimis, & postea debeant dare de anno decimas ad Montem-christum de omnibus rebus & animalibus & laboreriis eorum sine ulla contradictione, bona fide, & sine fraude dicto procuratori vel ejus nunciis, quos miserit pro dictis decimis recolligendis. Hoc actum fuit ad sancta Lucia de la Baccaraccia in mense martii. Signo manum D. P. episcopo Marianense, qui istam concordiam fecit inter illos, & dominus Johannes archipresbyter Marianensis, dominus Albertus de Luca archidiaconus Marianensis, dominus Oldrozzo pre-

prepositus Marianensis, qui istam concordiam fecerunt cum domno Opezo Pernice procuratore pro illis & pro aliis canonicis Marianensibus. Signum manuum, & testes domino Gherardo de Laureto, & filiis suis domino Arrigho, & domino Roxio, & domino Guilielmo de Laureto. Signum manuum & testes. Et domino Opizo majore cortincho de Lumito, & domino Opezo de la Penta, domino Arrigo de Arnaldo, Vincentio de Gagia, Guido de la Navacchi testibus. Isti & alii plures homines, qui ibi fuerunt testes.

Ego presbyter Marcus juratus notarius istam cartam scripsi & ibi fui.

Ego Sanctinus Martinelli de Vico publicus imperiali auctoritate notarius omnia supradicta extraxi de quadam carta senectula hic suptus appensa scripta manu Marci presbyteri & notarii &c. anno ab incarnatione Domini M. CCCC. XXV. die XV. junii.

CCCLVIII.

Alia pro monasterio S. Mariæ de Canovaria.

Anno 1243.

Ex eodem veteri libro.

Ibidem.

IN nomine Domini, amen. Anno ab incarnatione ejus millesimo CC. XLIII. indictione XVI. Manifestum sit omnibus hominibus audientibus & legentibus, qualiter venit domnus presbyter Albertus prior de sancta Maria de Canovaria, & lamentavit se de Anglello de la Romanacia in prima domino Opezo Pernice, quando erat potestas rationis Corsice de ipso livello, quod convenit facere, & fecit ad ipsa abadia de sancta Maria de Canovaria de vinea, que est in ipso clauso de la Romanacia, que est de ipsa abadia de sancta Maria de Canovaria, & erat livello decem bacinorum de grano omni anno & dabant de festivitate de sancta Maria de medio augusto. Unde ipso Anglello de la Romanacia dicebat, quod ipso livello ab ipsa abadia facere non debebat, quia dicebat, quod ipsa vinea de sancta Maria de Canovaria non habebat; & stetit bene quatuor annos compliti, quod ipso livello non dedit. Unde predicto Opezo Pernice per illam rationem, quam vidit, & cognovit cum alia ratione de Tavania, sic judicavit ad ipsa abadia de sancta Maria de Canovaria ipso livello in duplo supra ipso Anglello de la Romanacia; & ipso Anglello adhuc dicebat, se habere tortum & inganno, quia dicebat, quod ipso livello facere non debebat, quia ipsa vinea de sancta Maria de Canovaria, que erat in ipso clauso de la Romanacia dicebat firmiter, quod non habebat. Postea venit predictus presbyter Albertus prior de sancta Maria de Canovaria, que erat in ipso clauso de la Romanacia ad domino Opezo Curtinco majore, quando intravit potestatem de rationem, & lamentavit se de predicto Anglello de ipsa vinea de sancta Maria, que erat in ipso clauso de la Romanacia. Et dictus dominus Opezus Curtincus major potestas postea posuit termine ad precisum de ipso piato ad eum in loco ad ipsa Romanacia supra contentione. Et fuit ibi ipso Anglello ad commandamento de domino Opezo Curtinco potestati cum omni sua ratione; & monstravit cartam de notario, quod Lupus de Petra Corbaria, & Cane Delose, & Brunetto de Omicio juraro & manifestaro, quod una lenza de vinea de sancta Maria de Canovaria erat in ipso clauso de la Romanacia, & erat circumdata per termini da omni parte. Et postea ipso domnus presbyter Albertus prior de Canovaria appresentavit ad Bruneto de le Pente, & Bruneto de Omicio, & Bonaventura de li Rivaci. Et predicto potestate fecit jurare & manifestare predictis testes la veritate de ipsa contencione, & mostraverunt predicta vinea per confinis & per terminis comodo circumdata erat da omni parte, secundum quod viderunt eam mostrare ad Omicio de Petra Corbaria, & ad Uberto Romanaciese, & per istam rationem, & aliam, quod predictus dominus Opezus Curtincus major potestas vidit ex parte predicte sancte Marie de Canovaria cum consiglio multorum bonorum hominum, qui ibi fuerunt clerici & laici, sic judicavit, sententiavit predicta lenza de vinea, que erat in ipso clauso de la Romanacia, sicut circumdata est per terminis, & designatis locis ad ipsa abadia de sancta Maria de Canovaria in mano de ipso domno presbyter Alberto priore de Canovaria con hogni tenore usque in perpetuum. Et qualem sententiam dedit predicto domino Opezo Curtinco majore talem cartam monuit ascribere in manu mea presbytero Marco rector ecclesie de sancta Maria de Petra Corbaria de Tavagnia juratus notarius Corsice, & per judicio de domino Johanni de Campillione, qui erat Confalonerio de Tavagna, qui istam cartam judicavit. Ibid. n. 10.

Signa

Signa manuum test. domino Uberto Curtinco, qui ibi fuit, & Janello de Pellegrino, qui erat consule de ratione, & Guido de Halamca & Boscepto de Auliva, & Martino de Tuglio & Pacefico de Concha, & Vivolo della Valle testes istis, & aliis plures bonorum hominum, qui ibi fuerunt testes.

Ego presbyter Marcus rector ecclesie de sancta Maria de Petra Corbaria de Tavagna juratus notarius publicus scripsi, firmavi & dedi, ut supra continetur.

A lo Vescovato in la residentia de lo R. in christo padre domino Petro episcopo Galipolense anni Domini M. CCCC. LXXXXIIII. a die ultimo aprile ego Carlotto da lo Piano notario per occupationem feci copiare & lessi, & sotto scripsi fidelmente feci, nè junsi, nè mancai.

CCCLIX.

Plura bona & monasteria eremi de Vivo traduntur protectioni communis Montis-politiani.

Anno 1243. VIII. idus aprilis.

Ex codice delle Coppe *Montis-politiani* pag. 132.

Ibid. n. 10. IN nomine Domini, amen. Hoc est exemplum seu copia cujusdam publici & originalis instrumenti publicati manu Johannis Miglioretti notarii, cujus quidem instrumenti tenor & forma talis est, prout inferius continetur. In nomine Domini, amen. Anno ejusdem millesimo CC. quadragesimo tertio indictione prima VIII. idus aprilis imperante domino Frederigo II. Romanorum imperatore & semper augusto ad honorem Dei omnipotentis & beate Marie semper virginis genitricis ejusdem, & beati Benedicti confessoris & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei & ad honorem domini nostri Frederici II. Romanorum imperatoris semper augusti & ad honorem communis civitatis Florentie, & ad honorem bonum statum monasterii sancti Benedicti de Vivo nostri, & domini dompni Basilii prioris ejusdem monasterii & totius capituli & conventus ipsius monasterii, & ad honorem bonum statum totius communis Montis Politiani & omnium amicorum suorum. Cunctis presentem paginam inspecturis pateat evidenter & certius innotescat, quod ad requisitionem domini dompni Basilii prioris monasterii sancti Benedicti de Vivo convocato capitulo seu conventu dicti loci in loco, in quo capitulum fieri consuevit, ut moris est, habito diligenti tractatu cum monacis & conversis ejusdem capituli, collegii seu conventus, jamdictus dompnus Basilius prior & rector monasterii predicti, volentibus & consentientibus & expresse mandantibus monacis & conversis infrascriptis dicti monasterii, videlicet dompno Henrico, dompno Jacobo, dompno Jonta sacerdotibus, dompno Orlando majori heremi, dompno Aldo diacono, dompno Jacobo, dompno Ventura, dompno Venuto, dompno Boninsegna monachis, Johanne cellario, magistro Henrico caligario, Bartholomeo caligario, Parigio caligario, Gratia caligario, Cambio gualcatore, Mattheo Instrincerio, Henrico Cortesiano, Bartholomeo hospitalario, Benedicto fabro, Mendo sartore, Bartholomeo sartore, Accursio molendinario judicato, magistro Baldino refectorerio, Bene rectore seu procuratore domus de Farneto, Perucciolo asinario, Compagno & Philippo, & ipsi iidem concorditer & unanimiter cum prefato domino priore ad infrascripta & singula consensum & auctoritatem dictis monachis & conversis prestaverunt nomine & vice dicti monasterii. Et quia loca infrascripta ad dictum monasterium pertinentia, homines & res ipsorum locorum & infrascripti fines dictorum locorum existentium per eos defendi non poterant ullo modo, uti publice patet & sollempniter confitentur, & prius servata omni sollempnitate juris, & que in talibus observari consuevit, & quia multa & magna merita communitas de Monte Politiano contribuerat monasterio predicto, & pro bono & utilitate ipsius monasterii ex una parte, & Guascus filius quondam Mendi sindicus & procurator communis Montis Politiani, ut patet per instrumentum publicum conditum manu mei notarii infrascripti nomine & vice dicti communis ex altera. Ita simul & inter se ad invicem contraxerunt & convenerunt stipulatione solempni, ut unquam melius potuerant; scilicet, quod dictus domnus prior de consensu & voluntate omnium & singulorum in capitulo coadunatorum subjecit, submisit & subposuit, & prefati cum auctoritate dicti prioris subjecerunt & submiserunt & supposuerunt communi Montis Politiani & Guasco prefato sindico & procuratori dicti communis nomine & vice dicti communis & universitatis ipsius communis,

Mar-

Marzolum & ejus curtem, Collem & ejus curtem, que modo vocatur Clancianellum, Casarnum & ejus curtem, Conninum & totum pleberium communi usque ad Urciam, Petrojam cum suis pertinentiis, & plagiam Milie, abbatiam sancti Petri in Campo cum suis rationibus & pertinentiis, juribus & actionibus ab Urcia usque ad Montem Politianum, communia, & universitates & homines ipsorum locorum & infra fines predictos existentium, & loca infra illos fines existentium, homines & res ad monasterium & abbatiam predictam pertinentes vel que pertinere consueverunt, sive jure dominii vel quasi, sive sint ville, sive sint castra, sive quicquam aliud, sive detineatur, sive possideatur per dictum monasterium, sive per alium qualitercumque & quomodocumque sive detineri, sive possideri consuevit abbatia sancti Benedicti de Mojano, plebem sancti Martini, ecclesiam sancti Proculi cum eorum rationibus & pertinentiis, & omnia alia & singula existentia intra dictos confines ad omnem protectionem & defensionem legiptimam ad jurisdictionem ordinariam, voluntariam & contentiosam ad banniendum & exbanniendum & puniendum, & ad omnem possessionem habendam, utendam & fruendam, & omnia & singula facienda, que verus dominus facere & exercere potest solummodo quoad proprietatem, quam in aliam dicta communitas transferre non possit sine licentia monasterii predicti, promittendo dictus dominus prior de licentia & voluntate predictorum, & ipsi una cum predicto priore prefato per se suosque successores nomine & vice dicti monasterii jamdicti Guasco stipulanti & recipienti nomine & vice communis Montis Politiani de predictis terris, locis, possessionibus, tenimentis, detentionibus & juribus donatis in specie vel in genere, tacite vel expresse, in totum seu pro parte, vel minutatim non concedere nomine venditionis aut feudi, vel libellarii, vel laborerii, vel ullo genere alienationis vel jure proprietatis vel ususfructus, vel aliquo in alio titulo seu modo, quod excogitari possit de facto vel de jure vel communitate, qui non sit de Monte Politiano & ejus districtu, sine licentia & expresso consensu communis Montis Politiani, & quod non dederunt & non cesserunt jus suum, nec fecerunt aliquid alicui persone, loco sive universitati, nec facient deinceps huic rei nociturum, vel quod nocere possit modo aliquo vel ingenio, nec sinant in futurum fieri, excepts illis personis de Montichiello, quibus concessum est in termino XIII. annorum, & excepto Johanne Bonacti, salvo semper dominio & proprietate monasterio predicto cum predictis conditionibus, & interim dictus dominus prior ejus nomine, & nomine dicti monasterii & sindicum memoratum nomine & vice communis Montis Politiani, constituerunt precario possidere omnia & singula supradicta, donec corporalem earumdem rerum ceperit possessionem. Quam accipiendi auctoritate propria retinendi, deinde sine aliqua pena vinculo legis & usus quandocumque voluerit, licentiam omnimodam, & liberam potestatem supradicto sindico recipienti nomine & vice communis Montis Politiani contulerunt atque dederunt nomine & vice dicti monasterii, transferentes in dictum commune & ejus sindicum recipientem pro ipso communi omnem possessionem tam civilem, quam naturalem, & quam habent vel unquam habere consueverunt. Et predicta omnia & singula, ut superius continetur, dictus prior fecit cum consensu predictorum monachorum & conversorum, & ipsi cum auctoritate & consensu dicti prioris. Ideo quia dictus Guascus *&c.* promisit & convenit dicto domino priori recipienti *&c.* manutenere & defendere dictum monasterium & ejus bona & res tam pro capite, quam in membris, & tam pertinentiis, quam pro capite toto suo posse, bona fide, sine fraude, & habere, tenere dictum dominum priorem & ejus successores monachos & conversos & familiares omnes & singulos dicti monasterii pro castellanis & in castellanis castri Montis Politiani a minoribus usque ad majores, & curare & facere, ita quod in constituto Montis Politiani contineatur, si de eorum processerit voluntate, quod quicumque venerit ad habitandum vel laborandum a Monte Politiani usque ad Urciam in prefata loca signoria communis Montis Politiani, & dictum commune teneatur compellere habitatores & laboratores dare & reddere ac etiam solvere terraticum seu redditum procuratori monasterii predicti secundum quod conventum fuerit inter laboratores & procuratores monasterii predicti; salvo tamen quod si differentia apparuerit inter procuratorem monasterii & conductores terrarum de locatione & conductione, scilicet quod non possint se ad invicem concordare de redditu terrarum, quod hoc sit in provisione dicti domini prioris vel sui successoris, qui pro tempore fuerit in dicto monasterio, & dicti Gua-

Guaschi superius nominati vel alterius sindici dicti communis, qui pro tempore fuerit. Item si lis aut questio apparuerit de supradictis locis vel aliquo ipsorum, quod expresse debeant fieri per medium a communi Montis Politiani & domo Vivi seu monasterio prelibato, scilicet expense faciende in causa vel causis habendis deinceps coram quocumque judice. Item teneatur dictum commune ponere xxx. foculares seu familias in dicto terreno ad laborandum, ubi convenientius & melius visum fuerit priori monasterii predicti vel ejus procuratori & sindico communis Montis Politiani hinc ad festum sancti Michaelis mensis septembris proxime venturi, nisi justa causa intervenerit, vel nisi de licentia steterit utriusque tacita vel expressa. Item teneatur dictum commune dare dicto monasterio in saxo Montis Politiani vel in burgo ad voluntatem monasterii prioris, scilicet ubi melius visum fuerit sibi, utrum in burgo, vel in saxo, unam plateam pro domo hedificanda pro ipso monasterio ad evidentiam prioris dicti monasterii & Guaschi &c. Item teneantur laboratores terrarum arbores fructiferas non incidere, nec devastare ullo modo, sed ipsas custodire bona fide, sine fraude. Hec omnia & singula supradicta, & que inferius dicentur, dictus dominus prior cum suo capitulo ex una parte, & dictus Guaschus sindicus & procurator dicti communis vice & nomine dicte universitatis ex altera sibi ad invicem sollempniter promiserunt, & unquam melius potuerunt tenere, facere & observare omni tempore & inviolabiliter integre sine diminutione, & curare, ut supradicta & singula hinc inde fiant & observentur & que omnia poterunt de jure. Que omnia & singula &c. Actum in claustro monasterii prelibati coram domino Alberto can... Anselmo domini Brucardi, Ubertino Blavii de Castilione Aretino, domino Benjamino judice, Paganello Petri & Mariano quondam Massei Mariani testibus ad hec rogatis.

Item eodem anno & indictione idus aprilis in arce de Channeto de Monte Politiano coram Ranaldo Polliciani, & Ranerio .... testibus ad hec rogatis. Intende quondam Guidonis Girardini, & Johannes Ricchelide conversi dicti monasterii de licentia dicti domini prioris huic contractui consenserunt.

Item eodem die ante domum predictam coram domino Albonecto Cotonis, & magistro Ado medico testibus ad hec vocatis Johannes de Vercellis sindicus & procurator dicti monasterii & Pulcianus filius domini Duidi de licentia & parabola dicti domini prioris huic contractui consenserunt & promiserunt ipsi & dicti Intende & Johannes dicto Guasco sindico stipulanti nomine dicti communis hunc contractum habere firmum & ratum perpetuo & non contrafacere vel venire occasione aliqua vel exceptione.

Et ego Johannes Meglioretti auctoritate imperiali notarius dictis omnibus adsui, ut supra legitur, mandato dicti domini prioris, & dictorum monachorum & conversorum, necnon & dicti Guaschi sindici & procuratoris dicti communis scripsi & publicavi.

CCCLX.

Charta monasterii S. Viti Vicetiæ.

Anno 1243. XII. exeunte aprili.

Ex veteri exemplo ejusdem cœnobii.

HOc est exemplum ex authentico scriptum anno Domini M. CC. XLIII. *Ibid. n. 25.*
die XII. exeunte aprili indictione prima in civitate Vincentie in majori ecclesia sancte Marie, presente presbytero Oto mansionario ejusdem ecclesie sancte Marie, & Ugocono clerico de Baitexina, & Mutinenxio de Modena nepote domini Johannis archipresbyteri, & Vedrame & aliis. Ibique in capitulo congregato canonicorum dicte eccesie & plebis sancte Marie jure locationis a se suisque successoribus ad habendum & detinendum dehinc usque in perpetuum, hoc est donec iste mundus durabit. Dominus Johannes archipresbyter suprascripte ecclesie & plebis sancte Marie verbo & consensu & voluntate dominorum Gabrielis olim domini Guidonis, qui fuit de Marano, & Johannis Sauli & Jacobi de domino Tertiogerando, & Uberti domini Ottonis de Bonanuco canonicorum & confratrum suprascripte ecclesie & plebis sancte Marie pro ipsa ecclesia & canonica, & investivit domnum Johannem priorem sancti Viti de ordine Camaldulensium, & pro ipso monasterio recipientem & pro ipsa ecclesia sancti Viti de decimo de toto terreno, quod tenet pro ipso monasterio & ecclesia, & alii tenent pro eodem monasterio aliquo modo. Et insuper de decima de cuncto terreno integraliter, quod legitur & continetur in instrumento scri-

pto per Bellellum notarium factum inter dictam canonicam & confratres ejusdem canonice & plebis ex una parte, & inter dictum monasterium & ecclesiam ex altera, positum in campanea & cultura civitatis Vincentie & ejus confinibus, & eidem monasterio pertinere potuerit actio decimarum, ea vero ratione, uti a modo jamdictus domnus Johannes prior & confratres ejus & eorum successores & dictum monasterium habeant & teneant has decimas a dictis dominis, suisque successoribus, & a dicta plebe & canonica perpetualiter, ut dictum est, ad suum fictum solvendum una cum accessu & ingressu, & cum omnibus suis pertinentiis. Equidem vero dictus dominus Johannes archipresbyter pro ipsa ecclesia & canonica stipulans promisit & convenit eidem domno Johanni priori & pro ipso monasterio recipienti guarentare & defendere decimas predictas in ratione ab omni parte omnique homine, sicut per tempora fuerint meliorate vel valuerint ad persolvendum inde omni anno in festo omnium Sanctorum octo diebus ante vel post viginti soldos denariorum parvorum, & nihil aliud, dato & consignato hoc ficto predictis archipresbytero & canonicis aut suo nuncio vel aliis per ordinem. Alia vis vel superimposita inter eos non fiat. Penam vero inter se posuerunt, ut si quis vel eorum successorum si suprascripta adimpleta non erint, quod componat pars parti fidem servanti penam XXIX. parvorum denariorum, & post penam solutam hec carta in suo perpetuo robore permaneat.

In suprascripto vero anno die XIV. introeunte majo in civitate Vincentie in habitatione domini Johannis canonici, qui fuit de Schledo, presentibus Aventa clerico & domino Gerardo Tavoladi & Martino, qui tunc manebat cum suprascripto domino Johanne & aliis. Ibique suprascriptus dominus Johannes & dominus . . . . olim domini Anselmi de . . . canonici & confratres suprascripte ecclesie & canonice & plebis sancte Marie complacuerunt & laudaverunt suprascriptam datam & lectam, & nunquam contravenient aut corrumpent, & de hoc plura sunt instrumenta consonantia.

Anno M. CC. LXI. indictione III. die veneris XIII. exeunte augusto date fuere per commune Vincentie nomine cambii pro decimis totius culture civitatis Vincentie capitulo ecclesie Vincentie, & capellis civitatis Vincentie ibi subjectis, possessiones, quas habet commune Vincentie in villis de Sclavone, Longa & Coxtavernese, & podere, quod fecit Pontiorum, & una posta molendini destructa in Camixano, & hec sine comitatibus, jurisdictionibus, vassallis & masnatis & eorum peculiis; & Pilius notarius magistri Pilii fecit instrumenta.

CCCLXI.

Stephanus ep. Torcellanus concedit Camaldulensibus ecclesiam S. Mathiæ de Muriano.

Anno 1243. XII. octobris.

Ex archivo ejusdem monasterii.

IN nomine Dei eterni amen. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi M. CC. XLIII. die XIV. intrante mense octobris indictione II. Rivoalti. Ea, que sunt futuris temporibus observanda, ne processu temporis a memoria elabantur, dignum est scripture testimonio lucidari. Quapropter nos Stephanus Dei gratia Torcellanus episcopus cum nostris successoribus vobis Johanni & Gerardo fratribus ordinis Camaldulensis ecclesiam sancti Mathie de Murano Torcellane diocesis cum suis pertinentiis concedimus intuitu pietatis propter salutem animarum maxime commorantium in vicinia memorata. Et si aliquos vobis duxerint associandos quaternarium numerum congregatio fratrum non excedat. Nobis autem & successoribus nostris hec obsequia tenebimini annis singulis exhibere, videlicet duas ampullas puri vini octo diebus ante festum sancti Mathie; in festo sancti Hermacore cum Gradum iverimus storium unum, in mense martii quindecim blanchos, salvos his, que facere tenemini plebi sancte Marie de dicto Muriano, prout instrumento confecto exinde continetur. *Ibid. n. 9.*

Ego Petrus de Fano presbyter notarius de mandato dicti domini episcopi scripsi, complevi & roboravi.

CCCLXII.

CCCLXII.

Locatio Guilielmi marchionis Massæ monasterio S. Michaelis Pisarum.

Anno 1244. v. idus januarii.

Ex autographo ejusdem monasterii.

ibid. n. 13. IN eterni Dei nomine, amen. Ex hujus publici instrumenti clareat lectione, quod donnus Guilielmus Marchio Masse Lunen. quondam Andree marchionis Masse pro se, & Alberto ejus germano quondam supradicti Andree marchionis, & Conrado marchione ejus consorte, & aliis omnibus ejus consortibus, & etiam pro juribus, que ipse Guilielmus marchio habet contra Conradum marchionem, & ejus bona, ut in cartis rogatis a Riccardo notario, vel alio notario contineri dicebatur, locavit & locationis titulo dedit, & habere concessit ad pensionem in perpetuum donno Martino abbati monasterii sancti Michaelis de Burgo recipienti, & agenti pro ipso monasterio unum integrum petium terre vineatum positum in confinibus Salviani, in loco dicto Via cava, vel Scopaja, & tenet unum caput cum uno latere in viis publicis, aliud caput cum alio latere in terra supradicti monasterii, & partim in terra filiarum Hieronymi pro tanta quantacunque est cum omni jure, & actione, & proprietate, ac pertinentia ejus ad habendum, tenendum, & gaudendum, & usufructuandum, & suam pro predicto monasterio, & ipsius monasterii voluntatem, & commodum faciendum pro pensione, & nomine pensionis, inde annuatim danda, & reddenda denariorum sex Pisane monete juxta altare supradicti monasterii per totum mensem septembris, quando inde a dicto Guilielmo, vel aliquo ejus consorte, sive nuncio eorum pro eis ipse abbas, vel ejus successor pro dicto monasterio fuerit inquisitus. Et sic precepit ipsi abbati predicto monasterio ingredi possessionem suprascripte rei in perpetuum ad petitionem dare quicunque nomine dicti monasterii possideat, & constituit se pro dicto monasterio possidere &c.

Actum Pisis in camera suprascripti abbatis, presentibus Bulliafava quondam Bernardi, & Ricciardo Piarense testibus ad hec rogatis Dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo quadragesimo quarto indictione secunda quinto idus januarii.

Ego Lanfrancus filius quondam Jacobi domini Frederici Romanorum imperatoris notarius hec omnia a quondam Gerardo Gatelli notario rogata ex commissione mihi a domino Amitho de Strada Pisarum potestate consilio senatus facta de universis schedis suis chartas formandi, ut in actis ipsius quondam Gerardi inveni, ita scripsi & firmavi.

CCCLXIII.

Innocentius IV. *Rom. pont. monasterium S. Mariæ de Tuoma subjicit Camaldulensibus.*

Anno 1244. III. idus januarii.

Ex tabulario Fontis-boni. §. Brevia n. 49.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui Camaldulensi Aretine diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Dilectis in Christo filiabus .. abbatissa & monialibus monasterii sancte Marie de Tuoma ordinis sancti Benedicti Aretine diocesis nobis innotuit intimantibus, quod monasterium ipsum in spiritualibus & temporalibus adeo graviter est collapsum & collabitur incessanter, quod nulla spes est de cetero, ut in suo possit ordine reformari: quare humiliter nobis supplicarunt, ut cum per vos credatur reformari posse monasterium memoratum, in ipsum induci Camaldulensem ordinem mandaremus. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus, si res ita se habet, ordini vestro incorporantes monasterium antedictum studeatis illud secundum instituta dicti ordinis reformare, deputando eis visitatorem idoneum, qui earundem confessiones audiat, ipsasque instruat regularibus disciplinis, diocesani ipsius & cujuslibet alterius in omnibus jure salvo in hiis, que ipsius ordinis non obviant institutis. *Ibid. n. 10.*

Datum Laterani III. idus januarii pontificatus nostri anno primo.

CCCLXIV.

Definitio pro ecclesia S. Stephani de Tega subjecta cœnobio Silvæ-mundano.

Anno 1244. v. nonas maji.

Ex autographo archivi Gaddiorum Florentiæ.

Ibid. n. 13. IN Dei nomine amen. Nos quidem frater Guido peccator monachus & prior Camaldulensis arbiter constitutus a donno abbate abbatie de Silvamunda ex parte una, & nobilibus de castello Focognano filiorum dominis Teuzone & Rainaldo ex altera super litibus, questionibus & controversiis, que vertebantur & verti poterant inter eos super ecclesia sancti Stephani de Tega, & super possessionibus & rebus ad ipsam ecclesiam pertinentibus, & super omnibus aliis questionibus & ordinationibus, que de predictis deinceps esse possent inter eos. Dicebat namque dictus donnus abbas ad abbatiam de Silvamunda & ejus capitulum dictam ecclesiam sancti Stephani de Tega pleno jure spectare. Confitebantur tamen predictos nobiles de Castello habere jus patronatus in ecclesia nominata, & predictos nobiles de Castello confitebantur ipsam ecclesiam ad capitulum abbatie Silvemunde pleno jure pertinere, tamen petebant & dicebant, quod tempore vacationis ipsius ecclesie debebant & volebant ad ipsam rectorem eligere & presentare, & electionem factam pronunptiare. Preterea jamdictus domnus abbas, ut predicti nobiles taliter procurarent, quod Mangiectus, qui se gerit pro rectore ecclesie nominate, eam sibi dimittat liberam & expeditam, & renumptiet omni administrationi & cure, quam gerit in ea, pro eo quod se intruserat in eadem in predicti capituli prejudicium & gravamen. Auditis igitur confessionibus utriusque partis & diligenter inspectis, habito consilio sapientum, Dei nomine invocato, auctoritate compromissi in nos facti a partibus nominatis, laudamus, diffinimus & arbitramur jamdictam ecclesiam sancti Stephani de Tega ad jamdictum capitulum abbatie de Silvamunda, quo ad omnia spiritualia & temporalia pertinere, & spectare in eadem ecclesia sancti Stephani de Tega juspatronatus ad prenominatos nobiles de Castello. Item laudamus, ordinamus, arbitramur & precipimus, ut cum dicta ecclesia de Tega pastore vacaverit, abbas abbatie Silvemunde, qui pro tempore fuerit & prenominati nobiles de Castello Focognano & eorum heredes de electione futuri pastoris facienda ad ipsam ecclesiam sancti Stephani de Tega simul conferant & pertractent de persona, que sit de dicto capitulo abbatie Silvemunde, si poterit in eodem reperiri, & si autem in eo non inveniretur idonea, conveniant in aliam personam de ordine Camaldulensi, & postquam concordaverint de persona idonea vocanda ad regimen ecclesie nominate, prenominatus abbas electionem pronuntiet de persona illa, in qua prius fuerant partes concordes, & non de alia persona, & celebrata dicta electione idem domnus abbas ipsum electum confirmet, & inducat eundem in possessionem spiritualium & temporalium rerum ipsius ecclesie, & postquam dictus electus fuerit ad dictam ecclesiam institutus obedientiam pro ipsa ecclesia sancti Stephani nominata exhibeat prenominato abbati, & post obedientiam ab eo receptam semper habeat in ipsa ecclesia tam in rectorem, quam in monachos ipsius ecclesie habeat correctionem, institutionem & destitutionem. Item laudamus, arbitramur & precipimus, quod in dicta ecclesia sancti Stephani tam in officiis, quam in aliis observationibus secundum possibilitatem loci Camaldulensis ordo perpetuo teneatur, & nobiles memorati pro patronis dicte ecclesie semper habeantur & teneantur. Item laudamus, arbitramur, diffinimus & precipimus nobilibus supradictis, quod taliter procurent & faciant, quod hinc ad quindecim dies proximos dictus Mangiectus dictam ecclesiam de Tega liberam & expeditam supradicto donno abbati, & renunptiet juri administrationi, regimini & cure, quam gerit in ea. Item laudamus, precipimus, diffinimus & arbitramur, quod predicte partes hec omnia & singula supradicta in perpetuum teneant & observent sub obligatione pene quinquaginta librarum Pisanarum in compromisso contenta. Quam penam quelibet pars, que contra predicta in aliquo aliquando presumpserit, alteri parti predicta observanti solvere teneatur, & post ipsam solutam predicta nichilominus in suo robore perseveret.

Latum est hoc predictum arbitrium a prenominato domino Guidone priore Camaldulense apud plebem de Socan.. in presentia dictarum partium. Et postquam dicte partes audierunt & intellexerunt omnia & singula, que continentur superius in tenore hujus suprascripti arbitrii de certa scientia, & non per errorem acceptaverunt

verunt & approbaverunt omnia & singula, que in tenore supradictorum continentur, & solemni stipulatione sibi ad invicem dicte partes promiserunt in perpetuum observare facere, & tenere firma & rata omnia & singula, que scripta sunt superius in forma suprascripti arbitrii, & si dictus dominus abbas abbatie Silvemunde contra predicta faceret, aut predictum arbitrium non observaret per se & suos successores nomine capituli dicte abbatie, promisit dare, solvere & pagare prenominatis nobilibus de Castello Focognano recipientibus pro se & suis heredibus quinquaginta libras bonorum denariorum Pisanorum cum refectione damnorum & expensarum, quas juramento sine aliis probationibus dixerunt se facturos in petendo predicta, & insuper eisdem nobilibus promisit predicta firma & rata tenere & opservare, & prenominati domini Teuzo & Rainaldus per se & suos heredes promiserunt predicto domino abbati de Silvamunda recipienti pro capitulo ipsius abbatie tenere, & servare omnia, que superius in dicto arbitrio continentur; quod si non fecerint, & ea omnia non servaverint, aut contra ea facere aliquando presumpserint ipsi vel sui heredes, nomine pene per se & ipsos dictos heredes suos promiserunt dicto abbati recipienti pro capitulo dicte abbatie quinquaginta libras denariorum Pisan. dare & solvere, & simul cum refectione damnorum & expensarum, quas juramento sine aliis probationibus dixerit a se factarum in petendo predicta, & insuper hunc contractum eidem abbati promiserunt habere semper firmum. Et hec omnia supradicta acta sunt apud dictam plebem de Socan.. in testimonio domni Uberti abbatis abbatie de Helmi, domni Ugonis de Pogibaldi, presbyteri Rainerii de Turre, Teste de Socan.. Galligarii de Bibiena, Bonacursi de Socan.. & Johannis servientis predicti domini prioris Camaldulensis. Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto indictione secunda quinto nonas mensis maji Innocentio papa residente domino Frederico imperatore.

Et ego Rudulfinus notarius omnibus predictis & prolationi hujus supradicti arbitrii interfui, & de mandato predicti domini prioris Camaldulensis scripsi redigens in publicum.

CCCLXV.

Uberti abbatis Athalmensis interrogationes factæ abbati S. Helenæ ad Æsinum.

Anno 1244.

Ex autographo archivi S. Blasii de Fabriano.

ANno Domini M. CC. XXXIV. indictione II. domnus Ubertus abbas Athalmensis in cunctis monasteriis de ordine Camaldulensi in Anconitana Marchia constitutus a venerabili domno G.. priore Camaldulensi visitator & reformator ordinatus precepit domno Benedicto sancte Helene abbati & suis fratribus monachis & conversis per veram obedientiam & Spiritus sancti virtutem & sub pena excommunicationis de veritate sibi dicenda causa visitationis tam de spiritualibus, quam de temporalibus &c. *Ibid. n. 14.*

Item interrogavit per veram obedientiam & Spiritus sancti virtutem, & sub pena excommunicationis si fecit vel fecit fieri sacramentum fidelitatis imperatori vel suis nuntiis. Respondit, quod Benvenutus in Valle sancti Clementis pro imperatore vicarius constitutus venit personaliter ad monasterium predictum, & omnibus fratribus congregatis ex parte imperatoris & regis Henrici precepit tam abbati, quam aliis fratribus, ut sibi pro imperatore recipienti fidelitatem jurarent, & obedire ac observare deberent mandata domini imperatoris. Et statim dictus Benvenutus computavit tam abbati, quam aliis fratribus sacramentum, affirmantes ipsi sac. sicut ipse vicarius eis denuntiabat. Verumtamen in fine sacramenti non eos permisit manus super librum ponere.

Item interrogatus eodem modo (*idem abbas*) si fuit rector & consul castri Massacii anno preterito, quando homines dicti castri ab ecclesia erant excommunicati, & faciebant imperatori debita servitia, & in omnibus observabant mandata & precepta imperatoris & suorum nuntiorum contra libertatem ecclesie. Respondit sic.

Interrogatus eodem modo, si tunc, quando fuit electus consul & rector, juravit regimentum dicti castri, sicut consueverunt facere alii rectores seculares dicti castri, tam in daciis & collectis pro imperatore colligendis & aliis negotiis exercendis. Respondit, quod

juravit

juravit bona fide regimentum & potestariam dicti castri, & omnia adimplevit per totum annum, ut alii rectores facere consueverunt.

Item interrogatus, si homines dicti castri juraverunt sibi & obedierunt preceptis & mandatis suis pro imperatore, quam pro aliis negotiis dicti castri faciendis. Respondit quod sic; sed dixit, quod fecit causa juris monasterii memorati.

Item interrogatus, si post dictum sacramentum Missas, & alia divina officia celebravit. Respondit, quod sic.

Item interrogatus domnus Blasius eodem modo per veram obedientiam, & Spiritus sancti virtutem & sub pena excommunicationis de omnibus predictis. Respondit & dixit sicut dictus abbas superius est confessus *&c.*

Ego Ugo Johannis Ysnardi imperialis notarius, ut audivi & intellexi, scripsi & signum meum de suptus in fine liste posui, & cancellavi in pluribus locis & interlineavi.

CCCLXVI.

Charta monasterii Bisurcensis.

Anno 1245. v. martii.

Ex autographo penes canonicos S. Laurentii de Florentia. n. 95.

Ibid. n. 17. IN Christi nomine. Anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo XL. quinto regnante domino nostro Friderico Romanorum imperatore ac semper augusto die quinto intrante martio indictione III. Faventie in podio canonice sancti Petri. Ego judex Rogerius de Presenzano pro me meisque heredibus & successoribus, & vice & nomine filii mei Galgani & pro ipso, & pro ejus heredibus & successoribus do & concedo, postpono, remitto, renuncio, cedo atque mando, & perpetualiter trasacto & diffinio vobis dompno Ugolino abbati monasterii sancti Benedicti in Alpibus recipienti vice & nomine ipsius monasterii, & pro ipso & pro vestris subcessoribus in eodem, videlicet omnia jura omnesque actiones, exceptiones personales, reales, utiles & directas, vendicationes, replicationes, defensiones, redditus, servitia, pensiones, renovationes, penas, obligationes, pacta & tenores, & omnes conditiones, quos, quas & que dictus meus filius habet vel habere sperat, vel sibi competit seu competere possit in plebe sancti Cassiani in Pennino occasione electionis seu concessionis dicto meo filio facte per curiam, in eo quod erat & esse debebat archipresbyter dicte plebis, reservata tamen mihi pro dicto meo filio medietate totius fructus blave, que perveniunt dicte plebi de possessionibus dompnicatis presentis anni, & recolti proximi, si personaliter in Romania fuero, dictam medietatem fructus habere debeam, & si non fuero personaliter, habere non debeam, & etiam si pax fieret ante recoltum, habere dictam medietatem non debeam, & hoc dico servando illi legi clamanti pactum de futuris successibus fieri non posse. Hec omnia, ut dictum est, do & concedo vobis cum introitu & exitu suo & omnibus in se & super se ab omnibusve sibi pertinentibus faciens & constituens vos procur.. pro dicto monasterio in rem vestram, ut possitis agere, excipere, defendere, vendicare, replicare, experiri, prosequi in judicio & extra, uti dictus meus filius facere poterat, & do vobis licentiam pro dicto monasterio intrandi possessionem & quasi supradictarum rerum vestra auctoritate. Hec omnia vobis facio, quia vos predictus dompnus Ugolinus abbas predicti monasterii sancti Benedicti in Alpibus vice & nomine ipsius monasterii, & pro ipso & pro vestris successoribus in eodem datis & conceditis, refutatis & postponitis, remittitis & renuntiatis, ceditis & mandatis, & personaliter transactatis & diffinitis, & pactum perempne de non petendo facitis mihi in suprascripto jud. *&c.* sub pena ab utraque parte solempni stipulatione promissa decem untiarum auri & data pena vel commissa omnia suprascripta & singula, & quodlibet suprascriptorum, ut superius legitur, perpetuo maneant firma. Hujus rei testes fuerunt presentes, & ab utraque parte rogati presbyter Almericus ecclesie sancte Marie Guidonis, dominus Johannes domine Gatte, Simon castaldus domini Accharisii, Brunamons Leonis, notarius Jacobus de Serra, Tedericus presbyteri Johannis in Sclavo.

Ego Benencasa Amatoli imperialis & Faventinus notarius omnia suprascripta & singula, ut superius legitur, rogatu suprascriptorum judicis Rogerii & dompni Ugolini abbatis scripsi & publicavi.

CCCLXVII.

CCCLXVII.

Jacobus ep. Bononiensis dat primarium lapidem pro ædificanda ecclesia S. Christinæ Bononiæ.

Anno 1245. die IX. martii.

Ex autographo ejusdem parthenonis.

Ibid. n. 18. IN nomine patris & filii & spiritus sancti, amen. Anno ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimo quinto die nono intrante martio indictione tertia. Venerabilis pater domnus frater Jacobus Bononiensis episcopus dedit & concessit lapidem primarium ponendum in loco & ecclesia sancte Christine, facienda prope circlam inter stratam majorem & stratam sancti Stephani, Johannello de Varegnano converso & sindico domne Scolastice abbatisse monasterii sancte Christine & dominarum ejusdem loci recipienti pro ipsis, salvo quod ipsa domina & sorores, & que pro tempore fuerint in dicto loco faciendo & ecclesia residentes, & que eis successerint, teneantur dare eidem domino episcopo tamquam suo episcopo & suis successoribus annuatim nomine census unam libram cere, hoc etiam acto quod quandocumque appareret ipsam ecclesiam seu locum .... vel aliquo jure domino episcopo vel episcopatui Bononiensi subjectam, tunc prestantibus & facientibus dominabus predictis, & que eis successerint ea, que jure subjectionis illius prestare & facere tenerentur, a prestatione dicte libre cere penitus sint immunes. Interim autem dictam libram cere ipsi domino episcopo & ejus successoribus annuatim in vigilia Nativitatis Domini exsolvent eisdem domini episcopi & episcopatui jurisdictioni se sponte subicientes in hac parte videlicet, quo ad prestationem dicte libre cere ipsas cogere possit per censuram ecclesiasticam privilegio aliquo vel indulgencia non obstante. Et de hiis omnibus investivit Johannellum de Varegnano conversum predictum & sindicum dominarum & sororum sancte Christine, ut vidi in carta sindicatus facta manu Petrizoli quondam Gerardi de Foglana notarii, quam vidi & legi ipso sindico presente, affirmante & approbante omnia supradicta & singula, presente domino Londulfo de Campania, domino fratre Fonso Yspano, domino P..t..ane fratre Penitentie, presbyteris Jacobo de sancto Angelo, magistro Jacobo medico, Petro notario de Septifunti, & domino Mattheo de Batiditio testibus.

In camera domini episcopi supradicti.

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo quinto indictione tertia die quarto exeunte martio in loco & domo posita inter stratam majorem & stratam sancti Stephani, qui dicitur sancta Christina presente domina abbatissa predicta, & undecim ex dominabus dicti loci lecta fuerunt hec omnia secundum quod superius scripta sunt, & ea omnia approbaverunt, & confirmaverunt, & quicquid concessum vel factum erat super hiis dicto eorum sindico de facto lapidis primarii, & de juribus approbarunt & confirmarunt.

Presente domino Bernardino preposito de Casulis, domino Mattheo de Batiditio, presbytero Attone & multis aliis testibus.

† Ego Mattheus quondam Jacobi palatini auctoritate imperiali notarius de mandato predictorum domini episcopi, sindici & dominarum predictarum scripsi, & duo instrumenta ejusdem tenoris feci de partium voluntate.

CCCLXVIII.

Conradi ep. Justinopolitani donationes monasterio S. Michaelis de Muriano.

Anno 1247. die secunda octobris.

Ex apographo ejusdem monasterii. Caps. n. 68.

IN nomine patris & filii & spiritus sancti, amen. Candorem monastice puritatis & plantarium eximie honestatis, quod divina inspirante clementia in .. priorem monasterii sancti Michaelis de Murano & fratres ejus pullulare noscuntur, qui Lie lipitudini Rachelis pulchritudinem preferentes sub humilitatis habitu Domino famulantur. Nos C. qui Deo auctore, non meritis nostris, Justinopolitane ecclesie presidemus, dignis in Domino, quibus possumus favoribus prosequentes, ut eorum specialius piis suffragiis apud misericordem Deum, qui terrenis contagiis ultra volitum frequentius adheremus, valeamus jugiter adjuvari; considerata devotione, quam circa nos & ecclesiam nostram dicti prior & fratres, & nunc & preteritis temporibus habuerunt, necnon & obsequia, que nobis & fratribus nostris impenderunt tam liberaliter, quam benigne, predecessorum nostrorum & bonorum virorum Deum timen- Ibid. n. 22.

timentium vestigiis inherentes, de his, que ad nos & ecclesiam nostram spectant, eisdem priori & fratribus, & ipsi monasterio misericorditer elargiri. Ea propter nos dictus C.. Dei gratia Justinopolitanus electus per nos nostrosque successores intuitu Dei, & predecessorum nostrorum de consensu & voluntate domini O.. decani, P.. archidiaconi, Vi.. scholastici, presbyteri Benedicti, presbyteri Bartholomei, presbyteri Johannis, presbyteri Almerici, Damiani & totius capituli Justinopolitane ecclesie in perpetuum damus, concedimus & investimus, & per hanc nostri privilegii seriem confirmamus tibi domno .. priori sancti Michaelis de Murano recipienti pro te tuisque fratribus, & eidem monasterio omnes decimas & jus decimationis novalie domus vestre nove site in Grema infra tenutam vestram adherentis ex una parte muro civitatis, salvo jure quartesii ad canonicos majoris ecclesie pertinentis, quas & quod in confinio vel in civitate nostra habetis, vel poteritis Deo volente justis modis futuris temporibus adipisci, retenta nobis nostroque episcopatui ac nostris successoribus propter hoc medietate unius libre piperis tempore vindemiarum per vos vestrosque successores annis singulis exhibenda, quam si non solveritis tempore prelibato, teneamini ad penam dupli. Predictas vero decimas & jus decimationis nemini datas, infeudatas, alienatas seu pignori obligatas veraciter profitemur; promittentes per nos nostrosque successores tibi priori tuisque fratribus & successoribus in perpetuum concessionem istam sive investituram seu confirmationem ratam & firmam habere & non contravenire, imo ab omni persona hominum sub pena centum librarum Ven. parvulorum cum obligatione bonorum nostrorum omnium nostrique episcopatus auctorizare atque defensare pollicemur invicem. Nemini igitur liceat hanc nostre concessionis, investiture seu confirmacionis paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero contra hec venire aut ea infringere temere temptaverit, si secundo tertioque commonitus non resipuerit, Dei omnipotentis & nostram indignationem incurrat, a corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat extorris, & in extremi examinis die divine subjaceat ultioni. Ut autem hoc nostre concessionis investiture ac confirmationis privilegium perpetuis temporibus robur obtineat firmitatis, ipsum nostri sigilli munimine duximus roborandum.

Actum est hoc in curia episcopatus Justinopolitani.

Testes interfuerunt Damianus diaconus, Wecelus Landrica subdiaconus, Pelegrinus Cavo de Roda, Daniotus de M..aldo mercator Venetus & alii.

Ego magister Riccardus Justinopolitanus & incliti B.. marchionis notarius his omnibus interfui, & ut supra legitur de mandato dicti domini C.. electi suique capituli hoc privilegium rogatus scripsi, subscripsi currente anno Domini M. CC. XLVII. indictione V. die secundo intrante octubri.

Ego Egidius de Ripa de Cremona ab imperatore Federico notarius authenticum hujus exempli vidi & abscultavi, & me subscripsi.

Ego Viencius de Lembraga sacri imperatoris O.. notarius authenticum hujus exempli vidi & abscultavi, & mea subscriptione in hoc exemplo subscripsi.

Ego Otolinus imperialis aule notarius authenticum hoc exempli vidi & legi, ita & in isto legitur exemplo, nichil addens vel minuens literam vel sillabam, que adinstar illius sensum vel sententiam mutet, hoc exemplavi bona fide sine fraude currente anno Domini M. CC. XLIX. die X. intrante januario indictione septima. In Venetiis scilicet Rivoalti in statione quadam monasterii sancti Nicolai de Littore.

CCCLXIX.

Ædificatio cœmeterii prope ecclesiam S. Laurentii de Rivolta.

Anno 1249. *more Pisano* IV. idus novembris.

Ex tabulario S. Michaelis Pisarum.

IN eterni Dei nomine, amen. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum, quod Johannes Galletiani, & Bernardinus Langus operarii opere ecclesie sancti Laurentii de Rivolta pro se, & pro Vernaccio Vinario cooperario pro predicto opere petierunt a domno Manetto abbate monasterii sancti Michaelis de Burgo, ut ipse pro dicta ecclesia sancti Laurentii concedat eisdem pro predicta opera, ut possint facere fieri in terra sub ballatorio ipsius ecclesie sancti Laurentii, quod est juxta ecclesiam, carnarium quoddam expensis dicte opere, in quo carnario mortuorum & pauperum cadavera reponantur, & ut *Ibid. n. 23.*

possint

possint similiter fieri facere sepulturas quasdam sub dicto ballatorio in terra pro sepeliendo corpora defunctorum.

Actum Pisis sub ballatorio claustri monasterii supradicti, presentibus fratre Piovano converso sancti Savini, & Johanne Guernerii, & presbytero Mauro cappellano ipsius ecclesie testibus rogatis, Dominice incarnationis anno millesimo ducentesimo quadragesimo nono indictione septima quarto idus novembris.

Qui abbas suprascriptus pro suprascripto monasterio, & pro predicta ecclesia sancti Laurentii in continenti concessit eisdem operariis pro ipsa opera recipientibus facere predicta, ut suprascriptum est. Actum Pisis in supradicto die & loco, & suprascriptis testibus presentibus.

Ego Leopardus quondam Lucii de Quosa imperatorie dignitatis judex ordinarius & notarius has cartas a Rainerio Bonaccolti notario rogatas, earumque schedis a me visis & lectis ex commissione mihi facta a Pansonerio notario quondam Benivenio de . . . . per pium testamentum rogatum a Rainerio Andree testarii notario, & a consilio . . . . & aliorum ordinum Pisani communis, ut in ipsis actis inveni, ita scripsi, & in publicam formam redegi.

CCCLXX.

Refutatio hospitalis de Tressa facta a Mauro abbate Berardingorum.

Anno 1249. v. kal. augusti.

Ex codice B. tabularii archinosocomii Scalæ Senarum.

Ibid. n. 30. IN nomine sancte & individue Trinitatis. Anno Domini millesimo ducentesimo XL. nono die v. kal. augusti indictione VII. Nos domnus Maurus dei gratia abbas monasterii sancti Salvatoris de Berardenga nomine ipsius & pro ejus majori utilitate, quod de infrascriptis & eorum proprietate diutius inter nos & vos extitit litigatum, ex quo litigio utrique parti multa inpendia & incommoda provenerunt, & possent in posterum provenire &c. super hiis licentia & potestate domni Martini prioris Camaldulensis, ut patet per instrumentum Ranerii Pallamontis notarii, quod vobis tradimus, de conscilio & consensu expresso capituli & conventus monasterii dicti, videlicet domni Marci camerarii, domni Benedicti sacriste, domni Venture, domni Orlandi & domni Boni fratrum monachorum nostrorum, & presbyteri Dietavive capellani, & Martini cellerarii, & Matthei & Symonis Ugolini oblatorum seu conversorum dicti loci ibidem servientium, presentium, & hec eadem profitentium ex causa finis & transactionis inter nos bona fide facte tradimus, & concedimus vobis domno Ranerio rectori hospitalis sancte Marie ante gradus Senensis majoris ecclesie recipientibus pro eodem hospitali possessiones & res omnes & singulas hospitalis sancti Angeli de Tressa vel ad dictum hospitale pertinentes quoquo modo vel causa, cum hominibus & villanis, si qui sunt ibi, & affictajolis & servitiis, & omnibus suis pertinentiis &c. que fuerunt Ugolini Quintavallis, & Bernardini Grugni & alterius eorum &c. excepta ex hiis domo posita in valle Piacta, quam tenent filii comitis Baroncelli vel aliquis eorum &c. ut de cetero dictum hospitale, & vos pro eo habeatis predicta omnia, teneatis, possideatis &c. Item ex liberalitate concedimus & mandamus, & cedimus vobis refutamus quicquid juris habet dictum monasterium vel nos pro eo in dicto & pro dicto hospitali sancti Angeli de Tressa & oratorio, quod ibi est &c. Restituimus etiam & tradimus vobis testamentum vel dispositionem, quod vel quam fecit dictus Ugolinus per manum Rodulfi judicis & notarii; & aliud instrumentum factum manu Ranerii Pallamontis notarii de subjectione dicti hospitalis sancti Angeli, & oblatione facta a domina Tedora uxore quondam Ugolini Quintavallis monasterio memorato vel ejus abbati &c. & in predictis omnibus obligamus nos & nostros successores &c. Et ego Sacchettus notarius vobis dicto domino abbati volentibus & predicta confitentibus precipio nomine jur.. & guar.. secundum formam constituti Senensis, ut hoc instrumentum & totum hoc contractum conservetis, ut superius continetur.

Actum apud abbatiam sancti Salvatoris de Berardenga coram domino Gratiano judice, domino Alberto domini Ran... &c.

Ego Sacchettus Rustichelli notarius hiis omnibus interfui, & que supra legitur, rogatus scripsi & publicavi.

CCCLXXI.

Examen testium pro ecclesia S. Fortunatæ de Sutrio subjecta monasterio S. Gregorii de Urbe.

Anno 1250. IV. septembris.

Ex codice Gregoriano pag. 187.

Ibid. n. 35. IN nomine Domini amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo temporibus domini Innocentii quarti pape indictione octava mensis septembris die quarta. Ex hoc intendit probare dompnus Thomassus monachus monasterii sancti Gregorii de Urbe & abbas sancte Fortunate de Sutro, quod dicta ecclesia sancte Fortunate est monasterium & sub regimine abbatis ab antiquis temporibus gubernatur, & semper ibi abbates cum monachis prefuerunt. Item quod dicta ecclesia est obedientia monasterii sancti Gregorii de Urbe, in quo monasterio a tempore non extat memoria abbas, qui pro tempore prefuit abbatie, abbatem & monachos illuc misit & revocavit pro suo arbitrio voluntatis. Item quod dictum monasterium propter malitiam temporis imminentem in proventibus & facultatibus est .... monachis consuevit ibi esse de ipsis proventibus non potest sine pecunia substentari ..... Item, quod numquam fuit ibi aliquo tempore clericus secularis institutus in canonicum, sed semper ibi sub monachali habitu fuit Domino famulatum. Item quod dictum monasterium vocatur monasterium sancte Fortunate. Tamen

In nomine domini amen. Testes domni Thomassi abbatis sancte Fortunate contra domnum Oddonem Baccalerii, necnon Angilello nepote suo, qui juraverunt de partium voluntate in ipsorum absentia super predictis interrogationibus dicere veritatem.

Presbyter Raynerius archipresbyter sancte Marie Sutrine juratus, & interrogatus die ultimo septembris dixit, quod vidit in ecclesia sancte Fortunate monachum, qui vocabatur abbas, non tamen quod viderit ibi monachos sub dicto abbate in ipsa ecclesia commorantes. Interrogatus, qui fuerunt abbates, dixit quod quidam, qui domnus Anastasius vocabatur, dompnus Laurentius, dompnus Oddo, dompnus Paulus, dompnus Raynaldus, & dompnus Thomassius, qui steterunt ad tempus singulariter & successive. Interr. quomodo scit illos fuisse abbates in dicta ecclesia. Resp. Quia dicuntur abbates a Sutrinis. Interr. si interfuit electioni ipsorum abbatum. Resp. Non, credit tamen, quod abbates & conventus sancti Gregorii de Urbe per tempora miserint dictos abbates illuc. Interr. Quanto tempore dicta ecclesia sancte Fortunate fuit gubernata a dictis abbatibus singulariter & successive; dixit XL. annis & plus. Interr. Si vidit in dicta ecclesia aliquo tempore conventum monachorum; dixit, quod non, preter unum monachum, qui abbas vocabatur; & dixit, quod dicta ecclesia sancte Fortunate est capella dicti monasterii sancti Gregorii, ut audivit dici. Interr. Si scit, quod dicta ecclesia sit obedientia dicti monasterii sancti Gregorii; dixit, quod credit. Interr. Qui fuerunt per tempora in monasterio sancti Gregorii, revocaverunt & miserunt per tempora abbates in dictam ecclesiam sancte Fortunate pro ipsorum arbitrio voluntatis ... credit, non tamen quod aliter sciverit. Interr. qui fuerunt abbates dicti monasterii, qui mittebant & revocabant ipsos abbates monasterii sancte Fortunate. Resp. quod nescit. Interr. si dicta ecclesia sancte Fortunate est diminuta in facultatibus & proventibus propter malitiam temporis, adeoque ..... solus ibi abbas sine pecunia non valeat substentari; dixit quod abbas bene potest ibi substentari, licet non sit vero ita dives .... esse consuevit, scilicet in pecudibus, bobus & porcis, quos credit fuisse abbatis per tempora. Interr. Si scit dictam ecclesiam diminutam in facultatibus .... & proventibus ipsius ecclesie; dixit, quod non; immo dicit, quod dicta ecclesia crevit quoad domum cum orto extra civitatem, de qua litigatum & etiam ipso facto. Interr. Si vidit adhuc aliquem clericum secularem in canonicum in ipsa ecclesia sancte Fortunate; dixit quod non, preter quemdam. .... nomen ignorat, qui juvabat abbates in officiis, sed quo tempore & quanto tempore viderit ipsum diaconum non recordatur. Interrogatus si scit, si ecclesia predicta vocetur monasterium sancte Fortunate; dixit, quod non vocatur nisi sancta Fortunata. De aliis diligenter interrogatus, que interrogationes continentur; dixit, se nihil scire. Interrog. Si fuit premeditatus cum aliquo ita dicere, & si odio, amore, pretio, precibus tulit testimonium, & si sperat inde dampnum vel lucrum. Respondit non, nec juravit in animam alicujus.

Her-

Hermannus Rodulphi juratus die prima octobris, ut asserit executor & assessor, dixit; quod ecclesia sancte Fortunate est monasterium, ut audivit dici, & vidit ibi abbates. Interrog. Quot & quales abbates vidit ibi, dixit dompnum Thomassum & domnum Oddonem ad tempus successive, & dixit ipsos aliter non fuisse abbates, nisi auditu, quia dicebantur abbates, nec interfuit ipsorum electioni, & quis elegerit ipsos in abbates. Item dixit, quod inter istos, quos nominavit, & alios, quos vidit ibi in abbates, quorum nominibus non recordatur, vidit a tempore quatraginta annorum citra, & dixit, quod non vidit in dicto monasterio conventum monachorum adhuc *&c. ut supra*.

Petrus Girardi juratus eodem die, ut asseruit Petrus Gellus & presbyter Stephanus dixit, quod ecclesia sancte Fortunate est ecclesia & vocabulum ecclesie habet . . . . ipsam esse monasterium, & dixit, quod vidit ibi clericos successive per tempora cum suis cappis nigris; si sunt abbates vel non, nescit. Interrog. qui fuerunt abbates, dixit dompnus Thomassus, qui nunc est in dicta ecclesia; & dixit quod non vidit ibi plusquam quatuor clericos, quorum nominibus non recordatur, ad tempus successive, & dixit, quod vidit . . . . . . ibi vocatur Johannes diaconus, quem postmodum vidit in ecclesia sancti Pauli clericum, & in ecclesia sancti Johannis. Interr. quanto tempore vidit dictam ecclesiam . . . . . per predictos clericos; dixit, triginta annis, & dixit quod adhuc non vidit ibi conventum monachorum. Interr. si dicta ecclesia est obedientia sancti Gregorii de Urbe . . . . . . nisi auditu, & credit abbatem & conventum sancti Gregorii mittere & revocare dictos clericos ad dictam ecclesiam sancte Fortunate, que dicitur *&c. ut supra*.

. . . . . . juratus die vigesimo sexto eodem mense dixit, quod ecclesia sancte Fortunate dicitur monasterium a quibusdam, & a quibusdam dicitur obedientia, & dixit, quod a tempore, quod ipse recordatur, vidit in dicta ecclesia monachum successive per tempora preesse, qui dicebatur abbas; & dixit, quod audivit dici, quod est dicta ecclesia sub monasterio sancti Gregorii de Urbe *&c.* Interr. quot monachos vidit ibi, & quos; dixit quod dompnum Anastasium, dompnum Laurentium, dompnum Angelum, quemdam de Mazzano, cujus nomine non recordatur, dompnum Oddonem & dompnum Thomassum presentem succedendo unus alteri ad tempus, *&c. ut supra*.

. . . . . . juratus eodem die & interrogatus si scit ecclesiam sancte Fortunate esse monasterium, dixit, quod credit, quia a tempore, quo recordatur, vidit ibi monachos *&c.* Interr. quot & quos monachos vidit in ipsa ecclesia sancte Fortunate, dixit, quod dompnum Anastasium, qui vocabatur abbas, dompnum Laurentium, dompnum Oddonem, dompnum Raynaldum, & domnum Thomassum presentem, qui steterunt ibi pro tempore successive *&c.*

Dicti testes presente utraque parte in canonica Sutrinen. sub eodem anno & indictione mense novembris die quintodecimo.

Domino Angelo, una cum diacono Petro . . . . . . *&c.*

Paulus . . . . . sancte Romane ecclesie notarius predictos testes recepi, examinavi, & in publicam formam redegi.

In nomine Domini amen. In presentia mei Poli notarii & testium subscriptorum ad hec specialiter rogatorum. Frater Petrus monachus monasterii sancti Gregorii de Urbe procurator syndicus & . . . . monasterii supradicti pro ipso monasterio, abbate & conventu ipsius proposuit coram domino Petro canonico Sutrino a domino Petro Capoccie venerabili cardinali apostolice sedis legato judice delegato, sive executore dato Angelo puero Romani Oddonis Baccalerii, ut ipsum in ecclesia sancte Fortunate Sutrinen. recipi faciant in canonicum & fratrem, sibique de beneficio ecclesiastico provideri, quam cito se facultas offerret ibidem, quod cum ecclesia sancte Fortunate Sutrinen. sit obedientia & cella monasterii supradicti, & semper ibidem monachos ponere & revocare consueverunt pro sita . . . . abbatis monasterii memorati, qui per tempora erunt, nec in quantum ibi fuerit vel esse consueverit . . . . secularis, sed semper monachi a longissimis temporibus, que se offerebat legitime probaturum . . . . predicti domini cardinalis in ecclesia regulari canonizare, & ibi ponere clericum secularem pro ut ex tenore ipsius rescripti evidenter apparet, & mandatum domini cardinalis predicti, nec potest exequi in hac parte, sicut proposuit, quod rescriptum ipsum impetratum erat tacita veritate, tali videlicet quod si fuerit expressa, literas nullatenus habuisset, cum dictum monasterium apostolica indulgentia sit munitum, quod ad pro-

provisionem vel receptionem alicujus in aliqua ecclesiarum ipsius monasterii, dictum monasterium, nec de dicta ipsa indulgentia expressam faceret mentionem, minime teneretur, cum de ipsa indulgentia ipsum rescriptum nullam faciat mentionem de ipso monasterio sancti Gregorii, cujus cella & obedientia est ecclesia predicta, quod se offerebat legitime probaturum, dictum Angelum in dicta ecclesia canonizare, nec ipsos ad recipiendum ipsum cogere non poterat, nec debebat maxime cum de ipsa ecclesia ipsum rescriptum nullam faceret mentionem. Item, quod ille Angelus nondum est sex annorum, & est ita puer, quod nescit cognoscere bene, ne dum quod possit residentiam facere in aliqua ecclesiarum, subjacere risui, & probare se offerebat: ad que omnia probanda se petebant admitti nomine dicti monasterii a judice suprascripto, alioquin in scriptis ex his gravaminibus ad dominum papam appellavit, & instanter apostolos petiit; has proposuit, & alias potestatus est suo loco & tempore opponendas.. *&c.* mensis octobris die tertiodecimo ..... indictione octava. Actum in claustro sancte Marie de Sutrio, presentibus domno Constantino abbate sancti Benedicti, domno Nicolao priore sancti Angeli de Monte Filiziani, & Thomao clerico sancti Johannis.

CCCLXXII.

Aliud examen pro castris testamento relictis monasterio S. Gregorii de Urbe.

Circa annum 1250.

Ex codice ejusdem cœnobii pag. 41.

Ibid. n. 36. ....

....

Johannes comes habet in tenimento dicti Podii. Interrogatus quomodo sciret: dixit, quia ipse vidit, audivit & interfuit; & fuit inde a dicto domino Tolomeo rogatus testis. Interrogatus de finibus dictarum terrarum dixit, quod hi erant fines. Ab uno latere est tenimentum Capranice, & tenimentum civitatis Penestrine; ab alio latere est tenimentum Pisciani, & tenimentum castri sancti Viti; & ab alio latere est tenimentum dicti Podii, & ab alio latere est tenimentum castri Podii. Interr. quomodo sciret; dixit, quia bene scit dictum castellum & dictos fines, & plene erat sibi notum; & dixit de finibus dicti Podii, quod ab uno latere est tenimentum dicti Castelli novi, ab alio latere est tenimentum Guadagnioli, ab alio latere est est tenimentum castri Pisciani; & ab alio latere est tenimentum Poli. Et de finibus Morelle dixit, quod ab uno latere est tenimentum castri sancti Gregorii; ab alio latere est tenimentum Ciciliani; ab alio latere est tenimentum Guadangioli; & ab alio latere est tenimentum rocce Ilicis, ut audivit & firmiter credit. Interr. qui fuerunt presentes ad predicta, dixit; quod dominus Ricardus, dominus Georgius, Oddo domini Jonathe, frater Felice de ordine Minorum, dominus Jacobus Rubeus, dominus Jonatha & presbyter Valentinus de castro Vallis Montonis, qui omnes de predictis fuerunt dicto domino Tolomeo rogati testes. Interr. quomodo sciret; dixit, quia vidit, audivit & interfuit. Interr. de tempore dixit, quod jam sunt duo anni, & ulterius de mense, die & hora non recordatur; dixit tamen, quod fuit in die festi sancti Marci de Letaniis. Interr. de loco, dixit, quod fuit in castro Vallis Montonis in domo ecclesie sancti Stephani. Interrogatus quomodo sciret; dixit, quia vidit & interfuit. Interr. si dictus dominus Tolomeus erat tunc compos & sane mentis; dixit, quod bene erat compos & sane mentis. Interr. quomodo sciret; dixit, quia vidit, audivit & interfuit. Interr. si dictus dominus Tolomeus est mortuus; dixit, quod sic. Interr. quomodo sciret; dixit, quia vidit & interfuit ad mortem & sepulturam ejus; & eodem die fuit mortuus, quo predicta disposuit. Interr. si de predictis, & predictorum singulis fuit & est publica fama; dixit, quod semper publica fuit & est, quod dicta castra fuerint dicti domini Tolomei; & quod fuit filius quondam domini Oddonis de Polo, & quod dicta castra posita sunt in diocesi Tiburtina; & quod ita predicta disposuit, & quod publica & notoria erant in partibus illis, ubi dicta castra sunt posita, & etiam in castro Vallis Montonis, & hec se non deponere pretio, precibus, odio, amore vel timore *&c.*

Dominus Jonatha Oddonis Adenulfi de Valle Montone testis juratus & interrogatus per predictum dominum Teodinum episcopum suo juramento dixit, quod dominus Tolomeus de Polo in ultima sua voluntate pro anima sua reliquit monasterio sancti Gregorii de Urbe terram suam, videlicet castrum Podii de Jennasii,

sii, & Castellum novum, & medietatem Morelle cum tenimentis ipsorum, & quicquid juris in eis haberet vel habere posset, salvo & reservato domino Johanni comiti, si quid jus haberet in tenimento dicti podii, que castra posita sunt in diocesi Tiburtina, ut audivit, & firmiter credit. Interr. quomodo sciret; dixit, quia vidit, audivit & interfuit, & fuit inde rogatus testis a dicto domino Tolomeo. Interr. de tempore; dixit, quod jam sunt duo anni & ultra, ut credit, de mense, die & hora non bene recordatur: dixit tamen, quod illa die ibant Cruces cum letaniis. Interr. quomodo sciret; dixit, quia vidit & interfuit. Interr. de loco; dixit, quia fuit in castro Vallis-montonis in domo ecclesie sancti Stefani, in qua jacebat infirmus. Interr. quomodo sciret; dixit quia vidit & interfuit. Interrog. si dictus Tolomeus erat tunc compos & sane mentis; dixit, quod bene erat compos & sane mentis. Interr. quomodo sciret, dixit quia vidit, & interfuit & audivit. Interr. de finibus dictorum castrorum; dixit quod Castellum novum positum est infra hos fines, ut audivit & firmiter credit: videlicet ab uno latere est tenimentum dicti Podii; ab alio latere est tenimentum castri Poli; ab alio latere est tenimentum Penestrine & tenimentum Crapanice; & ab alio latere est tenimentum castri Pisciani, & tenimentum castri sancti Viti. Et fines dicti Podii ab uno latere est tenimentum castri Guadangioli; ab alio latere est tenimentum Pisciani; ab alio latere est tenimentum Castelli novi predicti; ab alio latere est tenimentum Poli. Et fines castri Morelle ab uno latere est tenimentum Ciciliani; ab alio latere est tenimentum rocce Ilicis; ab alio latere est tenimentum castri sancti Gregorii; & ab alio latere est tenimentum Guadangioli. Interr. qui fuerunt presentes ad predicta dixit; quod dominus Jacobus Rubeus, presbyter Valentinus, dominus Georgius, Oddo domini Jonathe, dominus Riccardus, dominus Thomassius & hi omnes de castro Vallis-montonis, & interfuere ad predicta frater Felice de ordine Minorum, & castellanus Vallis-montonis, qui a dicto domino Tolomeo fuerunt inde rogati testes. Interr. quomodo sciret, dixit quia vidit, audivit & interfuit. Interr. si dictus dominus Tolomeus est mortuus; dixit quod sic. Interr. quomodo sciret; respondit, quia vidit & interfuit ad sepulturam & mortem ejus. Interr. si de predictis & predictorum singulis fuit & est publica fama; dixit, quod fuit & est publica fama, quod dictus dominus Tolomeus fuit filius quondam Oddonis de Polo, & quod predicta castra fuerunt ipsius, & quod predicta ita disposuit, & quod publica & notoria sunt in partibus illis, ubi dicta castra posita sunt, omnia predicta & in castro Vallis-montonis, & hec dixit se non deponere pretio, precibus, odio, amore vel timore *&c.*

Dominus Riccardus domini Petri Davini de Vallis-montone testis juratus & interrogatus per predictum dominum Theodinum episcopum suo juramento dixit, quod dominus Tolomeus de Polo reliquit pro anima sua monasterio sancti Gregorii de Urbe in ultima sua voluntate castra sua, videlicet Castellum novum, Podium de Jennasii & medietatem Morelle *&c. ut supra*. Interrogatus de tempore, dixit, quod jam sunt duo anni & ultra. De mense dixit, quod fuit de mense aprilis in festo sancti Marci, de die non recordatur, & de hora dixit, quod fuit circa horam tertiam *&c. ut supra*.

Dominus Jacobus Rubeus de Vallemontone testis juratus & interrogatus per predictum dominum Theodinum episcopum suo juramento dixit, quod dominus Tolomeus de Polo in ultima sua voluntate *&c. ut supra*. Interrogatus, si dictus Tolomeus est mortuus, dixit, quod illa die, quo predicta disposuit, fuit mortuus. Interr. quomodo sciret; dixit, quia vidit & interfuit ad mortem & sepulturam ejus, & ipse cum quibusdam aliis militibus Vallis-montonis portaverunt lectum, & sepelierunt eum, *&c. ut supra*.

Dominus Georgius domini Petri de Vallis-montone testis juratus & interrogatus *&c. ut supra*. Interrogatus de finibus dictorum castrorum, dixit *&c. ut supra*. Interrogatus quomodo sciret; dixit, quod bene novit dicta castra habere dictos fines, & cognite sunt partes ille, ubi sunt dicta castra sibi, & ita audivit & firmiter credit *&c. ut supra*.

Oddo domini Jonathe de castro Vallis-montonis testis juratus & interrogatus *&c. ut supra*.

Acta sunt hec anno, mense, die & indictione prenominatis, presentibus his rogatis testibus dompno Blasio sancti Angeli teste, presbytero Petro sancti Blasii teste; Sebastiano Matthei de Roma teste, Johanne Egidii teste, Johanne Aroncelli teste, Mattheo Johannis Bonfilioli teste, Jacobo Petri Johannis teste, ac pres-

presbytero Petro sancte Marie nove teste.

Jacobus Bartholomei sacri imperii & Tiburtine civitatis scriniarius mandato & auctoritate prenominati domini Theodini quondam episcopi Tiburtini, & rogatu domni P.. abbatis hoc instrumentum propria manu scripsi, & in publicam formam redegi & meo signo signavi.

APPENDIX ALTERA
MONUMENTORUM
AD ALIQUA MONASTERIA SPECTANTIUM.

I.

Donatio facta a Gregorio M. monasterio sancti Andreæ de Urbe.

Anno 588. XXVIII. decembris.

Ex MS. Onuphrii Panvinii de gente Anicia penes Cl. V. marchionem Pompejum Frangepanium patric. Romanum.

Ad lib. XXXIX. n. 41. IN nomine Dei salvatoris nostri Jesu Christi imperante domino Mauritio Tiberio augusto anno sexto, & post consulatum ejusdem Domini nostri anno quarto indictione sexta vigesima octava die mensis decembris. Sancto & venerabili monasterio sancti Andree apostoli nostro loco constituto, quod appellatur Clivus Scauri, in quo est Maximianus & reverendissimus abbas, & per eum in eodem venerabili monasterio Gregorius indignus diaconus apostolice sedis perpetuam salutem. Quoties laudis vestre usibus, licet parva quedam conferimus, vestra vobis reddimus, non nostra largimur, ut hec agentes non simus elati de munere, sed de solutione securi. Proinde ego Gregorius servus servorum Dei dono, cedo, trado & mancipio, & ex meo jure in vestro jure dominioque transcribo quatuor videlicet in integrum principales untias trium fundorum Laveriani, Spejani, Ancessani cum castello suo, vel cum adjacentibus suis, sive quo alio vocabulo nuncupantur, cum mancipiis, colonis suis, vel cum omni jure, & proprietate eorum cum casalibus atque appendicibus suis, parietinis, adjunctis, adjacentibusque suis, sive cum silvis, campis, pratis, pascuis, salectis, stationibus, vineis, olivetis, arboribus pomiferis, fructiferis & infructiferis, diversique generis puteis, fontibus, rivis, aqua perenni, limitibusque suis omnibus, & omnibus ad easdem quatuor untias suprascripti Laveriani, Spejani, atque Ancessani cum castello suo, vel cum omni jure & proprietate eorum, & omnibus ad se pertinentibus constitutis via Tiburtina milliario ab urbe Roma plus minus vigesimo quinto territorio Tiburtino coherentes in . . . . consortes octo untiarum juris Gratiosi juri Honesti, & in terraffines: fundus qui appellatur Momordianum juris comitis Comodi, & si qui alii affines sunt, aut ab origine fuerunt, & quidquid est in perpetuum, sicut optime maximeque sunt, & a meis auctoribus, proauctoribusque meis bono optimo & inconcusso jure possesse sunt, & usque in hodiernum diem possidemus, una cum omni jure professionum & tributarium, quas mihi obvenisse profiteor ex successione Desiderii clarissimi viri inter alios memoralis. De quibus quatuor untiis fundi supradicti Laveriani, Spejani & Ancessani cum castello suo inde pro indiviso cum omnibus ad se pertinentibus quinque mihi dierum retineo usumfructum, que retentio ipsius ususfructus prefato monasterio, ejusque auctoribus pro sollemni & legitima traditione constare sanxerunt, transactum vero usumfructum meum superius designatum antefatum monasterium habeat, teneat, possideat jure dominioque suo, in perpetuum vendicet & defendat, in qua donationis pagina spondeo atque promitto numquam me, heredes successoresque meos, nec per aliam quamlibet dolosam, fictitiamque personam pro cujuslibet legis interventu contrariam inferre voluntatem. Sed in hujus me heredes successoresque meos promitto fidem cartule duraturos, quam largitatis mee paginam omni vi, dolo, metu & circumscriptione cessante Deusdedit viro nobili notario rogatorioque meo scribendam mandavi, cuique subtus manus mea subscripsi, & testibus a me rogatis obtuli scribendam allegandi etiam gestis, quibus tibi placuerit non expectari deinceps

ceps professione mea ex more concedi licentiam, sub stipulatione & spontione solemnitate interposita, imperante domino nostro Mauritio Tiberio perpetuo Augusto anno sexto post consulatum ejusdem domini nostri anno quarto indictione sexta vigesima octava die mensis decembris.

Actum Rome die & consulatu suprascripto.

Ego Gregorius peccator S. R. E. diaconus huic donationi a me facte in prefato monasterio de suprascriptis fundis ad omnia suprascripta relegi consensi, & subscripsi, & testes, ut scriberentur, rogavi.

Ego Romanus vir clarissimus huic donationi quatuor untiarum fundi suprascripti Laveriani, Spejani & Ancessani cum castello suo, & omnibus ad se pertinentibus in integrum facte a suprascripto Gregorio diacono sedis apostolice in suprascripto monasterio sancti Andree apostoli rogatus ab eodem Gregorio, qui coram me subscripsit, ipsius presentia testis subscripsi, & hanc donationem ab eo predicto Maximiano abbati traditam vidi.

Ego Romanus vir nobilis & tabellarius urbis Rome huic donationi quatuor unciarum fundi suprascripti Laveriani, Spejani & Ancessani cum castello suo & omnibus ad se pertinentibus in integrum facte a suprascripto diacono sedis apostolice in suprascripto monasterio sancti Andree apostoli rogatus ab eodem Gregorio, qui coram me subscripsit, ipsius presentia testis subscripsi, & hanc donationem ab eo predicto Maximiano abbati traditam vidi.

Ego Bonifacius lector tituli sancte Marie huic donationi quatuor unciarum fundi suprascripti Laveriani, Spejani, Ancessani cum castello suo, & omnibus ad se pertinentibus in integrum facte a supradicto Gregorio diacono sedis apostolice in suprascripto monasterio sancti Andree apostoli rogatus ab eodem Gregorio, qui coram me subscripsit, ipsius presentia testis, & hanc donationem ab eo predicto Maximiano abbati traditam vidi.

Falconius scriniarius S. R. E. hec, que superius leguntur, ex antiquiori tomo, quod Deusdedit S. R. E. scriniarius descripserat, compleverat & absolverat, quatenus emarcuerant, & fere jam deperierant, rogatu domni Ruberti venerabilis abbatis monasterii sanctorum Andree & Gregorii de clivo Scauri, ne ex toto consumarentur, dicerpsi & in hanc transferri curavi.

II.

Rosæ nobilissimæ feminæ largitiones monasterio sancti Gregorii de Urbe.

Anno 984.

Ex codice Vaticano n. 6883. pag. 176.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi anno Deo propitio pontificatus domini Johannis summi pontificis & universalis quartidecimi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli primo indictione duodecima mense .... die quartodecimo. Quidquid enim vita possidetur, quamvis dulcius videatur, cito cum amatur, relinquetur, proinde ut meliora appetat, que sibi eternaliter lucrari debeat. Proinde ego Rosa nobilissima femina una cum Stephano sancte Romane ecclesie scriniario talia considerans, sub infirmitate detenta cum Deo favente, plenoque sensu atque libero arbitrio, in quantum vires suppetunt, a presenti die dono, cedo, trado, largior pro omnipotentis Dei amore & redemptione anime mee, & meorum delictorum veniam merear adipiscar, proinde offero vobis domno Johannes religioso abbati ven. monasterii sancti Andree apostoli, & sancti Gregorii, quod vocatur Clivus Scauri, & per se in eodem ven. monasterio, videlicet fundum, qui vocatur Ancesano cum ecclesia sancti Gregorii, in quo est Castello novo, seu fundum Sacram, fundum Casa corvuli, necnon fundum Spejano cum ecclesia sancte Lucie, fundum Elianum, fundum Centum vigere, item fundum Pavarano, fundum Virianum & fundum Paretulo, & fundum Laciano, similiter fundum Balle, sive suis aliis vocabulis nuncupentur, omnibus in integrum sibi invicem coherentibus uno solo constituto cum casis, vineis, terris, campis, pascuis, silvis, salectis, arboribus, pomiferis, fructiferis vel infructiferis, diversi generis puteis, fontibus, rivis, aque perennis, edificiis, parietinis, columnis, adjunctis adjacentibusque suis, cultum vel incultum, vacuum vel plenum, & cum omnibus eorum pertinentiis posito territorio Tiburtino miliario ab urbe Roma plus minus vicesimo quarto .... & monte in integrum, qui dicitur Vulturella, in quo est ecclesia sancte Marie cum pelagis & appendicibus suis, sicuti in circuitu ipsius montis tenere & extendere videtur, quod sunt terris & silvis, montibus & collibus *&c.* *Ibidem.*

cum

cum omnibus a supradicto monte generaliter & in integrum pertinentibus posito in dicto territorio Tiburtino milliario ab urbe Roma plus minus vicesimo quinto, & inter affines ab uno latere casalis, qui vocatur Bisciano, & a secundo latere casalis, qui vocatur Illice, & a tertio latere, quod est jure monasterii sancti Benedicti, & a quarto latere fundus, qui vocatur Pratale, & a sexto latere fundum, qui vocatur Sarianum, & a septimo latere ecclesia sancti Angeli, qui ponitur in Fajano, & exinde dividentes a Penestrina juris supradicti monasterii, sicuti mihi evenit suprascripta portio mea de omnibus immobilibus locis, quantum infrascriptis affinibus pertinere videtur de fundis & casalibus cultum vel incultum ad ipsam portionem pertinentium, quod est .... eas vobis integre concedo atque trado & largior in perpetuum, ut superius dictum est, pro redemptione anime mee & filia mea bone memorie, & meorum veniam delictorum, a presenti die habeatis, teneatis, possideatis atque.... vatis, vestro jure vendicetis, defendatis pro omnibus nunquam a me, neque ab heredibus meis aut a me summissa persona magna vel parva contra vobis vestrisque successoribus aliquam .... habebitis questionem aut calumniam, sed in omni tempore ab omni homine & in omni loco, ubi vobis vestrisque successoribus necesse fuerit strenue una cum heredibus meis, & defendere promitto vobis vestrisque successoribus, in qua, & jurata Deo per Dominum omnipotentem, sancteque sedis apostolice dominum Johannem sanctissimum papam hec omnia, que hujus cartule donationis a die presenti seriem textus eloquitur inviolabiliter conservare atque adimplere promitto, s.....quod absit, & quoquo tempore si ego vel heredibus meis contra vobis, vestrisque successoribus, aut contra hanc a presenti die donationis cartulam, quam sponte fieri rogavi, agere vel causare vel litigare voluerit, per quovis ingenio, tunc non solum perjurii reatum incurram, verum etiam daturam me promitto una cum heredibus meis, vobis vestrisque successoribus ante omne litis initium pene nomine auri purissimi libras tres, & post penam absolutionis manentem hec a die presentis donationis cartule seriem in suam maneat firmitatem, quam scribendam rogavi Albinum scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta duodecima.

Signum † manu suprascripta Rose donatrice.

† Stephanus Domini gratia scriniarius sedis apostolice.

† Sergius Scanno.

† Benedictus Domini gratia scriniarius sancte Romane ecclesie.

† Johannes nobili viro.

† Jugibaldo nobili viro.

† Hadrianus pro .... Dominico.

Ego N.. scriniarius sancte Romane ecclesie, sicut inveni in thomo carticineo jam pene consumpto scriptum per manum Albini scriniarii, ita scripsi, & in hanc transtuli cartam.

III.


Castellum sancti Pauli confirmatur eidem monasterio ab Ottone III. imperat.

Anno 992. nonis decembris.

Ex eodem codice pag. 185.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus nostris presentibus atque futuris, qualiter nos ob Dei omnipotentis amorem, & domni Andree nostri venerandi abbatis petitionem monasterii sancti Andree, quod dicitur sancti Andree in clivo Scauri, secundum hoc nostrum imperiale preceptum, prout juste possumus, confirmamus, ac firmiter corroboramus castellum, quod vocatur sancti Pauli cum omnibus suis pertinentiis, in primis fundum Caporali, fundum Turanula, fundum Caminat.. fundum Flagiano, fundum Froziano, fundum monte Fruite, fundum Poma .... cum omnibus pertinentiis & affinibus, ab uno latere terra Prenestina, a secundo latere Gallicani, a tertio latere Fustiniano, a quarto latere Paviano, & Casa coriculi, & dirigitur in Feronicum cum omnibus terris ceterisque appendicibus & locis quibuscumque vocabulis nuncupatis memoratum castellum, quod vocatur sancti Pauli, predicto monasterio firmissime confirmamus eo tenore, ut semper ad utilitatem fratrum persistat. Si quis igitur episcopus, marchio, dux, comes, judex aliquis, persona, homo magnus vel parvus de pretitulata proprietate idem monasterium sine lege disvestiverit seu molestaverit, sciat se compositurum auri cocti libras centum, medietatem camere nostre, & medietatem predicto monasterio suisque actoribus. Quod ut verius credatur, hanc paginam manu propria corroborantes sigillare precepimus. *Ibidem.*

Si-

Signum domini Otonis cesaris invictissimi.

Heribertus cancellarius vice Petri Cumani episcopi.

Datum nonis decembris annó Dominice incarnationis nongentesimo nonagesimo secundo indictione tertiadecima anno tertii Otonis regni decimosexto imperii quarto. Acta Rajano.

IV.

Executio testamenti cujusdam Stephani in favorem ejusdem cœnobii.

Anno 998. XIII. augusti.

Ex codice eodem pag. 169.

Ibidem. IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi imperante domino piissimo perpetuo augusto Ottone a Deo coronato, magno & pacifico, imperii anno sextodecimo indictione undecima mense augusti die tertiadecima. Dum pro adipiscendis celestis regni gaudiis eterna procul dubio ad cultum divine majestatis conferat stipendia, omnino fas exigit *&c.* ex hoc redemptori nostro hoc ipsum, quod ad gloriam sancti nominis ejus dinoscitur rogasse, sit acceptabilem Stephani votum, pro cujus amore & venia delictorum suorum offerimus, cujus justa fuit, & nos post mortem *&c.* quapropter nos Leone Domini gratia vocatus arcario sancte apostolice sedis, Johannes de Primicerio, Sergius comes palatii, necnon Rozzoni abbati monasterii beati Pauli apostoli, Leonem abbatem sancti Silvestri, Theophilactus abbas necnon sancti Christi martyris Laurentii, omnesque fidei commissarii & testamentarii ac predicti Stephani bone memorie, sicut ipse nobis precepit, dum ad exitum sui corporis esset, a presenti die bona & spontanea nostra voluntate donamus, cedimus, atque largimur *&c.* vobis domno Johanni religioso presbytero & monaco atque coangelico abbati venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, quod appellatur Clivus Scauri *&c.* idest integram medietatem de castello integro, quod vocatur Arvario, qui olim fuit supradicto Stephano, cum medietate de vilo in integrum, quod vocatur Carfulano, cum casis intus eodem castello & in eadem villa, item casis & vineis & hortuis, seu & medietatem de villa in integrum, que vocatur Stabla cum omnibus ad ipsam medietatem pertinentibus, atque medietatem de lacu, qui vocatur Paparano. Hec omnia cum supradictis casis, vineis, hortis *&c.* excepto famulis & famule, omnia posita territorio Sutrino & Nepesino. Verum etiam & vineas petias quatuor in integrum & medietatem de vinea in disertis posita petiam unam in integrum cum versulariis suis, & terram ad calcatorio ponendum & residendum in commune cum introitu & exitu suo. Item commune cum omnibus ad eam pertinentibus posit. territorio Ariciensi in loco, qui dicitur Parietelongo. Item territorio Nepesino integram medietatem de fundo, qui vocatur Galojanum cum medietate de vineis, terris cultis & incultis, & omnibus ad ipsam medietatem pertinentibus, in territorio Campanino medietatem de fundo, qui vocatur Oliano cum vineis, terris cultis & incultis, & cum omnibus ad ipsam medietatem pertinentibus. Item in territorio Tiburtino & Prenestino integram medietatem de castello in integrum, quod vocatur Pauli, & medietatem de castello in integrum, quod vocatur sanctus Johannes, cum medietate de aquimoles & medietatem de aliis fundis & casalibus eorum *&c.* In Roma portionem suam, quod est quarta pars de aquimola molente unum in integrum cum omni conciatura & ligatura & ferratura sua, cum introitu & exitu suo in communi, & cum omnibus ad ipsam medietatem pertinentibus positis in fluvium Tiberis, necnon & medietatem de domo in integrum, cum medietate de ecclesia sancti Laurentii, & medietate de hortuo cum introitu suo in communi, & cum omnibus ad ipsam medietatem pertinentibus posita in regione, que dicitur Valneo Pelagii, simulque & hortuo cum oliveto suo & cum introitu suo, & cum omnibus ad eam pertinentibus positis Rome in regione secunda juxta domum de Johanne Primicerio omnia jura, cui existunt, sicut ei evenit per hereditatem parentum suorum, & nobis evenit per cartulam fidei commissariam & testamentariam ab eo, ita tibi tuisque successoribus concedimus atque corporaliter offerimus in perpetuum, propterea quod corpus supradicti Stephani bone memorie humatum quiescit intus subtus venerabile monasterium in loco, qui dicitur capitulum, unde & cartule vetuste de supradictis locis apud nos esse videntur ad conservandum, & salvos faciendum pro aliis immobilibus locis, que in eas continere videntur, sed quandocumque tibi tuisque successoribus necesse

cesse fuerit, semper illas ostendere spondimus omni posse dominii vestri de causa, pro qua & supradictis omnibus immobilibus locis cum casis, vineis, terris, hortuis, vineis, castellis, aquimolis, ecclesiis cultum vel incultum, & cum omnibus eorum pertinentiis, ut superius legitur, a presente enim die largimur vobis vestrisque successoribus pro vestris sacris sanctis orationibus, ut a vobis vestrisque successoribus ipsa continua oratione suscipiat, a presenti die habeatis, possideatis, vestro jure vendicetis & defendatis, & nunquam hanc a nobis, vel ab heredibus nostris, aut a nobis summissa magna parvaque persona contra tibi tuisque successoribus aliquam promovemus questionem aut requisitionem litis calumpnie, sed & omni tempore partem vestram a nobis & nostris heredibus securi existatis in perpetuum, in qua & jurantes dicimus per Dominum omnipotentem, sanctamque sedis apostolice, atque principatum domini Ottonis hec omnia, que hujus a die presentis donationis cartula seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare & adimplere promittimus. Si enim quod absit &c. tunc compositurі existamus ebritias auri libras tres, & hec cartula in suam maneat firmitatem, quam scribendam rogavimus Stephanum scriniarium sancte Romane ecclesie, in qua & nos subscripsimus & testes, qui subscriberent rogavimus, & vobis contradimus in mense & indictione supradicta undecima.

Leo gratia Dei vocatus Arcario sancte apostolice sedis.

† Johannes consul & dux, qui vocatur de Primicerio.

† Sergius comes palatii.

† Ego Rozzo exiguus abbas monasterii sancti Pauli.

† Leo presbyter & abbas monasterii sancti Silvestri.

† Theophilactus exiguus.

† Johannes gratia Domini judex.

Leo filius Johannis de Primicerio.

Benedictus filius de Imperatore.

Ego N.. scriniarius sancte Romane ecclesie, sicut inveni in thomo carticineo jam pene consumpto, scriptum per manum Stephani scriniarii, ita scripsi & in hanc transtuli cartulam.

V.

Aliæ donationes Purpuræ illustris feminæ.

Anno 1019. XIV. maji.

Ex codice eodem pag. 180.

IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi, anno Deo propitio pontificatus domini nostri Benedicti summi pontificis & universalis octavi pape in sacratissima sede beati Petri apostoli septimo, imperante domino Henrico a Deo coronato imperatore anno sexto indictione secunda mense madio die quartadecima. Quidquid enim in hac vita possidetur homo, qui dulcius videatur, cito cum amara relinquitur. Proinde restat, ut meliora appetat, que sibi eterna lucra, si debeat, acquirat, & ideo quoniam certum est me Purpura illustris femina a presenti die sub usumfructum dierum vite mee do, dono, cedo, trado & irrevocabiliter largior atque offero, nullo me cogente atque contradicente, aut vim faciente, sed propria spontanea mea voluntate tibi beate Andree apostole & sancte Gregori confessor Christi, vestrisque servitores, que modo habere videntur in vestro venerabili monasterio, quod vocatur Clivus Scauri, & in eodem vestro monasterio intraturi sunt in perpetuum, licet omnibus presbyteris ac monacis, qui in eo loco, beate Andree apostole, & sancte Christi confessor Gregori, die noctuque serviunt, & missarum solemnia celebrant, subscripta omnia fruere post hodiernum diem usque in perpetuum pro omnipotentis Dei amore, mercede & redemptione anime mee, & meorum veniam delictorum de meis criminibus & peccatis castellum unum in integrum, qui vocatur Fustiniano, cum omnibus casis & ecclesiis infra .... quam & omni actione & districtu vel placito suo, una cum domibus, villis, fundis & casalibus foris ..... suis castellis adjacentibus, & pertinentibus, in qua sunt, domibus, vineis, terris, campis, pratis, pascuis & silvis, aquimolis & molendinis, cultum vel incultum, vacuum & plenum, & cum omnibus a suprascripto castello eorum uno, & sua omnia pertinentia generaliter & in integrum pertinentibus, sito territorio Tiburtino in jamdicto loco, qui vocatur Fustiniano, sique affinis ad easdem castellum esse dinoscitur, seu concedo & dono, & simili vobis offero omnem portio- Ibidem.

tionem meam de curtem una in integrum, que vocatur Griti, cum omnem portionem meam de terris seminariis, campis, pratis, pascuis & silvis, paludibus & pantanis, montibus & collibus *&c.* excepta terra sementaria ad unius parii boum, que de mea justa portione in mea videor tenere potestas. Cetera vero omnia cum sibi generaliter & in integrum pertinentibus posito foris portam majore in suprascripta curte, que vocatur Griti, sicuti conjuncta & coadunata esse videtur cum alia medietate ipsius curte, quam in suprascripto monasterio Gregorius bone memorie . . . . germano meo pro se detulit, atque largivit anime, quomodo mihi evenit per hereditatem quondam parentorum meorum. Ita suprascripta omnia vobis vestrisque successoribus concedo, trado, & dono atque offero, unde & hanc usufructuariam donationis cartulam vobis contradidi.... aut suprascripto castello uno in integrum, quod vocatur Fustiniano, cum omnibus casis & ecclesiis infra se habentem, quam & omni donatione & districtu vel placito suo cum domibus, fundis & casalibus a foris ipsius castelli adjacentibus & sibi pertinentibus, in qua sunt vineis, terris, campis *&c.* & omnem portionem meam de terris sementariis, campis, pratis, pascuis *&c.* excepto terra sementaria ad unius pario boum, que de ipsa mea portione in mea videor tenere potestas. Cetera vero omnia, ea videlicet ratione in vestro monasterio concedo, ut si ad obitus mei diem filios habuero, & ad legitimam etatem pervenerint, habeant ipsi & eorum heredibus, & si minime ad obitum meum filios habuero, aut si habuero, ad etatem non pervenerint, supradicta omnia habeant in supradicto vestro monasterio, & si predictis rebus ante obitus mei diem habere videtur, omnia in supradicto monasterio deveniant, & si de suprascriptis non minuero rebus, & omnia ad obitus mei diem pro meis utilitatibus venundavero aut donavero, quicumque ad obitus mei diem habere videtur, omnia in supradicto monasterio deveniant, & si de suprascriptis non minuero rebus, & omnia ad obitus mei habuero, sicuti supra continetur, in suprascripto monasterio deveniant, cum omnibus sibi generaliter & in integrum pertinentibus, ut supra legitur, a presenti enim die sub usufructu dierum vite mee largita sum pro omnipotentis Dei amore, mercedeque redemptione anime mee & meorum veniam delictorum, quia illud me recolens, que dicit in thesauris Domini suum recondit thesaurum, conduplicatum recipit in futurum, a presenti enim die sub usufructu dierum vite mee supradicta omnia usque in perpetuum sacerdotes & monachi dicti, qui in eodem loco vobis beate Andree apostole, & sancte Gregori serviunt, fruantur, & nullorum detineant ipsis, successoribusque eorum, & nunquam a me, neque ab heredibus & consanguineis meis, aut a me submissa, magna, parvaque persona contra servitores Domini & vestri quamlibet movere questionem aut calumpniam, qui irrevocabili donatione a me est concessa, in qua & jurata dico per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice & domini nostri Benedicti sanctissimi octavi pape, atque Henrico magno imperatore hec omnia, que in hujus usufructuarie donationis cartula seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promitto. Nam quod absit, in quoquo tempore & ego vel heredes, aut aliqui de parentibus & consanguineis meis servitores Domini & eorum successores de omnia, que supra notata sunt, qualibet contentione fecerimus, que propria mea voluntate largiri, atque offeri, & secuti ego nunc ordinari, ita permanere non dimiserint, nisi resipuerint, maledictionem a patre, & filio, & spiritu sancto in omnibus consequantur, & cum Anania & Safira, qui de sua mentiti sunt substantia, illam sententiam accipiant, quam ipsis & beato Petro apostolo acceperint, & ante Domini nostri Jesu Christi presentiam in die judicii mecum rationem ponant. Insuper ipsis & aliis, qui contra hanc cartulam venire temptaverint, primum omnium subjaceat perjurii crimen secundum legem, & post hoc compositurus extat auri optimi libras decem, medietatem quidem fisco, & medietatem contra servitores supradicti monasterii & eorum successores, & post solutam penam hec usufructuaria donationis cartula in sua nihilominus maneat firmitate, quam scribendam rogavi Johannem scriniarium sancte Romane ecclesie in mense & indictione suprascripta secunda.

Signum † manu suprascripta Purpura illustris femine, qui hanc donationis cartulam fieri rogavit, & manu propria ss.

† Demetrius Domini gratia judex.

† Azzo filio Johannis Russo a Biberatica.

† Gezzo, qui vocatur Zancuto.

† Biber.

† Johannes gener Silvestro Batticopo.

† Ego Johannes scriniarius S. R. E. scriptor hujus cartule post testium subscriptiones & traditiones feci, & complevi, & absolvi.

† Ego Petrus Johannes Zambonen. Dei gratia S. R. E. scriniarius, sicut inveni & legi in publico & authentico instrumento scripto manu Johannis S. R. E. scriniarii, ita in presentem cartam fideliter scripsi & fideliter exemplavi.

VI.

Locatio castri Pauli facta a Benedicto abbate Johanni nobilissimo comiti.

Anno 1051.

Ex Codice Vaticano n. 6168. *& ex Panvinio lib. II. ms. de Gente Maxima.*

Ibidem. IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Cristi, anno Deo propitio pontificatus Domini nostri Leonis summi pontificis & universalis pape in sacratissima beati Petri apostoli sede tertio, imperante domino Enrico piissimo perpetuo augusto die decima ..... Quisquis actionibus venerabilium locorum preesse dinoscitur, incunctanter eorum utilitatibus, ut proficiant, cum summa diligentia procurare festinat. Placuit igitur cum Christi auxilio atque convenit domno Benedicto religioso presbytero & monaco atque coangelico abbate venerabilis monasterii sancti Andree apostoli & sancti Gregorii, quod appellatur Clivus Scauri, consentiente cum eo cuncta congregatione monachorum servorum Dei suprascripti monasterii, & e diverso domini Johannis nobilissimi comitis, ut cum Domini adjutorio suscipere debeat a suprascripto Benedicto abbate vel a cuncta ejus congregatione in omni sibi consentientibus conductionem a jamdicto monasterio, idest integrum castellum, quod vocatur Pauli, & aliud castellum integrum, quod vocatur sanctus Johannes, sibi prope positum, cum casis, vineis, terris & silvis, campis, pratis, pascuis, montibus & collibus, fundis & casalibus, villis & aquimolis, & cum omnibus eorum pertinentiis, sicut in cartulis suprascripti monasterii continetur, posito territorio Penestrino & Tyburtino, & inter affines ab uno latere terra Penestrina, a secundo latere Gallicani, & a tertio latere Faustinianum, & a quinto latere Sarianum & casa Corbuli, & dirigitur in Foreonio, & descendit in Piscario, inter hos affines concedimus vobis jamdicta castra juris suprascripti monasterii, itaut suo studio suoque labore supradictus dominus Johannes nobilissimus comes ipsa castra, ut superius legitur, in omnibus tenere & possidere debeat, ad meliora faciendum Deo juvante ad cultum persolvant, ipsi eredesque sui profuturis usque in tertium gradum, tertiam personam eredem, tertiam generationem, hoc est ipso suprascripto domino Johanne, seu filiis, nepotibusque suis, & filiis legitimis procreatis, quod si filii vel nepotes minime ei fuerint, uni etiam persone, cui relinquendi abeat licentiam, excepto locis piis vel publicis, numero militum seu bando, reservata dumtaxat in omnibus proprietate suprascripti venerabilis monasterii, pro quibus jamdictis castris & locis, ut superius legitur, dare, atque inferre debeant in festivitate beati Andree apostoli monetas boni auri numero sex. Completa vero tertia generatione, ut superius dictum est, tunc suprascripta castra in integrum cum omnibus suis meliorationibus ad jus suprascripti monasterii, cujus est proprietas, modis omnibus revertantur, ut quisquis ejusdem venerabilis monasterii curam gesserit, iterum locandi, commutandi, vendendi, quidquid maluerit, liberam abeant sine aliqua ambiguitate licentiam & potestatem. De qua re & de omnibus suprascriptis jurantes dicunt utrasque partes per Deum omnipotentem, sancteque sedis apostolice, domini Leonis sanctissimi pape, seu salutem domini Enrici imperatoris, hec omnia, que hujus placiti conventionisque cartule seriem textus eloquitur, inviolabiliter conservare atque adimplere promittunt. Quod si quisque contra hujus cartule seriem quolibet modo venire temptaverit, det pars infidelis parti fidem servanti ante omne litis initium pene nomine auri libras ebritias quatuor, & post penam solutam hec cartula in suam maneat firmitatem, quam scribendam rogavimus Johannem, qui dicitur Johannes Rusticus, sancte Romane ecclesie scriniarium in mense & indictione suprascripta septima, in qua & nos subscripsimus, & testes, qui subscriberent, rogavimus.

Ego Benedictus Domini gratia humilis abbas ss.

Ego Robertus presbyter & monachus ss.

Ego Laurentius presbyter & monachus ss.

Ego Maximus de Maximis. . . . . vir rogatus testis.

Ego

Ego Leo Nicolai rogatus testis.
Ego Johannes Nicolai rogatus testis.
Ego Romanus filius domine Beate rogatus testis.

Ego Johannes Rusticus sancte Romane ecclesie scriptor hujus cartule post omnium testium subscriptiones & traditiones facte complevi & absolvi.

III.

Querela Petri abbatis sancti Gregorii contra Odonem de Polo, & judicata Innocentii pp. II. pro monasterio dicto.

Anno 1139. IV. aprilis.

Ex MS. Panvinii de gente Matthæja penes eumdem marchionem Frangepanium.

Ibidem. IN nomine Domini, amen. Anno Dominice incarnationis millesimo centesimo trigesimo nono anno vero pontificatus domini Innocentii secundi pape x. indictione secunda mensis aprilis die quarta. Ego Petrus monasterii beati Andree & sanctissimi confessoris Gregorii in Clivo Scauri humilis abbas predecessorum meorum venerabilium abbatum prudentiam sequens in concilio Lateranensi in ecclesia sancti Salvatoris sollemniter habito presidente domino nostro Papa Innocentio II. consedentibus cardinalibus & cum lateribus episcopis, tribus quoque patriarchis Antiocheno, Aquilejensi atque Graduense, archiepiscopis, episcopis & abbatibus in magno numero congregatis, canonicam & legalem feci querelam super Odone de Polo, qui violenter & sacrilege castra monasterii invaserat & detinebat, ipsum videlicet Polum, Fustinianum & Guadaniolum, verum quod dominus papa multis & gravibus extraneorum, qui convenerant, impeditus erat negotiis, causa ista post concilium dilata est. Unde non modicum sollicitus cum predictus Oddo etiam ab Urbe se studiose subtraheret, postea Johannem scriniarium illo presente ante eumdem pontificem, presentibus episcopis & cardinalibus, presente quoque Theobaldo prefecto, & nobilibus viris Centio & Oddone Frajapane, Leone Petri Leonis cum fratribus suis, Johanne & Maximo, & multis aliis nobilibus pridie kalendas martii querelam sollemniter innovare. Querela igitur deposita cum Oddo pro solito a responso subtergere vellet, dominus papa illum respondere mandavit, & quia imparatum se ille respondit, in tertium diem dominus papa dedit indutias. Nos igitur tertia die convocatis fidelibus nostri monasterii per Philippum advocatum jam tertio querelam exageravimus, & mandante domino papa per ipsum Philippum chartas nostras fecimus recitari. Chartis ergo lectis jussit illi dominus papa, ut planius responderet, ille autem diposito vultu factus tristis rursus indutias petiit. Quapropter consilio habito usque ad Dominicam palmarum domnus papa indutias dedit eo tenore, ut tunc aut sine controversia nobiscum conveniret humiliter, vel sine dilatione legitime responderet. Sabbato autem palmarum ipse Oddo per se non venit, sed quemdam suum fidelem, qui Oddo dicitur, ad dominum papam misit, per eum multis precibus rogans, ut illum dominus papa ad responsionem facte querele non cogeret, pretendens quod proavus, avus & pater ejus super hoc coacti non fuerunt, cui dominus papa patienter respondit dicens: Miror dominum Oddonem hec dicere, nec sanum & solidum suscepisse consilium, & addens, ut veniat Romam & presentet se nobis, & nostre curie respondeat ad objecta, si habet justitiam, & si justitiam non habet, cum monasterio placita pactione conveniat. Ad hec per eumdem legatum Oddoni mandavit, ut proxima secunda feria post dominicam palmarum omni remota occasione responsurus veniret, ille vero non secunda feria, sicut dominus papa mandavit, sed in tertia feria venit. Cumque dominus papa pro imminenti festo paschali, sicut dicebat, esset sollicitus per treuganos Urbis, videlicet per Deumtegardi & Beneincasam illi precepit, ut in secunda feria post octavam pasche vel responsurus de jure, vel cum monasterio pactum facturus veniret. Oddo injustitie sue conscius, nec ad illum terminum venit, unde dominus papa non immerito motus quarta feria ejusdem hebdomade misit ad illum Johannem Tiniosum, & Johannem filium Benincase, & Bennonem Jannecti corripiens illum per eos, qui mandatum ei ore ad os factum petierit, ipsius presentiam indigne contempserit, mandavitque, ut ad quintum decimum diem responderet paratus veniret, & amplius dilationem non faceret. Ad hunc quoque terminum Oddo venire contempsit. Dominus autem papa omnem illi volens auferre occasionem cum indignatione misit ad illum Johannem Bulgaminum, & Octavianum Leonis de Petroritio, ut ad

alium

alium quintumdecimum diem reſponſurus veniret. Timens igitur Oddo pape indignationem ad mandatum terminum venit. Convocatis igitur eccleſie noſtre amicis & fidelibus Centio Frajapane, Centio Guidonis & Maximo fratre ejus, Francone Petri Franconis, & Guidone de Gulferano fratre ejus, Raynerio Benedicti judicis, & multis aliis per Seniorilem advocatum dominum papam rogavimus, ut preſenti Oddoni facte querele reſpondere preciperet. Aſſurgens igitur Oddo circa ſolitas preces cepit verſare dicens: Domine papa ego ad veſtram preſentiam libenter adveni cariſſime non ad hec reſponſurus, pro quibus parentes mei nullo tempore coacti fuerunt; cui dominus papa: Inconvenienter, inquit, reſpondes, & omni modo pati non poſſum, ut monaſterium ſuam juſtitiam non obtineat, multos tibi terminos, & adhuc pretereunti indulſimus, tandem igitur vel de jure reſponde, vel cum abbate moderno pactione paciſcere. Ad hec Oddo poſt multas verborum circuitiones reſponſurus ſe promittens, alias indutias petiit; ſed dominus papa de cetero indutias ſe illi daturum omnino negavit, & precepit ei, ut in craſtinum pleniſſime reſponſurus adeſſet. Altero autem die timens ſupradictus Oddo miſit ad dominum papam Petrum de Antegia, & Petrum Petri prefecti filium propter indutias. Miror, inquit dominus papa, hominem ſapientem petendo replicare illicita, & velle ſubterfugere, quod omnino vitare non poterit, & per illos eidem mandavit, ut in alium craſtinum ad cauſam veniret. At ille circa veſperas ejus diei miſit Landonem de Valle montonis rogare dominum papam, ut ſaltem amore illius aliquas ſibi daret indutias. Hujus igitur & aliorum precibus quodammodo coactus uſque ad octavam diem conceſſit indutias eo tenore, ut ad illum terminum ſatisfacturus, & nullas alias indutias petiturus veniret. Ad hunc igitur octavi decimi diei terminum, qui fuit in feſtivitate ſancti Johannis-baptiſte, Oddo advenit, ad cujus nos adventum cum fidelibus noſtris feſtinanter convenimus, ſcilicet Centio Frajapane, Maximo Centii Guidonis, & Guidone, & Petro fratribus ſuis, Guidone de Guelferano, & filio ejus Gulferamulo, Petro Bono, Stefano fratre ejus, Oddone Franconis, Galgano judice, & Johanne judice, & per Seniorilem advocatum dominum papam attentius deprecati ſumus, ut Oddonem in hoc ſaltem termino nobis reſpondere mandaret. Ad pape itaque juſſum licet inconvenienter Oddo reſpondit: Sicut auſum rogavimus, rogamus cariſſime domine, ut me ad hec reſpondere non aliter cogas, quam avus & pater meus, & mater mea a veſtris predeceſſoribus coacti fuerunt. Cui dominus papa ad auferendam omnem occaſionem ſapienter & ſufficienter reſpondit: Nolo te, inquit, in aliquo de tui juſtitia, quam habes, ullatenus dubitare, ſive de legalis temporis preſcriptione, ſive de proprietate, aut quolibet jure confidas, quod ſi te ad defendendum cauſam tuam ſufficientes habere perſonas diffidis, nos tibi judices & advocatos judicibus & advocatis numero monaſterii & ſcientia pares equitatis moderamine libentiſſime dabimus. Ad que Oddo ſic reſpondit: Licet mihi rem gratiſſimam jubeatis, rogo tamen, ut quia contra filium regis conſanguineis & amicis meis Marſicanis ſubvenire diſpoſui uſque ad meum ab illis reditum indutias concedatis. Tunc dominus papa cum Centio Frajapane, & Galgano judice & ceteris curialibus habito conſilio Oddoni reſpondit: Non credas nos ignorare, quod fugam queras, & fraudolentis dilationibus ſubterfugere ſtudeas, tamen ut omnem auferamus occaſionem, uſque ad feſtivitatem ſancti Jacobi tibi indutias damus, eo quidem tenore, ut cum omnibus tuis rationibus ad illum terminum venias, ut de cetero nullas nobis indutias queras. Sed nec ad hujuſmodi terminum tanta conſtitutione conceſſum vel mittere, vel venire curavit. Venit poſt hec triduo ante feſtivitatem ſancti Laurentii, in cujus nos adventu cum multis noſtris fidelibus ad domini pape preſentiam, qui tunc in eccleſia ſancti Alexii morabatur, venire curavimus, & per Johannem judicem rogavimus, ut nobis toties in petitiones fatigatis preſentem Oddonem reſpondere preciperet. Aſſurgens ad hec Oddo domino pape ſic ait: Sicut noſti, cariſſime domine, ego a meorum conſanguineorum auxilio ad preſens revertor, unde perſonas ad meam cauſam tuendam invenire non potui. Rogo itaque, ut alias mihi indutias indulgere dignemini. Audiens hec dominus papa cum multa indignatione reſpondit: Miramur te, inquit, non impudenter innumeras a nobis extorquere velle indutias, jam fere per menſem filius regis ab illa tuorum conſanguineorum obſidione receſſit, nec juſtam ob id occaſionem exponis; certe dum nos deludere queris, te ipſum ludis; qui enim reges noſtre voluntati ſubjicimus, putas te cum juſtitia & pro ju-

stitia non poterimus superare? Ad hec Oddo exterritus ait: Licet satis durum mihi sit tantum subire negotium, vestre tamen satisfaciam voluntati. Fac igitur, inquit dominus papa, ad presens justitiam; & ille faciam, cum humilitate respondit. Tandem vero pluribus prefecti precibus dominus papa convictus usque ad secundum diem post kalendas septembris indutias dedit. Ex quadam itaque calliditate Oddo triduo ante terminum alias indutias petiturus venit, cui dominus papa nobis presentibus in ecclesia sancte Marie in Transtiberim dixit: Tergiversationes & fugas tuas nos ad plenum cognoscimus, verumtamen fratris nostri Gregorii diaconi cardinalis sanctorum Sergii & Bacchi, & prefecti precibus a proxima secunda vel tertia feria usque ad quintam decimam diem indutias tibi concedimus; unum vere certissime scias, quod si ad hunc terminum sine omni occasione cum tuis defensoribus paratus non veneris, nos, prout legis auctoritas dictat, fratrem nostrum abbatem investiemus; non enim pati possumus, ut apud nos nostri monasterii justitia pereat, sed & sicut jam diximus, ut tu nullatenus apud nos diffidas, justitia, numero & scientia pares judicibus & advocatis, qui justitiam monasterii tuentur, tibi judices & advocatos omni servata equitate trademus. Illud quoque nihilominus sub istorum, qui presentes sunt, testimonio indubitanter scias, quia si ad hunc terminum qualibet occasione venire distuleris, investimentum, quod abbati & monasterio Deo propitio faciemus, potentissime defendemus. Sed ad hunc terminum temerarius venire contempsit. Rem igitur cum dolore & tristitia distulimus proclamante usque ad Dominicam: Letare Jerusalem; ea siquidem presentibus episcopis & cardinalibus & majoribus civitatis in ecclesia sancte Crucis per Johannem judicem domino pape tanto expressius proclamavimus, quanto gravius dolebamus; ad querelam ergo nostram dominus papa respondit: Graviter se dolere de suo contemptu & nostro incommodo, & proxime se habiturum consilium repromisit. Proxima itaque tertia feria habito consilio cum episcopis & cardinalibus, & prefecto, consulibus, Centio Frajapane, & Oddone nepote ejus, & Galgano judice misit ad Oddonem Tedelgarium consulem, Bobonem de Bobone, Romanum Petrum de Grisacto, & per eos tamquam per ultimos mandavit, ut usque ad nonam diem Romam perveniat vel firmaturus curiam, quod justitiam faceret, vel cum abbate pactum facturus. Ille autem malo spiritu induratus mittere & venire contempsit; quapropter dominus papa consilio habito totius ecclesie in cena Domini illum in ecclesia sancti Johannis coram multitudine, que convenerat, sollemniter excommunicavit. Cumque obstinato animo predictus Oddo ..... in excommunicatione manere, quam ad rationem faciendam venire, dominus papa gravius indignatus, percussum spirituali sententia convocatis capitaneis, & magno exercitu statuit corrigere gladio temporali. Nimium itaque Oddo perterritus misit ad dominum papam nuntios suos, videlicet Johannem domini Homodei, Guidonem & Oddonem Landulfi, promittens per eos se domini pape voluntati satisfacturum, & vel pactum vel justitiam nostro monasterio facturum. Unde castrum Fustinianum in potestate domini pape dedit, & insuper se justitiam facturum juravit, eo quidem tenore, quod in proximo centum libras denariorum pro xeniis in manibus ejusdem domini pape daret, ut per hoc certificaret dominum papam & totam curiam, quod in proximo nobis faceret justitiam: post hec receptum castrum Fustinianum, quod Nicolaus Boccamazzo domino papa mandante tenuerat, de centum promissis libris dedit octuaginta, & in presentia domini pape licet coactus apud Lateranum venit ad causam, & hac utraque parte causa diligenter audita consulentibus judicibus, & domino papa jubente, castra, que petebamus, cum tenimentis & affinibus suis ad fidem faciendam judicibus veraciter assignavimus. Tunc Galganus judex consilio cum advocatis habito ad quintum decimum diem dedit indutias; sed quia inter dominum papam & Tiburtinos controversia emersit, usque ad illius controversie finem ab eodem domino papa alie sunt date indutie. Quo mortuo cum Siculi regis filius totam Marsiam occupasset, Oddo habita occasione preparandi se contra violentiam principis ad successorem pape Innocentii Celestinum quasi timidus properavit de duobus a domino papa requirens, ut vel liceret ei finem cum filio regis facere, eo quod ipse pauper esset, vel pecunia pro certificatione justitie date redderetur, ut haberet unde se & terras suas posset defendere. Quod cum bone memorie Celestinus facere nollet, habito tandem consilio pecuniam Oddoni reddidit, salvo sacramento, quod fecerat, de justitia facienda.

Ego

Ego N. ſcriniarius S. R. E. pro futura memoria ſubſcripſi.

III.

Ampliſſima donatio Petri ducis & comitis Ravennatis monaſterio ſancti Apollinaris-novi de Ravenna.

Anno 973. xi. maji.

Ex cod. Vaticano Alexandrino n. 378. fol. 135.

Ad lib. XXXII. §. L. IN nomine patris & filii & ſpiritus ſancti. Anno Deo propitio pontificatus domini Johannis ſummi pontificis & univerſalis pape in apoſtolica ſacratiſſima beati Petri ſede octavo, ſitque imperante domino piiſſimo perpetuo auguſto Otone a Deo coronato pacifico magno imperatore anno regni pietatis ejus in Italia vero anno xii. & domino Otone II. item a Deo coronato imperatore ejus filio anno ſexto die xi. menſe madii indictione prima Ravenne. Caſus generis humani conſiderantes, eternarumque ſupplicia flammarum metuentes decrevimus eternas Domino oblationes deferre, ut ſicut eternaliter metuimus mulctare ſuppliciis in Dei famulorum .... collatis perpetuis beneficiis fulciamus emtionibus eternis. Ideoque ego Dei miſeratione Petrus Dei gratia dux & comes filius quondam Severi comitis, preſente, confirmante ſimulque conſentiente Actia illuſtriſſima comitiſſa jugali largiens concedo atque ſuppliciter offero ſancte & intemerate eccleſie beati Apollinaris ſita Ravenne, cui indictum eſt vocabulum ſanctus Apollinaris novus, in qua Deo protegente domnus Andreas levitarum ſancte Ravennatis eccleſie eximius deſerviens eſſe videtur, quem Chriſto annuente per preſentem archipreſulem Honeſtum conſecratum ad abbatis preclari nomine regularium monachorum ſubnixis precibus ſublimari, cui ad ſubſtentationem regularium ibi deſervientium monachorum & inſtaurationem prefate baſilice edificiorum, qua Deo protegente multa propterea eatenus titulum conſtat, nunc monaſterium cenobitarum, do, cedo, transfero, perpetualiter transacto de meo jure meoque dominio, meorumque heredum preſentialiter alieno in jura & dominium domni Andree abbatis eximii, & per eum in prefato monaſterio ſancti Apollinaris in perpetuum, eaque habere & poſſidere de meis manibus meoque jure detinere videor, ideſt omnem medietatem in integrum de colina de ſuperius, & medietatem in integrum de colina ſupto, & cum omnibus ad ipſam medietatem pertinentibus, & inſuper do, dono de meo adqueſitum, que in ipſis locis adquirere viſo fui, hoc eſt omnis res. & pertinentia illa in integrum quantaſcumque habuit atque pertinuit ad quondam Johannes dux, qui vocatur de Sergius, in Colina pitula, vel quantaſcumque in iſtam obvenit da quondam Martinus, qui vocabatur de Valerio, in ipſa Colina pitula; verum alie etiam omnes ſortes & portiones in integrum, que mihi obvenit da quondam Johannis de Marii in colina de ſupra una cum capella in integrum inibi edificata, cui vocabulum eſt ſancte Marie, cum omnibus ad earum rerum generaliter & ſpetialiter in integrum pertinentibus vel ſubjacentibus ſibique ſubjunctis contractos, una cum colonis & colonibus utriuſque ſexus eodem loco pertinentibus, & intra fines de ipſis rebus, ab uno in ſtrata petroſa, que vocatur Langobardorum, & ab alio latere ..... percurrente, ſeu a tertio latere rivo, qui venit de Carpena, & pergit uſque ad monte de Giſeramo, ſeu a quarto laterei viro Gazolo percurrente uſque ad Montale. Ideſt quantumcumque infraſcriptis deſignatis lateribus habere videor, & mihi pertinent per quemcumque modum vel titulum. Simul aliam etiam curtem, que vocatur Aurelianus, cum fundis & caſalibus ſeu appendicibus, nomina eorum hoc eſt omnes res & pertinentias, que ad ipſa curte pertinent in fundo Amponiano, & in fundo Turtela appendicibus ipſius curte cum ſervis & ancillis habitantibus in ipſius curte, & in ipſis appendicibus cum omnibus ad earum rerum loca in integrum pertinentibus vel ſubjacentibus ſibi ſubjectis territorio .... plebe ſancti Laurentii, que vocatur in Vado Rondini, & in terra fines de ipſius ſtatuta curte in integrum, que vocatur Aurelianus, ab uno latere rivo, qui vocatur Carpena, & ab alio latere aqueducto, ſeu a tertio latere fundo Caſaliclo & Oraciano, ſeu a quarto latere fundo Vedaciano, & fundo Vetito, itemque do & transfero in predicta ſancta & venerabili baſilica beati Apollinaris pontificis & Chriſti martyris, qui vocatur novo, ideſt alia curte in integrum, que vocatur ſancto Georgio, una cum ipſius vocabulum ſancti Georgii. Verum etiam cum fundis & caſalibus ſeu appendicibus ſuis, quorum nomina

mina hec sunt : casale Auromiano seu Stornaria, sitque Campitello & Sexantula, necnon fundum Vico & Alariano & Rovitula coherente una cum ipso Ursello bifulco servis viris meis, que inibi residere viso, & cum filiis & filiabus suis unico nomine Martinus, & alius nomine Dominicus, & Petro, excepto Joannes pistore filio ipsius Urselli bifulci, quem ad meis reservo manibus, & etiam cum omnibus ad predictarum rerum locandarum : tam generaliter, quam specialiter in integrum pertinentibus vel subjacentibus sibi subjunctis, constitutis territorio hujus plebe sancti Petri, que vocatur in Cereto & in terra fines ad curte, que vocatur sancto Georgio, cum supra servatis fundis & casalibus & appendicibus suis, hoc est ab uno latere Corbello majoris, & fundo Feglini, & ab alio latere fundo Nichelini & fundo Bannorile, seu a tertio latere fundo Cento, & Stornaria seu Fantino ad quantumcumque infrascriptis adsignatis lateribus habere videor, & pertinent per quemcumque modum vel titulum, verum etiam & duabus aree salinarum in integrum cum alveis & vasis, atque mortariis suis, cum via & accesso, & cum omni sua pertinentia seu cum terrula in capite illarum positis propter atequas faciendum, ad ipso vero sale recipiendum sitas territorio Ficoclensi, unam ex his salinam, que est posita in fundamento, quod vocatur de Stafilo, & in terra fines eidem salina, que est posita in suprascripto fundamento de Porcasiano, ab uno latere juris monasterium sancti Severi, & ab alio latere possess. sancti Johannis de Leoncio, a tertio latere padule, a quarto latere strata publica, & integras fines de suprascripta alia salina, que est posita in isto fundamento, quod vocatur de Stafilo, ab uno latere salina, que dicitur Gerardus consul, ab alio latere sancti Martini, qui vocatur Russo, seu a tertio latere padule, atque a quarto latere strata publica, iterumque do, dono seu transfero, idest sorte in integrum, que vocatur Casale, una cum capella sua in integrum inibi fundata, cui vocabulum est sancti Martini, cum fundis & casalibus seu appendicibus suis, quorum nomina hec sunt, Maritima a Soniano & Asciano, seu Casella & Fundaturricla, & in fundo Guniano, & sex uncias in fundo Oviliano, & quatuor uncias in integrum in fundo Goriliano, simulque & fundo cum omnibus ad ped... rerum locandarum in integrum pertinentibus vel subjacentibus, sibique subjunctis constitutis in ipsius territorio Ravenne in Decimo plebe sancti Zacarie, & intra fines suos, ab uno latere Mantuniano, ab alio latere fundo Gennaciano, seu a tertio latere fundo Cavamariani, atque a quarto latere rivo, qui vocatur Besano percurrente. Hec omnia cum ingresso & egresso suo, & cum omnibus ad se pertinentibus, que est in fundo, qui vocatur Fontanella, & recordare me fateor de ipsa suprascripta de isto fundo Arturiano, excepto quinquaginta & duas tornaturias de terra laboratoria ab ipso suprascripto fundo Arturiano, qui ad meis reservo manibus, & quantum plus de ipsa mea jura inibi remanserit, permaneat in ipsa sancta basilica in perpetuum. Postremum denique do & transfero ego suprascriptus Petrus dux & comes donatore vestro duobus servis meis, unum ex his nomine Castellulo, quod est lavandario, & alius servus nomine Leculo Marchisiano, & insuper do, dono ego suprascripta Actia gratia Dei comitissa jugalis ejus in predicta basilica sancti Apolinaris, qui vocatur novo, per remedium anime mee, hoc est servus meus nomine Andreas Benedictus seu Bonirio, & insuper do ego donator vester Ursus & Lucia seu Stefania filie posterisque, seu Ursello befulco, quem supra non recordavi, quatenus collatis rebus & substantiis meis sacratissimus martyr & pontifex beatus Apolinaris do & transfero ego suprascripto Petrus dux & comes donator per genitoris mei multitudinem, meorumque peccatorum intercessor esse dignetur, atque in jamdicti monasterii fratres redemptori meo Domino Jesu Christo per successiones, & ipsum, ut dixi, progenitoris mei meisque iniquitatibus laudes & orationes offerant diebus ac noctibus, quatenus me miserumque quotidiani excessus igne perpetuo reddunt obnoxium, regularium monachorum preces ac Missarum sacre oblationes ad thronum summe magestatis intervenienti beato pontifici & martyris omniumque Sanctorum adepta remissione peccatorum meorum, & gratiam reconciliationis reportent, ut a modo ad inceptum domne Andreas levita & universalis in primis abbas prefatus monasterii ordines & dispositiones eadem regula beati Benedicti fratres regulares ibi constituas & intuitum facias, judices, gubernes, & regere studeas, itaut predictum monasterium cum rebus mobilibus & immobilibus a me traditis sub defensione & regimine pro Ravennatis ecclesie ejusque pontificatus persistatis,

tis, & numquam aliquando a te tuisque successoribus liceat pro qualecumque necessitate, qua quicquid ad ipsum monasterium penes alicui majori persone submittere vel aliam sup te tuosque successores regimini advocare, nisi tantum, ut dixi, per ecclesie Ravennatis ejusque pontificum, qui ibi fuerint per tempora constituti pontifices, aut ipsi nihil aliud sup te tuosque successores dominationis sive tributi aliquo modo inducere debeant, nisi qui a nobis in hac cartula fuerit designatum, idest per incolumitate ipsorum pontificum & pacem eorum per singulas canonicas diurnas nocturnasque horas psalmum: Deus in adjutorium meum intende, & in integro Kyrie eleison repetito ter dicatis, & pro facinoribus nostris genitoris omni die Missa pro defunctis, & in vigiliis matutinis & vespertinis horis celebratis & preces offeratis. Pro me autem misero, quem in peccatorum catena constringit, absolutionem peccatorum meorum Missa omni die celebratis, & post diem obitus mei similiter in predictis, sicut pro genitore meo mihi Missas & preces offeratis, & omnibus canonicis diurnis nocturnisque horis quinquagesimum psalmum, & duo Kyrie eleison pro me canere studeatis in anniversario quodam depositionis mee ex integro usque ecclesias & matutinales laudes vespertinalesque preces cuncti sacerdotes in prefato monasterio degentes Missas & prefata officia celebrent. Preterea cum dispensatione divina abbates ipsius monasterii ab hac luce fuerit subtractus, non liceat alicui pontificum Ravenne de rebus, que ad ipsum monasterium tradite sunt vel fuerint, postquam in ordine monachorum devenit, breviarium facere. Tamen ad electionem in futurum abbatis pontifex ipse suos legatos religiosos & dignos etiam mense transmittat ....., te & pie omnes in unum fratres ad voces ad concordia electionis commoneat, & quoniam in integrum se fratres elegerint ipsus pontifex ille absque controversia debeat ordinare. Si vero, quod absit, tale se in ipso monasterium non fuerit receptus, quoniam aut fratres non deligant, aut certe dignus per abba non sit, quod ipsi fratres de quocumque loco voluerint, sibi eligant patres, & ab archiepiscopo, qui adfuerit, ipse abba modis omnibus absque alicujus premunere confirmetur. Quod, sicut avertat Deus, tu aut successores tui monasterio ipsum relinquatis & in alium locum perrexeritis ad habitandum, vel eventu aliquo ita fuerit exinanito, ut jam ibi non sint, qui regulam divi Benedicti teneant sub abbatias, Pontifices ipsi, qui per tempora fuerint, committo cum Deo patre & filio & spiritu sancto, & die tremendi judicii, ut aliunde servos Dei studiose inquirant, & eo ex ipsis aliquem abba instituat, atque eos similiter sub beati Benedicti regula militantes in eodem monasterio faciat habitare sub statuto tali & ordine, quo a me in hac cartula viderit definitum. Consideratas prefatas monasterii facultates, ut quod inde vivere bene possint, tot illud ad habitandum monachos inducas. Sin autem, quod non credimus, pontifex ille post non obtentam diminutionem ipsius monasterii infra annum in integrum illud aliquo modo ad pristinum non reduxerit statum, quicumque ex mea parte meorumque heredum illo tempore mihi reperti fuerint propinquiores, aut si inde non fuerint, quicumque ex alia parte propinquiores mihi fuerint reperti sive de cognationis, seu de agnationis in ea descendentes absque cujusque obstaculo in prefato beati Apolinaris monasterio, & res omnes, quas ibi qualicumque modo pro cartula ego predictus Petrus dux & comes concessi, modis ingrediantur, & hos digno pretio venundantes pretium ipsum sub attestatione futuri judicii per remedium anime mee peregrinis & pauperibus erogent. Quod si ex parente ....., aliquis fuerit repertus, qui infra alterum in integrum annum hac mea dispositione exire non consumaverit, reverentissimus pontifex Ravennatis ecclesie, qui tempore fuerit, cui omnem curam & solicitudinem pauperum committendam esse non dubito, predia a me in eodem monasterio tradita cum omnibus sibi pertinentibus rebus digno pretio venundet, & quod inde acceperit, peregrinis & pauperibus erogare procuret, quod si & ipse, quod absit, id facere recusaverit, sciat se ante conspectum meum expectaturum futuri judicii, & hac ipsa die, qua agitur coram eterno principe eorumque angelis & arcangelis, omnique militia supremorum hominum civium aposimus. Sin autem minime fieri arbitramur, tu domnus abbas Andrea, aut tui successores, aut magna vel parva persona aliquid de ipsis rebus, quas predicto monasterio dedi aut daturus ero per emphyteusim, vel pro aliqua receptione alienaveritis, liceat meis heredibus, vel his, qui ex linea paterne parentele mihi inventi fuerint propinquiores, ipsas res a vobis alienatas invadere & preocupare, necnon etiam

pro

pro anime mee salute vendere, & peregrinis & pauperibus erogare. Ceteras vero res ad ipsum monasterium pertinentes volumus & precipimus inconcussas manere. Si vero ex meis heredibus propinquis non superfuerint, quod hoc, quod predixi, studeant adimplere, domno pontifici, qui adfuerit, licentiam damus, ut omni contradictione remota predictas res invadant pro redemptione anime mee, fideliter egenis, sicut dictum est, pauperibusque distribuat. Quibus omnibus prefatis a me rebus dominus Honestus sanctissimus archiepiscopus sancte Ravennatis ecclesie predicti sancti Apolinaris timore, nostroque fraterno caritatis amore assensum per omnia prebuit, & coepiscoporum communi adhibito consilio, quorum propriis manibus nomina in precepto ab eodem pontifice edito annotata cernuntur, sub anathematis vinculo constrinxi, ut nec ipsi, nec alicujus suorum presulum successorum hanc nostre liceat institutionis cartulam quocumque tempore infringere, vel corrumpere, quod absit, & auferre voluptatis, quia legibus cautum est, ut que semel donatum, vel cessum fuerit, maxime in venerabilibus locis, nullo modo revocetur. Unde pro majoris firmitate, & si quo tempore propria persona insurserit, qui duobus exinde ex parte vel ex toto expellere, aut qualibet calumnia generare voluerit, ego subscripto donator vester cum meis filiis & heredibus a tali supradicto domno Andrea levita sancte Ravennatis ecclesie & abbas suprascripto monasterio tuisque successoribus ab omni homine stare & defensare promittimus in perpetuum. Quod si, quod absit & avertat divina potentia, hec omnia non observaverimus, que superius promisimus, & ut scripta leguntur, & contra agere volumus per quemlibet modum vel titulum, pro quibus ..... dico per Deum omnipotentem sedemque sanctam apostolicam & vitam suprascriptorum ..... attestatione confirmo, quia daturum me promitto ego suprascripto Petrus gratia Dei dux & comes peccator donator vester, & presente, placente simulque consentiente subscripta Actia gratia Dei comitissa jugalis ejus cum eis filiis & heredibus a tibi subscripto domno Andrea levita religioso sancte Ravennatis ecclesie & abbas subscripti monasterii sancti Apolenaris pontificis & Christi martyris, qui vocatur novo, tuisque successoribus ante omnis litis initium aut interpellationem pene nomine auri obrizo libras decem, & post pene solutionem hanc cartulam donationis, transfertionis, largietatis in sua firmitate permaneat. Qua vero cartula Dominicus in Dei nomine tabellione hujus splendidissime urbis civitatis Ravenne eam scribendam rogavimus, testibusque a nobis rogatis obtulimus faciendam eorum presentem eam tibi eorum contradidit sub diem & indictionem subscripta prima Ravenne.

† Signum manus mea suprascripto Petrus gratia Dei dux & comes, filiusque bone memorie Severi comitis, simulque presente & placente, simulque consentiente Actia gratia Dei comitissa jugalis ejus jamdictus donator ad omnia subscripta, cui relectum est.

† Signum manus suprascripta Actia gratia Dei comitissa jugalis sua presente & consentiente simulque donatrice ad omnia suprascripta, cui relectum est.

† Signum manus subscripti Lamberti inclytus comes filio & filiastro eorum consensi, & testes scribere rogavi, & signum sancte Crucis feci ad omnia suprascripta, cui relectum est.

† Andreas ex genere magistri militum huic donationis seu transfersionis de omnibus rebus, sicut superius legitur, facta in domno Andrea monacho & fratri abbatis monasterii sancti Apolenaris suisque successoribus a domino Petrus dux donator presens, simulque consentiens Actia comitissa conjux sua, simulque Lambertus comes, qui me presens firmaverit, & eis relictus rogatus ab eisdem testes feci.

Petrus filius quondam Andree ex genere ducum huic cartule donationis seu transfersionis de omnibus rebus, sicut ...... facta in Domino.

IX.

Placitum Gualterii archiep. Ravennatis inter monasteria sancti Apollinaris in Classe & sancti Apollinaris-novi.

Anno 1127. VII. januarii.

Ex archivo sancti Pauli de Urbe.

IN nomine Domini. Anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo vigesimo septimo tempore domni Honorii pape die septimo mensis januarii indictione sexta Ficoclensis in palude majore apud ecclesiam beati Johannis, qui vocatur in Morario. Dum adesset domnus Gualterius sancte Ravennatis ecclesie archiepiscopus, simulque cum eo *Adlib. XXXIX. n. 44.*

Petrus episcopus in suprascripto loco, & Bonusfilius, & Rodulfus & Lambertus judices Ravennates, & Almericus & Rusticus Cessinates judices, Guidobellum du... & Teucius Ariminenses judices, & me presente Ugone notario sancte Ravennatis ecclesie, & aliorum plurimum, quod longum est ad scribendum. In nostrorum omnium presentia accedens Martinus abbas monasterii sancti Apolenaris novi situm in civitate Ravenna, & dixit. Ego proclamationem facio Deo & vobis de domno Johanne abbate sancti Apolenaris in Classe, & de toto conventu ipsius monasterii de toto tenemento, quas ipsi injuste nobis & monasterio nostro sancti Apolenaris novo detinent in fundo Flixano, & in fundo Quinque tabernula posito in rivata Ficoclensis, quam ego detineo pro vobis, & pro ecclesia Ravennatis. Tunc domnus Gualterius archiepiscopus precepit vocare abbatem Classensem ad placitum. Tunc domnus Gualterius dixit: Ego nolo, ut vos religiosi ita inter vos altercate, & invenite instrumenta vestra, secundum quod videro, ita judicabo. Et post quatuor dies ostensa sunt instrumenta ex utrisque partibus ante domnum Gualterium archiepiscopum, & per duos dies tenuit omnia instrumenta illa, & cum consilio omnium judicum suprascriptos meliores apparuerunt instrumenta abbatis sancti Apolenaris novo propter cartulam preceptionis ab archiepiscopo Unfredo concessa, inde est, quod omnes suprascripti judices dixerunt, quod abbati sancti Apolenaris in novo debere restitui possessio. Ego Ugo notarius sancte Ravennatis ecclesie rogatus a domno Martino abbate monasterii sancti Apolenaris novi, ut omnia hec scriberem, & omnia suprascripta manu mea scripsi. Tunc omnia peracta veniens domnus Martinus abbas sancti Apolenaris novi, & dixit: Domine pater, postquam omnia in conspectu vestro visa sunt, postulamus benignitatem vestram, ut in possessionem illam, quam judicastis meam debere esse, precipite nuncio vestro, ut in possessionem illam me introducat; tunc domnus Gualterius apprendit Rastellum vicecomitem, & misit eum in manu ejus, ut in possessionem eum mitteret. Tum Rastellus per semetipsum noluit ire, sed precepit decanis suis, videlicet Petro Gato, & Ugoni Maletundato, ut pergerent cum illo, & in possessionem eum mitterent, & ita fecerunt presentibus iis testibus, Cerbolo de Casarello, Johanne Tignoso & Grimaldo, Johanne Cabulino, Johanne de Guarino, Johanne de Alberto, Corbulo de Tusco & frater ejus, Johanne Branchiline, Lellus, Almericus. Et Orlandus Ravennas tabellio scripsi hoc exemplum.

X.

Ædificatio hospitalis sancti Cataldi in urbe Mantuana.

Anno 1189. v. octobris.

Ex tabulario monasterii sancti Marci de Mantua.

IN nomine sancte & individue Trinitatis. Sigifredus Dei gratia sancte Mantuane ecclesie episcopus dilectis in Christo filiis fratribus & sororibus sancti Cataldi tam presentibus, quam futuris catholice institutis, religionem & hospitalitatem servantibus in perpetuum. Justis petentium desideriis facilem convenit impartiri consensum, & vota, que a ratione non discrepant, sed hospitalitatem potius & alia opera pietatis resonant, effectu sunt prosequente complenda. Cumque dicat apostolus, qui parce seminat, parce & metet, qui autem seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam eternam, cautius agere videantur hii, qui sibi merita non arbitrantur sufficere propria, si utilitati sue vendicare studuerint aliena. Eapropter dilecti in Domino filii & filie religiosam & justam vestram attendentes intentionem, locum etiam, in quo vobis terrenum habitaculum hedificare disponitis, religioni & hospitalitati aptum conspicientes, cum merita nostra nobis ad futuram gloriam sufficere non credamus, ut nostra & nostre utilitati fructuosius vendicemus, ecclesiam sancti Cataldi, & hospitale, & personas vestras & omnes res ad vos vel ad eumdem locum pertinentes in curam & protectionem beati Petri, & nostram & successorum nostrorum recipimus. Tali vos libertate donantes, ut a modo ab omni sitis exactione liberi. Fratres etiam & sorores laicos & clericos liberum sit vobis quoscumque volueritis eligere sive & fraternitatem, sive in administrationem, sive in prelationem, quos vel nos, vel successores nostri debeant confirmare, nisi in electis vestris ea reperiantur, pro quibus possint vel debeant canonice reprobari. Nec nobis vel successoribus nostris liceat cogere vos aliquem in fra- *Ad lib. XXXV. n. 27.*

trem

trem vel sororem, quem locus ille consueverit vel potuerit habere, omnino tollere aut nimis attenuare. Hec autem ideo constituimus, ut in obedientia & correctione nostra & successorum nostrorum fideliter permanentes absque omni vexatione religioni & hospitalitati vacare possitis, & tam pro nobis & successoribus nostris, quam pro cunctis fidelibus Dominum attentius deprecari. Et in signum obedientie & devotionis nobis & successoribus nostris annis singulis prestare debeatis in festivitate sancti Martini duas libras cere. Ut autem hec nostra constitutio firmitatem obtineat, nostrum fecimus sigillum apponi.

Actum est in M. C. LXXXVIIII. indictione VII. die jovis, qui fuit V. intrante mense octobris, in canonica & portícu sancti Petri de Mantua.

† Ego Sigifredus Dei gratia Mantuanus episcopus, licet indignus, manu propria ss.

† Ego presbyter Dominicus prepositus ss.

† Ego presbyter Ermenardus ss.

† Ego presbyter Obizo ss.

† Ego presbyter Johannes Bonus ss.

† Ego Feracutus diaconus ss.

† Ego Magister Ubaldus canonicus Mantuanus domini pape subdiaconus.

† Ego magister Brusiatus canonicus ss.

Isti homines interfuerunt. Henricus Confalunerius, presbyter Lanfrancus sancte Marie Matris Domini, domnus Petrus monachus sancti Rufini, domnus Johannes ejus monasterii monachus, Conradus Pizoliboni, Pisolus, Johannes bonus Rufini, Villanus Vicecomes, Anselmus Pizoliboni, Raimundus de Obizis, Rodulphus Johannis-boni, presbyter Bernardus de Warstalla, Arduinus de Pizolobono & plures alii.

Ego Albertus Imolensis imperatoris notarius his interfui, & ex jussione domini Sigifredi episcopi Mantuani scripsi hujus concessionis privilegium.

XI.

Petitio lapidis pro ædificanda ecclesiæ sancti Marci de Mantua ab Henrico ejus urbis episcopo.

Anno 1197. XXX. januarii.

Ex eodem tabulario.

Ibidem. IN nomine Domini nostri Jesu Christi. Anno a nativitate ejus M. C. LXXXXVI. indictione XV. die jovis mensis januarii penultimo. In camera domini Henrici Christi gratia Mantuani electi, coram presentia ipsius domini Henrici & canonicorum ejus, videlicet ecclesie sancti Petri, quorum nomina infra leguntur, bonorum virorum presentia hii sunt, dominus Agnellus, dominus Bonaventura judices, Albertus Johannis de Raineno, & Egidiolus de Gauso testes rogati, quorum presentia in primis Jacobus de Antelmo, & Domafollis Beccarius petiverunt a predicto domino Henrico Mantue electo, lapidem ad hedificandam ecclesiam sancti Marci in Monticellis ad honorem Dei & sancti Marci, & beate Marie virginis, aliorumve Sanctorum tali modo, presentibus ibidem Daniotto & Bogajolo dicentes: Ego Jacobus de Antelmo anno M. C. XCVI. XIV. indictione currente die lune IX. mensis aprilis exeunte, qui presente uxore mea domina Berta & consentiente, & domino Acerbo de Ripalta fratre ipsius domine Berte & nepote suo Widerisio presentibus & consentientibus in ecclesia sancte Marie Matris Domini in presentia testium, hoc est Johannis Boni, Richii de Marcaria, Corradi ejus fratris, Johannis Ferrarii, qui rogati testes manus posuere ad cartam. Interrogata domina Berta, & omnibus aliis celebratis, que lex jubet, tradidi cartam donationis presbytero Alberto, ut instrueret religiose vivere, & hortaretur fideles bene facere loco noviter hedificando, qui quamvis moretur in capella monasterii sancti Andree, & pro illo beneficio sit frater monasterii beneficiatus, non tamen se obtulit, nec habitum suscepit, nec professionem vel obedientiam fecit abbati, sed libere potest ire ad quemlibet locum regularem vel irregularem pro voluntate sui, non petita licentia abbatis, cum omnibus suis libris, sicut continetur in instrumento facto inter se & abbatem. Et Daniotto & Bogajolo non ligatis per conversionem sub aliqua domo vel persona pro se & Alberga Romagna & aliis fratribus & sororibus futuris in predicto loco hedificando & omnibus succedentibus supradictis, videlicet de duabus bubulcis vinearum, que erant in Monticellis apud Tascam de Lodoyco & promisi pro me & meos heredes predictis viris & mulieribus & eorum successoribus eas defendere & expedire ab omni persona cum ratione & ratam donationem habere sub pena centum librarum Mantue, & pena prestita promissum ratum habere. Et predicti viri Daniottus & Bogajolus

jolus promiserunt pro se & predictis mulieribus, scilicet Alberga & Romagna cum adjutorio Dei hedificare ecclesiam ad honorem Dei & sancti Marci, & si quid aliud ibi fieri poterit cum consilio meo, ubi fratres ejusdem loci possint habitare, & si hoc non facerent, donatio debebat esse inanis. Et ego intuitu tantum loci noviter hedificandi, & non alicujus alterius ecclesie predictam donationem feci, & eam ratam volo & promitto habere in perpetuum per me & meos heredes sub pena centum librarum imperialium. Et peto lapidem ad hedificandam ecclesiam ad honorem Dei & sancti Marci evangeliste & sancte Marie virginis, & omne jus patronatus remitto; excepto quod tantum in vita mea retineo, ut defendam bona ecclesie & eidem tamquam fidelis servus provideam, & hoc excepto, ita omne jus patronatus remitto per me & meos heredes, ut nullus meus propinquus, heres vel consanguineus aliquam habeat actionem vel conditionem in hac ecclesia in vita mea, seu post mortem. Et volo quod hec domus sit ecclesia regularis, ubi vivant fratres & sorores, si alique fuerint, secundum statuta apostolorum & sancti Augustini & aliorum Sanctorum. Et ego Domafollus cum domino Jacobo lapidem peto & omne jus patronatus penitus remitto per me & omnes meos propinquos, consanguineos & heredes, quia non ut patronus accedo, sed volens fieri professus hujus loci noviter hedificandi, nos vero Jacobus & Domafollus stabilimus & confirmare volumus, ut hec domus sit caput, per se, & non subdita alicui ecclesie, nisi Mantuano episcopo in hunc modum. Fratres hujus domus annualiter prestabunt domino Mantuano episcopo pro canone & censu libram unam cere in festo sancti Martini; & hec domus erit libera in se, & in omnibus suis membris, & penitus absoluta ab omni alia exactione ex quacumque causa posset fieri exactio & conditio per dominum Mantuanum episcopum & ejus successores in perpetuum, excepto in canone predicto prestando & canonica correctione personarum. Fratres hujus domus canonice de consensu suorum fratrum tantum eligant sibi prelatum, quem dominus episcopus Mantuanus confirmabit, recepta obedientia ab eo tantum per manum & osculum sine aliquo indicio juramenti. A fratribus hujus domus cum ordinabuntur in sacerdotes vel alios ordines non requiretur obedientia a domino episcopo, sed remittentur ad suum prelatum, cui tantum debent prestare obedientiam. Et si dominus Mantuanus episcopus non faceret sacram, liceat prelato vel ejus collegio mittere fratres ordinandos ad alium episcopum tantum cum licentia episcopi. Et si contigerit, quod hec ecclesia haberet priorem & prepositum, prior tantum confirmabit prepositum vel eliget secundum quod regula docet, & recipiet fratres & disponet regulariter. Nos vero Jacobus & Domafollus in Christi nomine petimus lapidem & predictam libertatem a vobis domino Henrico Christi gratia Mantuano electo; & tunc ipse dominus Henricus eis lapidem presentibus & consentientibus & confirmantibus canonicis, qui ibi erant, dedit & predictam libertatem & absolutionem ei, ut supra scriptum est, petitam permisit, cessit, roboravit atque confirmavit per se suosque successores. Hiis vero figuris nomina canonicorum, qui hec omnia supradicta confirmaverunt, & sibi placere dixerunt, representantur, videlicet dominus presb. Lanfranchus, dominus presb. Johannes Bonus, dominus presb. Guizolo, presb. Anselmus, presbyteri Brusatus, Bellinus, Boninsegna & Boncausa.

Ego Amator notarius sacri palatii his interfui & rogatus hoc instrumentum scripsi.

XII.

Exemptio ab oneribus & exactionibus concessa eidem monasterio a communi Mantuæ.

Anno 1199. ix. julii.

Ex eodem archivo.

IN Christi nomine die veneris IX. exeunte julio in civitate Mantua in palatio communis civitatis ejusdem, presente & ex parte divine Trinitatis suadente domino Henrico Dei favente gratia Mantuane ecclesie venerabili episcopo, & presentibus atque confirmantibus illis, qui inferius scripti inveniuntur. Dominus Stephanus Turbiadi Mantue potestas in publico consilio Mantue campana sonato, de voluntate & benigna deliberatione totius consilii vel majoris partis, quolibet ore ad os interrogato & responsione facta clamantibus illis de consilio altis vocibus, ut fieret amore omnipotentis Dei & reverentia beati Marci evangeliste, & intuitu pietatis atque misericordie, ut Deus conservet civitatem *Ibidem.*

& ci-

& civitatis populum universum, & liberet a cunctis adversitatibus, & tribuat eis tranquillitatem, & prosperitatis abundantiam, atque honorem & gloriam, beato Marco assidua oratione interveniente, tradidit, dedit, donavit & concessit ad petitionem domini Alberti presbyteri presentis plenissimam liberationem & absolutionem omnimodam ecclesie sancti Marci evangeliste site extra civitatem Mantue in Monticellis & omnibus fratribus & sororibus conversis atque professis ejusdem ecclesie, ut de cetero sint liberi, tam ipsi, quam ecclesia, & absoluti seu absoluta ab omnibus exactionibus & oneribus personarum & rerum perpetuo tempore, & ab omnibus dationibus, quas civitas Mantue juste vel injuste possit & posset facere in ipsa ecclesia, vel fratribus & sororibus conversis atque professis ejusdem ecclesie. Sicque de cetero ullis angariis vel perangariis turbentur modo aliquo communi Mantue, neque a civitate Mantue sub pretextu aliquo, neque ab aliqua persona pro eis. Presentibus & confirmantibus domino Bonaventura judice, & Anselmo de Crema, Ugone Pizi, Marco Calorosio, Vesconto, Gandulfo Wazonis, Johanne Vesdomino, Jacobo Antelmi, Adamo de Crema, Malvicio judice, Alberto advocato, Vilano Vesconto, Johanne Rainerii, Jacobo notario, Zacono Grisolano, Alberto Conradi de Gonzacha, Johanne Cesarii, Mantuano Azonis Ilde, Lanfrancho de Stiveriis, Compagnono Imperie, Vitale de Puteo, Roberto Bencissi, Egidio Mercati, Girardo Capra, Tomasino Dachalono, Zanebono de Monziis, Agnello judice, Marzolo de Mezanis, Mantuano Busso, Invernino Pisoli, Alberto Vesdomino, Decholvvardo Sardi, e Bonacurso Malincalza & aliis pluribus, pro quibus sanctissimus evangelista Marcus intercedere ad Deum omnipotentem dignetur.

Actum est hoc anno Domini M. C. LXXXXVIIII.

Ego Bonefacius sacri palatii atque communis Mantue notarius interfui huic libertati & absolutioni facte, & jussu potestatis, atque de voluntate consilii hanc chartam composui & dedi.

XIII.

Privilegium Innocentii pp. III. fratribus S. Marci.

Anno 1206. die xxx. maji.

Ex eodem chartario.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis rectoribus & fratribus de Penitentia, qui dicimini fratres Calendatii ecclesie sancti Marci Mantue salutem & apostolicam benedictionem. Attendentes verbum Apostoli dicentis: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit, curis secularibus derelictis & mundane conversationis illecebris a vobis penitus abdicatis, elegistis in penitentie lacrymis Domino famulari, unde nos dignum ducentes, ut qui a vobis curas hujusmodi exuistis, immunes a secularibus oneribus existatis, auctoritate vobis presentium indulgemus; ut contra votum & professionem vestram per potestatem & commune Mantuanum ad deferendum arma vel ire in exercitum, seu ad recipiendum publica officia civitatis, sive solvere datias vel collectas compelli minime valeatis: Nulli ergo hominum &c. hanc paginam nostre concessionis &c. *Ibidem.*

Datum Perusii II. kl. junii pontificatus nostri anno nono.

XIV.

Amplissimum ejusdem, quo approbat ipsorum regulam & usus.

Anno 1207. xv. kal. februarii.

Ex tabulario ejusdem monasterii.

INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis presbytero Alberto magistro & fratribus sancti Marci salutem & apostolicam benedictionem. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, ut & sacre religionis vigor succrescat uberius, & devotionis sinceritas laudabiliter enitescat. Eapropter dilecti in Domino filii vestris postulationibus inclinati Regulam vestram, quam deliberatione provida statuentes communiter approbastis, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus, cujus tenorem presentibus literis fecimus annotari. *Ibidem.*

In

In nomine Domini. Nos fratres sancti Marci ad honorem Dei & sancte Marie, & ipsius beati Marci evangeliste patroni nostri, & aliorum Sanctorum, divina gratia adjuvante sequi volumus secundum infirmitatem nostram & gradum uniuscujusque regulam canonicam per Paschalem summum pontificem confirmatam, quam tenent fratres sancte Marie de Portu, exceptis victu & vestitu in parte, & silentio, & modo jacendi; modus vivendi talis est. A carnibus & sagimine, ovis & caseo Domino adjuvante abstinere curabimus, nisi infirmitas vel immoderata debilitas uti concederet de consilio fratrum prelato dispensante. Usus tamen ovorum & casei hospitibus tempore congruo non denegabitur penitus, si alia congruentia cibaria personis non daret facultas, nec tamen frequentia conceditur. Caro vero penitus denegabitur, nisi justa causa permitteret. Tribus quadragesimis & omnibus vigiliis Sanctorum, que sollemniter ab ecclesia indicuntur, & tribus diebus litaniarum, quarta scilicet, & sexta feria & sabbato quatuor temporum, & omni alia sexta feria ab usu piscium abstinebimus. A nativitate Domini usque ad quinquagesimam secunda feria, quarta, sexta & sabbato jejunabimus, sexta feria uno pulmento contenti, non condito pipere vel liquore, vino concesso, ut sic discrete non gule, sed subveniatur nature, que melius nutritur cocto quam crudo. Fratres vero, qui laboribus insudabunt, bis jejunabunt in hebdomada, sexta feria contenti uno pulmento condito. A quinquagesima usque ad pascha omnibus erit continuum jejunium, sed secunda & quarta feria uno pulmento cocto contenti erimus vino concesso, sed in sexta feria abstinebimus a vino & cocto, sed si necessitas cogeret dispensare in aliquo sano, in uno tantum pulmento condito fiat dispensatio; laborantes vero fratres in his tribus feriis uno utantur pulmento condito & vino. A dominica resurrectionis usque ad pentecosten ter in hebdomada jejunabimus sexta feria contenti uno pulmento non condito & vino, sed qui laboribus intendunt sexta feria tantum jejunent in uno pulmento condito & vino. A pentecoste erit jejunium continuum per sex septimanas, quarta feria unum dabitur pulmentum conditum & vinum, sexta vero pulmentum non conditum, vino concesso, qui vero laboribus insistunt, in hebdomada bis jejunent, contenti uno pulmento condito & vino. Post quadragesimam pentecostes usque ad nativitatem sancte Marie ter in hebdomada jejunent, sexta feria contenti uno pulmento non condito, sabbato vero in utraque refectione uno pulmento condito; operarii vero semel jejunent. A nativitate sancte Marie usque ad sanctum Martinum quater in hebdomada jejunabimus, sexta feria contenti uno pulmento non condito & vino, operarii autem bis jejunent. A sancto Martino usque ad nativitatem Domini jejunabimus sicut in quadragesima majori, excepto quod in sexta feria conceditur unum pulmentum non conditum, operarii vero ter jejunent usque ad adventum, ab adventu continue usque ad nativitatem. In vigilia nativitatis & sabbato sancto sint contenti uno pulmento non condito & vino. Quarta feria & sabbato quatuor temporum sint contenti uno pulmento & vino, sexta vero vino utantur absque pulmento. In vigiliis apostolorum, sancti Johannis baptiste, assumptionis sancte Marie & sancti Laurentii & omnium Sanctorum abstinebunt a cocto, & vino. In omnibus diebus, quibus fit abstinentia a cocto vel vino vel pulmento non condito, conceditur usus fructuum, mellis, sinapis, radicum & herbarum. Pulmentum vero vel vinum, quo abstinebunt, coctum vel crudum dabitur pauperibus, vel eleemosine assignabitur seu hospitalitati, prout videbitur magis expedire indigentibus & facultati ecclesie. Si cui tamen fratrum suppetet facultas probata faciendi majorem abstinentiam a cocto vel vino cum incolumitate sua, & voluntas affuerit discretionis spiritu inflammata, concedatur, unusquisque tamen obsequium suum studeat rationabile prestare Deo, quia non vult Deus, ut offeratur sacrificium jejunii de rapina eorum, que sunt necessaria corpori, quod si nimia mole premitur, & animam aggravat, & ante legitimum terminum deponit sarcinam, in suo deficiens obsequio, ut consumationis bravium non recipiat. Fratres conversi, qui citra septa ecclesie minus gravia opera fecerint, plus jejunare poterunt, prout videbitur prelato & fratribus. Cum vero ex obedientia ad alia loca perrexerint, minus. Silentium vero ab inceptione vesperarum usque ad crastinam diem soluto capitulo teneant, exceptis iis, qui ministri fuerint, vel qui expositi sunt ad exhortationem & consilia danda de salute animarum. Modus vestiendi talis est. In cappis vel cottis sint fratres in ecclesia, capitulo, refectorio, in quo utantur scapularibus. Stamineas

crossas portabunt, vel si non possent habere stamineas, boracia habeant ad carnes. Pannum lineum mediocriter crossum vel stuppeum portabunt in femoralibus, crossiorem in paludamentis, qui tamen nimia crossitudine non inducat superstitionem hipocrisis. Pelles & pelliceas mediocriter crossas non ad pulchritudinem, sed ad sospitatem corporis. Modus jacendi talis. Bisacium sufficienter amplum habeant paleis plenum cum uno capitali modico de plumis, linteamina lanea vel stuppea seu linea mediocriter crossa. Coopertorium ovium..... seu cultram vulgariter factam fratres habeant. Si quis vero per usuram vel rapinam seu alio injusto modo aliena rapuerit, non recipiatur in congregatione vivus velj mortuus ad sepulturam, nisi prius aliena restituerit, vel plenissime satisfacere promiserit absque omni dubio, & si manifestus erit, prius denuntietur per ecclesias, ut prius restituantur ablata, quam faciat de alienis aliqua oblata. Diebus dominicis & sollemnibus sacrum evangelium exponant, & verbum Dei predicent fratribus & fidelibus advenientibus. Fratres vero sacerdotes invitati in civitate & episcopatu ad verbum Dei proponendum vadant honeste. In civitate ad sepeliendum mortuos canonici non vadant, nisi fuerint defuncti viri ecclesiastici religiosi, nec ad civitatem vadant, ut deducant aliquem defunctum ad ecclesiam sancti Marci, sed in foribus ecclesie defunctum suscipiant. Hanc regulam observare studebunt sorores Deo devote in suo claustro & oratorio manentes recluse. Fratres & sorores de hospitali secundum mandatum prelati regularem statum observare studebunt, prout promittunt in sua conversione, capitulo ecclesie sancti Marci, & preposito vel presbytero priori primam tonsuram & omnia liceat facere & statuere, que regularis consuetudo permittit auctoritate domini pape. Si episcopus Mantuanus ordinationem celebraverit, fratres recipiant ordines ab eo; si autem non celebraverit, liceat eis ad quemcumque voluerint episcopum accedere pro ordinibus recipiendis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere &c.

Datum Rome apud sanctum Petrum xv. kal. februarii pontificatus nostri anno nono.

XV.

Honorii III. confirmatoria bulla ecclesiæ S. Cataldi facta fratribus S. Marci.

Anno 1218. IV. kal. aprilis.

Ex eodem tabulario.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & canonicis sancti Marci ordinis sancti Augustini Mantuane diocesis salutem & apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu ecclesiam sancti Kataldi cum omnibus pertinentiis suis, quam ven. frater noster Henricus episcopus Mantuanus intuitu vobis pietatis concessit, sicut eam juste ac pacifice possidetis, & in instrumento confecto exinde continetur, vobis & per vos ecclesie vestre auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostre confirmationis &c. *Ibidem.*

Datum Laterani IV. kal. aprilis pontificatus nostri anno secundo.

XVI.

Idem ratas habet donationes factas eidem monasterio.

Anno eodem II. nonas aprilis.

Ex chartario ejusdem monasterii.

Honorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & canonicis ecclesie sancti Marci ordinis ejusdem Sancti, salutem & apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor equitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu donationem vinearum, quam Jacobus consentiente uxore sua ecclesie vestre fecit, necnon libertates eidem indultas tam a ven. fratre nostro .. episcopo tunc electo Mantuano, capituli sui accedente consensu, quam a predicto Jacobo & Domofallo ecclesie predicte patronis, sicut easdem vi- *Ibidem.*

neas & libertates juste & pacifice obtinetis, & in authentico roborato ejusdem episcopi sigilli munimine continetur, cujus tenorem de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, auctoritate apostolica confirmamus, & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostre confirmationis &c.

Datum Laterani II. nonas aprilis pontificatus nostri anno secundo.

XVII.

Henricus episcopus Mantuanus donat domum a se ædificatam fratribus sancti Marci.

Anno 1223. IX. exeunte majo.

Ex eodem chartario.

Ibidem. IN Christi nomine. Die VIIII. exeunte madio presentibus domino Secatore de sancto Martino, domino Nicolao de Aliunciis, Girardo de Regio, Delavantio quondam Inverardi, Bonaventura Alberti de Orlenda, Bontempo Malfaxio commorantibus in loco sancti Marci rogatis testibus. Dominus Henricus Dei gratia venerabilis Mantuanus episcopus pro remedio anime sue, suorumque predecessorum ita disposuit, ordinavit & voluit, quod domus ab eo sive pro eo hedificanda super territorio ecclesie sancti Marci cum omnibus suis hedificiis & datis, que ipse dominus episcopus eidem domui fecerit, ad eamdem sanctam ecclesiam beati Marci pertineant pleno jure, ita quod episcopatum Mantuanum, post decessum hujus domini Henrici episcopi, nullum habeat jus in predictis, nisi in spiritualibus, sicut habet in eadem ecclesia sancti Marci. Et sic prenominatus dominus episcopus domino priori sancti Marci Girardo nomine recipienti, sive ejus ecclesie de predictis omnibus datum fecit, sicut supra legitur, ut post ejus domini episcopi decessum ad eam ecclesiam sancti Marci pleno jure pertineant, & sint ipsius ecclesie, nullo jure episcopatui Mantuano preter in spiritualibus retento vel reservato in eisdem, post decessum domini episcopi supradicti, usum tamen earum rerum dictus dominus episcopus in vita sua sibi cum plenitudine & integritate retinuit.

Actum in capitulo ecclesie beati Marci M. CC. XXIII. indictione XI.

Ego Johannes Bonus quondam Ugonis notarii genitus sacri palatii notarius presens his rogatus scripsi.

XVIII.

Honorius III. regulam sancti Marci dat fratribus de Vincareto.

Anno 1225. idibus augusti.

Ex tabulario ejusdem monast. sancti Marci.

HOnorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & fratribus sancte Marie de Vincareto salutem & apostolicam benedictionem. Vestra nobis devotio supplicavit, ut cum desideretis assumere regulam fratrum sancti Marci de Mantua apostolice sedis juditio approbatam, id faciendi vobis licentiam concedere dignaremur. Hoc tamen, quod predicti fratres per hoc nullum jus in vestra sibi possint ecclesia vendicare. Nos igitur vestris, & ven. fratris nostri Populiensis episcopi diocesani vestri precibus inclinati, licentiam vobis presentium auctoritate concedimus postulatam, ipsius episcopi & ejus ecclesie jure salvo. Nulli ergo &c. hanc paginam nostre concessionis &c. Ibidem.

Datum Reate idibus augusti pontificatus nostri anno decimo.

XIX.

Privilegium Gregorii IX. iisdem fratribus sancti Marci.

Anno 1227. x. kal. junii.

Ex archivo dicti loci.

GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui sancti Marci de Mantua salutem & apostolicam benedictionem. Quia indignum est sine culpa vestra a laudibus cessare divinis, auctoritate vobis presentium indulgemus, ut cum generale terre vestre fuerit interdictum, liceat vobis clausis janius, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, divina officia celebrare, dummodo causam non præstiteritis interdicto. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere &c. Datum Laterani x. kal. junii pontificatus nostri anno primo. Ibidem.

XX.

XX.

Ejusdem Rom. pontificis alterum privilegium.

Eodem anno XVI. kal. decembris.

Ex eodem archivo.

Ibidem. GRegorius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & conventui ecclesie sancti Marci Mantuan. salutem & apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis, & honestis petentium precibus favorem benivolum impertiri. Ex parte siquidem vestra fuit humiliter postulatum a nobis, ut cum vobis a sede apostolica sit indultum, quod liceat vobis, cum generale interdictum terre fuerit, clausis januis, non pulsatis campanis, excommunicatis & interdictis exclusis, suppressa voce divina officia celebrare, concedere vobis misericorditer dignaremur, ut quosdam fideles, qui juramenta divino intuitu relinquentes, arma secularia & vestium vanitates, divinis sunt obsequiis mancipati, hujusmodi interdicto durante ad divina recipere valeatis. Nos igitur vestris devotis precibus inclinati, ut duodecim de predictis solummodo, cum generale interdictum terre fuerit, dummodo causam non dederint interdicto, recipere valeatis, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo &c. nostre concessionis &c.

Datum Laterani XVI. kalendas decembris pontificatus nostri anno I.

XXI.

Innocentius IV. ipsos eximit a procurationibus legatorum.

Anno 1246. nonis februarii.

Ex eodem archivo.

Ibidem. INnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis .. priori & capitulo ecclesie sancti Marci de Mantua ordinis sancti Augustini salutem & apostolicam benedictionem. Ne onerosa vel superflua multitudine personarum ecclesie pergraventur, nos, qui ipsarum utilitatibus libenter intendimus, sepe super hoc provisionis nostre remedium adhibemus. Cum igitur, sicut nobis exponere curavistis, ecclesia vestra in receptionibus fratrum vestri ordinis ex diversis Mundi partibus confugientium ad eamdem, occasione discordie imminentis nimium sit gravata, nos vestris precibus benignum impertientes assensum, quod de cetero ad alicujus receptionem seu provisionem non teneamini per literas sedis apostolice vel legatorum ipsius, que de hac indulgentia non fecerint mentionem, auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo &c. Si quis &c.

Datum Lugduni nonis februarii pontificatus nostri anno IV.

XXII.

Commune Mantuæ confirmat exemptionem iisdem fratribus.

Anno 1252.

Ex eodem tabulario.

Ibidem. IN Christi nomine. Consilio majoris communis Mantue more solito congregato per sonum campane in palatio veteri communis Mantue proposito per dominum Pacem judicem & assessorem domini Thome de Ponzonis Mantue potestatis, & consilio postulato super eo quod fratres sancti Marci producunt quodam privilegium ipsis fratribus concessum per commune Mantue tempore domini Stephani de Turbiago olim potestatis Mantue, in quo continetur, quod ipsi fratres non debeant solvere, nec eis aliquid auferri pro daciis, nec teloneis, si placet consilio, quod ipsum privilegium eis integre debeat observari. Demum in reformatione consilii partito facto secundum formam statuti ad columnas palatii, placuit majori parti, quod ille tres libre, que depositate sunt per fratres sancti Marci occasione cujusdam dacii in tabula domini Ubaldini Teffanie campsoris ad postulationem Petri notarii de Arcatoribus, tunc notarii dacii communis Mantue constituti pro communi Mantue, ipsis fratribus & ecclesie divi Marci, quantum in ipsis tribus libris imperialibus auctoritate hujus consilii eis integre debeat observari &c.

Die VI. intrante februario presentia dominorum Zaneboni de Rigozo, Alberti Recuperati, Jacobi de Balurdis, Bonaventure notarii de Letebenis, & Zoannini notarii de Erba testium & aliorum. M. CC. LII. indictione X.

Ego Julianus Zaneboni Ferrariensis domini Frederici regis notarius & tunc com-

munis Mantue dictator his interfui & ſcripſi.

XXIII.

Alexander IV. eos eximit a ſolutione decimarum patriarchæ Aquilejenſi.

Anno 1256. XIII. kal. junii.

Ex chartis ejuſdem loci.

Ibidem.

ALexander epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio . . archidiacono Brixienſi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Dilecti filii . . prior & fratres eccleſie ſancti Marci de Mantua nobis exponere curaverunt, quod propter guerras, que adhuc in partibus illis, peccatis exigentibus, invaleſcunt, amiſerunt magnam partem bonorum ſuorum mobilium, & ſteriles ac inutiles eorum poſſeſſiones in non modica parte redduntur. Frequenter etiam propter inundationes aquarum omnes fere proventus ipſius eccleſie diſſipantur, & tam ex hiis, quam propter multitudinem fratrum ordinis ſancti Marci a facie Ezelini de Romano fugientium & ſe recipientium in eccleſia ſupradicta, tanta premuntur paupertatis ſarcina & debitorum onere pergravantur, quod niſi per apoſtolice ſedis remedium non poterunt reſpirare. Cum itaque nos dudum dilecto filio G.. de Monte-longo electo Aquilejenſi decimam omnium eccleſiaſticorum proventuum patriarchatus Aquilejenſis pro exoneratione debitorum eccleſie ſue duximus uſque ad triennium concedendam, ven. fratri noſtro epiſcopo Caſtellano ſibi ſuper hoc executori conceſſo, dicti prior & fratres propter premiſſas cauſas decimam hujuſmodi ſolvere non valentes, & ad ejuſdem ſedis clementiam ſub remedio appellationis interpoſite recurrentes, provideri ſibi a nobis ſuper hoc humiliter ſupplicarunt. Nos igitur premiſſa eorum gravamina propenſius attendentes, ac eis in hac parte paterno compatientes affectu, eidem epiſcopo noſtris dedimus literis in mandatis, ut ab eiſdem priori & fratribus decimam prefatam non exigat, ſed revocet potius, ſi contra ipſos occaſione hujuſmodi proceſſit in aliquo, relaxando excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias latas in eos propter hoc communiter vel diviſim, ac diſpenſando cum eis ſuper irregularitate, ſi quam ex hac cauſa forſitan contraxerint. Quocirca diſcretioni tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi dictus epiſcopus, quod injungimus, neglexerit adimplere, tu nihilominus ſuper hiis mandatum apoſtolicum exequaris, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo.

Datum Laterani XIII. kal. junii pontificatus noſtri anno ſecundo.

XXIV.

Urbani IV. literæ viſitatoribus ordinis S. Marci, ut revocent fratres ad monaſteria.

Anno 1262. XV. kal. januarii.

Ex chartulario eodem.

URbanus epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis viſitatoribus ordinis ſancti Marci Mantuan. ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Licet, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, in ordine ſancti Marci, ut evagandi materia auferatur, ſtatutum exiſtat, quod nullus ejuſdem ordinis frater cauſa ſtudii ad civitates ſe transferat alienas, quidam tamen ejuſdem ordinis fratres literas apoſtolicas impetrarunt, ut extra civitates ſuas ſtudere valeant, ſtatuto hujuſmodi non obſtante, quarum auctoritate ſub pretextu ſtudii dimiſſis propriis ad civitates ſe transferunt alienas, ibique diſſolutam vitam ducunt in animarum ſuarum periculum, & ejuſdem ordinis ſcandalum & contemptum. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut providere ſuper hoc miſericorditer curaremus. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati revocandi tales ad monaſteria ſua literis hujuſmodi non obſtantibus, ac etiam inhibendi tam eis, quam aliis univerſis ejuſdem ordinis fratribus, ne de cetero talia attemptare preſumant, & contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi, liberam vobis auctoritate preſentium concedimus facultatem.

Ibidem.

Datum apud Urbem-veterem XV. kal. januarii pontificatus noſtri anno ſecundo.

XXV.

XXV.

Nicolaus IV. *eos liberat a jurisdictione ordinariorum.*

Anno 1289. v. kal. aprilis.

Ex dicto tabulario.

Ibidem. NIcolaus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis.. priori & conventui monasterii sancti Marci de Mantua ordinis ejusdem Sancti salutem & apostolicam benedictionem. Dignum & honestati conveniens esse dignoscitur, ut qui ad ecclesiarum regimen Domino disponente assumpti sumus, eas a pravorum hominum morsibus tueamur, & beati Petri atque apostolice sedis patrociniis muniamus. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus clementer annuimus, personas, monasterium & loca sibi subjecta in jus & proprietatem beati Petri suscepimus, atque nostram, & presentis scripti privilegio communimus. Personas, monasterium & loca sibi subjecta ab omni jugo & jurisdictione, lege jurisdictionis & diocesana archiepiscoporum, episcoporum, archidiaconorum & quorumlibet ordinariorum penitus eximimus, statuentes etiam, ut monasterium & loca sibi subjecta & ipse persone tantum Romano pontifici sint subjecta. Districtius inhibentes, ne quis archiepiscopus, episcopus seu quilibet judex ordinarius in monasterium & loca sibi subjecta seu etiam personas excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam promulgare aut in eis correctionis vel visitationis officium seu jurisdictionem aliquam exercere vel personas ipsas ad sinodum vocare, seu exactiones aliquas vel collectas exigere vel extorquere presumant. Non obstante si aliqui archiepiscopi, episcopi contra personas ipsas, monasterium & loca predicta sibi subjecta moveant questionem. Decernendo hujusmodi sententias, si quas in personas, monasterium & loca predicta per archiepiscopos, episcopos, archidiaconos & judices ordinarios contra inhibitionem hujusmodi promulgare contigerit, irritas & inanes, & predictas personas ad observationem predictarum sententiarum aliquatenus non teneri. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sentiens contra ipsam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, omni dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine subjaceat ultioni. Rome apud sanctam Mariam majorem v. kal. aprilis pontificatus nostri anno secundo.

XXVI.

Johannes XXII. *vetat, ne eorum conversi votum habeant in Capitulis.*

Anno 1331. kal. decembris.

Ex ipso tabulario.

JOhannes episcopus servus servorum Dei dilecto filio Amico priori monasterii sancti Marci Mantuani per priorem soliti gubernari ordinis ejusdem Sancti salutem & apostolicam benedictionem. Honestati congruit, & a recto non deviat rationis, ut tam in regularibus quam secularibus ecclesiis debita juri consona modestia observetur, ad ipsarum ecclesiarum statum prosperum & salubrem, ad quod juxta exigentiam etiam nostri officii nostre dirigitur intentionis affectus, de opportuno remedio in talibus providendo, prout honeste & utiliter secundum diversitatem negotiorum conspicimus expedire. Ex tenore siquidem petitionis tue nobis oblate collegimus, quod in ordine tuo quedam magna inolevit abusio, videlicet, quod conversi dicti ordinis totaliter idiote, exclusis omnibus canonicis & clericis ipsius ordinis, in sacris ordinibus minime constitutis, quantocumque tempore fuissent in ordine antedicto, ad consilia & capitula monasteriorum ejusdem admittuntur per priores aliquos eorumdem, que per priores sunt solita gubernari, ex quo religioni dedecentiam provenisse, ac exinde ipsi ordini successisse obprobrium & jacturam in diversis ab olim contingentibus experientia demonstravit. Quare tu divino & ipsius ordinis zelo ductus nobis humiliter supplicasti, ut providere super hoc paterna diligencia dignaremur. Nos igitur tam in ordine prefato, quam etiam in aliis Dei servis, presertim viris regularibus, pacis & concordie unionem adesse, ac scandala & damna prorsus ab eis absistere affectantes, ut liberius & quietius Domino valeant famulari, & propterea utile repu- *Ibidem.*

tantes

tantes adhibere in hac parte moderate provisionis affectum, auctoritate presentium ordinamus & volumus, quod vocem in capitulo conversi non habeant prelibati, sed prelatus vel ille, qui in eodem capitulo preerit, eosdem conversos vel ipsorum aliquem circa illa, que ad eorumdem conversorum administrationes spectare noscuntur, vel etiam circa alia, si hoc viderit expedire, vocare ac eorum consilia requirere valeat, illos postmodum in determinationibus expellendo. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum Avenioni kal. decembris pontificatus nostri anno XVI.

XXVII.

Emphyteusis facta ab abbate S. Michaelis de Burgo Pisarum cum arte Aromatariorum, ubi de festo beati Dominici Vernagallii.

Anno 1512. *stilo Pisano.*

Ex tabulario ejusdem monasterii.

Ad lib. XXXVII. n. 43. Fides per me infrascriptum, qualiter in rogitibus olim egregii viri Bernardini quondam Andree de Pitta existentibus in generali archivo publico Florentino inter cetera instrumenta apparet infrascriptum tenoris sequentis videlicet pag. 570.

In Dei nomine, amen. Cum hoc sit, & certum esse dicatur, quod reverendus in Christo pater domnus Petrus abbas sancti Michaelis in Burgo Pisane civitatis una cum monachis, servatis servandis, dederit & concesserit in emphyteosim, & ad livellum & censum annuum persolvendum arti & universitati Aromatariorum Pisane civitatis, & pro ea sindicis & procuratoribus ejusdem fundum unum seu magazinum positum sub monasterio predicto, in quo fundo fecerunt & faciunt eorum residentiam, pro annuo censu, canone seu livello in ultimo die Dominico mensis aprilis, libras tres videlicet cere laborate ad comburendum, & unius capreti, & salme unius mortellarum pro conficiendo festum sancti Dominici cum pacto biennii & triennii, & pro intratura librarum quadraginta; & quod dictus domnus abbas & monachi tenerentur celebrare in dicto die sancti Dominici unum officium cum Missa sollemni in dicta ecclesia, & fecit patronos homines dicti altaris sancti Dominici siti in dicta ecclesia, cum pactis, modis, conditionibus, obligationibus, renunptiationibus, de quibus & pro ut latius constat per chartam rogatam a me Bernardino del Pitta notario infrascripto sub die vigesima septima mensis januarii M. CCCC. LXXXV. indictione tertia stilo Pisano, vel alio tempore veriori. Et cum sit, quod infrascripte partes intendant & velint renovare aliqua pacta de comprehensis in dicto instrumento, & in melius reformare; idcirco reveren. in Christo pater domnus Simon olim Francisci de Bibbiena modernus abbas sancti Michaelis predicti, & successor prefati domni Petri dicto nomine ex una, & Bartholomeus quondam Antonii del Pitta, & Raphael olim Milliani ser Caroli de Vecchiano duo ex artificibus dicte artis commissarii, & mandatarii dicte artis ad infrascripta specialiter deputati dicto nomine partibus ex altera, communi concordia, & unanimi voluntate devenerunt ad infrascriptam transactionem & pacta, videlicet:

In primis dictus domnus abbas ad interrogationem supradictorum Bartholomei, & Raphaelis dicto nomine fuit confessus habuisse & recepisse ab eis, & dicta universitate omnes census & livellos de tempore preterito debitos usque in presentem diem, & pro residuo totius dicti census & livelli decursi usque in presentem diem, fuit confessus habuisse, & recepisse ab eis libras duodecim cere laborate, renuntiando exceptioni &c. quam exceptionem &c. quibus se, & inde eum &c.

Ita quod dicta ars & artifices teneantur solvere dictummet livellum seu censum librarum trium cere laborate in festo sanctorum Cosme & Damiani de mense septembris cujusque anni in dicto festo loco dicti festi sancti Dominici mensis aprilis. Item unum par capponum bonorum pinguium, & recipien. singulo anno in dicto festo sanctorum Cosme & Damiani loco dicti capreti, & dare dictam salmam mortellarum in dicto festo mensis septembris.

Item, quod dictus abbas, & monachi teneantur in dicto festo sanctorum Cosme & Damiani celebrare dictum officium loco festi sancti Dominici. In ceteris aliis firmo stante dicto instrumento concessionis ad livellum, cui non intendunt, neque volunt in aliquo prejudicare.

Que omnia & singula dicte partes promiserunt habere firma & contra non facere, vel venire, & facere, attendere & observare ad invicem sine briga &c. & omnes

omnes expensas &c. obligan. renunt. cum clausulis &c. taliter me &c.

Actum Pisis in dicto monasterio in camera dicti domni abbatis, presentibus Johanne Baptista Gregorii, alias vocato Giovanni bianco de Peccioli, Albertuccio Thomasio Bruschi, & Piero olim magistri Johannis quondam magistri Demorci de Pisis testibus. Dominice incarnationis M. D. XII. indictione XIIII. die vero trigesima mensis septembris stilo Pisano.

Ego Marcus de Bellinis notarius, & ex min.. generalis archivi publici Florentini in fidem scripsi, & subscripsi hac die 13. octobris 1693.

Hieronymus Marsupinius Cons. vidit.

XXVIII

Officium proprium S. Rainerii archiepiscopi Spalatensis & martyris, quod etiamnum in urbe & diœcesi Spalatensi recitatur.

Die IV. *augusti in festo S. Rainerii episcopi & martyris duplex secundæ classis cum octava. Omnia de communi unius martyris, exceptis quæ sequuntur.*

Ad Vesperas hymnus.

Christe labentis reparator orbis
Martyrum firmum columen, jubeto
Nostro Patrono resonare sacris
organa musis.
Jussa, qui regis superi capescens
Non trucem sævi rabiem tyranni,
Atra nec pavit capiti minantum
ora leonum.
Ille Polizzas peragrans arenas,
Dum notat gentes sceleris superbas,
Et jubet reddi male parta summo
arva Tonanti.
Turba mox alto fremebunda fastu
In patrem duros jaculatur imbres,
Usquequo saxis generosa condat
præsulis ora.
At precaturus veniam phalangi,
Se ratus mortis comitem futurum
Stephanum flexo gemino fatigat
poplite saxum.
Nec diu saxum tenerescit ultro,
Et tenet sculptas poplitum figuras,
Duret ut magni rediviva semper
gloria Patris.
Nec tamen celsi latuit Tonantis
Ultio tanti sceleris, nefandæ
Cædit auctores barathri sub atras
impulit umbras.
At polum scandit generosus heros
Regis æternas habiturus arces
Morte jam victa, meritæque terris
præmia palmæ.
Ergo nunc gentis decus omne nostræ
Justa poscentem Spalatum benignus
Adjuva; sævos moderare morsus
hostis iniqui.
Da tuis longam, venerande præsul,
Civibus pacem, senibus virilque
Labe depulsa scelerum, pudicos
ingere mores.
Sit tibi Pater decus atque virtus,
Sit salus vasti moderator orbis,
Quem fides trino studiosa, & uno
nomine donat. Amen.

℣. Ora pro nobis beate Raineri.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat. Antiphona.

Corona pro martyrio fulgens datur Rainerio supernæ dignitatis; mundo fuit opprobrio, decoratur rosario immensæ venustatis, oret pro nobis jugiter, qui passus est alacriter, jura defendens fortiter; sic pastoralitatis ipse sit noster scutifer ab hoste pravitatis.

Oratio.

Deus, qui beatum Rainerium pium pontificem zelo ecclesiæ tuæ dignatus es roborare, & corona martyrii decorare, concede propitius, ut ejusdem meritis & intercessione a cunctis malis imminentibus liberemur, & ad gaudia perducamur felicia. Per Dominum.

Lectiones primi nocturni de Scriptura occurrente.

Lectio iv.

RAYNERIUS Callensis primum episcopus, ut a molestiis litium, quas cum suo clero habebat, in tuendis suæ ecclesiæ juribus, liberaretur, ad sedem metropolitanam Spalatensem ab Alexandro tertio summo pontifice translatus fuit; oblata tunc temporis occasione, cum nuncii Spalatenses vita functo Girardo ipsorum archiepiscopo a sede apostolica archiepiscopum efflagitabant. Quæ mutatio facta est non sine doloris sensu eorumdem, qui paulo ante ipsum persequebantur. Spalatum cum primum appulit, ingenti cum gaudio totius cleri & populi susceptus.

Lectio v.

ALEXANDRO summo pontifici Venetias per mare properanti ad componendas res cum imperatore Frederico cum variis itineris refocillamentis in insula Issa ornatissimis cymbis & celeribus instructis occurrit, magno cum cleri & nobilium Spalatensium comitatu, & Jadram usque eum est consecutus. Constantinopolim ad impe-

imperatorem Emmanuelem, qui tunc toti Dalmatiæ & Croatiæ imperabat, pro suorum civium beneficio est profectus, cujus gratia & muneribus ditatus, negotiis optime confectis ad suos rediit.

Lectio vi.

FUIT Rainerius vir constantissimus & intrepidus, in juribus & facultatibus suæ ecclesiæ defendendis. Cumque in recuperandis ecclesiæ prædiis a Sclavis occupatis ad montem Massaron se recepisset, & adversus barbaros illos invicto pectore pro sancti Domnii agris laboraret, prope montem Crassum est ab illis lapidibus obrutus, indeque a civibus sublatus in ecclesia sancti Benedicti extra muros honorifice sepultus, adhuc etiam ibidem super altare proprium reconditum, magna cum devotione, & non sine admirandis interdum curationum effectibus colitur.

In tertio nocturno.

Homil. in evang. Si quis vult post me venire.

In Laudibus ad Benedictus *antiphona*.

O quantus luctus funeris stupendæ novitatis amaræ mortis præsulis a gente pravitatis deductus est in gaudium totius civitatis per signa & miracula paternæ sanctitatis.

Nicolaus Dinaricius miseratione divina & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Spalatensis, olim Salonitanus, Dalmatiæ ac totius Croatiæ primas &c.

Universis & singulis præsentes inspecturis fidem facimus atque testamur, antescriptum officium sancti Rainerii martyris ordinis Camaldulensis, ut fertur, prius episcopi Callensis, deinde archiepiscopi Spalatensis a sac. Rituum congregatione approbatum, in tota hac nostra diœcesi recitari. In quorum fidem &c.

Datum Spalati ex nostra Primatiali cancellaria die 4. maji 1758.

Loco ✠ *sigilli.*

(*N. Archiepiscopus.*

Antonius Belglava cancellarius archiep.



SE-

SERIES
DIPLOMATUM ALIORUMQUE MONUMENTORUM

In Appendice hujus voluminis existentium ordine Chronologico digesta.

1161. xiii. kal. junii. Alexander III. Rom. pont. prohibet, ne laici se ingerant in electionibus præsulum Camaldulensium. num. I. col. I.

1161. xv. kl. julii. Encyclica ejusdem, ne divexetur eremus ad Vivum. n. II. 2.

1161. x. augusti. Refutatio jurium in ecclesiam de Zagonaria facta Bernardo abbati Faventino. n. III. 3.

1162. III. kl. januarii. Donatio terræ pro aquæ-ductu construendo facta Maximillæ abbatissæ S. Petri de Luco. n. IV. 4.

1163. VII. id. septembris. Raynaldi Coloniensis archiep. & legati imper. privilegium concessum Franciano abbati Burgensi. n. V. 6.

1163. VIII. id. novembris. Confirmatio ejusdem edicti facta a Friderico I. imp. n. VI. 10.

1163. VIII. id. novemb. Privilegium ejusdem Friderici pro Castellanis episcopis contra Camaldulenses. n. VII. 13.

1164. v. idus februarii. Ejusdem diploma pro monachis S. Apollinaris in Classe. n. VIII. 14.

1164. IV. idus febr. Alterum pro monachis S. Severi in Classe. n. IX. 18.

1164. XXIX. novemb. Homines castri Guillarini refutant jus in ecclesiam S. Andreæ de Zagonaria. n. X. 20.

1164. Friderici imp. gratiosum diploma pro Camaldulensibus. n. XI. 21.

1164. Atho ep. Castrensis donat ecclesias in Sardinia Gregorio priori Camaldulensi. n. XII. 22.

1165. VI. kl. martii. Christiani imp. cancellarii & legati edictum pro pro Camaldulensibus. n. XIII. 24.

1165. III. nonas martii. Donatio facta monasterio S. Georgii de Apibus. n. XIV. 25.

1169. mense februario. Abbatiæ S. Victoris de Clusis donata ecclesia S. Apollinaris in Serra Senzano. n. XV. 26.

1169. II. id. junii. Alexandri III. epistola canonicis Pisanis de presbyteris schismaticis. n. XVI. 27.

1169. XIV. augusti. Libellus emphyteusis monast. Vangaticiæ. n. XVII. 28.

1169. XVII. kl. octobris. Alexandri III. alia epistola de monasterio Sextensi. n. XVIII. 29.

1170. XVII. kl. aprilis. Ejusdem tertia de eodem monasterio. n. XIX. 30.

1170. circa. Ejusdem Romani pontificis de cadavere comitis Tancredi humato in monasterio S. Savini de Pisis. n. XX. 31.

1170. XIV. kl. julii. Sophiæ comitissæ donatio plurium ecclesiarum monasterio Fullinæ. n. XXI. 32.

1170. mense septemb. Refutatio facta monasterio San-victoriano a comitibus Munaldo & Rogerio. n. XXII. 34.

1171. idibus martii. Alexander III. in protectionem suscipit ecclesiam S. Salvatoris de Fracta. n. XXIII. 35.

1171. XI. kl. aprilis. Hospitalis de Petia donatio facta monasterio Prataliensi. n. XXIV. 36.

1171. III. exeunte augusto. Castrum de Plarosara datum in feudum a Perfecto abb. S. Victoris de Clusis. n. XXV. 38.

1172. XIV. febr. Libellus emphyteuticus Gerardi archiep. Ravennatis Conrado abbati Vangaticiensi. n. XXVI. 39.

1173. III. aprilis. Investitura Vangariciensis. n. XXVII. 40.

1173. mense augusto. Commutatio curtis Modionæ cum castro Toppole inter canonicam Arretinam & eremum Camaldulensem. n. XXVIII. 41.

1173. mense octobri. Libellus emphyteusis Rolandi abbatis S. Urbani ad Æsinantem. n. XXIX. 43.

1174. XII. intrante aprili. Charta monasterii S. Mariæ de Fullina de Petro abbate. n. XXX. 44.

1174. VI. intrante aprili. Alia ejusdem monasterii. n. XXXI. 45.

1174. II. maji. Christiani imperialis legati

1181.

1181. VIII. id. martii. Lucius III. confirmat ecclesias & bona monasterii S. Cassiani de Carisio. n. LXIX. 107.

1182. XIII. kl. aprilis. Idem monachis Classensibus præcipit obedientiam archiepiscopo Ravennati. n. LXX. III.

1182. XV. kl. junii. Eamdem obedientiam mandat monachis Uranensibus. n. LXXI. *ibidem*.

1182. II. id. julii. Idem confirmat Vivensibus ecclesiam S. Christinæ. n. LXXII. 112.

1184. V. kl. maji. Privilegium ejusdem & recensio bonorum monasterii S. Severi in Classe. n. LXXIII. 113.

1184. nonis julii. Idem recenset monasteria Camaldulensia & confirmat Placido priori. n. LXXIV. 116.

1184. X. kl. septemb. Commendat monasterium Fullinæ episcopis marchiæ Tarvisinæ. n. LXXV. 119.

1184. X. kl. januarii. Confirmat bona monasterii S. Mariæ de Carceribus. n. LXXVI. 120.

1184. kl. februarii. Conventio sanctimonialium de Luco cum hominibus dicti castri. n. LXXVII. 123.

1185. II. id. martii. Friderici I. imp. præceptum in favorem episcoporum & abbatum provinciæ & archiepiscopatus Ravennatis. n. LXXVIII. 124.

1185. Martio. Lucii III. privilegium pro monasterio S. Miniatis juxta Florentiam. n. LXXIX. 126.

1185. junio. Breve recordationis & promissionis factæ de castro Gallulæ monasterio S. Victoris de Clusis. n. LXXX. 128.

1185. IV. nonas augusti. Friderici I. imp. privilegium pro parthenone S. Petri de Luco. n. LXXXI. 131.

1185. IX. octobris. Placitum pro Vivensibus contra comites de Sarthiano. n. LXXXII. 133.

1185. III. id. martii. Urbani III. Rom. pont. privilegium pro parthenone S. Petri de Luco. n. LXXXIII. 135.

1185. idibus martii. Ejusdem alterum Berardo abbati monasterii S. Apollinaris in Classe. n. LXXXIV. 137.

1185. idibus martii. Aliud ejusdem Guilielmo abbati Berardingorum. n. LXXXV. 141.

1185. X. kl. aprilis. Literæ ejusdem ad Gerardum archiep. Ravennatem super procurationes monasteriorum Bononiensium. n. LXXXVI. 144.

1186. martio. Processus & examinatio testium pro ecclesiis subjectis parthenoni Luci. n. LXXXVII. 146.

1186. XIV. maji. Definitio Placidi prioris Camaldulensis super eisdem ecclesiis. n. LXXXVIII. 149.

1186. XI. exeunte junio. Altera definitio Gerardi ep. Bellunensis pro monasterio Fullinæ. n. LXXXIX. 151.

1186. pridie nonas octobris. Henrici VI. regis præceptum pro Camaldulensibus. n. XC. 153.

1186. VII. kl. decembris. Urbani III. privilegium Livaldo priori monasterii S. Mariæ ad Carceres. n. XCI. *ibidem*.

1186. III. nonas decembris. Henricus VI. suscipit sub sua protectione monasterium S. Michaelis de Quadrigaria. n. XCII. 156.

1187. II. intrante augusto. Solutio census annui facta a monasterio Uranensi archiepiscopatui Ravennati. n. XCIII. 157.

1187. XVII. kl. januarii. Gregorius VIII. Rom. pont. confirmat monasterio Agnaniensi ecclesiam S. Christinæ ad Clanas. n. XCIV. 158.

1187. X. kl. januarii. Clementis III. Rom. pont. privilegium, quo confirmat omnia monasteria congregationi Camaldulensi. n. XCV. 159.

1188. idibus januarii. Idem suscipit sub apostolica protectione ecclesiam S. Michaelis de Arretio. n. XCVI. 162.

1188. XVII. kl. februarii. Idem confirmat bona monasterii S. Cassiani de Carisio. n. XCVII. 164.

1188. III. aprilis. Terræ concessæ a monasterio S. Gregorii de Urbe ad construendum hospitale pro leprosis. n. XCVIII. 166.

1188. II. nonas maji. Clemens III. confirmat ecclesias & bona monasterii S. Benedicti de Gualdo. n. XCIX. 168.

1188. II. nonas maji. Idem corroborat sententiam latam a priore Camaldulensi pro parthenone S. Hilarii de Alphiano. n. C. 171.

1188. III. nonas julii. Conventio inter monasteria S. Michaelis & S. Pauli ad Ripam Arni Pisarum. n. CI. 172.

1198.

1198. IV. nonas maji. Idem Hugoni ep. Nucerino commendat monasterium de Gualdo. n. CXXXIV. 216.

1198. XIII. kl. decemb. Idem committit etiam priori Camaldulensi collectiones pro subsidio Terræ-sanctæ. n. CXXXV. 217.

1198. Idem abbati de Gualdo permittit alibi transferre suum monasterium. n. CXXXVI. 218.

1199. VI. idus martii. Decimas & possessiones per XL. annos obtentas Camaldulensibus confirmat. n. CXXXVII. 219.

1199. XIII. kl. aprilis. Protectione apostolica donat monasterium S. Helenæ ad fluvium Æsinum, cujus ecclesias & castra recenset. n. CXXXVIII. *ibidem*.

1199. majo. Charta Vallecastrensis. n. CXXXIX. 224.

1199. XII. junii. Lazari abbatis S. Apollinaris-novi decisio inter canonicos Portuenses & monachos S. Severi de Classe Ravennæ. n. CXL. *ibidem*.

1199. IX. kl. junii. Innocentii III. commissio ep. Fesulano contra dominos de Galbina pro eremo Camaldulensi. n. CXLI. 227.

1199. IX. octob. Compositio Valle-castrensium cum Sanguinio electo Humanatensi. n. CXLII. 229.

1200. februario. Donatio facta abbatiæ Anglariensi. n. CXLIII. 231.

1200. III. nonas martii. Attestatio parœcianorum ecclesiæ S. Laurentii de Rivolta eam ecclesiam esse juris monasterii S. Michaelis Pisarum. n. CXLIV. 232.

1200. III. id. martii. Decisio jurium monasterii S. Michaelis de castro Brittorum. n. CXLV. 234.

1200. XIV. kl. julii. Donatio facta ecclesiæ Camalduli Bononiensis die ipsius consecrationis. n. CXLVI. 236.

1200. XVII. augusti. Terræ donatæ in urbe Foro-liviensi Martino priori Camald. pro monasterio construendo. n. CXLVII. 237.

1200. XIII. kl. novemb. Bernardus archiep. Arborensis confirmat monasterio S. Zenonis de Pisis monasteria & ecclesias Sardiniæ. n. CXLVIII. 239.

1200. ipsa die. Fundatio monasterii S. Mariæ de Bonarcanto in Sardinia cum donationibus. n. CXLIX. 240.

1200. circa. Delegatio matrimonialis Innocentii III. prioribus S. Mariæ ad Carceres & de Mandria. n. CL. 244.

1201. VII. id. martii. Idem recipit sub apostolica protectione monasterium S. Severi in Classe. n. CLI. 245.

1202. III. nonas octobris. Similiter & monasterium S. Vigilii Senarum. n. CLII. 246.

1202. II. exeunte octobri. Traditio loci in territorio Veronensi pro monasterio ædificando. n. CLIII. 247.

1202. I. novembris. Johannes ep. Foroliviensis alterum locum tradit pro construendo cœnobio in sua urbe. n. CLIV. 249.

1202. circa. Idem facit Jacobus abbas S. Mercurialis Foro-livii. n. CLV. 251.

1202. XIV. februarii. Decisio causæ inter canonicos Patavinos & hospitale de Mandria. n. CLVI. 252.

1203. III. kl. martii. Innocentius III. præcipit omnibus abbatibus ordinis S. Benedicti, ut Perusium conveniant ad capitulum generale. n. CLVII. 254.

1203. XIV. kl. junii. Ejusdem literæ ad episcopos Arretinum & Castellanum pro Camaldulensibus. n. CLVIII. 255.

1203. IV. novemb. Wolcherii patriarchæ Aquilejensis definitio contra monasterium S. Michaelis de Lemmo. n. CLIX. 256.

1204. V. aprilis. Alberti archiep. Ravennatis libellus emphyteuticus Enverardo abbati Vangaticiensi. n. CLX. 258.

1205. III. nonas octob. Traditio ecclesiæ sancti Viti scholaribus universitatis Vicetiæ. n. CLXI. 260.

1206. XII. februarii. Altera traditio ejusdem ecclesiæ monachis Camaldulensibus. n. CLXII. 262.

1206. V. kl. decemb. Innocentius III. confirmat eam ecclesiam Samsoni priori ipsius. n. CLXIII. 263.

1207. IV. exeunte junio. Patroni monasterii S. Helenæ ad flumen Æsinum promittunt emendationem omnium damnorum, quæ attulerant dicto cœnobio. n. CLXIV. *ibidem*.

1207. XVI. augusti. Mainardus ep. Imolensis confirmat ecclesiam S. Andreæ de Zagonaria monaste-

rio

rio Ss. Hippolyti & Laurentii de Faventia. n. CLXV. 264.
1207. XI. kl. novembris. Innocentii III. literæ, ne graventur ecclesiæ Camaldulenses. n. CLXVI. 266.
1207. VII. kl. februarii. Rainerius Guidalotti donat quosdam homines Johanni priori S. Margaritæ de Tosina. n. CLXVII. 267.
1207. idib. februarii. Idem donat Camaldulensibus jus suum in plures ecclesias. n. CLXVIII. 268.
1208. XXVIII. martii. Concordia inter abbatiam S. Mercurialis & monasterium Camalduli Foro-liviensis. n. CLXIX. *ibidem*.
1208. XII. aprilis. Promissio hominum de Zagonaria abbati Ss. Hippolyti & Laurentii de Faventia. n. CLXX. 270.
1208. VIII. exeunte julio. Libellus emphyteuticus Gerardi abbatis S. Michaelis de castro Brittorum. n. CLXXI. 272.
1208. V. kl. decembris. Innocentii III. literæ, ne divexetur monasterium S. Petri de Puteolis urbis Lucensis. num. CLXXII. *ibidem*.
1208. XV. kl. januarii. Ejusdem aliæ, ut serventur jura & exemptiones eremi Avellanensis. n. CLXXIII. 273.
1208. circa. Inventarium bonorum ecclesiarum Buitte & Pratæ. n. CLXXIV. 274.
1209. XV. kl. februarii. Rainerius quondam Bernardi terras donat pro ædificatione monasterii Camaldulensis extra Perusium. n. CLXXV. 275.
1209. XI. kl. martii. Amaldi comitis Corsicani donationes monasterio Montis-Christi. n. CLXXVI. 277.
1209. V. idus Martii. Concordia inter monasterium Lucense & consules Luci. n. CLXXVII. 278.
1209. VI. idus martii, & XII. kl. martii. Donationes factæ eremo Ss. Jacobi & Verani de Calci. n. CLXXVIII. 279.
1209. IV. kl. novembris. Ottonis IV. imp. privilegium pro eremo Avellanensi. num. CLXXIX. 280.
1209. VIII. idib. novemb. Alterum ejusdem pro Camaldulensibus. n. CLXXX. 283.
1210. IV. kl. februarii. Confirmatio sententiæ contra comites de Sarthiano ad favorem monasterii de Vivo. n. CLXXXI. 290.
1210. VI. idib. februarii. Ottonis IV. imper. privilegium pro abbatia S. Salvatoris Montis-acuti. n. CLXXXII. 291.
1210. XI. exeunte febr. Ampla donatio Ferrarii de Fontaniva facta monasterio S. Viti de Vicetia. n. CLXXXIII. 295.
1210. II. martii. Ottonis IV. privilegium pro monasterio S. Apollinaris in Classe. n. CLXXXIV. 299.
1210. V. nonas aprilis. Innocentii III. literæ Ubaldo archiepiscopus Ravennati circa ipsius jus in monasterium Classis. n. CLXXXV. 304.
1210. I. julii. Confirmatio donationis ecclesiarum in Sardinia, facta a Maria de Thori Camaldulensibus. n. CLXXXVI. 305.
1210. VI. kl. septembris. Alia sententia pro monasterio de Vivo contra comites Sarthianenses. n. CLXXXVII. 306.
1211. XI. kl. decembris. Guido plebanus de Rivo-cornoclario donat ecclesiæ S. Mariæ de Rivo-frigido ecclesiam S. Michaelis. n. CLXXXVIII. 308.
1211. XV. kl. januarii. Sententia inter eremum Calcensem & plebem ejusdem loci. n. CLXXXIX. 310.
1212. X. exeunte martii. Traditio ecclesiæ sancti Michaelis de Muriano facta Camaldulensibus a Marco ep. Castellano. n. CXC. 312.
1212. aprili. Alia a clericis Murianensibus. n. CXCI. 313.
1212. III. kl. maji. Guido prior Camaldulensis ratam habet hanc traditionem. n. CXCII. 315.
1212. XIII. exeunte majo. Ecclesia S. Gervasii de Belluno conceditur Acegæ. n. CXCIII. 316.
1212. II. intrante septembri. Traditio decimarum facta Livaldo priori S. Mariæ ad Carceres. num. CXCIV. 317.
1212. octobri. Promissio Alberti prioris S. Michaelis de Muriano presbyteris Murianensibus. num. CXCV. 318.
1212. XII. kl. novembris. Castrum Plerosariæ traditur communi Fabriani a Morico abbate S. Victoris. n. CXCVI. 319.
1212. III. nonas decemb. Compositio inter Francam abbatissam S. Petri de

de Luco & Guidonem plebanum Rivi-cornoclarii. n. CXCVII. 321.

1213. VIII. kl. octobris. Innocentii III. epistola contra Guidonem comitem infestum Camaldulensibus. n. CXCVIII. 323.

1213. VII. kl. octobris. Ejusdem literæ pro reformatione monasterii Vangaticiensis. n. CXCIX. 325.

1213. VII. kl. octobris. Idem Romanus pontifex confirmat ecclesiam S. Michaelis de Muriano Guidoni priori Camaldulensi. n. CC. 326.

1213. VII. kl. novembris. Ejusdem privilegium Grimaldo abbati S. Apollinaris in Classe. n. CCI. *ibid.*

1214. VIII. exeunte julio. Bobonis Perusinorum potestatis donationes Camaldulensibus. n. CCII. 327.

1214. IV. idus augusti. Capella S. Michaelis de Casa-nova traditur parthenoni S. Petri de Luco, n. CCIII. 329.

1214. IV. decemb. Sententia Wolcherii patriarchæ Aquilejensis pro Folcherio ep. Parentino contra monasterium S. Michaelis de Lemmo. n. CCIV. 331.

1215. nonis februarii. Innocentii III. literæ pro monasterio Pulliciani. n. CCV. 333.

1215. XII. exeunte. Receptio literarum ejusdem facta ab Adelardo cardinali & ep. Veronensi pro monasterio Fullinate. n. CCVI. 334.

1215. XIV. kl. octob. Bernardus fundator eremi de Calci ipsam subjicit monasterio S. Michaelis in burgo Pisarum. n. CCVII. 335.

1215. II. intrante novembri. Ecclesia de Longano prope Bellunum subjecta declaratur monasterio de Fullina. n. CCVIII. 337.

1215. XX. decemb. Gregorius abbas S. Gregorii de Urbe locat aliquot cryptas sui monasterii. n. CCIX. *ibidem.*

1216. XVII. januarii. Aliæ binæ locationes ab eodem abbate factæ. n. CCX. 339.

1216. XII. kl. martii. Juspatronatus ecclesiæ S. Cæciliæ Pisarum traditur monasterio S. Michaelis in Burgo. n. CCXI. 342.

1216. XIV. martii. Charta permutationis Samsonis abbatis Vangaticiensis cum Ailice comitissa Estensi. n. CCXII. 343.

1216. XXVIII. aprilis. Gregorius abbas S. Gregorii de Urbe locat Castrum-vetus. n. CCXIII. 345.

1216. XV. exeunte augusto. Alia Samsonis abbatis Vangaticiensis permutatio cum Ailice comitissa. n. CCXIV. 348.

1216. III. novemb. Traditio monasterii S. Antonii de Tuderto facta Camaldulensibus. n. CCXV. 350.

1216. XXII. novemb. Gregorius abb. S. Gregorii de Urbe confirmat locationem Castri-veteris. n. CCXVI. 351.

1216. Aliud examen testium pro monasterio Fullinate. n. CCXVII. 353.

1216. circa. Excerpta ex interrogationibus & responsionibus in causa libertatis eremi Camaldulensis, & membrorum ejus contra episcopum Arretinum sub Guidone priore Camaldulensi. n. CCXVIII. 356.

1217. VII. idus junii, Honorius III. Rom. pont. monasterium S. Mariæ de Urano apostolica protectione donat. n. CCXIX. 369.

1217. XVII. kl. julii. Eremus de Calci petit protectionem apostolicam. n. CCXX. 370.

1217. X. kl. julii. Henricus III. confirmat monasterium Vangaticiense Guidoni priori Camald. n. CCXXI. 371.

1217. VI. kl. julii. Lis composita inter abbatissam Luci & capellanum S. Georgii. n. CCXXII. 373.

1217. IV. augusti. Samson abbas Vangaticiensis se abdicat a regimine monasterii. n. XCXXIII. 374.

1217. augusto. Rusticus ep. Tudertinus confirmat monasterium S. Antonii Guidoni priori Camald. n. CCXXIV. 376.

1217. V. kl. decemb. Honorii III. literæ Johanni abbati Vangaticiensi. n. CCXXV. 377.

1217. nonis decembris. Ejusdem privilegium Guidoni abbati S. Michaelis in burgo Pisarum. n. CCXXVI. 378.

1217. VI. id. aprilis. Ejusdem amplissimum privilegium Raynaldo priori Fontis-avellanæ. n. CCXXVII. 380.

1218. IV. kl. maji. Acto ep. Camerinensis concedit sepulturam liberam ecclesiæ S. Blasii de Fabriano monasterio S. Victoris de Clusis. n. CCXXVIII. 383.

1218. XII. maji. Gregorius abbas S. Gregorii de Urbe locat clericis SS. Johannis & Pauli. n. CCXXIX. 384.

1218.

Ubertini donatio facta eremo Camaldulensi . n. CCLXVI. *ibid.*

1225. VI. kl. decemb. Honorius III. confirmat ecclesiam S. Michaelis monasterio Carcerum. n.CCLXVII. 445.

1225. XXVIII. novembr. Adalperi ep. Parentini confessio de decimis monast. S. Michaelis de Lemmo . n. CCLXVIII. *ibidem*.

1226. V. id. aprilis . Honorii III. delegatio contra abbatem Vergareti . n. CCLXIX. 446.

1226. V. id. aprilis . Abbatia S. Petri in Campo se dat in protectionem civitatis Senensis. n. CCLXX. 447.

1226. majo . Friderici II. imp. praeceptum pro Camaldulo. n. CCLXXI. 450.

1227. VI. exeunte aprili . Promissio pro castro S. Urbani. n. CCLXXII. 452.

1227. idib. maji . Gregorii papae IX. literae abbati S. Zenoni Pisarum pro monasterio S. Mariae de Morteto. n. CCLXXIII. *ibidem*.

1227. II. id. maji . Ejusdem literae priori Camaldulensi pro absolutione criminum petentium ingredi ordinem. n. CCLXXIV. 453.

1227. idib. maji . Aliae ejusdem praelatis, ut eremo Camald. opem ferant. n. CCLXXV. 454.

1227. XVIII. kl. julii . Idem confirmat Camaldulo monasterium Vangaticiae. n. CCLXXVI. *ibidem*.

1227. eadem die . Confirmat pariter loca de novo obtenta binis bullis. n. CCLXXVII. 455.

1227. XVII. kl. julii . Jus etiam parochiae ecclesiae S. Margaritae de Tosina. n. CCLXXVIII. 456.

1227. XV. kl. julii. Iterum mandat subventionem eremi Camaldulensis . n. CCLXXIX. 457.

1227. XIII. kl. julii . Vetat, ne mulieres transgrediantur limites ligneos eremi Camaldulensis . n. CCLXXX. *ibidem*.

1227. XII. kl. julii . Prohibet, ne laici in electionibus praelatorum se immisceant. n. CCLXXXI. 458.

1227. VIII. kl. julii. Refutatio facta monasterio Vallis-castri. n.CCLXXXII. 459.

1227. IV. kl. julii . Amplum Gregorii IX. privilegium, quo enumerat omnia monasteria subjecta Camaldulensi eremo. n.CCLXXXIII. 460.

1227. V. id. augusti . Gregorius IX. confirmat bona monasterii S. Mariae ad Carceres . n. CCLXXXIV. 465.

1227. II. exeunte octobri . Raynaldus ep. Camerinensis excommunicat homines Piri . n. CCLXXXV. 466.

1227. IV. nonas decembris . Gregorius IX. prohibet praelatis Camaldulensibus alienationes. n. CCLXXXVI. 467.

1227. V. id. decemb. Idem tradi postulat Camaldulensibus monasterium S. Mariae de Fellonica . n. CCLXXXVII. 468.

1227. ipsa die . Idem delegat cognitionem causae monasterii S. Michaelis de castro Brittorum . num. CCLXXXVIII. 469.

1228. IV. id. febr. Guido prior Camald. procuratorem creat pro ecclesiis marchiae Anconitanae. n.CCLXXXIX. *ibidem*.

1228. IX. martii . Jacobi abb. Montisarmati sententia de Marmorta pro monasterio S. Michaelis de castro Brittorum. n. CCXC. 471.

1228. IX. exeunte majo . Ægidius ep. Foro-popiliensis tradit Camaldulensibus hospitale de Cave de Colle . n. CCXCI. 472.

1228. VII. kl. septemb. Indulgentiae concessae a Gregorio IX. ecclesiae S. Mariae de Petra-ficta. n. CCXCII. 473.

1228. III. septemb. Donationes factae eidem loco a Tigrimo comite . n. CCXCIII. 474.

1228. V. idus septemb. Gregorii IX. delegatio causae Compagni prioris S. Mariae de Porcilia Paduae . n. CCXCIV. 475.

1228. Locatio Comitis abbatis Montischristi. n. CCXCV. 476.

1228. III. id. februarii. Gregorius IX. mandat episcopis, ne molestent ecclesias Camaldulensium ratione subsidii. n. CCXCVI. 477.

1229. XVIII. aprilis. Regula monasterii S. Benedicti introducta in monasterium Omnium Sanctorum Paduae. n. CCXCVII. *ibid.*

1229. idibus junii. Privilegium Gregorii IX. pro monasterio S. Apollinaris in Classe . n. CCXCVIII. 479.

1229. VI. exeunte decembri . Compositio inter clerum Ravennatem & inter abbatem Classensem . num. CCXCIX. 483.

1229. Gregorii IX. literæ ad ep. Arretinum pro abbatiæ Burgensis juribus. n. ccc. 484.

1229. v. nonas julii. Ejusdem literæ ad canonicum Pelagottum pro possessione Marmortæ. ccci. 485.

1230. xi. die septembris. Commutatio inter eremum Camaldulensem & presbyterum de Agna. n. cccii. 486.

1230. v. kl. novemb. Gregorii IX. literæ ad ep. Fesulanum, ne molestet Camaldulensium benefactores. n. ccciii. 488.

1230. v. kl. januarii. Alberti ep. Massani literæ ad Henricum abb. S. Michaelis Pisarum pro eremo de Calci. n. ccciv. *ibid.*

1230. Petri regis Arborensis in Sardinia donatio monasterio S. Mariæ de Bonarcanto. n. cccv. 489.

1231. xi. januarii &c. Definitio Pelagotti de valle Marmorta contra monasterium S. Michaelis de castro Brittorum. n. cccvi. 491.

1231. xvi. kl. aprilis &c. Chartæ tres in causa inter Thedericum archiep. Ravennæ & monasterium S. Apollinaris in Classe. n. cccvii. 497.

1231. vi. id. maji. Gregorii IX. literæ ad electum Massanensem pro monasterio Montis-christi. num. cccviii. 501.

1231. idibus maji. Aliæ ejusdem pro eodem monasterio priori Camald. n. cccix. 502.

1232. vi. kl. aprilis. Philippus ep. Camerinensis statuit terminos parœciæ S. Blasii de Fabriano. n. cccx. *ibidem.*

1232. v. kl. maji. Aliæ Gregorii IX. literæ ad priorem Camaldulensem pro monasterio Montis-christi. n. n. cccxi. 503.

1232. vii. kl. junii. Ejusdem literæ priori S. Blasii de Fabriano confirmantes terminos parœciæ. n. cccxii. 504.

1232. iv. exeunte majo. Definitio Jacobi abb. Montis armati pro monast. S. Hippolyti de Faventia. n. cccxiii. 505.

1232. i. novembris. Friderici ep. Concordiensis donatio ecclesiæ S. Martini de Prata Camaldulensibus. n. cccxiv. 507.

1232. iv. nonas decemb. Ardinghi ep. Florentini literæ ad plebanum de Pomino. n. cccxv. 508.

1232. circa. Expostulatio abbatis S. Crucis de Tripudio contra abbatem S. Victoris pro ecclesia S. Blasii. n. cccxvi. 509.

1233. i. martii. Conventiones inter abbatem S. Michaelis de Castro Brittorum & inter capitulum ecclesiæ Bononiensis. n. cccxvii. 510.

1233. kl. maji. Libellus emphyteusis factus a Thederico archiep. Ravennæ Guidoni abbati Vangaticiæ. n. cccxviii. 512.

1233. xii. exeunte junio. Bertholdus patriarcha Aquilejensis concedit Oddoni ep. Bellunensi licentiam donandi. n. cccxix. 513.

1233. x. exeunte septembri. Electio prioris S. Mariæ de Orbisio Paduæ. n. cccxx. *ibidem.*

1233. ix. kl. octobris. Electio prioris S. Margaritæ de Tosina facta a Guidone priore Camaldulensi. n. cccxxi. 514.

1233. xvi. octobris. Oddonis ep. Bellunensis donationes factæ monasterio S. Gervasii de Belluno. n. cccxxii. 516.

1233. xiii. kl. novembris. Gregorii IX. literæ pro monasterio S. Savini Pisarum. num. cccxxiii. 518.

1233. iv. exeunte octobri. Venditio Benvenuti abbatis S. Urbani ad Æsinantem. n. cccxxiv. 519.

1233. xiv. ex. novembri. Definitio pro monasterio S. Victoris de Clusis. n. cccxxv. 520.

1234. xii. kl. februarii. Gregorii IX. bulla pro absolutione reorum concessa Camaldulensibus. n. cccxxvi. 522.

1234. v. kl. februarii. Alia concedens priori Camaldulensi facultatem visitandi. n. cccxxvii. 523.

1234. eodem die. Alia Camaldulensibus, ut eremo opem ferant. num. cccxxviii. 524.

1234. v. ex. martio. Ugolinus abb. Bifurci concedit ecclesiam S. Jacopi de Mercatello. n. cccxxix. *ibidem.*

1234. viii. julii &c. Chartæ tres pro monasterio S. Adalberti de Pereo. n. cccxxx. 527.

1234. xv. kl. septembris. Gregorii IX. demandatio, ut observetur compromissio pro monasterio Classensi inter archiepiscopum & ipsum cœnobium. num. cccxxxi. 531.

1234. ix. kl. novemb. Electio rectoris S.

S. Andreæ de Petra. n. CCCXXXII. 532.
1234. VI. kl. novembr. Confirmatio ejus electionis. n. CCCXXXIII. *ibidem*.
1235. kl. decembris. Delegatio pontificia pro monasterio S. Michaelis Pisarum. n. CCCXXXIV. 533.
1235. idibus januarii. Gregorius IX. eximit monasteria Pisana a subsidio imposito ab archiepiscopo. n. CCCXXXV. 535.
1236. XVI. kl. julii. Idem confirmat monasterio S. Apollinaris in Classe ecclesiam S. Mariæ-nove de Fano. n. CCCXXXVI. 536.
1237. XVI. martii. Donationes factæ monasterio Insulano. n. CCCXXXVII. 537.
1237. VII. exeunte aprili. Charta Valle-castrensis. n. CCCXXXVIII. 538.
1237. XII. septembris. Chartæ quatuor pro monasterio S. Adalberti in Pereo compositionis cum Thederico archiep. Ravennæ. n. CCCXXXIX. *ibidem*.
1237. VI. idus decemb. Gregorii IX. literæ pro monasterio Montis-christi. n. CCCXL. 543.
1237. circa. Petri judicis Arborensis donationes monasterio S. Mariæ de Bonarcanto in Sardinia. n. CCCXLI. 544.
1239. X. januarii. Capitulum generale congregationis monachorum alborum S. Benedicti de Padua. n. CCCXLII. 545.
1239. Statuta ejusdem capituli generalis. n. CCCXLIII. 547.
1239. Aggregatio aliorum monasteriorum congregationi S. Benedicti de Padua. n. CCCXLIV. 551.
1239. nonis martii. Gregorii IX. literæ potestati Plumbini pro monasterio Montis-christi. n. CCCXLV. 553.
1239. IV. novemb. Conventiones inter abbatem S. Mercurialis & inter priorem Camalduli Foro-liviensis. n. CCCXLVI. 554.
1240. XIV. ex. januario. Charta Porciliensis. n. CCCXLVII. 557.
1240. VI. maji. Confirmatio conventionum inter monasteria S. Mercurialis & Camalduli Foro-livii facta a Guidone priore Camaldulensi. num. CCCXLVIII. 558.
1240. kl. julii. Charta Valle-castrensis. n. CCCXLIX. 559.
1240. VII. exeunte novembri. Donatio facta monasterio S. Victoris de Clusis. n. CCCL. 560.
1240. Excerptum bonorum eremi Camalduli de Bononia. n. CCCLI. *ibidem*.
1241. V. id. februarii. Gregorii IX. literæ Guidoni priori Camald. pro absolutione petentium ingredi ordinem. n. CCCLII. 562.
1241. V. ex. februario. Manumissio servi facta a Scholastica abbatissa S. Christinæ Septem-fontium. n. CCCLIII. 563.
1242. more Pisano IV. id. junii. Solutio subsidii pro prælatis a Friderico II. imp. captis. n. CCCLIV. 564.
1242. II. ex. julio. Friderici II. imp. præceptum pro eremo Avellanensi. n. CCCLV. 565.
1242. VII. exeunte decembri. Abbas Campriani excommunicat incidentes ligna. n. CCCLVI. 566.
1242. Concordia inter canonicos Marianenses & monasterium Montis-christi. n. CCCLVII. 567.
1243. Alia pro monasterio S. Mariæ de Canovaria. num. CCCLVIII. 568.
1243. VIII. id. aprilis. Plura bona & monasteria eremi de Vivo traduntur protectioni communis Montis-politiani. num. CCCLIX. 571.
1243. XII. ex. aprili. Charta monasterii S. Viti Vicetiæ. n. CCCLX. 575.
1243. XII. octobris. Stephanus ep. Torcellanus concedit Camaldulensibus ecclesiam S. Mathiæ de Muriano. n. CCCLXI. 577.
1244. V. id. januarii. Locatio Guilielmi marchionis Massæ monasterio S. Michaelis Pisarum. n. CCCLXII. 578.
1244. III. idus januarii. Innocentius IV. Rom. pont. monasterium S. Mariæ de Toma subjicit Camaldulensibus. n. CCCLXIII. 579.
1244. V. nonas maji. Definitio pro ecclesia S. Stephani de Tega subjecta monasterio Silvæ-mundano. n. CCCLXIV. 580.
1244. Uberti abbatis Athalmensis interrogationes factæ abbati S. Helenæ ad Æsinum. n. CCCLXV. 583.

1245. v. martii. Charta monasterii Bifurcensis. n. CCCLXVI. 584.
1245. IX. martii. Jacobus ep. Bononiensis dat primarium lapidem pro ædificanda ecclesia S. Christinæ Bononiæ. n. CCCLXVII. 586.
1247. II. octobris. Conradi ep. Justinopolitani donationes monasterio S. Michaelis de Muriano. n. CCCLXVIII. 587.
1249. more Pisano IV. id novemb. Ædificatio cœmeterii prope ecclesiam S. Laurentii de Rivolta. n. CCCLXIX. 589.
1249. v. kl. augusti. Refutatio hospitalis de Tressa facta a Mauro abbate Berardingorum. n. CCCLXX. 590.
1250. IV. septembris. Examen testium pro ecclesia S. Fortunatæ de Sutrio subjecta monasterio S. Gregorii de Urbe. n. CCCLXXI. 592.
1250. circa. Aliud examen pro castris testamento relictis monasterio S. Gregorii de Urbe. n. CCCLXXII. 596.

APPENDIX ALTERA.

MONUMENTORUM

AD ALIQUA MONASTERIA SPECTANTIUM.

588. XXVIII. decembris. Donatio facta a S. Gregorio Magno monasterio S. Andreæ de Urbe. n. I. 600.
984. Rosæ nobilissimæ feminæ largitiones monasterio S. Gregorii de Urbe, n. II. 602.
992. nonis decembris. Castellum sancti Pauli confirmatur eidem monasterio ab Ottone III. imp. n. III. 605.
998. XIII. augusti. Executio testamenti cujusdam Stephani in favorem ejusdem cœnobii. n. IV. 606.
1019. XIV. maji. Aliæ donationes Purpuræ illustris feminæ. num. V. 609.
1051. Locatio castri Pauli facta a Benedicto abbate Johanni nobilissimo comiti. n. VI. 612.
1139. IV. aprilis. Querela Petri abbatis S. Gregorii contra Odonem de Polo, & judicata Innocentii pp. II. pro monasterio dicto. n. VII. 614.
973. XI. maji. Amplissima donatio Petri ducis & comitis Ravennatis monasterio S. Apollinaris-novi de Ravenna. num. VIII. 620.
1127. VII. januarii. Placitum Gualterii archiep. Ravennatis inter monasteria S. Apollinaris in Classe & S. Apollinaris-novi. n. IX. 627.
1189. V. octobris. Ædificatio hospitalis sancti Cataldi in urbe Mantuana. n. X. 629.
1197. XXX. januarii. Petitio primarii lapidis pro ædificanda ecclesia S. Marci de Mantua ab Henrico ejus urbis episcopo. n. XI. 630.
1199. IX. julii. Exemptio ab oneribus & exactionibus concessa eidem monasterio a communi Mantuæ. n. XII. 633.
1206. XXX. maj. Privilegium Innocentii papæ III. fratribus S. Marci. n. XIII. 635.
1207. XV. kal. februarii. Amplissimum ejusdem, quo approbat ipsorum regulam & usus. n. XIV. *ibidem*.
1218. IV. kal. aprilis. Honorii III. confirmatoria ecclesiæ S. Cataldi facta fratribus S. Marci. n. XV. 639.
1218. II. nonas aprilis. Idem ratas habet donationes factas eidem monasterio. n. XVI. *ibid.*
1223. IX. exeunte majo. Henricus ep. Mantuanus donat domum a se ædificatam fratribus S. Marci. n. XVII. 640.
1225. idibus augusti. Honorius III. regulam monasterii S. Marci dat fratribus de Vincareto. n. XVIII. 641.
1227. x. kal. junii. Privilegium Gregorii IX. pro iisdem fratribus S. Marci. n. XIX. *ibidem*.
1227. XVI. kal. decembris. Ejusdem Romani pontificis alterum privilegium. n. XX. 642.
1246. nonis februarii. Innocentius IV. ipsos eximit a procurationibus legatorum. n. XXI. *ibid.*
1252. Commune Mantuæ confirmat exemptionem iisdem fratribus. num. XXII. 643.

1256. XIII. kal. junii . Alexander IV. eos eximit a solutione decimarum patriarchæ Aquilejensi . n. XXIII. 644.


1262. XV. kal. januarii . Urbani IV. literæ visitatoribus ordinis S. Marci, ut revocent fratres ad monasteria. n. XXIV. 645.

1289. V. kal. aprilis. Nicolaus IV. eos liberat a jurisdictione ordinariorum. n. XXV. 646.

1331. kal. decembris. Johannes XXII. vetat, ne eorum conversi votum habeant in capitulis. n. XXVI. 647.

1512. XXX. septembris . Emphyteusis facta ab abbate sancti Michaelis in Burgo Pisarum cum arte Aromatariorum, ubi de festo beati Dominici Vernagallii. n. XXVII. 648.

Officium proprium S. Rainerii archiep. Spalatensis & martyris, quod etiamnum in urbe & diœcesi Spalatensi recitatur. n. XXVIII. 650.



I N-

INDEX
RERUM ET NOMINUM, QUÆ CONTINETUR IN TOMO QUARTO ANNALIUM CAMALDULENSIUM.

Numeri, quos non præcedit litera A, ad ANNALES pertinent, quos vero litera A præcedit, spectant ad APPENDICEM.

Litera a. initium paginæ, b. medium, c. finem designat.

A



S. Ægi-

Al-

Arre-

B

Be-

C

c. a

D

S. De-

E

Ele-

F

S. Fe-

G

H

I

Imel-

Jo-

L

S. Mi-

N

O

Or-

P

S. Pa-

S. Pe-

Q

R

Roma-

S

S. Sal-

S. Se-

T

V

Ubal-

Wal-

Z

FINIS TOMI QUARTI.





ANNALES
CAMALD.
ORDINIS
S. BENEDICTI

TOM. IV.